BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS,
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iussu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita


cum selectissimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI observatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in sua singulæ capita tributæ: nec non selecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratissimi.

TOMUS VIGESIMUS SEXTUS
complectens Epist. B. Pauli Apost. ad CORINTHIOS, ad GALATAS, ad EPHESIOS, ad PHILIPPENSES, & ad COLOSSENSES.



VENETIIS
MDCCLVII.

Excuderunt {MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS sub signo Providentiæ.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

EPISTOLA
BEATI PAULI
APOSTOLI
AD CORINTHIOS PRIMA.

PAULUS Corinthi circa annum Christi 52. ut multis videtur, primus Evangelium prædicavit, tum diversis temporibus Petrus Apostolus, & Apollo Corinthios in fide confirmarunt: Urbs erat Achaiæ in Isthmo, qui Pelopponesum cum Græcia iungit, posita. In ea urbe Apostolus sesquiannum excegerat, & magnam hominum multitudinem ad Christi fidem adduxerat. Circa annum 57. Corinthii ad eum cum esset Ephesi miserunt Stephanam, Fortunatum, & Achaicum, qui illum de statu Ecclesiæ suæ certiorem facerent, quique aliquas circa matrimonium, virgines, & viduas proponerent quæstiones. Iidem, ut verisimile est, abusus inductos eum edocuerunt, quos in hac Epistola libertate Apostolica corrigit, simul & difficultates propositas solvit. Priorem ad Corinthios Epistolam Ephesi datam conscripsit. Quæ ad mores pertinent, fusius & ad omnium captum accommodate persequitur; quæ pastorum in Deum, & in plebem, quæ fidelium in Deum, in seipsos, & in pastores constare debeant officia, ac duo præ ceteris Christianæ religionis Mysteria, Eucharistiam nimirum, & corporum resurrectionem, apertius exponit: Corporis Christi realem præsentiam & manducationem, ut fidelibus notas, & ab omnibus receptas, paucis quidem verbis, sed ita claris edisserit, ut in contrarium sensum trahi non possint. Mitto quæ de linguarum & prophetiæ donis subiicit, quæque in nascentis Ecclesiæ exordiis erant vulgata.

CAPUT PRIMUM.

Paulus Deo gratias agit de donis datis Corinthiis: ceterum dolet quod de baptizatoribus essent inter ipsos schismata, gaudens quod missus ad prædicandum Evangelium paucos baptizaverit; ostendens etiam reprobatam mundi sapientiam, & electos simplices: sicut & sita est salus in Christi morte, cuius prædicatio iudicatur mundo stultitia, credentibus vero virtus ac sapientia: ideo enim contemptibilia mundi elegit Deus, ne quis in se glorietur.

1\. PAulus vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem
Dei, & Sosthenes frater, 2. Ecclesiæ Dei, quæ est Co-
rinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis,
cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Iesu
Christi, in omni loco ipsorum, & nostro. 3. Gratia
vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Iesu
Christo. 4. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in
gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu: 5. quod in omnibus divi-
tes facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia: 6. Sicut testi-
monium Christi confirmatum est in vobis: 7. ita ut nihil vobis desit in
ulla gratia, expectantibus revelationem Domini nostri Iesu Christi, 8. qui
& confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini
nostri Iesu Christi. 9. (*a*) Fidelis Deus: per quem vocati estis in societa-
tem filii eius Iesu Christi Domini nostri. 10. Obsecro autem vos fratres,
per nomen Domini nostri Iesu Christi: ut idipsum dicatis omnes, & non
sint in vobis schismata: * sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem
sententia. 11. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab iis qui
sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. 12. Hoc autem dico, quod
unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem (*b*) Apol-
lo: ego vero Cephæ: ego autem Christi. 13. Divisus est Christus? Num-
quid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?
14\. * Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, (*c*) nisi Crispum
& Caium: 15. ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. 16. Ba-
ptizavi autem & Stephanæ domum: ceterum nescio si quem alium bapti-
zaverim. 17. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare: (*d*)
non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. 18. Verbum enim
crucis, pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est
nobis, Dei virtus est. 19. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapien-
tium, & prudentiam prudentium reprobabo. 20. (*e*) Ubi sapiens? ubi scri-
ba? ubi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hu-
ius mundi? 21. Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sa-
pientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere cre-
dentes. 22. Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt:
23\. nos autem prædicamus Christum crucifixum. Iudæis quidem scandalum,
Gentibus autem stultitiam; 24. ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis,
Chri-

Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam: 25. quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. 26. Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: 27. ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia: 28. & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret: 29. ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius. 30. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & (*f*) iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio: 31. ut quemadmodum ſcriptum eſt: (*g*) Qui gloriatur, in Domino glorietur.

(a) I. Theſſ. v. 24. (b) Act. xviii. 24. (c) Act. xviii. 8. (d) II. Pet. i. 10. Infr. 2. 1. 4. (e) Rom. i. 16. Iſa. xxix. 14. (f) Iſa. xxxiii. 18. (g) Ier. xxiii. 5. Ierem. ix. 22. 23. II. Cor. x. 17.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ 10. *Sitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia*. Romani Patres, emendanda ſcripſerunt, *ſententia*, deductum a ſentio, pro eo quod vulgo legitur, *ſcientia* a ſcio.

Verſ. 14. *Gratias ago Deo*, Non addas pronomen *meo*.

Verſ. 16. *Ceterum neſcio ſi quem alium baptizaverim*. Non addas pronomen *veſtrum* poſt *alium*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 2. SANCTIFICATIS: prædixit Eccleſiæ Dei; ſubdit autem, quæ eſt illa Eccleſia, ipſis ſcilicet in Chriſto Ieſu per baptiſmum ſanctificatis. IPSORUM ET NOSTRO: qui invocant nomen Domini in omni loco, ſint *ipſorum*, id eſt ubilibet apud gentes, *ſive noſtro*, id eſt Ieroſolymis, quod olim Iudæi putarent nefas eſſe, ſi alibi adoraretur. Salutat autem, inquit Chryſoſt. non Corinthios modo, ſed quotquot ubique ſunt fideles. Photius refert τὸ ipſorum & noſtro ad Græca κυρίυ ἡμῶν, ut ſit ſenſus, Qui invocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, Domini, inquam, ipſorum & noſtri: ſic enim legendum eſt ſecundum illum, non noſtro.

V. 4. IN GRATIA, id eſt ob gratiam QUAE DATA EST VOBIS IN CHRISTO, id eſt per Chriſtum.

V. 5. & 6. IN OMNI VERBO, id eſt inquit Theoph. quod ſermonem Dei habetis & ſcientiam, ut & intelligendi vobis facultas adſit, & eloquendi. SICUT TESTIMONIUM. *Gratias*, inquit, *ago Deo*, quod IN OMNIBUS. Grec. ἐν παντὶ, id eſt *omnino*, DIVITES FACTI ESTIS IN ILLO, id eſt per Chiſtum *in omni verbo & ſcientia*, *ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis*, pro, *ſicut* Græci habent, καθὼς, quod Græca ſcholia exponunt per δι' ὧν, id eſt per quæ; ſic enim explicant, per ſermonem enim & donatam a Deo ſcientiam teſtimonium Chriſti a vobis confirmatum eſt: Photius interpretatur τὸ μαρτύριον Χριςῦ, voluntariam & ſalutarem Chriſti paſſionem; interpretatur etiam teſtimonium Chriſti: teſtimonium illorum de Chriſto, ipſa ſcilicet gratuita ſignorum dona, & viſibiles gratias quæ in primitiva Eccleſia credentibus conferebantur, & ita ordinat lectionem: divites facti eſtis in omni verbo & ſcientia, ſicut perſpicuum eſt ex teſtimonio Chr. in vobis confirmato, id eſt ex ipſius donis & gratiis in vos ab illo collatis, inter quas ſunt gratia ſermonis & gratia ſcientiæ.

V. 9. FIDELIS DEUS, id eſt verax; πιςὸς enim aliquando ſignificat veracem & fide dignum, aliquando certum & indubitatum, unde frequens eſt Paulo πιςὸς

ὁ λ'.

ὁ λόγος: quod interpres semper vertit, fidelis sermo, nos vertere possumus, certa & indubitata res est: sicut verbum & sermo Hebr. non tam pro locutione ipsa, quam pro re ipsa facta sumitur, & pro rebus gestis.

V. 10. IDIPSUM, id est perinde invicem sentiatis. SITIS AUTEM PERFECTI. Græc. est, ἦτε δὲ κατηρτισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ, ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ: quamquam interpres pro γνώμῃ legit γνώσει, id est *scientia*. Est autem horum verborum sensus, ut sitis integri & perfecti in eadem mente & sententia, non habentes scissa invicem per discordiam membra, vel, ut sitis concordes & unanimes in eadem mente & sententia; καταρτίζω enim significat ex multis unum conficere, unde pro reconciliare, atque ad concordiam & unitatem reducere ponitur.

V. 11. CHLOES. Si loci aut mulieris nomen sit Chloe ignorant interpretes omnes.

V. 12. EGO QUIDEM. Ambrosius putat non damnari hoc loco Corinthios, quod Paulo, aut Apollo, aut Cepha præceptore gauderent, qui boni & fideles: sed suppositis nominibus taxari putat hæreticos quorum nomina sibi venditabant seducti Corinthii, sicut cap. IV. ait: *Hæc autem fratres transfiguravi in me & Apollo propter vos, ut in nobis discatis ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio:* & ita Græca scholia. Quod si de quovis indifferenter vis intelligi, damnat Paulus eos qui salutem uni Deo acceptam, baptistis suis & magistris neglecto Christo tribuebant: unde postea ait, gratias se agere Deo, quod neminem illorum baptizaverit, nisi Crispum & Caium, ne quis dicat, inquit, quod in nomine meo *baptizati estis*, sive baptizavi, ut Græca habent, scilicet ἐβάπτισα.

V. 17. SAPIENTIA VERBI. Græce σοφία, id est eloquentis sermonis vel in humana sapientia, quæ verbis tantum constat. UT NON EVACUETUR CRUX CHRISTI, id est, ne inutilis reddatur & inanis fiat, dum homines vi humanæ eloquentiæ salutem se assecutos credent, non vi passionis.

V. 18. PEREUNTIBUS, id est incredulis qui cum humana sua sapientia pereunt; ridicula res videtur & stultitia: iis autem qui salvi fiunt fidelibus Dei virtus ac potentia: virtus enim Dei est ad salutem omni credenti: Rom. I.

V. 20. UBI SAPIENS? scilicet philosophus gentilium, UBI SCRIBA? doctor Iudæorum; UBI INQUISITOR SAECULI: Gr. συζητητής, quod significat altercantem disputatorem, qui suis ratiocinationibus & argutiis omnia vult assequi. Cyril. τὸν γραμματέα, quod interpres vertit scribam, interpretatur grammatistam, grammatices professorem, poetarumque prælectorem & interpretem.

V. 21. NAM QUIA, &c. id est quia mundani & carnales Dei sapientiam Christum neglexerunt, neque eo prædicante patrem voluerunt agnoscere, placuit Deo per stultitiam prædicationis, quæ eis habebatur pro stultitia, salvos facere credentes.

V. 22 IUDAEI SIGNA PETUNT: ut in evangelio: *magister volumus a te signum videre*, & multis aliis locis. GRAECI SAPIENTIAM, id est philosophicas rationes quærunt.

V. 23. IUDAEIS QUIDEM SCANDALUM, in quem negligentes & crucifigentes offenderunt, GENTIBUS AUTEM STULTITIAM, quia ridiculum putabant Christum Deum passum, & mortuum.

V. 25. QUOD STULTUM EST DEI, id est stultitia Dei, & infirmitas, id scilicet quod in Deo & Christo ridiculum putant, & imbecille.

V. 26. VIDETE ENIM VOCATIONEM; id est, considerate qualis est multitudo ad fidem vocatorum, quia inter eos non multi sapientes SECUNDUM CARNEM, id est secundum apparentiam & externam doctrinam, quia secundum Deum sapientes erant.

V. 28. EA QUAE NON SUNT, id est nihili habentur. UT EA QUAE SUNT, id est quæ modo habentur in pretio destrueret.

V. 29. UT NON GLORIETUR OMNIS CARO, id est omnis homo se vocatum, vel ob scientiam, vel ob natalium claritatem, vel fortitudinem, vel existimationem & auctoritatem.

V. 30. QUI FACTUS EST NOBIS SANCTIFICATIO, id est per quem sanctificati & redempti sumus. UT QUI GLORIATUR, id est gloriari volet in Domino, per quem redemptus est, glorietur.

SA-

S A.

CONcordiam commendat, & humilitatem, abusus quosdam eorum arguens & corrigens; respondetque illorum quæsitis :

V. 1. VOCATUS ; pro vocatione, seu professione.

V. 2. IN CHRISTO, id est per Christum. VOCATIS ; pro, vocatione. NOMEN DOMINI ; pro, Dominum ; quasi dicat, Qui Christum colunt. IN OMNI LOCO ; quasi dicat ; Ubicumque sint.

V. 3. VOBIS, scilicet multiplicetur.

V. 4. IN GRATIA ; pro, de gratia.

V. 5. IN ILLO, id est per illum. VERBO, id est *re*, seu *opere*, Hebr. SCIENTIA, scilicet rerum divinarum.

V. 6. SICUT ; pro, adeo, seu intantum. TESTIMONIUM CHRISTI, id est Evangelium quod de Christo testatur.

V. 7. GRATIA, id est *dono*. Græc. χαρίσματι. REVELATIONEM, id est adventum, quo est manifestandus.

V. 8. SINE CRIMINE, ἀνεγκλήτους, id est *inculpatos*. IN DIE ; pro, usque in diem.

V. 9. FIDELIS, id est verax.

V. 10. NOMEN DOMINI, id est Dominum. IDIPSUM, id est idem. SCHISMATA, id est dissidia. SENSU, id est mente. SENTENTIA. Syr. *voluntate*.

V. 11. CHLOES, scilicet domestici. Videtur esse nomen feminæ. Quidam loci putant. CONTENTIONES, scilicet suos quisque prædicatores, vel baptizatores aliis per contentionem præferebant.

V. 12. PAULI, scilicet discipulus, seu filius spiritualis.

V. 5. BAPTIZATI ESTIS. Græc. *baptizaverim*.

V. 6. STEPHANAE: nomen viri. Vide inf. cap. XVI. DOMUM, id est familiam.

V. 7. SAPIENTIA VERBI, id est diserto sermone. EVACUETUR, id est careat vi sua. CRUX, id est prædicatio crucis.

V. 18. VERBUM, id est prædicatio, seu negotium. VIRTUS, id est potentia.

V. 19. PERDAM, id est ostendam dignam perditione ; quasi dicat : Reiiciam, seu reprobabo, ut statim explicat. SAPIENTIUM, scilicet mundi.

V. 20. SCRIBA, id est legis peritus. CONQUISITOR, id est scrutator, seu disputator. FECIT, id est ostendit.

V. 21. NAM QUIA. Græc. *postquam enim*. SAPIENTIA, id est rebus sapienter factis. STULTITIAM, scilicet mundi iudicio.

V. 24. VOCATIS, scilicet ad salutem.

V. 25. STULTUM, scilicet mundi iudicio.

V. 26. VOCATIONEM VESTRAM, id est quales vobiscum sint vocati ad fidem. MULTI, scilicet vocati.

V. 27. MUNDI, id est secundum mundum.

V. 28. NON SUNT, id est pro nihilo habentur. QUAE SUNT, id est habentur in pretio apud mundanos. DESTRUERET, scilicet evertit prædicatio mundi pompam & errores.

V. 29. OMNIS CARO, id est ullus homo.

V. 30. EX IPSO, pro, ipsius. IN CHRISTO, id est per Christum. SAPIENTIA, &c. pro dator sapientiæ, &c.

V. 31. SCRIPTUM, scilicet Ierem. IX. IN DOMINO, id est de Dei in se benignitate.

MARIANAE.

Vers. 1. ET SOSTHENES. Hic fuerat Corinthi Iudæorum Synagogæ præfectus, Act. XVIII. 17. propterea conversum sibi adiungit ad Corinthios scribens.

V. 2. SANCTIFICATIS, scilicet per Baptismum. Ea est Ecclesia Dei, quam præmisit. VOCATIS SANCTIS, id est vulgo dictis sanctis, κλητοῖς, vel *vocatis*, ut sitis sancti. IPSORUM, ET NOSTRO. Iunge hoc cum *Domini*, *ipsorum*, & *nostro* pro *nostri*. Aut cum *loco*, sic : *in omni loco ipsorum*, id est toto orbe, & *nostro*, scilicet Ierusalem. Gratias ago Deo

V. 4. IN GRATIA, id est propter dona, quæ accepistis a Deo.

V. 5. IN OMNI VERBO, ET IN OMNI SCIENTIA, id est intelligendi & loquendi accepistis facultatem.

V. 6. SICUT TESTIMONIUM ; quasi dicat : Cuius rei documentum sunt signa quæ facitis, miracula, donum linguarum. Ita ut vobis nihil desit.

V. 7. EXPECTANTIBUS REVELATIONEM, id est adventum Christi, diem iudicii. Ipse

V. 8. USQUE IN FINEM, id est semper, perpetuo confirmabit vos. SINE CRIMINE, &c. *ut sitis sine crimine* (sic Syr.) *in die iudicii*. Muta puncta, comma post *usque in finem*.

V. 9.

V. 9. FIDELIS DEUS: promissis stat, non fallet.

V. 10. OBSECRO. Post laudes sequitur increpatio. Mellis dulcorem absynthio amaro præmittit. UT IDIPSUM DICATIS, id est idem dicatis omnes. SITIS AUTEM PERFECTI, *καταρτισμένοι*, *coniuncti*, conformes in eodem sensu & mente.

V. 11. QUI SUNT CHLOES, id est de familia Chloes, nomen familiæ, vel feminæ. Ii renuntiarunt esse inter vos dissidia, nam dicitis: Ego sum Pauli,

V. 12. EGO AUTEM APOLLO. Nomen fere indeclinabile, de quo homine Act. XVI. 14. Ego quidem neminem baptizavi, nisi

V. 14. CRISPUM, ET CAIUM, seu *Gaium* ad Rom. XVI. 23. Evangelizare missus sum

V. 17. NON IN SAPIENTIA VERBI, id est eloquentia. UT NON EVACUETUR, ne homines tribuant salutem verbis artificiosis, & non cruci Christi.

V. 18. VERBUM, id est res crucis, crux ipsa stultitia est. PEREUNTIBUS, id est infidelibus. DEI VIRTUS, id est potentia Dei in ea declaratur.

V. 20. UBI SAPIENS? id est Philosophus. UBI SCRIBA? Doctor Iudæorum. UBI CONQUISITOR, id est disputator, sive Dialecticus.

V. 21. QUIA IN DEI SAPIENTIA, id est per Dei sapientiam, qui est Christus, mundus per suam sapientiam Deum non cognovit, voluit Deus salutem dare per id quod stultum videtur.

V. 23. IUDAEIS QUIDEM SCANDALUM est Christus, quem prædicamus, in Christum offenderunt, eumque occiderunt.

V. 24. VOCATIS IUDAEIS, id est qui vulgo Iudæi & Græci vocantur: sed Christianis, aut vocatis ex Iudaismo & Græcismo, Christus est Dei virtus: ita fatentur.

V. 25. QUOD INFIRMUM EST DEI. Quid hoc sit, Ambrosius epist. XXXVII. mentiri non posse vocat *infirmum Dei*. Hoc & similia non posse, summa potentia est.

V. 26. NON MULTI SAPIENTES, scilicet sunt ad fidem vocati, vel sunt concionatores.

V. 27. QUAE STULTA SUNT MUNDI. Tertullianus Lib. de Carne Christi: *Natus est Deus, non pudet dicere, quia pudendum est; mortuus est Dei Filius, prorsus credibile est quia ineptum est; & sepultus resurrexit, certum est, quia impossibile est.*

V. 28. ET EA QUAE NON SUNT, id est videntur nihil esse, UT EA QUAE SUNT, id est humilia & sublimia ea stultitia destruat.

V. 30. EX IPSO, id est per ipsum Deum. VOS ESTIS, supple, vocati, seu statis in Christo. SAPIENTIA, qua nos docuit Christus salutaria. IUSTITIA, quia eam nobis meruit. REDEMPTIO factus est vobis Christus, id est pretium redemptionis fuit Christus.

MENOCHII.

Vers. 1. VOCATUS APOSTOLUS: Vide dicta Rom. I. 1. PER VOLUNTATEM DEI, id est iussu, decreto, & beneplacito Dei. ET SOSTHENES FRATER. Eru: hic Princeps synagogæ Corinthi conversus ad Christum a Paulo, pro fide coram Gallione proconsule acriter verberatus, Act. XVIII. 17. ac post mortem relatus inter sanctos 28. Novembris. FRATER. Supra non semel monui omnes fideles eo tempore Fratres appellari solitos. Porro Sosthenem secum coniungit, non quasi Sosthenes auctor sit Epistolæ, ut Paulus; sed ut viri nomen apud suos faciat fidem, & intelligant Corinthii quicquid hac Epistola continetur, non modo esse ex Pauli sententia, sed etiam Sosthenis.

V. 2. SANCTIFICATIS IN CHRISTO IESU: qui scilicet per baptismum lustrati, veram a Christo sanctitatem, & gratiam perceperunt. VOCATIS SANCTIS, id est vocatis ad sanctitatem.

V. 3. IN GRATIA DEI, QUAE DATA EST VOBIS, id est propter gratiam Dei: Nomen gratiæ complectitur omne donum gratuitum ordinatum ad salutem vel propriam habentis, vel communem fidelium. IN CHRISTO IESU, id est per Christum Iesum. Nullum enim bonum salutare datur a Deo hominibus, nisi per meritum Christi

V. 5. DIVITES FACTI ESTIS IN OMNI VERBO, ET SCIENTIA; quasi dicat, Gratias ago Deo, quod vobis per me, & Apollo copiosam exhibuerit prædicationem, & doctrinam Evangelicam, eiusque sensum, & intelligentiam. IN OMNI VERBO: potest accipi non de verbo prædicationis audito, sed de facultate alios iuvandi per verbi prædicationem. IN ILLO: per illum, scilicet Christum.

V. 6.

℣. 6. Sicut: καθὼς, quod hoc loco idem significat quod δι' ὧν, *propter quae*, vel *quibus rebus*, scilicet sermone, & scientia, quibus ditati estis. Testimonium Christi confirmatum est in vobis; id est, huiusmodi donis veluti certo, firmoque testimonio cognoscitur vos esse fideles, ac servos Christi, eiusque spiritum accepisse.

V. 7. Ita ut vobis nihil desit in ulla gratia, id est ita ut nullum gratiarum, & charismatum genus vobis desit. Syrus habet: *Ita ut non destituamini uno ex donis ipsius*. Expectantibus revelationem, &c. id est interim dum alium Domini nostri Iesu Christi adventum expectatis. Revelationem, id est adventum, quo est manifestandus.

V. 8. Confirmabit vos, quantum est ex se. Usque in finem, scilicet vitae. Sine crimine: sine culpa. In Graeco est ἀνεγκλήτους, id est *inculpatos*, quos scilicet nemo culpare, aut criminari possit, quasi crimen aliquod contra fidem, aut caritatem Christi commiseritis. In die adventus, &c. id est ut in die adventus Christi ad iudicandum sine crimine inveniamini.

V. 9. Fidelis Deus; quasi dicat, Deus qui verax est, & in promissis constans, vobis auxilium suum, quod dare coepit & deinceps se daturum promisit, non subtrahet. In societatem filii eius: societatem filii hic vocat Paulus communionem fidei, & gratiae, &c. quae habetur in Ecclesia.

V. 10. Per nomen Domini, id est per Dominum.

V. 11. Ab iis qui sunt Chloes. Videtur esse nomen familiae, vel feminae; quasi dicat, Ex familia Chloes audivi. Contentiones; scilicet suos quisque praedicatores, vel baptizatores aliis per contentionem praeferebant.

V. 12. Ego autem Apollo. Aliqui Apollo adhaerebant, & sibi, illo magistro placebant propter hominis eloquentiam, qua valebat. Cephae, id est Petri. Ego autem Christi. Paulus hoc addit velut bene, & Christiane dictum, dolens quod non omnes idem dicerent; erat enim haec vox veritatis, non schismatis.

V. 13. Divisus est Christus? quasi dicat, Num plures sunt Christi? alius quidem Pauli, alius Cephae, alius Apollo? An non unus est, qui ab omnibus praedicatur? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? quasi dicat: Nonne unus Christus pro vobis crucifixus est, non Paulus, aut Apollo? Nonne in nomine Christi, non Pauli baptizati estis? cur ergo Christum, & eius fideles in varias sectas distrahitis?

V. 14. Gratias ago Deo, &c. Deo gratias agit, cuius providentia factum sit, ut hoc quod est Paulum non baptizasse Corinthios, cesserit ad eorum bonum, id est ad evitationem suorum schismatum, de quibus hic loquitur Apostolus. Crispum. Crispus apud Corinthios Iudaeorum Archisynagogus fuerat, quem Paulo praedicante credidisse Domino cum omni domo sua scribit Lucas, Act. xviii. 8. Caium. Hospes hic erat Pauli, ut ipse testatur Rom. ultimo vers. 23. vide ibi dicta.

V. 15. Ne quis dicat quod in nomine meo. Graece est, εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα, *in nomen meum baptizavi*. Ne quis calumnietur, & dicat, quod vos baptizando transcripserim in nomen meum, & de me Paulianos vocari voluerim, tamquam meo baptismo sanctificatos. Stephanae domum. Stephana vir erat Corinthi celebris, quem proinde a fide, & caritate laudat Paulus, cap. xvi. Si quem alium baptizaverim; scilicet e Corinthiis.

V. 17. Non me misit baptizare; scilicet principaliter, nam primarium legationis meae munus est praedicare. Non in sapientia verbi, id est affectata eloquentia, & sermonis ornatu. Ut non evacuetur crux Christi, id est careat vi sua, & inanis reddatur, dum putant homines se salutem assecutos, & sibi persuasuam esse fidem vi humanae eloquentiae, non vi passionis Christi. Haec fuit origo schismatis inter Corinthios, dum aliqui se Pauli sectatores profitentur, alii vero Apollo, qui eloquentia magis valebat.

V. 18. Verbum crucis: sermo de cruce salvatrice, sive quod per crucem, & passionem Christi redempti sumus. Pereuntibus stultitia est: incredulis, & perversis hominibus, ideoque perituris, stultitia videtur. Iis qui salvi fiunt; electis a Deo. Dei virtus est: δύναμις, id est potentia, robur, fortitudo.

V. 19. Scriptum enim: Isa. xxix. 14. iuxta LXX.

V. 20. UBI SAPIENS? id est Philosophus Gentilium. UBI SCRIBA? id est Doctor Iudæorum. CONQUISITOR SAECULI: Physicus, qui naturæ, & mundi arcana curiose sectatur; Græce est, συζητητὴς, *disputator*, *scrutator*; quasi dicat: Abiecti sunt philosophi, & scribæ, omnes mundi sapientes depressi, & confusi sunt, per prædicationem Apostolorum, & gloriam Evangelii. STULTAM FECIT, id est ostendit; per lucem enim Evangelii errores plurimi veterum philosophorum patuerunt.

V. 21. IN SAPIENTIA DEI, quam scilicet ostendit in molitione, & gubernatione mundi. MUNDUS: mundi huius sapientes. PER SAPIENTIAM: est Metonymia, id est per mundum, tam sapienter conditum, & eleganter descriptum. PER STULTITIAM PRAEDICATIONIS: per prædicationem doctrinæ crucis, quæ mundo stulta videbatur.

V. 22. IUDAEI SIGNA PETUNT; id est Iudæi rebus admirabilibus assueti, quæ in lege veteri divinitus olim contigerant, signa, & prodigia expetunt. GRAECI SAPIENTIAM QUAERUNT. Græci autem solam sectantes rationem naturalem requirunt humanam sapientiam, id est, philosophicis rationibus docte, & diserte propositis persuaderi volunt, & si quid ratione assequi nequeunt, quale est mysterium crucis, non recipiunt, sed explodunt, & irrident.

V. 23. IUDAEIS QUIDEM SCANDALUM: ita loquitur Paulus, quia crucis opprobrium Iudæos turbavit, & impedivit ne crederent, putabant enim Messiam cum maiestate venturum, & temporaliter regnaturum. GENTIBUS AUTEM STULTITIAM: nam Gentibus stultitia videbatur docere, hominem crucifixum esse Deum, & mundi salvatorem.

V. 24. IPSIS AUTEM VOCATIS, &c. iis vero qui divina prædestinatione vocati sunt ad fidem, sive Iudæi illi sint, sive Græci, id est Gentiles. CHRISTUM DEI VIRTUTEM: Messiam in se divinam virtutem, & potentiam habentem.

V. 25. QUOD STULTUM EST DEI: illa crux, quæ hominum iudicio stultitia quædam reputatur. SAPIENTIUS EST HOMINIBUS: cuivis humanæ sapientiæ anteferenda est. ET QUOD INFIRMUM EST DEI: & hæc eadem crux, quam subire infirmitatis, & impotentiæ esse videtur. FORTIUS EST HOMINIBUS. Fortior est omni humana sapientia, & potentia, nam sapientia philosophorum, & regum potentiam sibi subiecit.

V. 26. VIDETE ENIM VOCATIONEM VESTRAM, FRATRES; quasi dicat: Videtis enim opinor, fratres, quæ sit vocationis vestræ ratio, quique ex vobis præcipue vocati sint. QUIA NON MULTI SAPIENTES SECUNDUM CARNEM, id est quod non multi humana sapientia præditi, scilicet vocati sunt. POTENTES: secundum sæculum.

V. 27. QUAE STULTA SUNT MUNDI: quæ stulta a mundo putantur, eos quos mundus simplices, & tantum non fatuos existimat. INFIRMA MUNDI: eos scilicet qui in mundo nullius, aut exiguæ sunt potentiæ.

V. 28. IGNOBILIA MUNDI: ignobiles, & obscuros, ideoque despectos. EA QUAE NON SUNT, id est abiecta, quæ vilia sunt, & pro nihilo reputantur. UT EA QUAE SUNT DESTRUERET; id est, ea quæ habentur in pretio everteret, sapientes scilicet & potentes mundi.

V. 29. UT NON GLORIETUR, &c. Ut nullus gloriari possit se propter corporis, aut animi dotes, aut externa bona nobilitatem, divitias, &c. ad Christianismum vocatum esse. OMNIS CARO: nullus mortalium.

30. EX IPSO VOS ESTIS, &c. quicquid estis, Dei beneficio estis, idque per Iesum Christum. QUI, scilicet Christus. FACTUS EST NOBIS SAPIENTIA; qui datus est nobis a Deo, ut vi ac merito ipsius omnem sapientiam, iustitiam, &c. consequamur.

V. 31. UT QUEMADMODUM SCRIPTUM EST; Ierem. IX. 22. non verbis tamen iisdem, sed sensu. QUI GLORIATUR, IN DOMINO GLORIETUR, id est de Dei in se benignitate.

TIRINI.

Vers. 1. PAULUS cælesti vocatione VOCATUS *a* APOSTOLUS, ET SOSTHENES. Erat hic princeps synagogæ Corinthi, conversus ad Christum a Paulo, pro fide coram Gallione Proconsule Achaiæ acriter a Iudæis verberatus *b*; iam Paulo aderat Ephesi: & post mortem inter Sanctos relatus est 28. Novembris.

V. 2. SANCTIFICATIS IN CHRISTO, nem-

nempe baptiſmo luſtratis, & ſic vera ſanctitate ac gratia ſanctificante donatis: VOCATIS SANCTIS e, ſeu vocatis ad ſanctum & ſublimem ſtatum; ſupple, ſcribit, & ſalutem dicit.

V. 4. IN GRATIA. Græce & Syriace, *propter gratiam*, ſeu gratuita dona cælitus accepta.

V. 5 IN ILLO, id eſt per Chriſtum, ſeu per merita Chriſti, DIVITES FACTI ESTIS IN OMNI VERBO ET SCIENTIA; id eſt, abundatis copia prædicatorum & doctorum Evangelicorum, & (quæ inde hauritur,) copia ſcientiæ myſteriorum fidei, & officii Chriſtiani.

V. 6. SIC UT hinc certum TESTIMONIUM toti orbi datum & CONFIRMATUM ſit, CHRISTI eiuſque religionis IN VOBIS ſtabilitæ, vigentis ac florentis.

V. 7. EXSPECTANTIBUS interea ſpe certiſſima REVELATIONEM CHRISTI; nempe in ſecundo eius ad iudicium adventu, ut quæ adhuc deſunt ad plenam perfectamque beatitudinem vobis, tunc ſuppleantur in cæleſti palatio.

V. 9. FIDELIS, id eſt verax eſt DEUS, ſupple, in præſtandis quæ promiſit: nempe ut omnia auxilia, ex parte eius neceſſaria, vobis ſuppeditet, quibus in accepta gratia, iuſtitia, & *ſocietate* FILII EIUS *d* & communione omnium theſaurorum Eccleſiæ, conſtanter uſque in finem vitæ perſeverare poſſitis, inquit S. Ambroſius, Chryſoſt. Theophyl. Anſelmus. Quod ſi tota hic Eccleſia vocetur *ſocietas Ieſu*, quid cavillantur hæretici *Ieſuitas*, ſi idem hoc nomen toties a Summis Pontificibus *e* ſibi tributum, uſurpent? non ut aliis quidquam detrahant, ſed ſeipſos hoc ſuo nomine excitent, ac perpetuo ſui officii commoneant, nempe ut inſtar militaris legionis, duci ſuo Ieſu ſociatæ, & ſpeciali iuramento adſtrictæ, fortiter pro gloria Dei, & ſalute animarum ubique promovenda decertent. De quo vide Iacobum Gretſerum, Iulium Nigronium, Franciſcum Montanum, & alios qui Apologias pro hac *Societate* conſcripſerunt.

V. 10. SITIS PERFECTI; Græce, κατηρτισμένοι, id eſt (ut Theophyl. exponit *coagmentati*, & apte ac concinne compacti inter vos mutuo *f*.

V. 11. SIGNIFICATUM EST ENIM MIHI AB IIS QUI SUNT de familia CHLOES: ita Chryſoſtomus & Syrus.

V. 12. QUOD UNUSQUISQUE VESTRUM; id eſt, quiſque eorum qui inter vos de magiſtri ſui præcellentia contentioſe & ambitioſe diſceptant; (neque enim crediderim, omnium fuiſſe hoc commune vitium) *dicat* & iactet: unus, EGO SUM PAULI catechumenus, diſcipulus & cliens: Paulo Gentium Apoſtolo, tantæ ſanctitatis, tantæ doctrinæ, tantæ famæ viro glorior magiſtro ac doctore. Alius dicit, EGO AUTEM APOLLO, viri tam diſerti, tam eloquentis *g*, tam magnifici magiſterio me ſubdere malo. Tertius, EGO VERO CEPHAE, ſeu Petri, utpote principis Apoſtolorum omnium & monarchæ totius Eccleſiæ. Alius denique, quaſi omnes humanos doctores faſtidiens, dicit, EGO CHRISTI *ſum*. Alioquin abſque contemptu aliorum decebat omnes dicere *Ego ſum Chriſti*, inquit S. Ambroſius, Thophyl. & S. Thomas.

V. 13. DIVISUS NE EST CHRISTUS? id eſt, an plures ſunt Chriſti? v. g. an alius eſt Pauli Chriſtus, quam Chriſtus Cephæ vel Apollo? An non unus eſt idemque Chriſtus qui ab his omnibus prædicatur, qui & PRO VOBIS omnibus CRUCIFIXUS EST, & IN CUIUS NOMINE omnes BAPTIZATI ESTIS? Aut forſan inaudita blaſphemia vultis Paulum vel Cepham eſſe vobis Chriſtum pro vobis crucifixum, & vos in nomine Pauli baptizatos eſſe?

V. 14. GRATIAS AGO DEO, divinæque providentiæ, QUOD ad tollendam anſam huius intolerandæ blaſphemiæ, NEMINEM VESTRUM BAPTIZAVI meis manibus, NISI unicum CRISPUM apud vos Archiſynagogum *h*, ET CAIUM hoſpitem meum *i*.

V. 16 ET DOMUM STEPHANAE k viri (teſte Theophylacto) a fide, caritate & zelo celebris. Occaſione huius ſchiſmatis docet S. Thomas & alii, Græcos formam baptiſmi ſic efformaſſe, ut non dicant, *Ego te baptizo*, ſed, *Baptizetur ſervus Chriſti*: ne cui daretur occaſio dicendi, *Ego ſum Pauli*, *Ego ſum Cephæ*. Inepte vero hinc Eraſmus, Faber & alii Novantes a pari inferunt: Ergo perperam dicit unus, *Ego ſum S. Thomæ*, alter, *Ego Scoti* diſcipulus, *Ego ſum Franciſci*, *Ego Dominici* alumnus: quia diverſæ Philoſo-

 pho-

phorum & Theologorum scholæ, vel monastica instituta non scindunt Ecclesiam in studia partium quo ad ea quæ essentialia sunt Ecclesiæ, (ut fiebat in hoc schismate Corinthiaco, ubi vis & excellentia baptismi & fidei credebatur pendere ab ipsis ministris, non minus quam a Christo:) sed solum inducunt varia & utilia exercitia animorum & ingeniorum quo ad ea quæ accidentalia sunt & plane libera. Et varietas Ordinum & Religiosorum etiam facit ad maiorem Ecclesiæ splendorem, robur & commodum: sicut in una urbe varietas opificum, in una aula varietas ministrorum, in una acie varietas cohortium & legionum. In Novantes vero iure merito schismata etiam Corinthiacis deteriora retorqueas, qui se iactant, *Ego Lutheri sum*, *Ego Calvini*, *Ego Mennonis*, *Ego Gommari*, *Ego Arminii*, &c. in essentialibus fidei & religionis articulis fœdissime pertinacissimeque dissidentium.

V. 17. NON MISIT ME CHRISTUS BAPTIZARE, vel alia Sacramenta Parochis committi solita administrare, supple, principaliter vel ordinarie: nam primarium apostolatus, seu legationis meæ munus est *prædicare*. Unde & Episcopis, ut illud per se, nisi legitime impediantur, exerceant, præscribit Tridentinum *l. Prædicare*, in quam, NON IN SAPIENTIA VERBI, id est affectata eloquentia & ornatu verborum, UT NON EVACUETUR, id est inanis & infructuosa reddatur, saltem hominum opinione, CRUX, id est passio, CHRISTI: nempe dum putarent homines, se ad fidem pellectos, & consequenter iustitiam ac salutem assecutos, non tam vi meritorum Christi, quam vi eloquentiæ humanæ: ita S. Chrysostomus.

V. 18. VERBUM, id est prædicatio: vel negotium, CRUCIS, seu passionis Christi, PEREUNTIBUS, id est increduli & perversis hominibus, ideoque paulatim pereuntibus, & certo, ni pœniteant, perituris, STULTITIA habetur: IIS AUTEM QUI fideles & pii sunt, atque ita paulatim SALVI FIUNT, ID EST NOBIS Christianis, sinceris Christi cultoribus, DEI VIRTUS EST; Græce, *δύναμις*, id est potentia, robur, fortitudo, qua quidvis superent *m*.

V. 16. SAPIENTIAM autem sæcularem (UT SCRIPTUM EST Isaiæ XXIX. 14. in editione LXX.) PERDAM; *abscondam*, REPROBABO, id est, faciam ut nulli sit usui ad animas Christo adiungendas

V. 20. UBI nunc est SAPIENS Gentilium Philosophus, terendis libris exercitatus? UBI CONQUISITOR, seu curiosus indagator naturæ & arcanorum HUIUS SAECULI, seu mundi? Etsi totam ætatem perscrutandis naturæ occultissimis mysteriis tanto studio impenderint; nemo tamen illorum fidei nostræ mysteria potuit vel a longe suspicari, tantum abest potuerit assequi, vel aliis aperire.

Notat Paulus Pharisaicum Iudæorum Doctorum supercilium, & fastum Philosophorum Ethnicorum, v. g. Musonii, Dionis, Epicteti, Damyis, Diogenis iunioris, Apollonii Zyanæi, qui Græcis sub hoc tempus ita admirationi fuerunt, ut partim Ephesi, partim alibi, statua etiam vivi donarentur, & post mortem inter deos referrentur, teste Plutarcho & Philostrato *o* & aliis apud Baronium *p*.

NONNE STULTAM FECIT, seu ostendit *q*, DEUS omnem SAPIENTIAM HUIUS MUNDI in agnitione Filii Dei pro nobis incarnati, & veræ iustitiæ ac salutis per mortem eius mundo partæ; ita S. Chrysostomus.

V. 21. NAM QUIA IN, seu ex, DEI SAPIENTIA, id est e rebus sapienter a Deo conditis, puta e stupenda hac mundi fabrica, eiusdemque sapientissima gubernatione, MUNDUS (& mundi doctores) PER omnem suam mundanam SAPIENTIAM & solertiam, NON COGNOVIT (quod *r* facile proterat) mundi opificem & rectorum DEUM; ideo PLACUIT DEO PER STULTITIAM PRAEDICATIONIS, id est per prædicationem crucis Christi, quæ iudicio mundi stulta est, SALVOS FACERE homines non iam sublimia speculantes, differentes, disputantes, sed simpliciter CREDENTES: ita S. Thomas.

V. 22. IUDAEI, rebus admirabilibus iam ab olim assueti, SIGNA & prodigia *expetunt*. GRAECI & Gentiles Philosophi humanam SAPIENTIAM & eloquentiam *requirunt*, antequam sinant aliquid sibi persuaderi.

V. 23. NOS AUTEM PRAEDICAMUS mysterium omni naturali sapientia sublimius, omnibus prodigiis prodigiosius, CHRISTUM

Dei

Dei Filium CRUCIFIXUM. Sed hoc IUDAEIS (qui Christum exspectant cum mundana maiestate venturum) SCANDALUM est & probrum: GENTIBUS AUTEM (qui hanc numinis abiectionem non capiunt) *stultitia*:

V. 24. IPSIS vero VOCATIS, id est Christianis, qui divina gratia illuminati & vocati sunt ad fidem, iustitiam & salutem, (sive *Iudæi* illi sint, sive *Græci* seu Gentiles) *Christus* etsi abiectus & despectus, habetur DEI *virtus*, ET DEI *sapientia*, id est pro re potentissima & sublimissima. Nam, ut alias *f* dixi, quæcumque *Dei* sunt, maxima sunt. Videtur Paulus alludere ad paronomasiam quæ est in verbis *michscal*, id est scandalum: *miscal*, id est stultitia: & *sechel*, id est potentia.

V. 25. QUOD STULTUM ET INFIRMUM EST DEI, id est quod in Deo, seu Dei Filio: putant mundani esse infirmitatis & stultitiæ, nempe quod sit natus, passus, crucifixus, SAPIENTIUS ET FORTIUS EST cunctis HOMINIBUS, & cuivis humanæ potentiæ ac sapientiæ anteferendum: Christus enim cruce, passione & morte sua, qua quasi victus videbatur, vicit mundum universum, inquit S. Ambrosius & Anselmus.

V. 26. VIDETE ENIM & expendite VOCATIONEM VESTRAM, id est, rationem & modum quem secutus est Deus in vobis ad fidem vocandis: nam sive spectes præcones Evangelii qui vos vocarunt (ut cum Anselmo exponit S. Thomas:) sive vos ipsos qui vocati estis (nam de his intelligit S. Chrysostomus:) *non multos* certe inter eos reperietis *sapientes* SECUNDUM CARNEM, id est carnali, humana, terrena sapientia, *potentia*, *nobilitate*:

V. 28. SED ELEGIT DEUS EA QUAE mundi opinione NON SUNT alicuius notæ aut momenti, sed pro nihilo reputantur, UT EA QUAE SUNT, id est quæ apud mundanos in maximo pretio habentur, puta sapientes & potentes huius sæculi, DESTRUERET & everteret, & quasi nihili esse ostenderet.

V. 29. UT NON GLORIETUR OMNIS CARO; id est, ut nulli mortalium detur occasio se iactandi, quod ob suam sapientiam, opes, nobilitatem, fortitudinem vel præclara merita vocatus sit, seu ad fidem, seu ad munus Apostolicum, sed ex mera gratia & nudo beneplacito Dei, inquit idem Anselmus & S. Thomas. Etsi enim inter alios etiam quidam sapientes & potentes vocati sint, v. g. Nicodemus, Dionysius, Paulus Proconsul *t*, adeoque & noster Paulus: hi tamen paucissimi fuerunt, nec de his metuendum, quod suis seu talentis, seu fortunis hanc gratiam adscriberent.

V. 30. EX IPSO AUTEM, id est ipsius Dei dono, seu per gratiam Dei, VOS ESTIS vocati IN CHRISTO, seu ad fidem Christi, QUIA DEO, seu Dei dono, FACTUS EST NOBIS SAPIENTIA ET IUSTITIA, &c. id est, auctor & dator sapientiæ, iustitiæ, &c. Neque enim possunt hæc formaliter & imputative intelligi, ut somniant hæretici: nam sic etiam Christi REDEMPTIO esset formaliter nostra, id est nos ipsi essemus nostri redemptores: ipsius *sapientia* saperemus, &c. sed tantum causaliter, in genere causæ meritoriæ & efficientis: quia scilicet Christus per passionem suam est nobis promeritus nostram sapientiam, iustitiam, redemptionem, & per suam gratiam ac Sacramenta producit illas in nobis: ita Chrysost. Ambrosius, Anselmus & alii Patres.

(a) Rom. I. 17.
(b) Actor. XVIII. 17.
(c) Rom. III. 7.
(d) I. Ian. I. 3.
(e) Pius V. Pontino bulla Scieiatis, &c. & alii Pontifices in aliis bullis.
(f) II. Cor. ult. XI.
(g) Actor. XVIII. 27.
(h) Actor. XVIII. 8.
(i) Rom. ult. 23.
(k) I. Cor. ult. 15. & 17. &c.
(l) Trid. sess. V. cap. II. sess. XXIV. cap. IV.
(m) Infra hic 14.
(n) IV. Reg. X. 18. I. Esdræ VII. 6. Eccli. X. 5.
(o) Plutarch. in vitis illorum. Philost. Lib IV. Vitæ Apollonii.
(p) Baron. anno Christi 75.
(q) Proleg. de Idiotismis. Hebr. num. 38.
(r) Rom. I. 19.
(s) Gen. XXXV 10. Psal. XXXV. 7. Ezech. I. I. &c.
(t) Ioan. III. I. Actor. XVII. ult. Actor. XIII. 17

GORDONI.

Vers. 1. & 2. PAULUS VOCATUS. De hac vocatione vide initium Epistolæ ad Romanos, & decreto Dei voluntate Apostolatu. De Sosthene hoc dictum est Act. cap. XVIII 17. Fuerat Corinthi princeps Synagogæ. Frater vocatur, quia fidelis. SANCTIFICATIS; certe per baptismum,

ad quem vocavit eos Deus speciali & efficaci gratia; pro qua Paulus hic vers. 3. & 4. gratias Deo agit. Immo præter sanctificationem in baptismo Deus pleraque dona gratiæ & Corinthiis contulit, & suis omnibus conferre solet, nisi resistant: totumque hoc donum est per Christum.

V. 5. DIVITES FACTI ESTIS. Quomodo divites Corinthii donis, cum tot sint obruti peccatis, quæ in hac epistola reprehenduntur? Sane præter gratiam sanctificantem sunt fides, spes, donum prophetiæ, linguarum & alia cum quibus (dummodo gratiam iustificantem seponas) potest non raro consistere peccatum grave. An non etiam divites facti sunt in verbo & scientia per prædicationem Pauli & Apollo. Audivisse certe Evangelium, & accepisse eius sensum atque intelligentiam gratia est, & quæ esse potest effectus prædestinationis, ut sciunt Theologi.

V. 6. 7. 8. CONFIRMATUM. τὸ *sicut* καθὼς; ac si dixisset, δι' ὧν, quibus rebus fit, & scitur velut ex firmo testimonio, vos esse fideles, & accepisse Spiritum Christi: ita ut vobis expectantibus adventum Christi nihil defuerit, quod sit necessarium ad iustitiam per quam acquiritur vita æterna. Immo confirmabit vos usque in finem Deus, quantum in ipso est usque ad finem vitæ sine crimine: Græce *inculpatos* ἀνεγκλήτους; & quia fidelis est, non stabit per eum. Nec est quod ullus putet hinc haberi certitudinem iustitiæ & prædestinationis in iustis, si abest specialis revelatio. Erant sane Corinthi plerique iusti, & ut existimare licet, prædestinati, & de horum electione ad gloriam certo constabat Deo deque eorum salute: sed loquimur de certitudine, quam ipsi habebant: an non etiam promissiones & certitudo quas proponit Scriptura, debent intelligi cum illa conditione quam toties alibi Scriptura inculcat; si feceris iustitiam, si servaveris mandata: fidelis est Deus, nec deserit, nisi deseratur.

V. 10. OBSECRO AUTEM. Hactenus visus est Paulus præfari: nunc aggreditur hortationem ad concordiam. Inaudivi, inquit, ab his qui sunt e familia Chloes de vestra contentione; dum non sine dissidio hos vel prædicatores, vel baptizatores aliis eiusdem professionis longe anteponitis. Sed fallimini, unius Christi estis omnes, Paulus, Cephas, Apollo Christi sunt ministri, & eius nomine operantur, eius merito & virtute nixi. Et ne aliqui meo baptismate glorientur, paucos ego baptizavi: ad prædicandum missus sum præcipue: quod hic mox explicat.

De Crispo Iudæorum Archisynagogo converso, vide Act. XVIII. 8. *Stephanæ* domus nobilis erat Corinthi, ut infra cap. XVI. *Caius* hospes Pauli, cuius fit mentio Rom. ultimo.

V. 13. NUMQUID IN NOMINE PAULI. Docet apertius baptismi vim & effectum non stare a ministro. Inaniter ergo de ministri excellentia aut eloquentia contendunt. His consentit Theologorum doctrina, qui docent sacramenta non valere ex opere ministri & operantis, sed ut ipsi loquuntur, ex opere operato. Et hæc est illa excellentia e multis aliis quam habent nostra sacramenta supra Mosaica; & quæ convenit illis ex vi institutionis, quam exercuit Christus secundum potestatem excellentiæ suæ, ut passim cum aliis Theologis docet S. Thomas. Et hoc ipsum est quod sonat illud, conferri baptismum in nomine Christi. Ridicula est inscitia Novatorum, qui ex hac reprehensione Corinthiorum carpunt discrepantia placita in scholis sub Scoto, Thoma, & aliis: non enim discrepant hi Theologi de rebus fidei: nec est inter eos discordia pertinax ad schisma, aut lædens caritatem.

V. 27. NON ENIM MISIT. Parochorum & Diaconorum munus est in baptismi administratione: alia sunt quæ proxime ad Episcopos spectant: sic Paulo præcipue commissa est prædicatio verbi; sed non tamen in sapientia verbi, aut affectata Oratorum forensium eloquentia, vel Sophistarum. Sermo noster est de cruce, per quam in omni abiectione & humilitate salvati sumus. Evacuabitur vero crux Christi, si sibi persuaderent homines fidem haberi vi humanæ eloquentiæ, non autem vi passionis in cruce: de qua mox plura.

V. 18. & 19. VERBUM ENIM CRUCIS. Est velut ratio prioris assertionis; recte enim uti oportet scientia crucis; quippe ut aliquibus est salus, ita malis & iniquis est opprobrium & stultitia. Sumit itaque Paulus ex hac mentione inanis eloquentiæ in cruce prædicanda, occasionem excurrendi, & comparandi sapientiam mundi cum vera

ra

ra sapientia crucis, ut videant Corinthii, quam viam tenere debeant in hac sua vocatione, & quam sit admirabilis sapientia Dei, & supra humanas cogitationes. Locus Isaiæ qui citatur, extat cap. XIX. 14. Paulus sequutus est lectionem Septuaginta.

Verbum quidem crucis pereuntibus stultitia est, sed ipsi in sua stultitia peribunt: quod ostendit ex Isaiæ cap. XXXIII. 18. *ubi sapiens*, Philosophus est gentilis; *Scriba*, doctor inter Iudæos; *conquisitor sæculi*, Physicus, & naturæ scrutator; perierunt omnes; & horum sapientiam stultam fecit Deus; hoc est, stultos ostendit Deus horum errores per lucem Evangelii.

V. 21. 22 & 23 NAM QUIA IN DEI SAPIENTIA. Quia in Dei sapientia & potentia, qua mundum creavit, mundus stultus non cognovit Deum, ut ducem ad vitam æternam; ideo per rem aliam æque stupendam, & hominibus stultam, hoc est, per crucem ostendit Deus viam ad felicitatem: & revelavit salutem. Quærant ergo Iudæi salutem in lege, Gentes in ratione naturali; nos certe in cruce, &c. Ceterum crux scandalum Iudæis, quia putabant Messiam ut magnum regem venturum: gentibus stultitia, hominem crucifixum, esse Deum, & mundi opificem; nobis sapientia & virtus, vocatis per prædestinationem ad gloriam. Sic (ut persequitur Paulus vers. 25.) quod stultum & infirmum visum est, evasit robustum, sapiens & gloriosum.

V. 26. VIDETE. Concludit Paulus exhortationem; quasi diceret, Vocati estis ad crucem: en vobis pro duce salutis crucifixum exhibet, mundanæ vanitatis, & in rebus humanis excellentiæ contemptorem: ne hinc oriantur schismata, qualia inter vos sunt; en vero vocationem vestram, & quales Deus ad se vocavit in Apostolis, discipulis & aliis: non multi sapientes sunt; non, &c. sed infirma mundi elegit, & ea quæ non sunt, scilicet in pretio & æstimatione, ut potentes & qui sunt in pretio confundat.

CAPUT II.

Ostendit Paulus se Christum & hunc crucifixum magna modestia verbisque simplicibus prædicasse Corinthiis; quamquam perfectis loqueretur etiam sapientiam mundo absconditam, quæ solo Dei spiritu cognosci potest: animalis enim non percipit quæ Dei sunt.

1\. ET ego, cum venissem ad vos, fratres, veni (*a*) non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. 2. Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. 3. (*b*) Et ego in infirmitate, & timore & tremore multo fui apud vos: 4. & sermo meus, & prædicatio mea, (*c*) non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: 5. ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. 6. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur: 7. sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram: 8. quam nemo principum huius sæculi cognovit: si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. 9. Sed sicut scriptum est: (*d*) Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum: 10. nobis autem revelavit Deus per spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 11. Quis enim hominum

scit

ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei. 12. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt; ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis: 13. (e) quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis; ſed in doctrina Spiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. 14. Animalis autem homo, non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: * quia ſpiritualiter examinatur. 15. Spiritualis autem iudicat omnia: & ipſe a nemine iudicatur. 16. * (f) Quis enim cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus.

(a) Sap. I. 17. (b) Act. XVIII. I. (c) II. Pet. I. 17. (d) Iſaiæ LXIV. 4. (e) II. Pet. I. 16. (f) Iſaiæ XL. 44. Sap. IX. 13. Rom. XI. 34.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 14. *Quia ſpiritualiter examinatur*. Nonnulli codices pro *quia* ſcribunt *ea quæ*, vel *quæ*, & pro ſingulari *examinatur* plurale *examinantur*: ſed priorem lectionem prætulerunt Patres.

Verſ. 16. *Quis enim cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum?* Quidam libri ſed minus emendati pro *qui inſtruat eum habent*, *aut inſtruxit eum?*

Notatio.

Verſ. 14. A*Nimalis autem homo non percipit ea quæ ſint Spiritus Dei: ſtultitia eſt enim illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter* (*ſpiritualiter* MS. antiqua.) *examinatur*. Triplicem fere hoc loco reperio lectionem; unam, eamque frequentiſſimam tam auctorum, quam codicum: *Quia ſpiritualiter examinatur*; alteram: *Quia ſpiritualiter examinantur*, quæ in Complutenſibus, & Quentelianis eſt Bibliis. tertiam: *Ea quæ ſpiritualiter examinantur*, quam in quatuor vidi exemplaribus manuſcriptis, Mal. ma. Pl. m. I. quibus alia quædam cedunt: R habet: *Qui ſpi. ex"nantur* prætermiſſo *ea*; M *Quæ ſpi ex"natur*; T & G. *Ea quia ſpi ex"natur*. Atrebatenſis collegii ſericatus codex omnium ſimul varietatum particeps non incommode ſcribit: *Ea quia ſpi. ex'nantur*. Græce eſt ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται: id quod κατα ποδα transferas: *Quia ſpiritualiter examinatur*. Nonnulli id referunt ad animalem hominem: ceterum ſi quod veriſimilius ſit, cum Græcis Tractatoribus, *ad ea quæ ſunt ſpiritus Dei* referas, Latine vertendum eſt: *Quia ſpi. examinantur* (neque enim Latinis, ut Græcis neutra pluralia verbo gaudent ſingulari) niſi forte non ὅτι conjunctionem, ſed ὅτι relativum legas: tunc enim reddas: *id quod ſpi. examinatur*, quo modo intellexiſſe videntur Syri. Primus vertendi modus reſpondet primo legendi; ſecundus ſecundo legendi; tertius tertio viciniſſimus eſt. Quis autem horum germana ſit Interpretis ſcriptura in dubium venit: primum tamen non facile ego auſim Interpreti ſubtrahere, cui & vetus auctor commentariorum Ambroſio adſcriptorum ſuffragatur, quamquam ſecundus, & tertius commodiſſimi videantur.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. IN SUBLIMITATE, id eſt eminentia eloquentiæ, aut ſapientiæ, id eſt humanæ philoſophiæ.

V. 4. & 5. NON IN PERSUASIBILIBUS, id eſt exquiſitis ad perſuadendum verbis; SED IN OSTENSIONE SPIRITUS ET VIRTUTIS, id eſt non humanæ philoſophiæ & eloquentiæ præſidio armatus, ſed ſpiritum Deique virtutem præ me ferens. UT FIDES VESTRA; id eſt, ne fidem veſtram non tam Dei virtuti per nos operanti, quam humanæ ſapientiæ tribueritis.

V. 6. & 8. NON HUIUS SAECULI. Gr. ſcholia interpretantur ſapientiam huius ſæculi, ſapientiam humanam & temporariam, quæ in præſenti tantum tempore ma-

manet, NEQUE PRINCIPUM HUIUS SAECULI QUI DESTRUUNTUR. Gr. *τῶν καταργουμένων*, id est qui abolentur & evanescunt: de qua scientia postea ait, QUAM NEMO PRINCIPUM HUIUS SAECULI COGNOVIT, per quos intellige oratores & philosophos, aut iuxta Chrysost. Herodem, Pilatum & Iudaeos, qui etsi nonnullam Christi cognitionem habuerunt, numquam tamen cognoverunt esse Deum; quia si cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent, sicut in Actis ait Petrus: *scio quod per ignorantiam fecistis, sicut principes vestri*. Ambrosius interpretatur de daemonibus: qui si vere Deum & redemptorem nossent, numquam eius mortem procurassent.

V. 9. SED SICUT SCRIPTUM EST. Quidam Latini codices, ac bona pars non habebant, *sed*: atque ita commodior sensus, Loquimur Dei sapientiam in mysterio quae abscondita est: *sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum*: quae vero intercedunt, *quam praedestinavit*, usque ad *τὸ sicut scriptum est*, per parenthesim legenda sunt, atque ita est sensus: quae quidem sapientia abscondita est, *sicut scriptum est*: *Quod oculus*, &c. ex iis enim Esaiae verbis manifestum est fuisse absconditam illam sapientiam. Graeca autem lectio habet, *sed*, nec lectione Latina clarior est propter duos articulos subiunctivos sine ullo antecedente: sic enim habet, *ἀλλὰ καθὼς γέγραπται, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν*; id est, ad verbum: *sed sicut scriptum est, quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus illum*: qui locus est unus ex eclipticis Pauli; cui ut nonnihil suppleamus, altero illorum modo medebimur: Si enim cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent: sed sub. non cognoverunt, sicut scriptum est: Quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: subaudi, ea sunt quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum, ipse scilicet Christus, ut exponunt Graeca scholia: *τί δὲ ἡτοίμασε τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, τὸν Χριστὸν δηλαδὴ καὶ τὴν διὰ τῆς ἐνανθρωπήσεως σωτηρίαν*: id est, quid vero praeparavit diligentibus illum? Christum videlicet, & nostram per eius incarnationem, salutem. Si ergo manifestum est ex Isaia ea; quae Deus praeparavit diligentibus; se neque oculo percepta, neque auribus audita, neque mente a quoquam hominum concepta ante fuisse, ipsum videlicet Christum, perspicuum quoque principes mundi huius dominum gloriae non cognovisse. Alio modo sic medebimur eclipsi, referendo *τὸ sed sicut scriptum est*, ad id quod praecessit: *Loquimur sapientiam non huius saeculi, sed sicut scriptum est, loquimur ea quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt*; ea videlicet quae nec visu cerni, nec mente percipi possunt: *quae quidem praeparavit Deus diligentibus illum*: Necesse propter incommodum tam Graecae quam Latinae lectionis paulo coactiorem esse connexionem, si quis meliorem noverit, afferat, & libenter accipiemus.

V. 13. SPIRITUALIBUS SPIRITUALIA COMPARANTES. Gr. *πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες*: hunc locum ita Theodorus Graecus interpretatur, cuius Graeca ob brevitatem chartae relinquimus. Nos ita vertimus: Qua propter quum doctrina nobis spiritus sufficiat, humana sapientia opus non habemus, *πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες*, id est per spiritus sancti miracula doctrinam illius confirmantes. Quod enim dixit *συγκρίνοντες*, non pro eo posuit quod dicunt *παρεπάζοντες*, id est certis signis aut argumentis, si quod dubium oritur demonstrantes & confirmantes. Et ad hunc sensum accedit Chrys. Quum enim dixisset Paulus, *non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina spiritus*, subdidit *πνευματικὰ συγκρίνοντες*. Et quidnam hoc significet, ait Chrysost. hoc est, quum spirituale dubium est, a spiritualibus testimonia adducimus. Significat & *συγκρίνειν*, quod Cicero dixit contendere, id est unum cum alio conferre, & hoc modo intelligi potest; si qua in fide ambiguitas oritur, non humana ratione, aut sapientia opus habemus, sed spiritualia spiritualibus contendimus, unumque scripturae locum cum alio contendentes & comparantes dubia solvimus.

V. 14. QUIA SPIRITUALITER EXAMINATUR. Gr. *ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος θεοῦ, καὶ οὐ δύναται γνῶναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται*, hoc autem loco *ὅτι* sit relativum; quod sensus est, *animalis homo*, qui scilicet animi sui sensum ac libidinem

dinem tantummodo sequitur, non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, nec potest intelligere id quod spiritualiter diiudicatur: id enim significat ἀνακρίνω. Sin ὅτι sit coniunctio referendum est τὸ ἀνακρίνεται singulare, more Attico ad τὰ τοῦ πνεύματος θεοῦ, ut sit sensus, quod animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, quia illa spiritualiter discutiuntur & diiudicantur. Divus Ambr. legit quia spiritualiter iudicatur, ut sit sensus, animalis homo non potest capere quæ sunt Dei, quia iam spiritualiter iudicatus est & damnatus in reprobum sensum: certa Græca lectio aliter intelligi non potest, quam uno ex his tribus modis.

V. 15 SPIRITUALIS AUTEM, &c. IUDICAT, Gr. ἀνακρίνει, id est iudicat, discernit, & discutit omnia, ET IPSE A NEMINE IUDICATUR. Chrys interpretatur hoc loco, ἀνακρίνεται, *arguitur*, vel a nemine discutitur, id est nemo de eius doctrina & scientia inquirit. Sic enim Photius interpretatur διὸ ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται, id est ideo a nemine (de sua videlicet doctrina) interrogatur: non a fidelibus, quod ab eis non diffideat, neque dissonet: non ab incredulis, quod illorum interrogatione & examine superior sit: potest quoque sensus esse, quod spiritualis qui sensum & spiritum domini habet ἀνακρίνει, id est omnia diiudicat, de omnibus discernit: novit enim quid bonum, quid malum, ipse autem a nemine ἀνακρίνεται, id est *diiudicatur*. Nemo enim non spiritalis, facta hominis spiritalis diiudicare potest: quæ non nisi per spiritum Dei diiudicantur & discutiuntur.

V. 16. QUIS ENIM. Photius hunc locum iunctum cum præcedentibus hyperbatice legit, ut sit sensus, animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: quis enim (sicut scriptum est) cognovit sensum domini? aut quis instruxit eum, aut instruet, ut Græce est συμβιβάσει: nos autem sensum domini habemus, id est mentem ipsius teneamus, ac novimus, cetera autem quæ intercedunt per parenthesim legit, atque ita τὸ *sicut scriptum est*, refertur ad id quod præcessit, non percipit animalis homo, &c. *Quis enim novit*, &c. sicut scriptum est.

SA.

Vers. 1. ET EGO: pro, itaque ego. CHRISTI, id est de Christo, scilicet Evangelium.

V. 2. NON ENIM, &c. quasi dicat: Ita me gessi, ac si nescirem, nisi, &c.

V. 3. INFIRMITATE, id est multa patiens. TIMORE, scilicet periculorum. TREMORE, scilicet ob mihi mala accidentia: vel Hebr. est, *in timore & tremore*, id est in magno timore.

V. 4. PERSUASIBILIBUS, id est, persuasoriis. VIRTUTIS, id est potentiæ; quasi dicat, Potentis spiritus.

V. 5. IN SAPIENTIA, id est pendens ex sapientia.

V. 6. LOQUIMUR, scilicet cum opus est. PRINCIPUM, scilicet Philosophorum, & Oratorum, & Magnatum. DESTRUUNTUR, id est tandem in nihilum recident.

V. 7. IN MYSTERIO, id est absconditam, seu arcanam. PRAEDESTINAVIT, id est ante definivit, scilicet revelandam nobis.

V. 8 CRUCIFIXISSENT, scilicet Principes Iudæorum, & Gentium.

V. 9. SCRIPTUM, scilicet Isa. LXIV. Quidam tamen putant citari quædam Eliæ quæ non extent. QUOD. Græc. *quæ*.

V. 10. SPIRITUS, scilicet sanctus. SCRUTATUR, id est perfecte novit, scilicet Deus est cuius proprium corda scrutari. PROFUNDA, id est abditissima.

V. 11. HOMINIS, scilicet occulta in animo.

V. 12. QUAE, scilicet mysteria. DONATA, id est revelata, seu in nostri gratiam facta; quasi dicat, Ut fidei mysteria credamus, seu gesta a Christo pro nobis.

V. 13. COMPARANTES, id est conferentes; quasi dicat, Spiritualia per spiritualia explicantes, accommodantesque mysteriis explicandis convenientem sermonem.

V. 14 ANIMALIS, id est qui carnis affectibus ducitur. EST, id est videntur. EXAMINATUR, id est diiudicatur.

V. 15. OMNIA, scilicet Dei; quasi dicat, Approbat divina omnia, & veneratur. NEMINE, scilicet qui non sit spiritualis. IUDICATUR, id est iudicari potest, nec enim de spirituali potest animalis recte sententiam ferre, cum sensu careat rerum spiritualium.

V. 16. COGNOVIT, scilicet nisi ipso revelante. HABEMUS: scilicet per revelationem.

MA-

MARIANAE.

Verſ. 3. ET EGO IN INFIRMITATE, id eſt modeſte & abiecte verſatus ſum inter vos.

V. 4. NON IN PERSUASIBILIBUS, id eſt exquiſitis verbis ad perſuadendum, ſed ſpiritum Dei & virtutem præ me ferens. Ambroſius hic & Euſebius I. de Præpar. Evang. in Procœmio legunt, *non in perſuaſione*, nimirum, ut quidam ait, Græce pro πειθοῖς, id eſt *perſuaſibilibus*, legerunt πειθοῖ, id eſt *perſuaſione*. Verum eam lectionem non invenio. Solus Syr. *in perſuaſione verborum* habet.

V. 6. SAPIENTIAM, id eſt fidei arcana. INTER PERFECTOS, id eſt inter eos qui in fide profecerunt, loquimur. Sapientiam, inquam, non PRINCIPUM HUIUS SAECULI, id eſt philoſophorum. QUI DESTRUUNTUR. Mortales ſunt & caduci cum ſua ſapientia.

V. 8. NEMO PRINCIPUM cognovit, id eſt dæmones, aut Herodes & Pilatus, ut Tertull. ait V. contra Marcion. nam dæmones eum & cognoviſſe putat & occidiſſe. SI ENIM COGNOVISSENT ſapientiam abſconditam in myſterio, quod homines eſſet redempturus, aut quod Deus eſſet, Chriſtum non crucifixiſſent.

V 9 SED SICUT SCRIPTUM EST; pro, ſed hoc eſt, quod ſcriptum eſt. OCULUS NON VIDIT. Dei dona & opera ſenſibus non percipiuntur, neque eius ſapientia. Nos autem

V. 12. NON SPIRITUM HUIUS MUNDI. Græc. & Syr. non eſt pronomen *huius*, ne Goth. quidem. Et quidem mundi ſpiritus ad terrena ducit, ad cæleſtia ſpiritus Dei.

V. 13. SPIRITUALIBUS SPIRITUALIA COMPARANTES, ſeu *confirmantes*, συγκρίνοντες, *approbantes*, nempe miraculis, Scripturæ teſtimoniis. His confirmamus quæ dicimus. Hæc eſt doctrina ſpiritus, aliena ab humana ſapientia.

V 14. ANIMALIS, qui ſuam libidinem ſequitur, non percipit hæc. Aut *animalis*, qui ducitur ratione naturali & ſenſibus; *ſpiritualis*, qui ſenſu Dei per Scripturam cognito. Ariſtot. III. Ethic. *Homo ſtudioſus eſt metrum & menſura:* & alio loco: *Sapiens eſt, qui iudicat per altiſſimam cauſam*. QUIA SPIRITUALITER, id eſt per Dei ſpiritum. EXAMINATUR, ſeu *diiudicatur*.

V. 15. A NEMINE IUDICATUR ſpiritualis, ſcilicet recte & competenter, ipſe iudicat omnia.

V. 16. SENSUM DOMINI, aut *mentem*, ut eſt Græce, quis novit? QUI INSTRUAT EUM. Alii legunt, *aut quis inſtruxit eum?* Gotth. *aut quis inſtruat eum?* ſcilicet Deum. Græc. συμβιβάσει, *qui demonſtret*, doceat eum Dei ſenſum alios. SENSUM CHRISTI. *mentem Chriſti*; Græc. non habemus, intelligimus.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN SUBLIMITATE SERMONIS: ornato, & ſublimi dicendi genere, quo ſapientiam oſtentarem. TESTIMONIUM CHRISTI: Evangelium, quod eſt Chriſti teſtimonium, nam in eo divinæ ſapientiæ, & maieſtatis myſteria conſignata ſunt, & teſtata.

V. 2. NON ENIM IUDICAVI ME SCIRE ALIQUID, &c. non magnifeci ullam aliam ſcientiam, quam Ieſu Chriſti crucifixi, ideoque me ita geſſi, ac ſi aliorum eſſem ignarus.

V. 3. ET; pro, *itaque*. IN INFIRMITATE: in ærumnis, tribulatione, & perſecutione. Vel potius ſenſus eſt, Magna cum demiſſione, atque humilitate Chriſtiana. ET TIMORE, ET TREMORE: veræ humilitatis, & modeſtiæ comitibus.

V. 4. ET SERMO MEUS, &c. id eſt oratio mea, qua uſus ſum in prædicando Evangelio. NON IN PERSUASIBILIBUS, &c. id eſt, non fuit in exquiſitis ad perſuadendum humanæ ſapientiæ verbis, in his enim excellebant, & Paulum ſuperabant oratores, & philoſophi, qui erant Corinthi. SED IN OSTENSIONE SPIRITUS, ET VIRTUTIS: ſed nitebatur veris, & firmis rationibus, quæ cum rem certe, aperteque concluderent, tum ſpiritualem, ac divinam potentiam, ſapientiamque facile demonſtrabant. Vel ſenſus eſt, ita ſe geſſiſſe Paulum, ut ſpiritum, hoc eſt, magnum zelum, & caritatis affectum exhiberet cum chriſtiana ſapientia coniunctum, & quæ dicebat, virtutibus, hoc eſt, miraculis confirmaret.

V. 5. NON SIT IN SAPIENTIA HOMINUM:

non nitatur humana sapientia, nec illi tribuatur vestra conversio. SED IN VIRTUTE DEI: sed in potentia, & efficacitate divini verbi, & Evangelii fundetur.

V. 6. SAPIENTIAM AUTEM LOQUIMUR, id est secretiora, & altiora fidei mysteria tradimus, & docemus. INTER PERFECTOS: perfectis, id est magis provectis, qui capaciores sunt tam sublimis doctrinae. NON HUIUS SAECULI, non humanam. PRINCIPUM HUIUS SAECULI: a daemonibus invectam, qui principes sunt tenebrarum. Vel per principes huius saeculi primores intelligit, qui inter homines sapientia, opibus, vel potentia praestant. QUI DESTRUUNTUR, id est abolentur, transeunt, evanescunt.

V. 7. SED LOQUIMUR DEI SAPIENTIAM IN MYSTERIO, &c. quasi dicat, *in mysterio*, id est secreto & apud paucos, scilicet ad eos, qui provectiores sunt sapientiam hanc occultam, & profundam loquimur. QUAM PRAEDESTINAVIT DEUS ANTE SAECULA: quam sapientiam; id est, quae consilia sapientiae suae Deus ab aeterno praefinivit, ac decrevit exequenda in tempore, quibus nos adduceret ad gloriam adoptionis filiorum.

V. 8. QUAM; scilicet gloriam. PRINCIPUM HUIUS SAECULI: Pilatus, Annas, Caiphas, aliique principum Iudaeorum. SI ENIM COGNOVISSENT: Dei sapientiam, vel gloriam, eiusque per Christum praedaestinationem. NUMQUAM DOMINUM GLORIAE CRUCIFIXISSENT; scilicet Christum, cuius merito nobis ab aeterno praedestinata, & praeparata est haec gloria.

V. 9. SED; scilicet abscondita fuit eis haec gloria. SICUT SCRIPTUM EST: Isa LXIV. 4 NEC IN COR HOMINIS ASCENDIT, id est in mentem hominis non venit.

V. 10. NOBIS AUTEM REVELAVIT, &c. quasi dicat: Quam etiam nos ignoraremus, nisi Deus per Spiritum suum nobis revelasset; hic est enim *Spiritus sanctus*, *quem*, ait Dominus ad Apostolos Ioan. XIV. *mittet Pater in nomine meo*, *ille vos docebit omnia*. SCRUTATUR: penetret, & perficit. PROFUNDA DEI: maxime abdita Dei mysteria.

V. 11. QUIS ENIM HOMINUM SCIT QUAE SUNT HOMINIS, &c. quasi dicat: Quemadmodum ea quae sunt in humana mente recondita cognoscit spiritus, id est mens, & intelligentia, quae intima est in homine; ita quae sunt Dei, & ad eius naturam, aut providentiam, &c. pertinent, novit spiritus Dei, qui eandem cum Deo naturam habet, & cognitionem.

V. 12. NOS AUTEM NON SPIRITUM HUIUS MUNDI ACCEPIMUS, id est non sumus instituti sapientia mundana, & saeculari. SED SPIRITUM QUI EX DEO EST, id est spiritum Dei. UT SCIAMUS QUAE A DEO DONATA SUNT NOBIS; quasi dicat: Hic spiritus revelat nobis quae & quanta bona a Deo nobis donata sint, nimirum tanta, quanta nec oculus vidit, nec auris audivit, &c.

V. 13. QUAE ET LOQUIMUR, id est quae eadem tradimus aliis, sed non passim omnibus. NON IN DOCTIS, &c. id est non utentes verbis arte compositis, nec oratione per humanam sapientiam instructa. SED IN DOCTRINA SPIRITUS: sed utentes oratione, qualem docet, ac suggerit Spiritus sanctus. SPIRITUALIBUS SPIRITUALIA COMPARANTES; quasi dicat: Spiritualia per spiritualia explicantes, & accommodantes mysteriis explicandis convenientem sermonem.

V. 14. ANIMALIS AUTEM HOMO: qui scilicet sensus tantum, & naturale lumen rationis sequitur. STULTITIA ENIM EST ILLI: videntur illi absurda, & cum ratione pugnantia. SPIRITUALITER EXAMINANTUR, id est spirituali intellectu, & lumine fidei examinanda, discutienda, & diiudicanda sunt.

V. 15. SPIRITUALIS AUTEM: iudicat, omnia per fidei lumen discernit, & intelligit. ET IPSE A NEMINE IUDICATUR: qui videlicet non sit spiritualis; nullus enim qui intellectum in obsequium fidei non submiserit, & lumine hoc supernaturali illustratus non fuerit, de doctrina, quam spirituales homines, hoc est, fideles, caelestis luminis participes tradunt, recte iudicare potest.

V. 16. QUIS ENIM COGNOVIT SENSUM DOMINI? nam quis humanis tantum viribus consilia Domini cognovit? QUI INSTRUAT EUM. Syrus, *ut doceat eum*. SENSUM CHRISTI HABEMUS, id est mentem, & intelligentiam nimirum ex eius revelatione.

TIRINI.

Verſ. 2. NON IUDICAVI ME SCIRE ALIQUID INTER VOS; id eſt, non putavi expedire, unde & decrevi non uti apud vos alia ſcientia ac doctrina, quam quæ eſt de Chriſto crucifixo: quare etiam me ita prorſus geſſi, ac ſi nil aliud ſcirem.

V. 3. INFIRMITATE, id eſt cum magna demiſſione & humilitate: ET MULTO TIMORE AC TREMORE FUI APUD VOS, ob Iudæorum perſecutionem, & ingentes ærumnas quas paſſus ſum Corinthi, Act. XVIII.

V. 4. SERMO MEUS, ſeu oratio qua utebar in prædicando Evangelio, *non* conſtabat exquiſitis ad perſuadendum HUMANAE SAPIENTIAE & eloquentiæ VERBIS, (in quibus facile patior me ab aliis ſuperari:) ſed OSTENSIONE SPIRITUS ET VIRTUTIS, id eſt ſolidis & firmis rationibus, quæ & rem certo concluderent, & ſpiritualem ac divinam potentiam demonſtrarent.

V. 5. UT FIDES & converſio VESTRA NON SIT fundata IN SAPIENTIA humana, nec illi adſcribatur, SED *virtuti* DEI, id eſt potentiæ & efficacitati verbi divini, ſeu Evangelii.

V. 6. SAPIENTIAM AUTEM veram ac divinam, id eſt ſublimiorem & profundiorem doctrinam de ſecretioribus & altioribus fidei myſteriis, de modo, conſilio & fine incarnationis & paſſionis Filii Dei, de adoptione filiorum, de prædeſtinatione, reprobatione, de ſapientia, potentia, excellentia crucis, de mirabilibus donis Spiritus ſancti, &c. LOQUIMUR non apud vos, utpote adhuc parvulos & incapaces *a* quibus *lacte*, id eſt facili & ſimplici doctrina opus, ſed INTER PERFECTOS, magiſque in fide virtutibus provectos, qui capaciores ſunt eiuſmodi ſublimioris doctrinæ. Hos verſ. 15. vocat *ſpirituales*, & opponit carnalibus, animalibus ac parvulis.

V. 7. LOQUIMUR autem hanc DEI, ſeu divinam, SAPIENTIAM IN MYSTERIO; Syrus, *in arcano;* Tertullianus, *in occulto;* id eſt ſecreto & apud pauciores: QUAE ABSCONDITA EST mundo, & prorſus illi ignota: QUAM tamen DEUS ANTE *omnia* SAECULA ab æterno PRAEDESTINAVIT IN GLORIAM NOSTRAM, id eſt decrevit ut in tempore vobis panderetur, quo per illam pertingeretis adj celſiſſimam & ſublimiſſimam gloriam, nempe adoptionis in terris, & beatificationis in cælis.

V. 8. QUAM gloriam (ut patet ex verſu ſequenti,) nobis per merita Chriſti obventuram, NEMO PRINCIPUM HUIUS SAECULI, Pilatus, Herodes, Annas, Caiphas, &c. umquam COGNOVIT. SI ENIM COGNOVISSENT: NUMQUAM DOMINUM GLORIAE, id eſt Chriſtum (cuius merito hominibus illa gloria prædeſtinata & præparata eſt ab æterno: qui eamdem etiam ipſis, ſi voluerint, conſerre paratus eſt) CRUCIFIXISSENT, inquit Vaſquez *b*, & a Lapide.

V. 9. SED ignota & abſcondita fuit ipſis hæc gloria, ſicut ſcriptum eſt Iſaiæ LXIV. 4. IN COR HOMINIS NON ASCENDIT; id eſt, homini numquam in mentem, venit, ſupple, viribus naturæ. Sunt enim ordinis ſupernaturalis adoptio hæc, de qua S. Chryſoſtomus & Ambroſius; & glorificatio, de qua S. Dionyſius, Hieron. & Bernardus *c* exponunt. Quam etiam nos ignoraremus, niſi

V. 10. DEUS NOBIS *revelaſſet* PER SPIRITUM SUUM ſanctum *d*, ut illam vos, o Corinthii, & alios doceremus. SPIRITUS ENIM Dei ſanctus OMNIA, ETIAM PROFUNDA DEI, id eſt etiam abditiſſima & ſecretiſſima conſilia divina (inter quæ unum eſt illud adoptionis & glorificationis noſtræ per mortem & merita Chriſti,) SCRUTATUR, id eſt intime penetrat, & perfecte cognoſcit, utpote Deus. Loquitur anthropopathως, quia quæ homines plene cognoſcere volunt, omni diligentia perſcrutari & inquirere ſolent: Deus autem ſine ulla inquiſitione, ab æterno omnia uno mentis cernit intuitu, inquit S. Ambroſius, Theodoret. Theophyl. & S. Thomas.

V. 11. QUIS ENIM aliorum HOMINUM SCIT QUAE SUNT occulta in animo huius vel illius HOMINIS? Certe ſolus SPIRITUS, id eſt mens & intellectus iſtiuſmet HOMINIS, QUI quaſi quid unum ſunt cum homine. Sic & Spiritus ſanctus, qui eamdem cum Deo naturam & cognitionem habet, omnia novit quæ Dei ſunt. Et hunc

V. 12. SPIRITUM ſanctum NOS ACCEPIMUS, UT SCIAMUS per fidem quidem, & obſcure, ſed tamen certo atque infallibiliter,

ter, hæc mysteria & beneficia divina, per eius gratiam & philanthropiam NOBIS DONATA: non iam in particulari seu individuo, ut volunt hæretici, v. g. iustificationem cuiusque in singulari (nam de his non agit hic Paulus,) sed in generali mysteria in nostri gratiam facta, & beneficia toti humano generi, toti Ecclesiæ collata per Christum.

V. 13. QUAE uti a Dei Spiritu accepimus & cognovimus, ita ET iam LOQUIMUR & alios docemus, NON DOCTIS HUMANAE SAPIENTIAE VERBIS, nec oratione rhetorico artificio constructa, SED DOCTRINA SPIRITUS, id est oratione & verbis qualia decent mysteria spiritualia, & qualia suggerit Spiritus sanctus: SPIRITUALIBUS rebus SPIRITUALIA verba, rationes & discursus COMPARANTES, id est accommodantes: v. g. non utimur verbis Ciceronianis, rationibus Platonicis vel Aristotelicis, discursibus Demosthenicis; sed obviis, simplicibus, depromptis ex S. Scriptura, vel suggestione Spiritus sancti, inquit S. Chrysost.

V. 14. Quæ SPIRITUALIS HOMO, id est Spiritu Dei præditus, Spiritui sancto doctori assvetus, divinis instinctibus ac fidei regulis obsequens, id est verus ac solidus Christianus, facile assequitur. ANIMALIS AUTEM HOMO, id est qui solam animam, seu naturalem intellectum suum doctorem sequitur, quique solius animæ naturali lumine nititur ac ducitur, NON PERCIPIT, non potest capere vel assequi QUAE SUNT propria SPIRITUS DEI, id est divina & spiritualia mysteria: QUIA hæc SPIRITUALITER EXAMINANTUR: (ita in plurali legendum cum Bibliis Romanis;) id est, discutienda sunt per rationes, non quas naturale lumen intellectus (quod solum animalis homo capit & sequitur) sed quod fides & Spiritus sanctus subministrat ac docet, quas idcirco ipse animalis homo non capit.

V. 15. SPIRITUALIS AUTEM per internum lumen fidei a Spiritu sancto sibi infusum capit, intelligit, IUDICAT, diiudicat OMNIA, expendens & ponderans non minus rationes spirituales & divinas, quam naturales humanas, ut de mysterio aliquo sibi proposito solide iudicet aut statuat. ET IPSE A NEMINE, qui non etiam sit spiritualis, IUDICATUR, id est redargui vel condemnari potest.

V. 16. QUIS ENIM non spiritualis homo possit per se, & ut luminis naturalis (quo solo nituntur homines animales) *nosse* SENSUM DOMINI, id est consilia & secreta Dei? quasi dicat: Ad hoc ut animalis homo possit iudicare spiritualem, debere prius nosse pondus & momentum eorum rationum quibus spiritualis a Deo edoctus nititur: sed has non novit revelante & instruente Deo (ut supponimus:) neque potest nosse vi solius rationis naturalis: ergo nullo modo novit: ergo nec reprehendere alterum potest: ita S. Chrysostom. Ambros. Anselmus & S. Thomas. Porro hæc de spirituali homine intellige, quando & quatenus spiritualiter iudicat. Alioquin etiam Petrus a Paulo reprehensus est ad Galat. II. 11. & potest quivis spiritualis homo in rebus moralibus etiam ab alio non spiritali reprehendi. Sed nihil hic pro Anabaptistis vel Libertinis hinc concludere volentibus, privatum instinctum spiritus cuiusque Christiani esse iudicem controversiarum fidei & Scripturæ: quia non agitur hic de iudicio definitivo, quale est iudicum, sed solum approbativo, vel reprobativo, quale est advocatorum, vel auditorum astantium. Tantum enim vult Paulus ostendere, humanam sapientiam Corinthiorum valde arctam esse & tenuem, præ ampla sapientia Christiana Apostolorum & aliorum præconum Evangelii, de quibus subdit, NOS SENSUM CHRISTI HABEMUS, id est sapientiam quam non Plato, non Aristoteles, non Pythagoras, sed Christus menti nostræ infudit: nempe scientiam Theologicam ex principiis fidei haustam, quæ respectu scientiæ humanæ est velut sol respectu modicæ candelæ: ita fere S. Chrysost. cum suis.

(a) Hic cap. seq. vers. 2.
(b) Vasq in 1. p. disp. 11. cap. III.
(c) Dionys. de Cælest. hierarc. cap. XII. Hieron. in Isaiæ LXIV. Bernard. Serm. IV. in vigilia Nativitatis.
(d) Ioan. XIV. 26.

GORDONI.

Vers. I. ET EGO. Multa iam dixit Paulus in thesi de simplicitate sermonis, & scientia spirituali eorum qui vocantur ad Christum: nunc in hypothesi de se, & qualis ipse venerit ad Corinthios,

profert. Certe, inquit, ac si nihil scirem præter Christum & hunc crucifixum. Venit quidem in patientia, nuditate & contemptu, & quidem sine sublimitate sermonis, sed in veritate Christi, & virtutibus: talis est ostensio spiritus & vocationis in his qui vocantur secundum propositum.

V. 6. SAPIENTIAM LOQUIMUR. Docemus altiora mysteria Dei inter perfectos, seu qui capaciores sunt excellentioris doctrinæ. Non vero damus doctrinam huius sæculi; vel a Dæmonibus invectam, vel ullam quam sectantur viri potentiores, & opibus præstantes, qui tandem pereunt in sua opulentia.

V. 7. LOQUIMUR DEI SAPIENTIAM: & Dei consilia, IN MYSTERIO, in secreto & paucis: quam sapientiam, seu quæ Dei consilia ab æterno præfinita sunt & decreta, ut fierent in tempore, & sic homines titulo adoptionis perducerentur ad gloriam.

V. 8. QUAM NEMO PRINCIPUM. Hanc gloriam Messiæ quem prædicamus, ut & hanc horam si cognovissent principes Iudæorum & alii, numquam Dominum gloriæ seu Christum crucifixissent. Hoc autem plenius explicans Paulus, docet hoc illis principibus fuisse absconditum, nec potuisse vim humanæ intelligentiæ eo penetrare, nisi per revelantem Spiritum Sanctum, quem acceperunt Apostoli, ut possent ad omnia hæc penetrare, & quo non penetrant pervenire carnales. Non potuisse vero aliter quam per Dei Spiritum, explicat versu 11. exemplo hominis, cuius sensa mentis non aliter quam ab ipso homine sciuntur. Sic Deus sua scit, & revelat.

V. 9. SICUT SCRIPTUM EST. Citatur locus Isaiæ LXIV. qui belle probat arcana & abscondita esse mortalibus tum incarnationis mysterium, Christique prædestinatam gloriam, tum maxime fructum inde resultantem in illa futura prædestinatorum gloria. Vide locum Isaiæ quem ibidem ad hunc sensum de futura beatitudine interpretatus sum: hoc solum addo, quod ibidem observavi, locum illum non intelligi de sola incarnatione, cum in sensu litterali receptus sit ad probandam, vel maxime visionem beatificam ex Hieronymo ibidem, Dionysio de cælesti Hierarchia, cap. XII. idem cum Vasque docent plures Theologi.

V. 15. SPIRITUALIS AUTEM .... OMNIA. Antithesis est inter carnalem (de quo iam dixit) exclusum ab hac cognitione, & spiritualem. Hoc loco spiritualis est qui sequitur dictamen fidei, prudentiæ, & Spiritus Sancti: talis vero iudicat de omnibus, hoc est, non tantum de carnalibus, ut faciunt carnales, sed insuper de spiritualibus: & ita de his iudicat ac discernit, ut belle videat viam salutis. Contra carnalis pene cæcus est, & velut unius oculi. Ergo de omnibus iudicat spiritualis discernens in bono & malo quid expediat ad salutem. Ineptissimi ergo sunt Novatores, qui ex his verbis Pauli volunt quemlibet fidelem esse iudicem controversiarum, & ita iudicare de singulis, ut hoc iudicium sit regula credendi: quasi vero quilibet de populo sit Doctor gentium, fidei certissima regula, & controversiarum arbiter. Quæri ab his solet, unde habeant certitudinem firmissimam se habere hæc ambitiosa dona? obmutescunt. Sane est spiritus iste privatus, ob quem infames sunt hodie Novatores: immo omnibus ridiculi, ut passim ostendunt Catholici Doctores. At de hoc figmento alibi.

Sed quid illud; A NEMINE IUDICATUR. Respondeo: Certe sicut (quod iam dixi) spiritualis per fidei lumen intelligit & discernit de doctrina sibi necessaria ad salutem, ita ipse a nullo carnali & qui non est fidelis iudicatur, aut ad intelligendum quod salutare est, instruitur: stare enim debet plena antithesis inter spiritualem & non spiritualem. Et vero quomodo posset fidelis ab infideli instrui, iudicari, aut dirigi in his quæ sunt ad salutem? Subdit rationem per interrogationem; nullus enim infidelium & fide destitutus cognovit sensum Domini, quoniam ex versu 14. animalis homo non percipit hoc quod spiritualiter examinatur. Immo etiam alio sensu a nemine prorsus iudicatur, scilicet quatenus sequitur puræ fidei dictamen. Sic ergo stat discrimen inter animalem hominem & eum, qui habet veram doctrinam spiritus; ut hinc intelligant Corinthii verum esse quod dictum est versu 4. vocationem eorum non pendere ab humana sapientia, sed a virtute Dei per ostensionem spiritus.

CA-

CAPUT III.

Corinthiis adhuc carnalibus non potuit Paulus prædicare recondita fidei mysteria: contendebant enim de his qui tantum ministri erant, cum solus Deus possit gratiæ ac virtutum dare incrementa, solusque Christus sit fidei fundamentum: super quod quis bene aut male superædificaverit, patebit in die examinis. Non est violandum Dei templum quod sumus nos, nec in Dei ministris gloriandum.

1. ET ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus,
sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo, 2.
lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis:
sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales
estis. 3. Cum enim sit inter vos zelus, & contentio: nonne
carnales estis, & secundum hominem ambulatis? 4.
Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli; alius autem:
Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo?
quid vero Paulus? 5. Ministri eius, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus
dedit. 6. Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit.
7. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum
dat, Deus. 8. (a) Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt.
(b) Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.
9. Dei enim sumus adiutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.
10. Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum
posui: alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo
superædificet. 11. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id
quod positum est, si quod est Christus Iesus. 12. Si quis autem superædificat
super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum,
stipulam, 13. uniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit,
quia in igne revelabitur: & uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.
14. Si cuius opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. 15. Si
cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen
quasi per ignem. 16. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat
in vobis? 17. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum
Deus. (c) Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 18. Nemo se seducat:
si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit
sapiens. 19. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum
est enim: (d) Comprehendam sapientes in astutia eorum. 20. Et iterum: (e)
Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. 21. Nemo itaque
glorietur in hominibus. 22. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo,
sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura:
omnia enim vestra sunt: 23. vos autem Christi: Christus autem Dei:

(a) Psal. lxi. 13. (b) Galat. vi. 5. (c) Inf. vi. 19. II. Cor. vi. 16. (d) Iob v. 13.
(e) Psal. xciii. 11.

BRU-

BRUGENSIS

Romana Correctio.

Vers. 11. *Quod est Christus Iesus*. Non facile neutrum *quod* in masculinum *qui*.

COMMENTARIA

GAGNAE I.

Vers. 1. TAMQUAM PARVULIS. Græc. ὡς νηπίοις, id est tamquam pusillis & infantibus: neque legendum est tamquam parvulis lac vobis potum dedi, ut pene habent omnes codices: quia Græc. pro vobis est accusativus casus ὑμᾶς, potavi, scilicet vos lacte, & *parvulis*; vel Græce νηπίοις est dativus, ideo ad præcedens refertur, *sed quasi carnalibus tamquam parvulis in Christo non potui*, scilicet *loqui vobis tamquam in Christo parvulis*.

V. 2. LAC VOBIS POTUM DEDI, id est simplicem & facilem doctrinam, non escam, id est solidum cibum, id est perfectionem, & de altioribus mysteriis doctrinam; sic Hebr. v. *facti estis, quibus lacte opus sit non solido cibo*: & paulo post: *perfectorum autem est solidus cibus*, ex quibus & hoc loco constat non esse passim quoslibet ad sacrarum litterarum lectionem admittendos, sicut Esa. XXVIII. cap. ait: *Quem docebit Dominus scientiam, & quem faciet intelligere auditum? ablactatos a lacte, a vulsos ab uberibus*.

V. 3. & 4. ZELUS ET CONTENTIO. Græci διχοστασίαι, id est seditiones. SECUNDUM HOMINEM, id est secundum carnem: fere enim homo in Scriptura, præsertim Paulo, pro animali & carnali homine sumitur, unde paulo post: NONNE HOMINES ESTIS, id est carnales? etsi quidam Græc σαρκικοὶ eo loco, id est carnales.

V. 5. MINISTRI EIUS CUI. Interpres legit, δι' οὗ, id est *per quem*: eius scilicet, per quem credidistis. Alii legunt, δι' ὧν, id est *per quos credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit*: ubi, &, Latinum cum Græco καὶ παρέλκει, superfluum est.

V. 11. FUNDAMENTUM ENIM: ideo inquit Ambros. nemo potest ponere aliud fundamentum, quia quamvis hæretici sint aliqui, non tamen docent, nisi sub Christi nomine. Aliter enim commenta erroris commendare non possunt, nisi interposito Salvatoris nomine, prædicent, ut res contrarias & absurdas nominis dignitas faciat acceptabiles. Non ergo statim credamus quibuslibet præclara nomina Christi, fidei & Evangelii sonantibus, & interim a fide & Ecclesiæ obedientia fideles seducentibus. *Non enim*, inquit Christus, *omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum*.

V. 12. & deinceps AURUM, ARGENTUM, &c. Aurum, argentum, & lapides pretiosos constanter omnes bonam doctrinam bonaque opera fidei superædificata interpretantur. Ligna autem, fœnum, & stipulam, quidam perversam doctrinam & indifferenter mala omnia opera exponunt: quidam venialia tantum peccata. DIES *autem* DOMINI quibusdam pro die iudicii sumitur, quibusdam pro die afflictionis, quo visum est Deo nos affligere: ignem autem de quo hoc loco quidam ignem tribulationum & afflictionum, quidam ignem conflagrationis in universali iudicio, quidam (& melius cum communi Ecclesiæ iudicio) ignem purgatorium post mortem explicant. Quod autem Chrysost. eum locum, *Ipse autem salvus erit, sed sic quasi per ignem*, interpretatur de peccatore qui salvabitur, non quod in gloriam sit assumendus, sed quod salvus erit, id est non annihilabitur; at salvus erit, hoc est sanus & integer asservabitur, ut igne ardeat perpetuo: sic probe intelligi non potest; nusquam enim salutis aut salvandi verbum Scripturæ damnatis tribuunt. Idcirco de igne afflictionis, quo etiam iustos Deus affligit, multi intelligunt, quod nimirum iustorum vitam & doctrinam ignis afflictionum probabit. Quasi manserint in igne; id

id eſt, ſi per quaſcumque tribulationes dimoveri a recto non poſſunt, mercedem ſuæ conſtantiæ accipient; quod ſi quædam eorum opera arſerint, id eſt nonnihil per venialia peccata a recto deflexerint, ſalvabuntur quidem, ſed ſic quaſi per ignem: quia venialia peccata purgabit ignis afflictionum, quas patienter tulerunt, & certe ſi ſalvari hoc loco capimus pro eo quod eſt aſſumi ad gloriam (ut meo & eccleſiæ iudicio ſumendum eſt) neceſſe eſt eundem intelligere, qui aurum, argentum, & fœnum ac ſtipulam ſuperædificavit: & per lignum, fœnum & ſtipulam, leviuſcula peccata accipere. Alii melius cum eccleſia de igne purgatorio accipiunt, per quem ſi quis lignum, fœnum, & ſtipulam, id eſt venialia peccata fidei ſuperædificaverit, purgatis illis ſalvabitur. Sic enim Aug. ſermone de ſanctis, de peccatis venialibus loquens: Quidquid, ait, de iſtis peccatis a nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum eſt, de quo inquit Apoſt. quia in igne purgabitur. Similiter & Theodoricus Græcus in hunc locum ait, τοῦτο πῦρ πιστεύομεν καθαρτήριον, ἐν ᾧ καθαρίζονται αἱ ψυχαί ὡς χρυσίον ἐν τῷ χωνευτηρίῳ; id eſt. hunc ignem credimus eſſe purgatorium, in quo animæ tamquam aurum in conflatorio purgantur. Oecumenius quoque de igne purgatorio intelligit, & refert hunc locum, *ipſe autem ſalvus erit*, ſic tamen quaſi per ignem, ad eum de quo ante dixit Paulus, *ſi cuius opus manſerit*: quæ vero intercedunt, *ſi cuius opus arſerit*, per parentheſim legit; ſic enim ait: αὐτὸς δὲ σωθήσεται, τίς, ὁ ἐποικοδομήσας τὸν χρυσὸν καὶ τὸν ἄργυρον, καὶ τοὺς τιμίους λίθους. εἰπὼν γὰρ περὶ αὐτοῦ, ὅτι μισθὸν λήψεται, νῦν λέγει ποῖον μισθόν. τοῦ τίσι τὴν σωτηρίαν σωθήσεται δὲ γε ἐπωδύνως καὶ αὐτὸς, ὡς εἰκὸς τὸν διὰ πυρὶ παριόντα, καὶ ἐκκαθαιρόμενον τὸν ἐνόντα αὐτῷ βραχὺν ῥύπον; id eſt, ipſe ante ſalvabitur: quis? qui aurum, argentum, lapides pretioſos ſuperædificaverit: cum enim dixiſſet de eo quod mercedem accipiet, nunc qualem mercedem, aperit, ſalutem ſcilicet; ſalvabitur autem non ſine dolore, ut par eſt ſalvari, per ignem tranſeuntem & adhærentes ſibi leves maculas purgantem: quo loco indubie Oecumenius per lignum, fœnum, & ſtipulam, levia peccata intelligit: inquit enim θεοῦ γὰρ μόνου τὸ τελείως ἀναμάρτητον εἶναι. οἱ δὲ ἄνθρωποι κἂν ὦσι μάλιστα ἄγαν δίκαιοι, οὐ τέλειον εἰσὶ καθαροί. Siquidem unius Dei eſt perfecte peccati expertem eſſe: homines autem etiamſi maxime iuſti fuerint, numquam tamen perfecte ſunt mundi: is ergo eſt iuxta Oecumenium Pauli ſenſus, ſi cuius opus manſerit, mercedem accipiet: is nimirum qui aurum, argentum & lapides pretioſos ſuperædificavit: bona videlicet opera: quod ſi etiam lignum, fœnum, & ſtipulam (quæ venialia delicta ſunt, & ſordes hominis, in hac vita inevitabiles) ſuperædificaverit, detrimentum quidem patietur, quia cum nihil inquinatum intret in domum Dei, huiuſmodi ſordes nonnihil a gloria Dei retardant: ipſe autem ſalvabitur, ſed quaſi per ignem, id eſt non ſine dolore: quem per ignem hic tranſiens ſentiet: præſtat itaque cum eccleſia & doctiſſimis Græcorum ac Latinorum de igne purgatorio intelligere.

V. 22. OMNIA VESTRA SUNT; id eſt, nos miniſtri, omniaque noſtra, & quicquid uſquam eſt, veſtra ſunt, quatenus ad ſalutem veſtram illis opus eſt: & ideo fruſtra gloriamini unuſquiſque de veſtro præceptore, cum omnes ex æquo veſtri ſint.

S A.

Verſ. I. CARNALIBUS, id eſt carnis ſenſum adhuc ſequentibus, nondum plene ſpiritum. PARVULIS IN CHRISTO, id eſt in Chriſti myſteriis adhuc rudibus.

V. 3. ZELUS, id eſt æmulatio, ſeu invidia. HOMINEM, id eſt affectum humanum.

V. 4. HOMINES. Græc. *carnales*.

V. 5. DEDIT, ſcilicet ſic miniſtrat.

V. 6. PLANTAVI, ſcilicet vos in fide. RIGAVIT, ſcilicet prædicatione.

V. 7. ALIQUID, ſcilicet ſine Deo.

V. 8. UNUM SUNT, ſcilicet in Chriſto, cuius negotium agunt.

V. 9 ADIUTORES. Græc. συνεργοί, *cooperarii*.

V. 11. FUNDAMENTUM, ſcilicet primarium: nam ſecundaria ſunt, ut dicitur Eph. II. Apoc. XXI. Prophetæ & Apoſtoli.

V. 12. AURUM, &c. per tria priora intelliguntur opera bona, ſeu perfecta: per poſteriora, peccata venialia, ſecundum Auguſtinum de Fide & oper. cap. XVI. Alii

ad doctrinam referunt solidam, vel vanam prædicatorum.

V. 13. DIES, id est iudicium apertum. IGNE, id est severo Dei examine.

V. 14. MANSERIT, scilicet probatum.

V. 15. ARSERIT, id est punietur. PATIETUR, scilicet qui illud fecit. PER IGNEM, id est supplicium, scilicet purgatorii, ubi iustorum peccata puniuntur, id est eorum qui hinc cum iustitia discesserunt. De inferni igne nihil dixit, quia de iustorum operibus loquebatur, vel bonis, vel venialibus.

V. 17. DISPERDET, id est perdet supplicio æterno.

V. 18. STULTUS, scilicet quantum ad hoc sæculum, cuius iudicio stulti sunt probi viri.

V. 19. SCRIPTUM, scilicet Iob v. COMPREHENDAM; quasi dicat, Eorum astutias deprehensas evertam, seu res stultas. Græce, *qui comprehendit*; ut etiam legitur Iob v.

V. 20. SAPIENTIUM. Nos Psal. XCIII. *hominum* legimus, ut est Hebr. & Græc.

V. 22. VESTRA, id est ad vestram salutem, a Deo data, seu inservientia.

V. 23. CHRISTI, scilicet servi. DEI, scilicet Filius.

MARIANAE.

Vers. 1. TAMQUAM PARVULIS lac potum dedi ὡς νηπίοις, *quasi infantibus*. Et Græce iungitur cum superioribus, & regitur a verbo *vobis loqui*. Latini codices iungunt cum *lac potum dedi*, tamquam parvulis. *Parvulos* vocat parum in fide provectos.

V. 2. NON ESCAM, id est cibum solidum. NONDUM ENIM POTERATIS, cibo scilicet solido vesci, mysteria altiora capere.

V. 4. NONNE HOMINES ESTIS? id est humanos affectus sequimini? Græc. σαρκικοί, id est *carnales*: sic Syr. Sed cum bis *carnales* proposuisset, Interpres voce mutata *carnales* in *homines*, conservavit sententiam. Quid dicitis, Ego Pauli, Ego Apollo Ministri tantum sumus.

V. 5. ET UNICUIQUE. *Et* redundat; quasi dicat, Ministri, prout cuique dedit Deus, id est eam ministerii quam voluit partem credidit.

V. 7. EGO PLANTAVI. Sine ministerio verbi & Sacramentis vivere in Christo non possumus.

V. 11. FUNDAMENTUM ENIM ALIUD. Ambr. *Etiam heretici Christi nomen præferunt, ut fucum faciant, & sectæ auctoritatem concilient. Verum ex iis quæ superædificant cognoscuntur. Christus est fabricæ huius fundamentum.*

V. 12. AURUM, ARGENTUM, si quis superædificat, id est bonam doctrinam & bona opera, hæc metalla significant. Lignum & stipula, minora peccata.

V. 13. DIES ENIM DOMINI, id est dies iudicii, aut tempus afflictionis declarabit, quale cuiusque opus sit & structura

V. 14. SI CUIUS OPUS MANSERIT. Quod opus superædificavit, in eo igne perstiterit, is mercedem accipiet.

V. 15. SI CUIUS OPUS ARSERIT, id est fœnum & stipulam, evadet quidem ille, sed accepto eo detrimento, & quasi igne ambustus. Evadet tamen, quia minora sunt peccata. Multi hunc ignem non iudicii esse volunt, nec afflictionis, sed purgatorii, quo minora peccata purgantur, incolumi qui ea patravit. Vos templum Dei estis.

V. 17. SI QUIS AUTEM TEMPLUM DEI VIOLAVERIT, DISPERDET: φθείρει, φθερεῖ. Paronomasia; quasi dicat: Si corrumpit scilicet templum, corrumpet illum Deus.

V. 18. SAPIENS ESSE IN HOC SAECULO si quis videtur, id est secundum opinionem hominum, is stultus fiat.

V. 22. OMNIA ENIM VESTRA SUNT. Nos ministri vestri sumus, nemo ergo de suo præceptore glorietur. Omnia sunt propter vos, vos propter Christum, Christus propter Deum. Finis præstantior est iis quæ ad ipsum diriguntur. Non ergo gloriemini de ministris.

MENOCHII.

Vers 1. CARNALIBUS, id est carnis sensum adhuc sequentibus, nondum plene spiritum. PARVULIS IN CHRISTO: in Christi mysteriis adhuc rudibus.

V. 2. LAC VOBIS POTUM DEDI: humiliorem, ac simpliciorem doctrinam. NON ESCAM: non cibum solidum. NONDUM ENIM POTERATIS; nondum enim huiusmodi cibi, & doctrinæ capaces eratis.

V. 3. ZELUS: invidia, & studium partium. SECUNDUM HOMINEM AMBULATIS: affectu humano, & carnali, non spirituali.

V. 4. EGO SUM PAULI; scilicet sectator. NONNE HOMINES ESTIS? id es humanis affectibus, & carnalibus obnoxii.

V. 5. MINISTRI EIUS, &c. In Græco est, *nisi ministri per quos credidistis*. ET UNICUIQUE SECUNDUM QUOD DOMINUS DEDIT; id est, ministri sunt diversa habentes ministeria, prout communis eorum Dominus cuique dedit.

V. 6. EGO PLANTAVI; scilicet vos in fide, primus enim omnium Christum vobis annuntiavi. APOLLO RIGAVIT: rigare est doctrinæ Christianæ iam plantatæ, & fundatæ superaddere præcepta, quibus illa conservetur, & augeatur. SED DEUS INCREMENTUM DEDIT; id est, interius dedit vitam, & vigorem gratiæ ad crescendum, & adolescendum in fide, virtute, & Christianismo; hoc enim solius est Dei.

V. 7. NEQUE QUI PLANTAT EST ALIQUID, &c. quia licet foris suum exhibeant ministerium, non tamen actione sua interiorem attingunt effectum, vel vegetationis in naturalibus, vel sanctificationis in divinis, sed illam quidem efficit natura Deo auctore; hanc vero sibi soli Deus reservat.

V. 8. QUI AUTEM PLANTAT, ET QUI RIGAT UNUM SUNT; id est, ambo non aliud sunt quam ministri unius, & eiusdem Domini.

V. 9. ADIUTORES, id est cooperatores. DEI ENIM AGRICULTURA ESTIS; quasi dicat, Primarius istius agricultor est Deus, semen est gratia, fructus sunt bona opera, Deus colit interius per spiritum, Paulus, & Apollo iuvant exterius per vocem. DEI AEDIFICATIO ESTIS: Deus primarius architectus, Paulus vero, & Apollo illi subserviunt.

V. 10. SECUNDUM GRATIAM DEI, &c. quasi dicat: Non mea est fabrica Ecclesiæ Corinthiacæ, licet enim ego quasi architectus prima illius fundamenta evangelizando iecerim, tamen quicquid ego in ea feci, non meis, sed gratiæ Dei viribus effeci, itaque Ecclesiæ vestræ fabrica non mihi, sed gratiæ Dei tribuenda est. ALIUS AUTEM SUPERAEDIFICAT: quicumque post meum discessum ad vos venerunt, ut vos in Christiana fide, & doctrina erudirent, ii, quia fidei non adversantur, sed sua addunt ad ea, quæ a me dicta sunt, superædificant. UNUSQUISQUE VIDEAT QUOMODO SUPERAEDIFICET, id est qualem doctrinam superaddat, ne forte ex sæculari philosophia, qua videntur instructi admisceant aliqua dissentanea veritati, & simplicitati Christianæ.

V. 11. FUNDAMENTUM ENIM, &c. quasi dicat: Nam fundamentum quidem aliud ponere nemo potest, præter id quod iactum est a nobis, quod nihil aliud est, quam Iesus Christus, cuius vobis fidem, & doctrinam mea prædicatione proposui.

V. 12. AURUM, ARGENTUM, LAPIDES PRETIOSOS: solidam scilicet doctrinam, & quæ merito habeatur in pretio, ut aurum, argentum, &c. LAPIDES PRETIOSOS: marmoreos, porphyreticos, & huiusmodi, non autem gemmas, adamantes, &c. LIGNA, FOENUM, STIPULAS: doctrinam pravam, aut inanem, quæ ad pompam, & ostentationem referatur, non ad solidam audientium utilitatem.

V. 13. UNIUSCUIUSQUE OPUS MANIFESTUM ERIT: cuiusque opus tandem aliquando proferetur in lucem, & quale sit apparebit. DIES DOMINI, id est extremi iudicii. QUIA IN IGNE REVELABITUR: ipsa dies revelabitur quod sit Domini, id est per ignem conflagrationis mundi apparebit quod sit dies divinæ ultionis, & iudicii. ET UNIUSCUIUSQUE OPUS, &c. Sensus est, igne conflagrationis, quo Deus utetur tamquam iustitiæ suæ ministro, probanda, & purganda esse cuiusque opera, quod metonymice intelligendum est, quia nimirum ipse operans propter opera sua ardebit, & uretur.

V. 14. SI CUIUS OPUS MANSERIT, &c. si quis eiusmodi materiam solidam superædificaverit, quæ vim ignis toleret, & ab illo permaneat illæsa, is sui laboris, & industriæ fructum feret, & iustam a Deo boni operis mercedem.

V. 15. DETRIMENTUM PATIETUR: pœna mulctabitur operans, ita tamen ut salvus fiat per ignem illum purgatorium: si-

gni-

gnificat Apoſtolus hac ſimilitudine ardentium ſtipularum, &c. puniendos eſſe doctores, qui fidei Chriſti curioſa ſuperædificant. Docet ſalvos fore, ſed ſicut eos qui ex incenſa domo elabuntur, & ambuſti per ignem tranſeunt.

V. 16. NESCITIS, &c. Docet Chriſtianos templum Dei eſſe, quod proinde falſis doctrinis profanare nefas ſit. HABITAT IN VOBIS: per fidem, gratiam, caritatem, & dona ſua.

V. 17. DISPERDET: male perdet, æternis addicens ſuppliciis.

V. 18. NEMO SE SEDUCAT: ne quis ſe ipſum decipiat. SI QUIS VIDETUR INTER VOS SAPIENS ESSE, &c. ſapientia ſcilicet & eloquentia ſæculi huius Rhetorica, Philoſophica, mundana, terrena. STULTUS FIAT: ſalutari humilitatis, fidei, & crucis Chriſti ſtultitia. UT SIT SAPIENS: vere, & ſecundum Deum.

V. 19. SAPIENTIA ENIM HUIUS MUNDI STULTITIA EST APUD DEUM: quia nihil ſapit ſalutare, & divinum, ſed humi repit non ſe attollens ad negotium ſalutis. SCRIPTUM EST ENIM: Iob. v. 13. COMPREHENDAM SAPIENTES IN ASTUTIA EORUM; quaſi dicat: Eorum aſtutias deprehenſas evertam, & oſtendam ſtultam eſſe eorum ſolertiam. In Græco eſt, *Qui comprehendit*, ut etiam legitur loco cit. Iob.

V. 20. SCRIPTUM EST: Pſal. XCIII. II. COGITATIONES SAPIENTIUM: cogitationes, & conſilia hominum, qui ſibi ſapientes eſſe videntur. VANAE SUNT: & inutiles ad finem ſalutis conſequendum.

V. 22. NEMO GLORIFICETUR IN HOMINIBUS: eloquentibus, vel ſapientibus, verbi gratia, Apollo, Paulo, &c.

V. 22. OMNIA ENIM VESTRA SUNT; quaſi dicat: Noli tu in Paulo, ille in Apollo gloriari, quia tam Paulus, quam Apollo, & alii omnes homines, immo omnes creaturæ cuivis veſtrum communes ſunt, vobiſque communiter ad ſalutem veſtram procurandam ſubſerviunt.

V. 23. VOS AUTEM CHRISTI: cuius membra eſtis, & poſſeſſio; quaſi dicat, Ergo in Chriſto gloriandum, non in Paulo, aut Apollo. CHRISTUS AUTEM DEI; ſcilicet eſt. Chriſtus enim, qua homo, Dei eſt, quaſi Domini, & capitis ſui creatura, & poſſeſſio. Ita S. Thomas, & Caietan.

TIRINI.

Verſ. 1. & 2. NON POTUI hucuſque VOBIS QUASI SPIRITUALIBUS, id eſt ſpiritum Dei, ſeu ſenſum Chriſti, plene ſequentibus LOQUI & occultiora fidei myſteria de quibus ſupra *a* enucleare, (quæ mox *eſcam*, id eſt ſolidum cibum, vocat:) SED TAMQUAM adhuc PARVULIS IN CHRISTO, & CARNALIBUS, id eſt adhuc rudibus in ſchola Chriſti, & carnis ſenſum ſequentibus, LAC DEDI, id eſt faciliorem & ſuaviorem doctrinam inſtillavi, v. g. de nativitate, baptiſmo, morte, reſurrectione Chriſti, de redemptione & ſalvatione mundi;, de gratia iuſtificante, de gloria beatificante, & ſimilia quæ catechumenis & recens converſis proponi ſolent: ita S. Ambroſ. Theophyl. Anſelm. & S. Thomas.

V. 5. UNICUIQUE, ſupple, proprium eſt miniſterium tale ac tantum, quale & quantum DOMINUS cuique DEDIT; quaſi dicat: Ergo non in miniſtris Dei (ut vos facitis,) ſed in ipſo ſolo Deo vobis gloriandum, inquit S. Ambr. Theophyl. Anſelmus.

V. 6. EGO PLANTAVI; id eſt, ego Corinthi prima fidei ſemina ieci: APOLLO dein ſuperveniens RIGAVIT, id eſt plura externa adminicula adhibuit, qua docendo, qua monendo, quibus ſementem provexit: SED DEUS INCREMENTUM DEDIT, id eſt vitam & vigorem gratiæ, interius illuminando & inſpirando, vobis indidit, ut fidei & virtutum iacta & rigata ſemina optatos fructus proferrent: ita iidem Patres.

V. 7. ITAQUE NEQUE QUI PLANTAT EST ALIQUID, NEQUE QUI RIGAT, id eſt qui exterius docet & inſtruit alios, parum admmodum *b* confert præ Deo, quia externo ſuo miniſterio non attingit interiorem effectum, ſeu vegetationis in corporalibus, ſeu ſanctificationis in ſpiritualibus: ſed hanc omnem efficit Deus, cui propterea etiam laus omnis adſcribenda.

V. 8. QUI AUTEM PLANTAT, ET QUI RIGAT, UNUM SUNT: nempe officio miniſtrandi; id eſt, æque omnes ſunt miniſtri, & quidem unius & eiuſdem Domini, & in eodem opere; quaſi dicat: Ergo Paulus præ Apollo nec contemnendus, nec extollendus.

V. 9.

V. 9. DEI AEDIFICATIO, seu ædificium, ESTIS. Infra *e* dicit *Templus Dei estis*. Quod enim hactenus docuit metaphora sementis & agricolæ, deinceps confirmat metaphora architecti & ædificii, cuius

V. 11. FUNDAMENTUM primarium EST CHRISTUS, id est fides in Christum salvatorem, inquit S. Augustinus, Gregor. *d*. Ansel. Potest autem accipi de fundamento vel totius ædificii Ecclesiastici, vel cuiusque animæ fidelis in particulari. Sed hoc est *fundamentum fundamentorum*, inquit S. Augustinus; nempe quod per se, seu seipso subsistit, & omnia sustinet. Cui non repugnat, superimponi alia secundaria *fundamenta Prophetarum & Apostolorum e*, quæ ut a primario fundamento sustentantur: ita reliqua superimposita ipsi quoque sustentant.

V. 12. SI QUIS Christianorum, & præsertim Doctorum, seu præconum Evangelii (de his enim egit hactenus:) *huic* fidei *fundamento* SUPERAEDIFICAT AURUM, ARGENTUM, LAPIDES marmoreos, porphyreticos, aut alios PRETIOSOS, id est doctrinam solidam, proficuam, sanctam, (ut Ambrosius & Anselmus;) vel opera sancta & perfecta, (ut Theodoret. Theophyl. & S. Thomas exponunt;) hic *mercedem accipiet*. E contrario, *detrimentum patietur* qui superædificaverit *ligna*, *fœnum*, *stipulam*, id est doctrinam minus utilem, nimis curiosam, phaleratam, pompofam: vel opera peccatis, non mortalibus, (talis enim non *erit salvus*:) sed venialibus infecta, ut S. Augustinus *f* & alii prædicti Patres exponunt. Nec est quod quis speret, ignoratum iri, quale quisque, seu opus, seu doctrinam superædificaverit:

V. 13. DIES ENIM DOMINI DECLARABIT OPUS UNIUSCUIUSQUE; Græc. ἡ ἡμέρα, id est illa dies Domino propria, scilicet dies iudicii (ut omnes Patres & Doctores exponunt,) nempe & particularis iudicii in morte cuiusque (ut Caietanus) & universalis iudicii in fine mundi (ut Theodoret, Theophil. Anselmus:) nam idem utriusque diei iudicium, eadem utriusque erit sententia. Nec *declarabit* tantum hæc dies opus cuiusque; sed & PROBABIT *per ignem*. QUIA dies hæc IN, seu cum, IGNE REVELABITUR quasi cum lictore divinæ iustitiæ. Hæretici, ut ignem Purgatorii excutiant, fingunt metaphoricum esse hunc ignem, nempe tribulationis vel confusionis in hac vita, vel in morte. Sed hoc falsum esse experientia docet: sæpe enim qui peccant, prosperantur in vita, & subita morte defunguntur. Deinde Apostolus expresse loquitur de probatione quæ fiet in *die Domini*, & in die quæ *revelabitur*, id est in die iudicii (ut supra dixi; omnes Patres & Doctores conformiter sacris Scripturis exponere:) hæc vero probatio hæreticorum fit in hac vita, quæ vocatur *nostra dies*, & iam revelatur & de facto existit. Denique dicit, ea die arsura horum mala ædificia, qua alii pro bonis suis ædificiis mercedem accipient; quæ omnium, etiam hæreticorum confessione est dies iudicii. Ergo *ignem* hic proprie dictum accipit, verum & materialem: partim Purgatoris, in iudicio particulari cuiusque, ut exponunt Theodoretus, Anselmus. S. Thomas, & Concil. Florentinum; partim conflagrationis *g* in fine mundi & iudicio universali, ut S. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius & alii a Bellarmino *h* citati. Porro non intelligi hic ignem inferni, certum est ex vers. 14 ubi dicitur auctorem arsuri operis *salvum* fore, etsi *per ignem*. Nam vocula *quasi*, quæ præmittitur, more Scripturis usitato *i*, nota est non nudæ similitudinis, sed veritatis; quasi dicat: Salvabitur, quia est in statu gratiæ: sed commaculatus & involutus adhuc quibusdam sordibus levium peccatorum, expiabitur purgante igne, ex quo tandem erumpet, sed sicut qui ex medio rogo ambustis vestibus & afflata cute erumpit.

V. 16. TEMPLUM DEI, & amœnissimum optatissimumque illi palatium ESTIS, vos, *habitante* IN VOBIS *Spiritu* DEI sancto, non solum per gratiam, fidem, spem caritatem, aliaque dona sua, sed etiam per seipsum, ut alias exposui.

V. 17. SI QUIS hoc TEMPLUM DEI, seu pravis doctrinis seu malis exemplis, seu sordidis moribus VIOLAVERIT aut profanarit, DEUS ILLUM DISPERDET, id est male perdet.

V. 18. SI QUIS VIDETUR SAPIENS ESSE, & reliquis sapientia præcellere velle, STULTUS FIAT coram mundo, scilicet amplexando fidem, humilitatem, crucem Christi, quæ iudicio mundi stultitia est, sed iudicio Dei vera & sola est sapientia.

V. 21.

V. 21. Nemo itaque glorietur in Paulo, Cepha, Apollo, vel aliis hominibus, ut de illis contentiose decertet: quia tam illi, quam alia

V. 22. Omnia vestra sunt: quia omnes creaturæ vobis famulantur & deserviunt ad salutem vestram procurandam: in servis autem vestris non est quod gloriemini. Hus & VVicleff hinc inferebant, solos & omnes iustos esse proprie dominos totius orbis. Sed quomodo dici possunt proprie esse domini vitæ, mortis, futurorum, &c. Non ergo hic agitur de proprie dicto dominio, sed de usu, seu iure utendi: quia scilicet omnia nobis in ministerium & auxilium procurandæ salutis deputata & donata sunt, ut iis utamur, partim realiter (v. g. ad victum, amictum, &c. si quæ nobis propria habeamus:) partim mentaliter, ex omnibus creaturis agnoscendo, & laudando creatorem, inquit S. Ambrosius, Chrysost. Theodoret. k & Anselmus.

V. 23. Vos autem non estis vicissim servi creaturarum, sed solius Christi, cuius membra, peculium & possessio estis, sanguine ipsius coempta. Unde & in solo Christo, capite & Domino vestro, non vero in hominibus aut aliis creaturis, servis vestris, gloriandum est vobis. Sicut Christus, quia solius Dei, secundum divinitatem filius, secundum humanitatem, etiam servus & possessio est; ideo in solo Deo gloriatur, creaturis vero omnibus ut servis suis utitur & dominatur: ita S. Chrysost. S. Thom. Caieta. a Lapide & alii. Dominium ergo & servitus hic non eodem modo, sed analogice tribuuntur creaturis, Christo & Deo: nam ut bene notat S. Chrysost. l *Alia ratione nos sumus Christi, alia ratione Christus est Dei, alia mundus est noster. Nos enim Christi sumus, ut opus eius: Christus autem Dei, ut filius charissimus: noster vero mundus est, quia propter nos factus est.* Nostra est *vita*, ut ea utamur, & in ea merita colligamus: nostra est *mors*, ut per eam transeamus in vitam æternam: nostra sunt *præsentia*, prospera, adversa, ut per illa maiorem nobis coronam paremus: nostra *futura*, ut illis fruamur. Creaturæ igitur usu nostræ sunt: nos vero *Christi* sumus pleno & absoluto dominio: *Christus autem Dei* est quoad humanitatem, absoluto dominio, quoad divinitatem, iure paterno.

(a) Cap. præced. vers. 6.
(b) Proleg. de Idiotismis Heb. n. 6.
(c) Hic vers. 16.
(d) August. in Psal. lxxvi. vers. 1. Greg. Lib. VIII. epist. lvii.
(e) Ephes. ii. 20. & Apocal. xxi. 19.
(f) August. de Fide & operib. cap. xvi.
(g) Psal. xcvi. 3. & Ioel ii. 3. & II. Thessalonic. i. 8. & II. Petr. iii. 12.
(h) Bellarm. Lib. I. de purgat. cap. iv.
(i) Ioan. i. 14
(K) Theodor. Lib. X. de Providentia.
(l) Chrysost. hic in morali hom. x.

G O R D O N I.

Vers. 1. &c. Et ego. Non est quod quispiam vestrum miretur me apud vos non miscuisse profundiora Dei mysteria, quando ut video, inquit, carnales adhuc estis, & parvuli nondum apti ad solidum cibum; secundum humanam sapientiam, carnalem zelum, & studium partium ambulatis. Hinc vers. 6. interrogat quid sunt ministri? Christus est qui dat omnia. In hac agricultura quæ estis vos, Deus præcipuus est agricultor: alii vero tantum cooperatores. Recte hic Paulus inter opera carnis recenset perversum zelum & contentiones, ut sane vitia mentis sunt ex concupiscentia carnali. Non haereo ut explicem quid vocatione & iustificatione conferat Deus, quid ministri sacramenti, quidve concionator; qui motus animorum interveniant, & qualis Dei gratia. Alius est de hac re disputandi locus. Hoc tantum ad rem spectat, ut, sunt hi ministri a Deo missi & cooperatores; ita debent communi caritate ab omnibus recipi.

V. 10. Secundum gratiam Dei. Non vult Paulus hoc fundamentum, quod iecit esse suum: nam positum ait secundum gratiam Dei. Est Dei agricultura ex vers. 9. totum est gratiæ quod effecit Paulus, & quod effectum est in Corinthiis. Docent ista necessitatem gratiæ contra Pelagianos. Hinc incipit digredi Paulus aliquantulum a Corinthiis ad eorum doctores Apollo & alios.

V. 11 Fundamentum aliud. Fundamentum Ecclesiæ positum est Christus Iesus, seu fides in Christum Iesum salvatorem nostrum, & maxime fides quæ per caritatem viva nominatur. Lege Greg. Lib. VII.

VII. epist. XLVII. Est hoc fundamentum fundamentorum ex August. Psal. LXXXVI. vers. 1. Sustinetque Petrum quævis alia fundamenta, qualia ut minus præcipua vocantur Apostoli Psalmo iam citato, & Apocal. XXI. 19.

V. 12. &c. SI QUIS AUTEM SUPERAEDIFICAVERIT; ac si diceret: Atque hoc quidem fundamentum est, quod nullus apud vos doctor dimovere potest. Si autem superædificare aliquid voluerit, recte quidem potest; sed videat quid superædificet; & an bene vel male, an bonam vel malam doctrinam: & ut est in Pauli metaphora, an aurum, argentum & lapides marmoreos, porphyreos, (bona doctrina est) vel ligna, fœnum & stipulas (mala aut ianis doctrina est) videat, inquit, ædificans: nam opera cuiusque (vers. 13.) apparebunt in luce: dies Domini & extremi iudicii revelabitur per ignem qui conflagratione probabit opera & ipsum operantem. Opus pro operante, metonymia est. Interim en Dei iustitiam omnia examinantem.

V. 14. SI CUIUS OPUS PERMANSERIT. In hoc rigoroso examine operum, si opus ignis vim ferens manserit illæsum, mercedem accipiet. En mercedem bene operantis, & proinde est meritum contra Novatores. Si vero opus detrimentum patietur, operans tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem; certe purgatorium, ut iam dicam. Video hic a plerisque notari concionatores, qui ad inania & curiosa dum docent populum; abducuntur: ceterum ex stipulis domum exstruit, e qua facile incensa semiustulatus evadit ædificator. Sed unde constat hunc locum intelligi de purgatorio? Respondeo constare ex verbis & contextu Pauli, ex Patribus & antiquo Ecclesiæ sensu, & ratione. Ubi enim transgressor ille luet pœnas post mortem? Sane non in inferno, quia salvabitur, inquit Paulus: in paradiso cælesti purgatorium nullum est, nec locus pœnarum. Porro hunc metaphoricum esse ignem non patiuntur verba Pauli: & vere purgatorium esse docent Ambrosius, Anselm. Theodor. S. Thomas, & Concilium Florentinum. Ceterum ut sentiunt Theologi, verius est hunc ignem, de quo loquitur hic Paulus, esse ipsum conflagrationis mundi ignem, quo & omnia ardebunt; & purgabuntur illi qui tunc reperientur vivi, extra statum peccati mortalis. In hunc enim purgationis ignem desinet ignis Purgatorii ordinarius. Sed quid tandem de his qui iamdiu mortui sunt ante hunc iudicii & conflagrationis diem? Certe ultimus erit hic purgationis ignis, & qui totius mundi opera nondum probata purgabit, ac proinde si quid in aliquo prius mortuo restat purgandum, hoc ignis, iste (in quem desinet purgatorius præcedens) explebit tamquam ultima mundi expiatio. Et talis quidem est supremi Iudicis, & Christi secundus adventus, quem toties denunciat mortalibus Scriptura: talis etiam in clangore tubarum lictor ignitus & vindex: quem terrorem sapienter Paulus Corinthiorum concionatoribus exhibet in hac modica digressione, ne vel positum ædificii fundamentum mutarent, vel superædificarent paleas, quæ facile deflagrant.

V. 5. IPSE AUTEM SALVUS ERIT. Male hic aliqui vertunt *ipsum*. Est quidem fundamentum in Græco θεμέλιος, quo posset referri αὐτός, tamen in sensu Pauli refert operantem; & recte noster, *ipse*, sicut ille etiam est qui mercedem accipiet. At quid illud est, QUASI, si verus ignis est? Sensus est (si accipiatur ut nota similitudinis) salvabitur per ignem, sicut ille qui deflagrante domo evadit semiustulatus, quamvis interdum vox *quasi*, sit etiam nota veritatis, ut Ioan. 1. *quasi unigeniti a Patre*, quod ibidem observatum est.

V. 16. NESCITIS QUIA TEMPLUM DEI ESTIS. Regreditur Apostolus ad Corinthios, quasi hactenus de architecto & structoribus, nunc dicturus sit de ipso ædificio & templo Dei, quod sunt Corinthii. Vos, inquit, templum Dei estis effecti per fidem & gratiam quam accepistis. Habitat & sane Deus in iustis speciali modo, ut alibi est declaratum: quamvis alioqui per immensitatem sit ubique.

V. 17. &c. Concludit non esse violandum hoc templum. Nam male perdet Deus violatores, & præsertim inaniter sapientes ad fastum propensos. Longe potior, inquit, est stultitia in Christo, in humilitate fidei & crucis.

V. 19. & 20. Ut vana est, ita peribit sa-

sapientia huius mundi. Ad hoc citatur locus Iob v. 13. vana est mundana cogitatio, & quæ ibi latet astutia evertetur, ut refert ex Psalm. xciii. 11. Denique ea est, quam ut suspectam longe a se repulit divina sapientia in maximo opere redemptionis humani generis.

V. 22. OMNIA ENIM VESTRA SUNT; quasi diceret: Sicut Christus, qua homo, est Dei: ita vos Christi estis. Ergo Christum quærite, & nolite gloriari in hominibus: omnia enim vestra sunt, tam homines quam aliæ creaturæ: hoc est communiter ad vestram salutem inserviunt.

CAPUT IV.

Non temere iudicandum est de Dei ministris: reprehenduntur Corinthii qui de ministris & acceptis donis gloriabantur, ac si illa a se haberent, & se extollentes contemnebant etiam Apostolos, quamquam Paulus illos in Christo genuerat: dicit se brevi venturum Corinthum, quo Pseudoapostolos redarguat.

1. SIc (*a*) nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensato-
res mysteriorum Dei. 2. Hic iam quæritur inter dispensa-
tores, ut fidelis quis inveniatur. 3. Mihi autem pro mi-
nimo est ut a vobis iudicer, aut ab humano die: sed ne-
que meipsum iudico. 4. Nihil enim mihi conscius sum: sed
non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Do-
minus est. 5. Itaque nolite ante tempus iudicare, quo-
adusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita te-
nebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique a
Deo. 6. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos: ut
in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur
pro alio. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?
Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 8. Iam saturati estis,
iam divites facti estis: sine nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vo-
biscum regnemus. 9. Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos osten-
dit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & An-
gelis, & hominibus. 10. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in
Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. 11.
Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis
cædimur, & instabiles sumus, 12. & (*b*) laboramus operantes manibus no-
stris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus:
13. blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti
sumus, omnium peripsema usque adhuc. 14. Non ut confundam vos, hæc
scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. 15. Nam si decem millia pæ-
dagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu
per Evangelium ego vos genui. 16. Rogo ergo vos, * imitatores mei estote,
sicut & ego Christi. 17. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus
charissimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ
sunt in Christo Iesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo. 18. Tamquam non
venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. 19. Veniam autem ad vos cito,
si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed
virtutem. 20. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 21.

Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

(a) II. Cor. vi. 4. (b) Act. xx. 34. I. Thess. ii. 9. II. Thess. iii. 8.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 16. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Non auferas e textu hæc: *sicut & ego Christi*.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Vers. 1. SIC NOS EXISTIMET; id est, nolite nos existimare tamquam salutis vestræ auctores, sed Christi tantum salvantis ministros.

V. 3. MIHI PRO MINIMO EST UT A VOBIS IUDICER, Græce ἀνακριθῶ, quod mihi hoc loco sumi videtur pro δοκιμάζεσθαι, id est commendari & approbari, ἀπὸ τοῦ δοκιμοῦ, quod probum significat. Certe eo modo sumere videtur quidem Georgius Græcus, ἀνακρίνοντος γὰρ ἦν τὸ λέγειν, ὅ τι κρείττων ἐστὶν ὁ παῦλος, κηφᾶ, ἢ ἀπολλῶ ἢ ἄλλου: τὸ λέγειν πολλῷ διαφέρει τοῦ παύλου ὁ κηφᾶς. Erant enim Corinthi, qui de unoquoque iudicium ferrent, alterum alteri præferentes: eorum ergo, inquit, qui diiudicabant, alius quidem Paulum, Cepha & Apollo, alius autem Paulo longe excellentiorem Petrum dicebat: quorum omnium testimonia & commendationes nihili faciens Paulus inquit, *mihi pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die*, id est hominum favore. Quum enim dies pro prosperitate, sicut nox pro adversitate sumatur; dies humanus dicitur approbatio, favor, & commendatio hominum. Sic Hier. xvii. cap. protestatur domino se, quum prædicando argueretur a multis non expectasse ut illis placeret, neque favorem illorum & commendationem quæsisse: *Tu es*, inquit, *laus mea, & diem hominis non desideravi, tu scis*. Sunt qui hoc loco ἀνακρίνεσθαι sumant pro iudicari & condemnari: & humanum diem pro iudicio humano: sicut diem domini, pro domini iudicio, ut sit sensus: Quoniam erant pseudo apostoli qui Pauli nomen elevabant ut suum magnifacerent. *Mihi*, inquit, *pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die*, id est nihil moror vestrum, aut cuiusvis hominis de me iudicium; bonaque enim meipsum iudico: neque enim cor meum arguit aut condemnat me: certe Photius interpretatur, nihil mea refert, sive a vobis iudicer, quod quidem mihi in commodum cedet; sive ab humano die, id est sive a quovis alio: inquit enim, ἀλλ᾽ οὐδὲ παρ᾽ ἄλλου, τοῦ δηλοῖ τὸ ἀλλ᾽ οὐδὲ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας, id est sed neque ab alio: id enim significat quum ait, sed neque ab humano die.

V. 4. NIHIL ENIM MIHI, &c. id est nullius mihi culpæ CONSCIUS, SED NON IN HOC IUSTIFICATUS SUM: fieri enim potest, inquit quidam Græcus, cuius hæc verba vertimus, ut nullius mihi culpæ sim conscius, aliqua tamen peccata lateant: ergo cum iustificatum esse, & esse in gratia idem sint, miror quorundam errorem alioquin non imperitorum, qui dicant peccatum esse, si quis ambigat se iustificatum esse & in gratia, cum Paulus nullius sibi criminis conscius id sibi polliceri non audeat.

V. 5. IUDICARE, id est vel condemnare quemquam, vel sententiam de eo ferre, sive in malum, sive impensius in bonum.

V. 6. TRANSFIGURAVI; id est, cum viderem inter vos contentiones esse de doctorum vestrorum prælatione, sub meo & Apollo nomine, illorum pseudo-apostolorum vestrorum, ac vestram gloriationem extinguere volui: meo autem & Apollo nomine usus sum propter vos, ne si vestros nominatim doctores, unde gloriamini, nominarem, maiorem vobis præberem dissensionum causam.

V. 7.

V. 7. QUIS TE DISCERNIT? τίς σε διακρίνει, id est quis te præstantiorem fecit? Sic enim interpretantur Græca scholia, τίς σε μέρους ἐχειροτόνησεν; id est, quis te vel in parte elegit, nimirum præ aliis.

V. 8. IAM SATURATI ESTIS, id est iam oppleti estis, & in omni divino munere opulenti facti. Est autem legendus locus vel ironice, vel interrogative; ut sequens locus: SINE NOBIS REGNATIS. Græc. legunt, ἐβασιλεύσατε, id est *regnatis*: regnare autem sumit pro eo quod est, in omni divino bono excellere.

V. 9. PUTO, id est existimo enim, tanta est vestra gloriatio & superbia, nos nullo numero haberi a vobis, quinimmo novissimo aut abiectissimo sontiumque, & damnatorum esse loco Hoc enim significat, τὸ ἐπιθανατίους; vel, puto quod existimatis nos a Deo abiectos, quia nos tamquam morti destinatos ostendit, id est fecit, QUIA SPECTACULUM FACTI SUMUS MUNDO, ANGELIS ET HOMINIBUS, id est, ideo quod quotidie veluti ad bestias theatro damnati circum agimur ad mortem, atque ita mundi spectaculum & fabula efficimur.

V. 10. NOS STULTI: quia scilicet Christum prædicamus gentilibus stultitiam. Sunt autem hæc verba indignantis & εἰρωνικῶς loquentis.

V. 11. INSTABILES. Gr. ἀστατοῦμεν, certam sedem non habemus, undique a malevolis profligati.

V. 13. TAMQUAM PURGAMENTA. Gr. καθάρματα, Ambr. recte vertit *lustramenta*: nos piaculum dicere possumus. Significat autem καθάρματα, idem quod ἀναθέματα, scelestos scilicet & exitiales homines qui publicæ calamitatis sedandæ gratia nonnullis gentilibus mactabantur: ad quod alludens Paulus: tanquam catharmata, inquit, & purgamenta sive lustramenta facti sumus mundo, dum offensum Deum mundo nostra internecione placari existimant infideles: quinimmo; OMNIUM PERIPSEMA FACTI SUMUS USQUE ADHUC, id est usque in præsentem diem: περίψημα autem ἀπὸ τοῦ περιψᾶν, quod significat radere, abstergere, & limare, significat scobem, ramentum, pulverem qui e vestigiis pedum maculatis relinquitur, & quicquid limando deteritur, ac denique rem vilem, & quicquid omnium pene pedibus conculcatur. Paulus μεταφορικῶς usus est pro homine abiectissimo,

V. 19. COGNOSCAM, id est approbabo.

S A.

Vers. 1. HOMO, id est quisque. MYSTERIORUM, id est arcanorum.

V. 2. QUAERITUR, id est requiritur. INTER DISPENSATORES. Græc. *in dispensatoribus* FIDELIS, id est in dispensando.

V. 3. DIE, id est iudicio, scilicet iudicium est velut lumen.

V. 4. NIHIL, scilicet mali. IN HOC, id est propterea. IUSTIFICATUS, id est culpa carens.

V. 5. ILLUMINABIT, id est manifestabit. TENEBRARUM; pro, tenebris. UNICUIQUE, scilicet iusto.

V. 6. HAEC, scilicet quæ supra dixi. TRANSFIGURAVI, id est transtuli, scilicet quod de aliis dicebatur, retuli quasi de nobis diceretur, ne quemquam offenderem. NOBIS, id est persona nostra. SCRIPTUM, scilicet supra, ubi id reprehendit. UNUS. Græc. *sapiatis*, & *unus*. PRO ALIO. Syr. *propter aliquem*, scilicet qui se docuit, aut baptizavit, quasi ille excellentior sit ceteris.

V. 7. DISCERNIT, id est facit excellere, velut ab aliis discretum. Græc. *diiudicat*, scilicet iudicio suo secernendo ab aliis, ut digniorem. ACCEPISTI, scilicet a Deo

V. 8. SATURATI, id est pleni bonis; quasi dicat: Ita vos geritis, quasi nihil iam desit. Modesta reprehensio. REGNATIS, id est videmini vobis regnum adepti. REGNETIS, scilicet vere. REGNEMUS; quasi dicat Nam & mihi id fuerit pro regno, qui vestra bona mea duco.

V. 9. PUTO ENIM, &c. quasi dicat, Ego quidem de me ita sentio. NOVISSIMOS, id est postremos, seu abiectos hominum iudicio. OSTENDIT, id est exhibuit. SPECTACULUM. Græc. θέατρον. ET ANGELIS; pro, id est Angelis.

V. 10. IN CHRISTO, id est per Christum. NOBILES, id est clari. IGNOBILES, id est obscuri.

V. 11. INSTABILES, id est non habentes certam sedem.

V. 12. BENEDICIMUS, id est bene precamur maledicentibus.

V. 13. BLASPHEMAMUR, id est conviiiis affiicimur. OBSECRAMUS, id est blande agimus cum talibus. PURGAMENTA, id est fæces. PERIPSEMA, id est pannus sordes tergens: vulgo *straccio* Italice; quasi dicat, Vilissimum quiddam. Quidam *reiectamentum* vertunt: Hieron. epist. XXII. *purgamentum*.

V. 14 CONFUNDAM, id est rubore suffundam.

V. 15. IN CHRISTO, id est re Christiana.

V. 17. DOMINO, id est Domini negotio. COMMONEFACIET, id est docebit, seu in mentem reducet. CHRISTO, id est Christi negotio, scilicet promovendo.

V. 19. COGNOSCAM, id est explorabo. VIRTUTEM, id est efficaciam; quasi dicat, Quid possint.

V. 20. VIRTUTE, id est vi quæ in operibus demonstratur.

V. 21. IN VIRGA, id est cum castigatione, seu severitate.

MARIANAE.

Vers. 1. SIC NOS EXISTIMET HOMO, id est quisque non putet nos esse salutis auctores, sed ministros. ET DISPENSATORES MYSTERIORUM, id est Sacramentorum, aut arcanorum fidei.

V. 2. HIC IAM QUAERITUR; quasi dicat: Reliquum est, ut dispensator & minister sit fidelis. Quod ad me spectat, iudicia hominum non curo.

V 3. PRO MINIMO EST, nihil refert. UT A VOBIS IUDICER, AUT AB HUMANO DIE. *Dies Domini* & *humanus dies* opponuntur. Et perinde est *iudicari ab humano die*, quod *ab homine*. Sic Syr. aut a quovis homine ἀνακριθῶ, *inquirar*, *examiner* proprie. Sed fere Expositores pro *condemnare*. Quidam etiam pro *approbare*; quasi dicat: Nil curo hominum de me laudes.

V. 4. NIHIL ENIM MIHI CONSCIUS SUM. Fieri potest, ut peccata lateant. Quod si Paulus nullius sibi culpæ conscius, de sua gratia non est certus, quid quidam id sibi arrogant?

V. 5. ANTE TEMPUS IUDICARE nolite, id est condemnare quemquam, vel probare. Nam sequitur: *Tunc erit laus unicuique a Deo*.

V. 6. HAEC AUTEM, FRATRES, TRANSFIGURAVI. Nolui vestros Doctores, de quibus diffidetis, nominare; sed in me & Apollo exemplum posui, ut monerem, ne quis de Doctore suo glorietur.

V. 7. QUIS ENIM TE DISCERNIT? id est præstantiorem aliis facit? Doctor quisque quid præ aliis habet?

V. 8. SINE NOBIS REGNATIS, id est dona cælestia habetis. Ironice.

V. 9. APOSTOLOS NOVISSIMOS ostendit nos Deus. Hoc spectat ad calumniam quorumdam, qui Paulum contemnebant, quasi post Apostolos venisset, nec vidisset Dominum. MORTI DESTINATOS, id est ad mortem damnatos, Solebant hominem seligere quem mactarent, eiusque sanguine gentem expiarent. Hunc circumferebant: ideo ait, SPECTACULUM FACTI SUMUS.

V. 11. INSTABILES SUMUS, id est vagi, sine lare. Syr. *nec domum stabilem habemus*.

V. 13. TAMQUAM PURGAMENTA. Ambrof. *lustramenta*, nos sumus quasi piacula. Alludit ad illum morem expiandi gentem unius morte. PERIPSEMA. Hæc vox proprie significat sordes quæ aliquid radendo auferuntur. Sed hoc loco præterea *piaculum* significat. Solebant ideo mactare hominem diis, quem ἀνάθεμα vocabant, de quo Rom. cap. IX. 2. Solebant etiam in honorem Neptuni hominem mergere in mare, qui *peripsema* vocabatur, quasi cum eo sordes gentis aut urbis mergerentur. Referunt id Suidas & Nic. Leonicus de Varia Hist. Lib. III. cap. ult. Hoc Syr. indicavit cum vertit: *Stercus mundi facti sumus & piaculum omnium*.

V. 15. PER EVANGELIUM EGO VOS GENUI. Plato in Symposio: *Omnibus est immixtum desiderium generandi sibi simile, viro bono generandi bonum. Sed oportet sit perfectus in virtute, ut habeat semen*, id est verbum efficax. Inde *filii prophetarum* Clem. Strom. V. Addit Basil. Homil. XV. deteriores a peccato nominari, bonos a virtutibus, ut *filii perditionis*, *filii sapientiæ*.

V. 18. TAMQUAM NON VENTURUS SIM. Loquitur contra pseudoapostolos qui alebant ea dissidia, & venturum Paulum negabant ad ea componenda. Veniam tamen

V. 19. UT COGNOSCAM, id est probabo, non sermonem, SED VIRTUTEM, poten-

tentiam, id est dona, quæ a Deo habent, aut habere se iactant.

V. 20: REGNUM DEI, id est dona & virtutes, per quas Deus in nobis regnat, non in verbis consistunt.

V. 21. QUID VULTIS? IN VIRGA VENIAM. Rector contra malos se erigit qui in belluas degenerant, in quas solas datur homini potestas. Genes. IX. *Terror vester sit super cuncta animantia terræ*. Ceteris qui homines sunt se æqualem putat: II. ad Corinth. I. *Non quia dominamur fidei vestræ*. Sic Greg. in Pastorali Lib. II cap. VI.

MENOCHII.

Vers. 1. HOMO, id est unusquisque, est Hebraismus. DISPENSATORES MYSTERIORUM DEI, id est mysticæ, arcanæ, & divinæ doctrinæ, atque sacramentorum Christi.

V. 2. HIC IAM QUAERITUR, &c. quasi dicat: Quod superest illud in primis providendum est, ut quibus hæc tam gravis administratio demandata est, nemo eorum suo muneri desit, sed, ut par est, Deo primum, tum muneri sibi credito, fidum se quisque exhibeat.

V. 3. MIHI AUTEM, &c. quasi dicat: Ego vero, si de me loquendum sit, non moror hominum iudicia, nec illa metuo. AB HUMANO DIE, id est ab humano iudicio, quo modo dies Domini pro iudicio Dei frequenter accipitur: sic reis dicitur dies, cum citantur ut sistant se iudicio. SED NEQUE ME IPSUM IUDICO. Græce ἀνακρίνω, diiudico; quasi dicat: Non possum certo iudicare mea opera, intentionem, conscientiam. Itaque nec vestrum iudicium timeo, nec vobis succenseo, si me iudicatis, quia licet mihi nihil sim conscius; tamen in me iudicando falli possum.

V. 4. SED NON IN HOC IUSTIFICATUS SUM: fieri enim potest, ut Deus in me culpam aliquam videat, quam ego non agnosco. QUI AUTEM ME IUDICAT DOMINUS EST: quo circa illi uni æquissimo iudici me iudicandum permitto.

V. 5. ANTE TEMPUS IUDICARE: quamdiu enim non habetur certa rei iudicandæ notitia, nondum est tempus iudicandi. QUOUSQUE VENIAT DOMINUS: Christus omnium iudex. QUI ILLUMINABIT ABSCONDITA TENEBRARUM, id est tenebrosas, & obscuras, & occultas hominum cogitationes, & actiones. CONSILIA CORDIUM; scilicet quo fine, & intentione quisque fecerit opera sua etiam in speciem bona. Vel simpliciter, latentes cogitationes animorum. TUNC LAUS ERIT UNICUIQUE A DEO: si bene egerit, ut e contra dedecus, & pœna, si male se gesserit.

V. 6. HAEC AUTEM: quæ dixi contra inanem distinctionem, & iactantiam, & gloriationem magistrorum, & de non curanda laude, & iudicio humano. TRANSFIGURAVI IN ME, ET APOLLO: de me dixi, & de Apollo, quasi nobis conveniret, quod de aliis dicebatur. In Græco est, μετεσχημάτισα, in figuram transtuli, typum, & exemplum eorum constitui in me, & Apollo. UT IN NOBIS DISCATIS: ut in proposito exemplo mei, & Apollo, discatis vos quid facere debeatis. NE SUPRA QUAM SCRIPTUM EST: initio huius capitis, cum dixi nihil cuiquam nostrum plus tribuendum esse, quam Dei ministris debeatur. UNUS ADVERSUS ALTERUM INFLETUR; scilicet superbiat, & alteri se, aut magistrum suum præferre studeat. PRO ALIO: præceptore, aut prædicatore Evangelii.

V. 7. QUIS ENIM TE DISCERNIT? id est facit excellere, ita ut sis ab aliis diferetus, & super alios eminens; quasi dicat, Nullus, nisi tu qui inflaris. QUID AUTEM HABES, QUOD NON ACCEPISTI: ne forte superbus aliquis interrogatus, *Quis te discernit?* ex adverso respondeat, ego me discerno studio, labore, industria ab aliis, quibus præsto, secunda hac interrogatione pressius eum urget Apostolus dicens: *Quid autem habes, quod non accepisti?* scilicet ab alio, nec aliunde quam a Deo.

V. 8 IAM SATURATI ESTIS: est sermo ironicus quo doctores Corinthiorum irridet. Sensus est; ad satietatem usque repleti estis sapientia, & ceteris donis, ut quidem vos existimatis. IAM DIVITES FACTI ESTIS: idem significatur. SINE NOBIS REGNATIS: sine nostro auxilio omnibus Dei bonis excellere, & triumphare vos putatis. ET UTINAM REGNETIS; quasi dicat Regnum vobis non invidemus, sed optamus, modo vere regnetis, id est Corinthios

thios ad eorum salutem regatis, & dirigatis. UT ET NOS VOBISCUM REGNEMUS: participes facti tanti boni per caritatem. Vestrum enim bonum nostrum existimamus.

V. 9. PUTO ENIM QUOD DEUS, &c. quasi dicat: Utinam vos regnetis; nos enim adeo non regnamus, ut potius vilissimi, & abiectissimi censeamur. NOVISSIMOS, id est postremos, seu abiectos hominum iudicio. OSTENDIT, id est exhibuit. TAMQUAM MORTI DESTINATOS; quasi dicat: Deus destinavit nos non regno, & triumphis, sed morti, persecutioni, & martyrio. QUIA SPECTACULUM FACTI SUMUS, &c. id est, facti sumus ut damnati, qui in theatro morituri, vel cum bestiis pugnaturi ab omnibus spectantur. Loquitur Paulus de spectaculo, quo Apostoli velut homines damnati ludibriis spectantium videbantur expositi.

V. 10. NOS STULTI: vestro, & sæculi iudicio. PROPTER CHRISTUM: cuius Evangelii prædicandi causa tot pericula, & incommoda sponte subimus. PRUDENTES: vestro & sæculi iudicio. IN CHRISTO: cuius Evangelium prædicantes simul captatis laudem sapientiæ, & eloquentiæ. NOS INFIRMI: quia vestra sæculari eloquentia, sapientia, & amicitiis potentium, mala, quæ occurrunt facile avertitis. VOS NOBILES, id est clari, gloriosi. NOS AUTEM IGNOBILES: inglorii, obscuri, inhonorati.

V. 11. USQUE IN HANC HORAM: ab initio prædicationis nostræ, usque ad hoc tempus. INSTABILES SUMUS: ἀστατοῦμεν, certam sedem non habemus, incertis locis vagamur.

V. 12. OPERANTES MANIBUS NOSTRIS: ut in nobis victum quæramus, nec cuiquam graves simus. BENEDICIMUS: bene precamur. SUSTINEMUS: patienti, & æquo animo.

V. 13. BLASPHEMAMUR: conviciis afficimur, & fama nostra laceratur. ET OBSECRAMUS: humiliter, & demisse loquimur more obsecrantium. Vel Deum pro ipsis obsecramus. TAMQUAM PURGAMENTA HUIUS MUNDI: tamquam excrementa, fæces, sordes. OMNIUM PERIPSEMA: περίψημα, vox græca, quam retinuit interpres, eam aliqui putant significare abiectam scobem, ramenta, resque vilissimas, quæ abiiciuntur, nam περιψᾶν abstergere, limare, radere significat. Alii per peripsema intelligi putant vilem panniculum, vel strophiolum, quo sudor abstergitur. Budæus, ex Suida & aliis, ait, *purgamenta* (καθάρματα) erant homines sacri, quos quasi onustos totius civitatis sceleribus in mare proiiciebant, & Neptuno sacrificabant, addentes hæc verba: περίψημα ἡμῶν γενοῦ, *esto nostrum peripsema*, id est nostra piacularis victima. Tale piaculum fuit apud Hebræos caper emissarius, Levit. XVI. 21.

V. 14. CONFUNDAM: pudefaciam, ut vobis hæc exprobrem.

V. 15. SED NON MULTOS PATRES; quasi dicat, In iis quæ ad religionem Christianam spectant ego pater vester sum, reliqui tamquam nutritii, aut pædagogi.

V. 16. IMITATORES MEI ESTOTE: audenter hoc dicit conscius suæ integritatis.

V. 17. IDEO MISI AD VOS TIMOTHEUM; ut scilicet ex eo discatis vitæ meæ institutum, & conversationis rationem, quam imitemini. FIDELIS IN DOMINO; id est, fidelem mihi operam præstans in iis quæ ad Christum, & eius Evangelii propagationem spectant. QUI VOS COMMONEFACIET: ἀναμνήσει, *in memoriam vobis reducet*. VIAS MEAS: meam conversationem, prædicationem, pericula, labores, uno verbo, vitæ meæ institutum, quibus cognitis habeatis quod in me, ut filii in patre, imitemini. SICUT UBIQUE IN OMNI ECCLESIA DOCEO; id est, nihil peculiare vobis iniungo, sed illud exigo, quod passim ab aliis, ut scilicet exempla Apostolorum imitentur.

V. 18. TAMQUAM NON VENTURUS SIM, &c. id est, ceterum accepi quosdam adeo inter vos elatos esse, & insolescere, ac si numquam ad vos venturus essem.

V. 19. COGNOSCAM: observabo, & attente perspiciam. NON SERMONEM EORUM: non facundiam eorum, qui inflati sunt. SED VIRTUTEM: sed energiam, & spiritualem docendi facultatem, & agendi.

V. 20. NON ENIM IN SERMONE EST REGNUM DEI, id est virtus, energia Spiritus, & perfectio Christiana, & maxime Apostolica, qua Deus regnat Evangelii sui effi-

efficaciam in vobis oſtendens. SED IN VIRTUTE: in potenti operatione Spiritus ſancti, in efficacia ſermonis, poteſtate miraculorum, expulſione dæmonum, & potius in tolerantia adverſorum, vita Apoſtolica, morumque ſanctimonia.

V. 21. QUID VULTIS? utrum e duobus eligitis? IN VIRGA, id eſt ſeveritate correptionis, & poteſtate puniendi.

TIRINI.

Verſ. 1. SIC NOS HOMO; id eſt, unuſquiſque EXISTIMET quaſi MINISTROS quidem veſtros, ut dixi, ſed tamen quaſi *miniſtros* CHRISTI, eiuſque Apoſtolos ac legatos ab ipſo ad vos miſſos, non vacuis manibus, ut veſtra rapiamus, ſed cum plenis theſauris cæleſtium & ſpiritualium bonorum, ut vos ditemus: ſumus enim DISPENSATORES MYSTERIORUM DEI, id eſt myſticæ, arcanæ, divinæ doctrinæ, ſimul & Sacramentorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum ſpiritualium Eccleſiæ a Chriſto conceſſarum, v. g. diſpenſationis in legibus, in pœnitentiis, in iuramentis, in votis, &c. ut hinc docet Tridentinum. Abſoluta enim poteſtas diſpenſandi divinos theſauros, qualem Chriſtus conceſſit Eccleſiæ ſuæ, includit non ſolum poteſtatem diſtribuendi quæ ab hero donata ſunt, (ut vult Kemnitius) quod & minimo famulo domeſtico committi ſolet; ſed inſuper etiam poteſtatem donandi, condonandi, relaxandi debita, quando ad honorem domini, vel utilitatem familiæ ita expedire iudicaverit œconomus. Hoc enim requirit bonum regimen domus, quod œconomo committitur. Sed ſuppoſito, quod *diſpenſatores* ſimus tam ego quam Apollo;

V. 2. HIC IAM alia vobis ſuboritur diſputatio, & QUAERITUR, uter v. g. INTER hos duos DISPENSATORES, magis FIDELIS domino ſuo INVENIATUR in ſuo prædicationis & ſacrorum adminiſtrationis officio? ita Chryſoſt. & Theophyl. Quod ad me attinet,

V. 3. PRO MINIMO MIHI EST, & nihili facio, qualis quantuſvel A VOBIS habear vel IUDICER, AUT AB HUMANO DIE, ſeu quovis humano iudicio. *Dies* enim ſæpe pro iudicio accipitur: quia iudicium tenebras ignorantiæ pellere, & veritatis lumen afferre ſolet, ut facit *dies*. Sic reis dicitur dies, cum citantur ut iudicio ſe ſiſtant, inquit S. Hieron. *a* Alludit autem Paulus ad Ierem. XVII. verſ. 16. *Diem hominis non deſideravi* Domine, *tu ſcis*. Et quid morer aliorum de me iudicia? NE quidem ego MEIPSUM IUDICO, ſeu iudicare certo poſſum, cum ſæpe neſciam qua quidque intentione, conſcientia, vel motivo fecerim. Et licet

V. 4. NIHIL, ſeu nullius infidelitatis in adminiſtratione muneris Apoſtolici, MIHI CONSCIUS *ſim*, NON ideo tamen IUSTIFICATUS SUM, ſeu iuſtus habeor coram Deo. Ipſe enim videt forte nævos in me, quos ego non video. Unde ſoli Deo, cui omnia certo patent, iudicium hoc omne relinquendum. Sic S. Baſilius *b*, *Maiorem*, inquit, *offenſarum partem ne intelligimus quidem, cum tamen in multis omnes offendamus*. Et idem docent Chryſoſt. Ambroſ. & Auguſtinus *c*, contra Novantes noſtros, qui volunt iuſtos certo ſcire; immo fide divina credere debere, ſe iuſtos eſſe.

V. 6. HAEC AUTEM quæ hactenus dixi, TRANSFIGURAVI, id eſt in exemplum aſſumpſi, quaſi IN ME ET in APOLLO quadrarent: (neque volui aliorum, ut poteram, meminiſſe, ne quemquam offendam:) UT IN NOBIS, id eſt noſtro duorum exemplo, DISCATIS, non amplius inflari zelo vanæ æmulationis pro magiſtris vel doctoribus veſtris, SUPRA QUAM nunc a me SCRIPTUM EST in præcedentibus capitibus.

V. 7. QUIS ENIM TE (o magiſter, o catechumene,) DISCERNIT, quaſi ceteris excellentiorem vel eminentiorem, ſeu in naturalibus, ſeu in ſupernaturalibus? Quis, inquam, niſi tu ipſe qui inflaris? Si dicas: Labor, ſtudium, induſtria mea me diſcernunt; QUID HABES QUOD NON ACCEPISTI? Nam labor, ingenium, & omnia quæ habes, ſeu naturalia, ſeu ſupernaturalia, accepiſti a Deo: ergo Deo debes dare omnem gloriam, non tibi, non alteri homini: ita S. Ambroſius, Theodoretus, Anſelmus. Recte tamen S. Auguſtinus *d* & Concilium Arauſicanum II. canone 6. hanc generalem Apoſtoli ſententiam in particulari accipiunt de diſcretione per gratiam & electionem divinam: negant-

gantque posse quemquam se a massa perditionis vel peccatorum secernere, & salutis suæ initium ordiri per se, vel viribus solius liberi arbitrii, ut volebant Pelagiani & Semipelagiani: sed ad hoc necessario requiri gratiam Dei excitantem, illuminantem, cooperantem, qua adiuvetur liberum arbitrium.

V. 8. IAM SATURATI ESTIS; id est, ad satietatem usque repleti estis sapientia & ceteris bonis, ut vos quidem iactatis. Est enim ironia: ubi S. Thomas notat, tangi quatuor species superbiæ. Prima est, cum quis bonum quod habet, putat se non a Deo, sed a seipso habere. Hanc tangit Paulus, cum ait, *Quid gloriaris quasi non acceperis?* Secunda, cum quis bonum quod habet, suis meritis adscribit. Sed *quis te discernit?* Tertia, cum quis iactat se habere quod non habet. *Iam saturati*, IAM DIVITES ESTIS. Quarta, cum quis alios despicit & præ se contemnit. SINE NOBIS REGNATIS, id est nostro auxilio non indigentes, immo nos excludentes, videmini vobis regnum, victoriam, coronam & triumphum adepti. Quod sane vobis non invidemus, immo ex animo vovemus, (dum modo ut oportet, ad salutem REGNETIS:) UT ET NOS tanti boni participes simus, & VOBISCUM REGNEMUS saltem per caritatem: vestrum enim bonum, nostrum existimamus: nam tantum abest, nos regnemus, ut potius vilissimi habeamur, & abiectissimi omnium mortalium, mea quidem opinione, &, ni fallor, etiam decreto Dei, non regno vel triumpho, sed

V. 9. MORTI & lanienæ *destinati*, quasi pessime meriti de genere humano: θέατρον, id est SPECTACULUM, toti MUNDO FACTI, instar damnatorum ad bestias vel ad ignes, qui superne e theatro ab omnibus spectabantur: ita S. Chrysostomus *e*.

V. 10. NOS STULTI vestro & sæculi iudicio habemur in mundi theatro, idque PROPTER CHRISTUM crucifixum quem simplici & inculta dictione prædicamus: vos e contrario, quia eloquentiam & acumina Philosophica sectamini, IN CHRISTO, id est in Evangelio Christi explicando, habemini PRUDENTES.

V. 11. INSTABILES SUMUS: ἀστατοῦμεν; id est, certam quietamque sedem non habemus, ex domo in domum, ex urbe in urbem vagamur.

V. 12. OPERANTES MANIBUS NOSTRIS: victus nobis parandi gratia, ne cui graves simus *f*. Nota & II. Corinth. XI. 23. veram vitæ Apostolicæ ideam & exemplar.

V. 13. PURGAMENTA, id est excrementa, fœces, sordes. Græcum περικαθάρματα significat sordes undique convertendo collectas & mox eiiciendas. S. Ambrosius *g*, Gagneius & alii legunt simpliciter, καθάρματα, id est piacula, seu hostias piaculares: qualis apud Hebræos erat ille *caper emissarius h*: & apud Gentiles, teste Suida apud Budæum, homines scelerati, diris sacri, quos quasi onustos totius urbis sceleribus, in mare proiiciebant & Neptuno sacrificabant, hac imprecatione, περίψημα ἡμῶν γένου, id est, esto nostrum omnium piacularis hostia. Et ita etiam hic exponit Syrus & quidam alii. Quidam tamen περίψημα interpretantur abiectum ramentum, seu rem vilissimam quæ ab omnibus calcatur, inquit Theophyl. & Anselmus: aut, ut Oecumenius, vilem pannum quo sordes abstergUntur. Nempe habemur contemptissimi, vilissimi, sordidissimi, indigni hominum consortio, mundo exturbandi & exterminandi. Neque hoc semel aut iterum, sed semper & continuo, USQUE ADHUC, seu usque ad præsentem horam: neque in una alterave urbe vel provincia, sed per universum *mundum*.

V. 15. NON MULTOS PATRES HABETIS IN CHRISTO; quasi dicat: Ego solus sum spiritualis vester pater quoad ea quæ spectant religionem Christianam: reliqui non sunt nisi nutricii & pædagogi vestri, qui vos a me genitos formant & instruunt. Nonne ergo pudendum vobis, o Corinthii, quod, neglecto, vel saltem postposito, patre vestri amantissimo, & tanta pro vobis passo, sectemini nescio quos gloriosulos magistellos, & horum malitis haberi discipuli, quam Apostolorum? Sed saniora mihi spondeo de vobis.

V. 17. IDEO MISI AD VOS TIMOTHEUM *i*, QUI VOS COMMONEFACIET VIAS MEAS; id est, qui vobis in memoriam reducet doctrinam a me tradi solitam, conversationem item meam & mores, totumque vitæ meæ institutum: nempe ut habeatis quæ in

in me, ut genuini filii] in patre, imitemini.

V. 20. REGNUM DEI k, seu perfectio vitæ Christianæ, qua [Deus in nobis regnat, NON consistit IN eloquenti SERMONE, vel facundia, SED IN VIRTUTE]; græce, *δυνάμει*, id est *potentia*, id est potenti, forti & efficaci exercitio non miraculorum, sed operum Christianorum, & tolerantia passionum, quales descripsit vers. 9. 10. 11. 12. ita S. Chrysost. Theophyl. Anselmus & Caietanus. Nam & S. Ioannes Baptista promovit *regnum Dei*, nec tamen ullum fecit miraculum.

V. 21. QUOD VULTIS? utrum e duobus eligitis? An ut VENIAM AD vos blandus & lenis? an cum VIRGA, id est severa correptione & punitione, ut decet venire patrem ad filios dyscolos? ita S. Chrysost. & Theophyl. & Anselm. Et vero cap. sequenti sat ostendit Paulus, quanta sit Prælatis Ecclesiæ potestas puniendi subditos sceleratos.

(a) Hieron. ad Algasiam quæst. x.
(a) Basil. in Constitut. Monast. cap. 1. Hieron. dial. 11. contra Pelag. initio.
(c) August. in Psal. xii. vers. 8.
(d) August. Lib. de Spiritu & littera cap. xxxiv.
(e) Chrysost. in morali cap. xii.
(f) Act. xviii. 3. xx. 34.
(g) Ambr. in Psal. cxviii. Serm. viii.
(h) Levit. xvi. 21.
(i) Act. xvi. 1.
(k) Rom. xiv. 17.

GORDONI.

Vers. 1. OPortet, inquit, nos qui alios in Ecclesia docemus, abesse ab omni vitio & reprehensione, cum simus ministri Christi, & magnorum mysteriorum dispensatores, ut simus fideles Deo, non magni facientes (quod præstare studeo) an laudemur, aut vituperemur ab hominibus: non se proprio iudicio extollentes, non temere alios iudicantes, seu vilipendentes. Expectandum quid Deus iudicet de singulis, ut sic doctori sit laus a Deo, & non a se; cum conscientia sine Deo non iustificet]. Hic primo docemur non esse faciendum iudicium ante tempus], hoc est ante exploratam rei notitiam; nec sufficere ad iustitiam coram Deo nil conscire sibi. Multo certe minus sufficit præsumpta fiducia Calviniana. Clare etiam hic docet Apostolus nos non scire nostram iustitiam, sed Deum esse qui eam scit. Quod est hic vers. 1. *dispensator*, in Græco est *œconomus*: cui sane officio incumbit in domo Principis non quidem temere dissipare, sed bene dispensare (iusta causa & utilitate domini) de multis rebus, donando vel relaxando. Hoc enim ad regimen domus sibi commissum pertinet. Et quidni etiam potuit Christus in Ecclesia & suo vicario constituere talem Oeconomum, qui in domo Dei multa ordinet & relaxet; ut ex Scripturis docet Trident. Concilium.

V. 6. HAEC AUTEM. Sensus est, Quæ hactenus hoc capite dicta sunt de humano iudicio, & gloriatione Doctorum inani, ea dixi de me & Apollo, quasi in exemplo & typo, ac si nobis convenirent, quæ de aliis dicebantur; ut illi & vos discatis in nobis, quid facere debeatis; ac ne ullus supra id quod scriptum & dictum a me est, infletur adversus alium pro suo doctore aut magistro τὸ TRANSFIGURAVI, *μετεσχημάτισα*, transtuli in figuram & typum. Sectarii hodie per illud, SUPRA QUAM SCRIPTUM EST, reiiciunt traditiones. Frigidum argumentum, & ineptissima corruptela: nam quamvis per hæc vreba, *supra quam scriptum est*, intelligeremus sacram Scripturam, adhuc sensus esset, non esse superbiendum contra quam docet Scriptura. Errant toto cælo a mente Pauli. Atque his interim verbis Paulus in se & Apollo corripit Corinthios, & quosvis in Dei ministerio inaniter gloriantes.

V. 7. QUIS ENIM TE DISCERNIT. Sensus verborum est, Quis hanc tibi confert excellentiam, ut sis discretus & segregatus *κατ' ἐξοχὴν*, super alios; ac si diceret, Nullus nisi tu qui vis inaniter inflari. Quod si dicas hanc excellentiam acquiri tua industria, occurrit Paulus; QUID HABES QUOD NON ACCEPISTI a Deo? sic retunditur inanis gloriatio. Vox Græca *διακρίνει*, est etiam præferre & anteponere. Si ergo aliquid habes unde possis præferri alteri, agnosce hoc esse a Deo; etiam tu Corinthie non autem quia ab hoc vel illo baptizatus es. Sermo hic tam ad magistros, quam ad discipulos referri potest.

Quæret aliquis, an Paulus loquatur de discretione per dona naturalia, vel supernaturalia. Sane vult Paulus illa naturæ dona non discernere hominem, ut inde glorietur velut excellentior vel eloquentior. Sed

Sed inde etiam infert multo minus donis supernaturalibus ita discerni hominem, ut ipse inde glorietur. Immo sic passim Augustinus τὸ, *quis te discernit*, refert ad separationem a massa per dona gratiæ & iustificationis. Sic etiam Concilium Arausicanum 2. Can. VI. de qua re & initio salutis contra Pelagianos agunt suo loco ex professo Theologi, & quomodo concursus foveat libertatem. Quamvis vero homo se determinet, non ideo cessat initium a gratia. Totus enim actus etiam quantum ad determinationem, est ab influxu tum Dei, tum nostri arbitrii.

V. 8. IAM SATURATI ESTIS. Ironia est in doctores Corinthiorum. Vos, inquit, Corinthii abundatis sapientia sub tam magnis doctoribus: divites regnatis sine Paulo, & cuius opera non egetis. Utinam regnetis, non invideo vobis hanc felicitatem; sed opto etiam ampliorem, & me tanti boni vestri esse participem.

V. 9. *usque* ad 14. PUTO ENIM QUOD. Opponit Paulus huic statui Corinthiorum tam felici abiectionem Apostolorum, ut vel ex hac antithesi & optimo exemplo verorum Apostolorum Christi, iniiciat illis mentem Christianæ humilitatis & pacis. Regnatis, inquit, vos: sinceri vero Apostoli adeo non regnant, ut videantur peripsema mundi, & alia quæ hic subiungit. SPECTACULUM, quale sunt homines ad mortem publice destinati, & omnibus expositi opprobriis, stulti habentur iudicio mundi, obscuri, inglorii, sine honore; INSTABILES, sine certa sede, BLASPHEMAMUR, conviciis & infamia obruimur: tamquam PERIPSEMA, ut sordes & excrementa. Retinuit interpres vocem Græcam περίψημα, περιψᾶν, abstergere. Sane non male hæc omnia piacularem victimam adumbrant, quæ sceleribus civitatis onusta proiiciebatur in mare, ut sacrificium Neptuno. Vide Levit. XVI. 21. de capro emissario. Et talis est vita Apostolorum pro Christo. Mirare, Lector, tum gratiæ vim, tum piæ voluntatis constantiam & magnanimitatem.

V. 14. NON UT CONFUNDAM. Tandem post multa docet, quo fine hæc de reprehensione dicta sint, & quo spiritu. Certe, inquit, Apostolico & paterno. Paulus profitetur hic se patrem esse Corinthiorum, quos genuit in Christo, & in omni vita sua bene vivendi præbuit exemplum. Alii qui postea venerunt, non sunt patres, non genitores natorum, sed instructores & pædagogi adolescentium. Et sciatis meam adhuc vitæ rationem; & quam paterno movear erga vos affectu, misi iam ad vos Timotheum testem rerum mearum.

V. 18. TAMQUAM NON VENTURUS. Insolescunt, inquit, ac si numquam venturus essem. Veniam, & non quidem in fastu sermonis, sed ut manifestum fiat in quibus sit spiritus & virtus Dei, regnumque Dei esse in sanctitate & signis pro veritate, eligite vel virgam, vel mansuetudinem. Belle ostendit hic locus esse in Prælatis Ecclesiæ puniendi potestatem.

CA-

CAPUT V.

Corinthios reprehendit, quod in incestu publice viventem tolerarent; quem absens tradit satanæ, monens ut expurgatio vitiorum fermento, puri Pascha celebrent: nec vult eos commisceri Christianis palam criminosis.

1. OMnino (*a*) auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio,
qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis
habeat. 2. Et vos inflati estis: & non magis luctum ha-
buistis ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.
3. (*b*) Ego quidem absens corpore, præsens autem spiri-
tu, iam iudicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est,
4. in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vo-
bis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, 5.
tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fit in die Do-
mini nostri Iesu Christi. 6. Non est bona gloriatio vestra. (*c*) Nescitis quia
modicum fermentum totam massam corrumpit. 7. * Expurgate vetus fermen-
tum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum
immolatus est Christus. 8. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque
in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis, & veritatis.
9. Scripsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis; 10. non utique
fornicariis huius mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus:
alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. 11. Nunc autem scripsi vobis non
commisceri; si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis
serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum
sumere. 12. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Nonne de iis,
qui intus sunt, vos iudicatis? 13. nam eos, qui foris sunt, Deus iudicavit.
Auferte malum ex vobisipsis.

(a) Luc. XVIII. 12. & XX. 11. (b) Coloss. II. 5. (c) Galat. V. 9

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 7. Expurgate vetus fermentum. Non addas coniunctionem *igitur*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. OMNINO, Græce ὅλως. Photius dicit hic esse emphasim; quasi dicat, Omnino auditur, nihil est vulgatius ea fornicatione. QUALIS, NEC INTER GENTES: Græci addunt ὀνομάζεται, id est ne nominatur quidem.

V. 3. & 5. IAM IUDICAVI, id est decrevi huiusmodi incestuosum TRADERE SATANAE, vel condemnavi eum tradendum satanæ. Quidam autem dicunt quod in pri-

mitiva Ecclesia potestas erat sanctis hominibus ad peccatorum animadversionem dæmonia in rebelles immittendi, sicut & expellendi: quæ corporaliter eos in pœnam contumaciæ afficerent. Theodorus Græcus sic interpretatur, cuius ita verba vertimus: Quod vero ait tradere satanæ, non hoc dixit tamquam id facere ipse per se decrevisset, sed quod per abiectionem ab ecclesia, & abalienationem a Deo, in potestatem satanæ veniret. Tradere ergo satanæ hoc modo, est ecclesiæ consortio expellere, quod & nos dicimus excommunicare, rem, ut videre est, non novam.

V. 6. & 7. Vetus fermentum. Fermentum in Scriptura sæpe pro perversa vita & doctrina sumitur, sicut in Evangelio, *cave a fermento Pharisæorum*, ita & hoc loco: licet nonnumquam e contrario in bonum sumatur, ut apud Matt. *Simile est regnum cœlorum fermento*, &c. Expurgate ergo (inquit) vetus fermentum, id est perversam vitam & doctrinam abiicite, ut sitis nova conspersio, Græce φύραμα; quam pastam vocant, nova, inquam, novitate vitæ, sicut estis azymi, id est puri, & baptismo sanctificati. Pascha nostrum, id est Paschalis agnus nostri gratia immolatus. Sicut ergo Iudæi in Pascha fermento abstinebant, ita Christianos quos spirituale Pascha semper facere oportet, abstinere par est a veterum delictorum fermento.

V. 9. & 10. Scripsi vobis in epistola: num aliam scripserit epistolam quæ perierit, ex hoc loco dubitari potest, sed nihil ad sensum: *scripsi*, inquit, *vobis in epistola*, ne commisceamini fornicariis. Non utique fornicariis huius mundi; id est, non inhibui vobis conversari cum fornicariis gentilibus, sed si quis fratrum, id' est Christianorum huiusmodi est, volo vos ab illo fugere: alioqui si fugiendi vobis essent gentiles fornicarii, ab hoc mundo exeundum vobis esset qui totus plenus est huiusmodi hominum.

V. 12. De his qui foris sunt, id est gentilibus qui sunt extra ecclesia & de his qui intus sunt, id est Christianis. Non ergo quisquis in peccato mortali est, quod Lutherus finxit, is statim excommunicatus est, donec ab ecclesia sit talis nominatus: nam fornicatores & avaros Christianos intus in ecclesia dicit esse Paulus

V. 13. Auferte malum. Gr. ἐξαίρετε τὸν πονηρὸν, id est *tollite scelerosum illum*, ut de homine non de peccato intelligamus.

S A.

Vers. 1. Inflati; quasi dicat, Studetis superbiæ interim. Alludit ad ea quæ dixit cap. I. & IV. de eorum contentione & inflatione. Tollatur, scilicet per excommunicationem.

V. 3. Iudicavi, id est decrevi. Syr. *condemnavi*.

V. 4. Nomine, id est auctoritate. Congregatis. Vult illum publice declarari excommunicatum. Spiritu, scilicet per hoc decretum. Cum virtute, id est per potestatem.

V. 5. Tradere, scilicet per excommunicationem. Syr. *ut tradatis*. Interitum. Græc. ὄλεθρον, id est *perniciem*, seu *calamitatem*, scilicet cruciabat dæmon excommunicatos. Die, scilicet iudicii. Videtur autem intelligendum particulare quod fit in morte.

V. 9. Gloriatio, scilicet in hominibus, de qua supra. Corrumpit. Græc. *fermentat*; quasi dicat, Inficit iste vestram congregationem suo peccato.

V. 7. Vetus, id est hominis veteris. Fermentum, id est peccatum, scilicet illius fornicarii. Conspersio, id est massa. Sicut estis, &c. id est ut par est eos qui sunt professione azymi, id est sinceri, & absque peccati fermento.

V. 8. Epulemur, id est festum agamus. Neque in, &c. *in*, pro, cum: est vero explicatio præcedentis. Azymis, scilicet in epulis Paschalibus Iudæi azymis vescebantur.

V. 9. Scripsi, scilicet supra. Quidam putant citare epistolam aliam quæ non extet. Commisceamini, id est conversemini.

V. 10. Exiisse, scilicet quia aliter non possetis non conversari cum talibus, quibus plenus mundus.

V. 11. Frater, id est Christianus. Nominatur, id est habetur. Maledicus, id est convitiator. Sumere, scilicet cum manifestum est esse tales, quod vulgo dicitur *notorium*.

V. 12.

V. 12. Mihi, id est ad me pertinet.

V. 13. Foris, id est extra Ecclesiam. Malum, scilicet hominem: τὸν πονηρὸν.

MARIANAE.

Vers. 1. Omnino auditur, fama volat. Fornicatio, id est quod sit fornicatio inter vos. De Corinthiorum luxu multa Proverbia, ut illud: *Ilium non indignatur Corinthiis*: tum *Corinthiari*, de eo qui luxui est deditus. Eodem spectat: *Non cuivis homini datur adire Corinthum*. Ut uxorem, sive *concubinam*. Utrumque significat γυνὴ. Et utrumque vetitum Levit. viii. 8. ad uxorem & concubinam patris accedere.

V. 2. Et vos inflati estis, propter contentiones superius dictas. Et non magis luctum habuistis. Atrocis criminis religio, quæ sontis supplicio & populi lacrymis expianda est.

V. 4. In nomine Domini, invocato Christi nomine.

V. 5. Tradere. Iudicavi excommunicare. In interitum carnis, id est ut delictum intereat hoc pudore, aut ut corpus a diabolo affligatur. Verum quomodo hominem sine admonitione, neque contumacem excommunicat? Certe nulla hic admonitio præcessisse videtur. Quæstio implexa, an id fieri possit; sed quæ pendet ex alia, An mortui possint excommunicari. Liber de Imagin. nomine Caroli Magni II. cap. xxxi. negat, idque Anastasii Papæ testimonio producto. Contra Synodus V. Generalis, ut Origenem damnaret, id fieri posse decrevit. Assensit Vigilius Pontifex, qui Constantinopoli tunc erat, non solum probans alia acta eius Synodi, sed nominatim Origenem damnavit, ut Cassiodorus ait Lib. de Divin. lect. cap. I. Ego dicam ex natura rei id posse fieri, excommunicari non monitum & mortuum; sed ex consuetudine, quæ vim legis habet, id vetari. Favent & Iura huic sententiæ cap. Sacros. cap. Contingit II. de Sent. excomm.

V. 6 Non est bona iactantia, qua dicitis: Ego sum Pauli, Modicum fermentum totam massam corrumpit. Syr. *fermentat*. Ζυμοῖ utrumque significat, *fermentare* & *corrumpere*; verum posterior significatio proposito magis congruit.

V. 7. Expurgate vetus fermentum, id est pravam eius hominis vitam, eumque removete. Ut sitis nova conspersio, id est massa nova; vitæ novitate. Sicut estis azymi; pro, sicut esse debetis. Alludit ad Paschæ ritum, quo azyma comedebant. Pascha nostrum. Si Christus est immolatus, azymis utamur, sinceritate.

V. 9. Scripsi vobis in epistola. Num hac priorem aliam epistolam scripsit, quæ perierit? non satis constat. Plures epistolas scripsisse præter eas quæ sunt in Canone, dubium non est.

V. 12. Quid enim de iis, qui foris sunt. Disciplina Ecclesiæ non se extendit ad externos.

V. 13. Auferte malum: τὸν πονηρὸν, *hominem scelestum*. Ex vobisipsis, id est e medio vestri, e vestro consortio pellite eum.

MENOCHII.

Vers. 1. Omnino: non vago rumore, sed constanti, & certa fama. Uxorem patris sui: novercam suam. Habeat; scilicet sibi concubinam.

V. 2. Et vos inflati estis; quasi dicat: Et vos interim in vestris superbis contentionibus occupamini, & negligitis correctionem huius incestus. Et non magis luctum habuistis: superbitis, cum potius lugere debeatis. Tollatur de medio vestrum, id est expellatur e cœtu vestro, & excommunicetur.

V. 3. Praesens autem spiritu, id est animo, affectu, solicitudine. Iam iudicavi ut praesens: ac si præsens essem iudicavi, statui, & decrevi, & de facto hisce verbis statuo, & impero. In nomine Christi, id est auctoritate, & vice Christi, qua fungor, alii nectunt cum sequentibus, *in nomine Christi congregatis vobis*. Alii *eum tradere satanæ*, quia traditio hæc, & executio fiebat virtute, nomine, & vice Christi. Congregatis vobis. Et meo spiritu: congregatis vobis, quibus ego adsum præsens spiritu, affectu, & solicitudine.

V. 5. Tradere Satanae, id est excommunicare. Excommunicati dicuntur tradi Satanæ, quia extra societatem Ecclesiæ eiecti, tyrannidi, & incursibus dæmonis expo-

positi sunt. Aliqui putant excommunicatos olim a dæmone vexari solitos, quod sequentia confirmant. IN INTERITUM CARNIS: ut corpore vexetur, & maceretur a dæmone. UT SPIRITUS SALVUS SIT, &c. id est, ut anima, & mens hac pœna resipiscens, salva sit in die iudicii.

V. 6. GLORIATIO VESTRA: iactantia vestra, qua vos iactatis de sapientia sæculari, & qua dicitis, ego sum Pauli, ego sum Apollo, &c. satius est animos demittere, cum tantum scelus inter vos sustineatis. NESCITIS QUIA MODICUM FERMENTUM, &c. quasi dicat: Hæc unius fornicarii labes omnes vos quasi fermentum pervadit, & suo acore inficit pravitate exempli, & acerbitate pœnæ, quæ manet vos negligentes scelus tantum amoliri. CORRUMPIT: ζυμοῖ, *fermentat*, id est totam massam farinæ conspersæ suo sapore inficit.

V. 7. EXPURGATE VETUS FERMENTUM: putidum istum fornicarium e cœtu vestro eiicite, ne eum totum quasi fermentum inficiat. Aliqui fermentum vetus generaliter interpretantur peccati vetustatem, seu prioris vitæ corruptionem, ut hæc sit generalis exhortatio ad vitæ puritatem. UT SITIS NOVA CONSPERSIO, id est nova massa; hoc est, ut sit vestra Ecclesia nova, & pura. Conspersio Græce dicitur φύραμα, a verbo φυρᾶν, quod significat *miscere*; est enim farina aqua mixta, & macerata. SICUT ESTIS AZYMI: sicut per baptismum facti estis azymi, id est a fermento peccati puri. ETENIM PASCHA NOSTRUM, &c. quasi dicat: Iure exigo ut sitis azymi, & puri, quia Pascha agitis in quo omnia Iudæis sunt azyma. Debetis autem esse azymi, quia sicut agnus Paschalis erat typus Christi, ita panes azymi Christianorum sunt typus, & innocentiæ baptismalis, ac vitæ puræ, ac Christianæ. PASCHA NOSTRUM: quasi novum Pascha, id est victima, & agnus Paschalis immolatus est Patri.

V. 8. EPULEMUR. Græc. ἑορτάζωμεν, *festum celebremus*; noster tamen interpres dixit, *epulemur*, quia solebant festa celebrari solemnibus epulis in signum lætitiæ. NON IN FERMENTO VETERI, id est non cum fermento veteris vitæ. MALITIAE, ET NEQUITIAE: τὸ *nequitiæ*, in Græco est πονηρίας, quam vocem alii *versutiam*, alii *pravitatem* vertunt. Augustinus *malignitatem* legit. Theophylactus notat *nequitiam* aliquid peius esse, quam sit *malitia*. Malus enim est, inquit, quisquis male agit; nequam autem qui meditate, & cum dolo male agit. IN AZYMIS SINCERITATIS, &c. quasi dicat: Epulemur non in panibus azymis, non triticeis, sed spiritualibus, qui sunt sinceritas, & puritas, vita etiam hypocrisi, ac dolo, vacans, qui sunt *azymi veritatis*.

V. 9. NE COMMISCEAMINI FORNICARIIS; id est, ne habeatis consortium cum fornicariis. NON UTIQUE FORNICARIIS HUIUS MUNDI; quasi dicat: Cum dixi, & scripsi, *ne commisceamini fornicariis*, non intellexi fornicarios paganos esse vitandos. SED SI IS QUI FRATER EST; id est, si sit Christianus, & publice male audiat, ut fornicator, hunc vitare.

V. 10. NON UTIQUE; scilicet veto vos versari cum fornicariis huius sæculi, &c. ALIOQUI DEBUERATIS DE HOC MUNDO EXISSE: nam in hoc corrupto sæculo viventibus impossibile est eorum vitare consuetudinem.

V. 11. FRATER NOMINATUR: est Christianus. CUM HUIUSMODI NEC CIBUM SUMERE: ita pronuncio eius consuetudinem vitandam, ut nec mensam cum eo communem habeatis.

V. 12. QUID ENIM MIHI DE IIS QUI FORIS SUNT IUDICARE? quasi dicat: Non enim ad me pertinet eos iudicare, qui ad Ecclesiam non pertinent. NONNE DE IIS QUI INTUS SUNT VOS IUDICATIS; quasi dicat, Hanc enim videtis esse Ecclesiæ praxim, & vestram, ut de pertinentibus ad Ecclesiam, in quibus iurisdictionem habetis, iudicetis; non autem paganos ad quos vestra, & Ecclesiæ iurisdictio non porrigitur.

V. 13. NAM EOS QUI FORIS SUNT DEUS IUDICABIT: non Ecclesia. MALUM: fornicarium intelligit, ut patet ex Græco, τὸν πονηρὸν

T I R I N I.

Vers. 1. OMNINO, non incerto rumore, sed constanti fama & certissimo indicio, AUDITUR tolerari INTER VOS TALIS FORNICATIO, QUALIS NEC INTER GENTES honestas & civiles tolerari solet: nempe UT privignus UXOREM PA-

PATRIS SUI, id est novercam, HABEAT sibi concubinam, idque vivente adhuc patre, ut S. Anselmus & plures alii docent, & colligitur ex II. Cor. VII. 12. ubi pater *iniuriam passus* dicitur. Erat ergo incestus simul, & adulterium. Quod apud bene moratas gentes valde improbatur. Unde & laudant omnes Hippolytum, qui, ut alter Ioseph *a*, a Phædra noverca sollicitatus renuit facinus, falsoque ab ea accusatus quasi ultro solicitasset, quatuor equis iussu patris sui in frusta discerptus est. Exemplum tamen etiam apud Græcos ultro concessæ privigno novercæ habemus in rege Seleuco, qui Antiocho filio suo ad mortem amore Stratonices uxoris Seleuci (ut ex medico cognoverat) decumbenti, illam ipsi tradidit, teste Valerio Maximo. Sed hoc singulare fuit exemplum, nec ab aliis bene moratis probatum.

V. 2. ET VOS, cum sciatis tam fœdo scelere contaminatam Ecclesiam vestram, adhuc INFLATI ESTIS cacozelia vestra, & superbis de magistrorum præcellentia contentionibus & rixis? *nec* LUCTUM, nec dolorem, nec curam; HABUISTIS, UT tam scelestus DE MEDIO VESTRUM TOLLATUR, & excommunicatione præscindatur, & ab Ecclesia expellatur? S. Chrysostomus & Theodoretus notant, virum hunc potentem fuisse & e primis, ac ducem factionis seu schismatis inter Corinthios. Unde & mox a schismate damnato prosilit Paulus ad hunc damnandum.

V. 3. 4. & 5. IN NOMINE, id est auctoritate & vice (qua fungor) IESU CHRISTI, *iudicavi* & iudico atque impero, ut, CONGREGATIS VOBIS in unum cœtum, quibus EGO CORPORE QUIDEM ABSENS, SED SPIRITU PRAESENS sum, CUM VIRTUTE, seu potestate a Christo mihi data, incestuosus iste *tradatur* SATANAE, id est excommunicetur, IN INTERITUM CARNIS, id est ut in corpore vexetur, & morbis aut vulneribus a dæmone affligatur; ut sic vexatus & humiliatus resipiscat & salvetur: ita Origenes, Hilarius, Hieron. Ambros. Chrys. & Aug. Solebat enim satanas tum temporis excommunicatos affligere etiam in ipso corpore visibiliter, uti nunc in anima invisibiliter.

Nota, moneri iussum ante excommunicationem hunc incestuosum, sed post monita contumacem perstitisse in incestu. Neque enim potest nisi contumax excommunicari; neque contumax censetur nisi qui monitus non resipiscit. Sed quod Novantes ex hoc loco inferre volunt, penes laicos & plebem, non autem penes Prælatos Ecclesiæ, esse potestatem excommunicandi; non video qua ratione vel in speciem hinc colligere possint, cum Apostolus plane contrarium indicet. Nam expresse dicit, *Ego iudicavi:* nec nisi suo nomine iubet excommunicationem in publico Corinthiorum consessu, ad terrorem aliorum, solemniter infligi, ut Chrysost. Ambrosius, Anselmus & alii exponunt.

V. 6. GLORIATIO, seu iactantia, VESTRA de propria sapientia, & contentio de magistrorum præcellentia, NON EST BONA *b*, sed intempestiva & noxia: nam FERMENTUM quantumvis MODICUM, TOTAM farinæ subactæ MASSAM CORRUMPIT. Græce, ζυμοῖ, id est *fermentat*. Et pari modo, scelus hoc nefandum, etsi unius incestuosi, tamen totam vestram congregationem inficiet, partim imitatione, (quia pronum est, ut unius e primis exemplum impunitum plures sequantur:) partim imputatione, quia tam enorme scelus, quod præter fas ab omnibus toleratur, iusta Dei ultione in omnibus punietur, inquiunt iidem Patres.

V. 7. EXPURGATE VETUS FERMENTUM; id est, putidum istum fornicarium e cœtu vestro (inquit Chrysost.) vel generaliter (ut Anselmus) quodvis peccatum cui assuevistis, ex anima vestra expellite; UT SITIS NOVA CONSPERSIO, id est pura & integra massa, nullo fermento infecta: SICUT ESTIS, hebraismo, id est sicut esse debetis & conamini esse, AZYMI, id est a fermento peccati puri & sancti. Quod non abs re moneo, cum pascha vobis continuo agendum sit; in quo Iudæis omnia sunt *azyma*; NOSTRUM ENIM Christianorum PASCHA, id est agnus & victima paschalis, *pro nobis* (ita habent Græca) IMMOLATUS EST CHRISTUS, morte sua liberans nos ab angelo devastante, & iugo diabolici Pharaonis, & ditans nos libertate, divitiis & delitiis spiritualibus ac cælestibus.

V. 8. ITAQUE exemplo Hebræorum EPULEMUR, id est solemnibus epulis, de more, *festum celebremus* (ut est in Græco) NON cum *pane fermentato* veteris vitæ peccatis

catis infectæ, SED cum panibus AZYMIS, non physicis e farina confectis, sed mysticis & spiritualibus, qui sunt morum *sinceritas*, & vitæ totius *veritas* practica seu honestas. Opponitur enim *veritas* hic *malitiæ*, inquit Theophil. & Anselm. Quod autem

V. 9. SCRIPSI VOBIS IN hac mea EPISTOLA, supra 2. ut NE COMMISCEAMINI, id est communionem non habeatis cum FORNICARIIS; id intelligi volo

V. 10. NON de FORNICARIIS HUIUS MUNDI, seu sæculi, id est Paganis: sed

V. 11. SI IS QUI FRATER NOMINATUR, seu qui Christianus est, publicus fiat *fornicarius*, AUT AVARUS; Græce, πλεονέκτης, id est aliena per fraudem capiens; AUT RAPAX, id est eliena per vim *rapiens*. CUM HUIUSMODI publicis & obstinatis peccatoribus, si Christiani fuerint, volo NEC CIBUM quidem VOS SUMERE, sed omnem prorsus convictum ac consuetudinem devitari.

V. 12. DE IIS ENIM QUI FORIS, id est extra Ecclesiam SUNT, nec umquam intus fuerunt, id est de Paganis, seu infidelibus, *quid mihi iudicare?* quasi dicat: Nolo me immiscere iudicio eorum qui ad Ecclesiam nulla ratione pertinent. Sed nota, schismaticos, excommunicatos, vel hæreticos non posse tales censeri, quia etsi re ipsa divulsi sint ab Ecclesia; quia tamen iure ad ipsam spectant, hinc possunt ab Ecclesia iudicari, retrahi & puniri: sicut reus e carcere erumpens, vel mancipium fugitivum potest a magistratu vel ab hero repeti, damnari, castigari. NONNE DE IIS omnibus QUI INTUS, seu intra Ecclesiam vestram, SUNT, & in alia publica scandala labuntur, VOS IUDICATIS, & commeritis pœnis eos punitis? Cur ergo hunc MALUM, τὸν πονηρὸν, hunc incestuosum, toleratis, & EX VOBIS, id est e cœtu vestro, non *auferetis*, non eliminatis?

(a) Gen. xxxix. 7. & seq.
(b) Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 8.

GORDONI.

Vers. 1. & 2. OMNINO. Habebat incestuosus Novercam pro concubina. Siccine, inquit, vos superbis contentionibus occupati tantum malum toleratis? TOLLATUR E MEDIO VESTRUM, separetur e cœtu vestro ut excommunicatus. Ego præsens vobis spiritu & affectu, pro sollicitudine Apostolica, & vice Christi quasi fungor, iubeo talem excommunicari. Dicuntur vero excommunicati tradi Satanæ, quia sic eiecti extra Ecclesiam, & privati suffragiis bonisque Ecclesiæ, exponuntur ut obnoxii insidiis & doliis mali Dæmonis, quippe qui extra Ecclesiam regnat.

Sed quid est IN CARNIS INTERITUM? vers. 5. & quomodo iubentur laici excommunicare? Sane ex Chrysostomo & Anselmo, ut vexatus plagis a Dæmone, & maceratus resipiscat. Ambrosius etiam recipit usitatam in excommunicatione fuisse traditionem Satanæ, & inde sequi solitam vexationem carnis seu corporis. Lege Ambros. I. Tim. 1. 20. Hinc cap. *Audi*, & cap. *omnis*. 11. quæst. III. mansit modus hic loquendi. Ceterum nihil hic habetur de excommunicatione per populum. Paulus decernit excommunicationem, & vult fieri a Prælato illius Ecclesiæ, tamen approbante toto cœtu congregato, tum ad maiorem terrorem, tum ad vitandam in unum invidiam.

V. 6. & 7. NON EST BONA. Arguit negligentiam, & hortatur ad meliora. Gloriatio vestra auget culpam, quod hanc etiam habuerit negligentiam boni communis. Malum porro hoc est fermentum periculosum si serpat. Ergo ne tota massa corrumpatur, date operam ut sitis azymi puri sine macula, & semper parati ad phase Domini; & quidem puri. Nam azymi estis per baptismum. Christo præterea in paschate pro vobis immolato, vos oportet adhuc esse in diebus azymorum & omni puritate. Ergo epulari oportet non in veteri fermento peccatorum, sed in vitæ integritate. Totam hanc Pauli allegoricam exhortationem vide satis expressam Exod. cap. XII ubi de Phase & Azymis. Tota res eo tendit, ut Corinthii sint nova conspersio, nova massa sine fermento. CONSPERSIO, φύραμα, a φυρᾶν, quod est *miscere*. Heb. בצק *batsac*, massa conspersa, farina aqua mixta & subacta. CORRUMPIT, formentat, ζύμη, *fermentum*, ζυμόω, *fermentor*: ἄζυμοι vero Christianis sunt typus puritatis, sicut Pascha erat typus Christi.

V. 6. & 11. SCRIPSI VOBIS. Hoc tertium in hoc capite; & sensus est: Scripsi

vers.

vers. 2. & monui, non commisceamini fornicariis, Non intelligo fornicarios, & eos qui perdite vivunt inter gentiles & infideles esse vitandos; alioqui deberetis exisse ex hoc mundo: nam totus mundus plenus est talium hominum; sed de fratribus & Christianis dicebam, si quis frater est, qui publice talis est in fornicatione; & ex Ambrosio qui publice male audit ut fornicator, hunc vitare oportet. QUI NOMINATUR. Augustinus Libro III. contra Parmenianum cap. 11. qui iudicatur & condemnatur in iudicio de fornicatione. Porro avarum hic intelligo furem aut raptorem. Græce est, πλεονέκτης, *fraudator*.

V. 12. QUID ENIM MIHI. Sensus est: Ad nos Christianos non pertinet iudicare eos qui ad Ecclesiam non pertinent. Nostra iurisdictio ad nostros est: illi foris sunt, & a Deo iudicabuntur. At, inquies, Ecclesia iudicat hæreticos, qui foris sunt quidem, & extra Ecclesiam. Sed retinent characterem baptismi, & subditi sic manent, sicut manent obligati ieiuniis & aliis Ecclesiæ legibus.

CAPUT VI.

Corripit eos quod iudicio contenderent coram iudice ethnico; enumerans quædam peccata, quibus involuti regnum Dei non possidebunt: quædam licere dicit quæ non expediant: & varias ob causas ostendit vitandam fornicationem.

1. AUdet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum,
iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? 2. An nesci-
tis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? & si in vo-
bis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iu-
dicetis? 3. Nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto
magis sæcularia? 4. Sæcularia igitur iudicia si habueritis:
contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudican-
dum. 5. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter
vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? 6. Sed frater cum
fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles? (*a*) 7. Iam quidem omnino
delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniu-
riam accipitis? quare non magis fraudem patimini? 8. Sed vos iniuriam faci-
tis, & fraudatis: & hoc fratribus. 9. An nescitis quia iniqui regnum Dei
non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes,
neque adulteri, 10. neque molles, neque masculorum concubitores, neque
fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum
Dei possidebunt. 11. * Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis,
sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.
12. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, sed ego
sub nullius redigar potestate. 13. Esca ventri, & venter escis: Deus autem &
hunc & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Do-
minus corpori. 14. Deus & vero & Dominum suscitavit: & nos suscitabit per
virtutem suam. 15. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?
Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. 16. An nesci-
tis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? (*b*) Erunt enim
(inquit) duo in carne una. 17. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.
18. Fugite fornicationem. * Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra
corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 19. An nescitis quo-
niam (*c*) membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem

 hibe-

habetis a Deo, & non eſtis veſtri? 20. (*d*) Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.

(a) Matth. v. 39. Luc. vi 29. Rom. xii. 17. I. Theſſ. iv. 6. (b) Geneſ. ii. 24. Matth. xix. 5. Marc. x. 8. Epheſ. v. 31. (c) Sup. iii. 17. II. Cor. vi. 16. (d) Inf. vii. 23. I. Pet. 1. 18.

B R U G E N S I S.

Romanae Correctiones.

Verſ. 11. *Et hæc quidam fuiſtis*. Nomen *quidam* nequaquam mutandum eſt in coniunctionem *quidem*.

Verſ. 18. *Omne peccatum*. Non interponas coniunctionem cauſalem *enim*.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. Iudicari apud iniquos. Græc. *ἀνακρίνεσθαι*, id eſt cauſam dicere & litigare: quod magis hoc loco quadrat. Iniquos autem gentiles vocat & ſanctos Chriſtianos.

V. 2. 3. & 4. In vobis, id eſt per vos iudicabitur mundus: ſive nunc ex innocenti vita veſtra, ſive olim in extremo iudicio. Qui de minimis iudicetis. Gr. *ἀνάξιοι ἐστὲ κριτηρίων ἐλαχίστων*, ad verbum, *indigni eſtis minimis iudiciis*, id eſt indigni eſtis qui de minimis litigetis: & ſi: mihi percontandi modo legi debere videtur; id eſt, nolite ob leviuſculas cauſas, ſicut de pecuniis repetundis, & huiuſmodi, apud gentiles litigare. Nam ſi per vos iudicandus eſt mundus, indigni ne eſtis qui de huiuſmodi inter vos iudicetis? minima autem iudicia, inquit Theodorus, *τὰ περὶ τῶν χρημάτων ἐκάλεσεν*, id eſt ea quæ pecunias concernunt, appellavit: quum autem *κριτήριων* forum iudiciale ſignificet, Photius Græcus interpretatur, *indigni eſtis abiecto illo foro gentilium*. Verborum autem Græcorum hic ſenſus eſt: Si nunc mundum & angelos iudicabimus, quomodo non indignum eſt cauſam vos apud infideles dicere, & ab illis iudicari? Hoc enim manifeſtat cum inquit? *Si in vobis iudicabitur mundus*, *ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων* id eſt *indigni eſtis iudiciis minimis*?

Angelos iudicabimus, id eſt dæmones per contrariam vitam. Quanto magis saecularia. Græc. *βιωτικά*, id eſt de his quæ ad victum pertinent: ſic enim Photius interpretatur: Si angelos iudicaturi ſumus, quanto magis idonei ſumus contentiones & rixas de vitæ neceſſariis ortas diſſolvere? idem tamen poſtea interpretatur *βιωτικά*, ſæculares & communis nobiſcum naturæ homines: nam ſi angelos, inquit, ipſos ſcilicet incorporeos dæmones iudicare poſſumus, *πόσῳ μᾶλλον ὁμοφυεῖς καὶ ὁμοδιαιτρίβους*, id eſt quanto magis affines & contubernales? præſtat tamen primo modo intelligere, & ſimiliter id quod ſequitur: saecularia igitur iudicia si habueritis; id eſt, ſi neceſſe fuerit de eiuſmodi iudicare quæ ad communem hominum uſum pertinent (id enim ſignificat *τὰ βιωτικά*) contemptibiles & abiectos de eccleſia præficite huiuſmodi iudiciis.

V. 5. Ad verecundiam veſtram dico; id eſt, ut vos pudefaciam, quaſi non ſit apud vos qui componere inter vos huiuſmodi litigia norit. Hoc autem de induſtria Paulus addidit, ut a litigatione illos avertat, tum etiam malens apud infimum Chriſtianum cauſam dicere fideles, quam apud potentiſſimum & doctiſſimum infidelem: quamquam etiam delicto non caret, fratrem Chriſtianum cum fratre litigare.

V. 7. Iniuriam accipitis; id eſt, quare non potius finitis vos iniuria affici, & bonorum veſtrorum facere diſpendium, quam ut inferatis? nam fraus hoc loco non pro dolo ſumitur, ſed pro damno.

V. 8. Sub nullius. Senſus eſt, quod cum omnia mihi licerent, & poſſem ego victum a vobis & veſtitum exigere, non

ſum

sum tamen usus hac potestate, ne sub alicuius potestatem redigerer, id est ne cui subessem & illi fierem obnoxius: videtur enim quodammodo quis ei subesse, a quo munus accepit: vult autem his verbis Paulus, quod si quando multa nobis debeantur, non tamen statim de his contendere oportet iudicio.

V. 13. & 20 ESCA ENIM VENTRI, ET VENTER ESCIS, id est escæ (nam Græce est in plurali τὰ βρώματα) ad sedandum ventrem, & venter ad eas excipiendas factus est: sed utraque Deus destruet, quando eorum usum in resurrectione abolebit. Nam pro, destruet, Græc. est καταργήσει, id est abolebit, inanemque reddet usum illorum. CORPUS AUTEM NON FORNICATIONI, id est non factum est ut fornicationi subiaceat: sed ut domino pareat: QUI AUTEM, inquit, FORNICATUR, IN CORPUS SUUM PECCAT, quia suum ipse corpus maculat: quibus verbis fornicationis crimen Paulus exaggerat, quod cetera peccata animam quidem lædunt, fornicatio autem præterquam quod animam lædit, corpus quoque enervat.

V. 20. PORTATE DEUM. Simile est ei quod ait, ad Romanos VI. *Exhibete membra vestra, arma iustitiæ Deo.* Græc. hoc addunt, καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν ἅ τινά ἐστι τοῦ Θεοῦ, id est in corpore vestro, & spiritu vestro, quæ sunt Dei.

S. A.

Verf. 1. NEGOTIUM, id est litem. INIQUOS, id est infideles. SANCTOS, id est fideles.

V. 2. IN VOBIS, id est per vos. INDIGNI ESTIS QUI; pro, indignum est ut.

V. 3. ANGELOS, scilicet malos.

V. 4. SAECULARIA, id est de rebus huius vitæ, seu temporalibus. Græc. βιωτικά. CONTEMPTIBILES, id est viles; quasi dicat, Omnium infimos.

V. 5. AD VERECUNDIAM, &c. quasi dicat: Non id dico, quod tales velim iudicare, sed ut pudeat vos, qui Gentiles aditis, quasi nemo sit inter vos qui possit lites dirimere: præstat quidem vel ex vilibus aliquem Iudicem facere, quam illos adire in causis. FRATREM SUUM; pro, fratres suos.

V. 6. INFIDELES, scilicet iudices.

V. 7. IAM QUIDEM, &c. quasi dicat, Quamquam culpa non caret, quod litigates, scilicet erat illo tempore nonnullum scandalum, & isti videbantur etiam ex cupiditate litigare. IUDICIA, id est lites. ACCIPITIS, id est patimini. FRAUDEM. Græc. *damnum.*

V. 8. FRAUDATIS. Græc. *damno afficitis.*

V. 10. MOLLES, scilicet qui soli per se impudice peccant. MALEDICI, id est conviciatores, seu qui aliis male precantur.

V. 11. QUIDAM, scilicet ex vobis. IN NOMINE, scilicet baptizati. IN SPIRITU, id est per gratiam, vel in nomine Spiritus sancti, in quo etiam Baptismus datur.

V. 12. OMNIA, &c. pro, ut omnia mihi liceant; vel quasi dicat: Non omnia quæ licent expediunt. POTESTATE, scilicet inordinate, ut gulæ, de hac enim loqui incipit.

V. 13. VENTRI, scilicet debetur, daturque licite. ESCIS, scilicet destinatus, seu subiectus. DESTRUET, id est quantum ad usum edendi, qui tandem cessabit. FORNICATIONI, scilicet servire debet. CORPORI, scilicet providebit, seu dabit præmium suum, ut statim explicatur; vel imperare debet.

V. 16. IN CARNE UNA; pro, in carnem unam, id est velut una caro, seu unus homo.

V. 17. UNUS SPIRITUS, id est unum spiritu, scilicet cum Deo.

V. 18. OMNE, scilicet aliud, scilicet fere. IN CORPUS, scilicet illud turpiter tractando.

V. 20. CORPORE VESTRO. Hic Græc. & Syr. additur, *& in spiritu vestro, quæ sunt Dei*

MARIANAE.

Verf. 1. AUDET. In hoc cap. reprehendit litigantes, ac fornicarios; ac culpat eos, præsertim qui ad iudices infideles recurrebant.

V. 3. ANGELOS IUDICABIMUS, id est dæmones iudicabimus per contrariam vitam. QUANTO MAGIS SAECULARIA: βιωτικά, id est *quæ ad vitam pertinent*, pecunia, victus. Et superius *minima* vocavit.

V. 5. AD VERECUNDIAM, id est ut vos pudefaciam dico; ut contemptibiles constituatis ad iudicandum, alioqui sapientes sunt inter vos qui id præstent.

V. 7. DELICTUM EST IN VOBIS. Non respondetis professioni & modestiæ cum inter vos litigatis. QUARE NON MAGIS INIURIAM ACCIPITIS? Διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσθε; Menander: Οὗτος κράτιστός ἐστ' ἀνήρ, ὦ Γοργία, ὅστις ἀδικεῖσθαι πλεῖστ' ἐπίσταται βροτῶν. Notum & illud: Οὐδὲν πέπονθας δεινόν, ἂν μὴ προσποιῇ. *Nil graue es passus, nisi tibi vendicas.*

V. 8. SED VOS INIURIAM FACITIS. Vos estis iniqui in fratres. Cum iniqui regnum Dei obtinebunt, quos sigillatim recenset, fornicarios, idololatras, alios.

V. 12. OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA EXPEDIUNT, &c. Gotth. *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant: omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Recte quod addit, si aliquo alio codice iuvaretur, sed id huc transtulit ex cap. x. 23. Sensus: Ut maxime liceret mihi litigare coram infideli, non expedit tamen, nec ego volo sub illius infidelis esse potestate: sic Anselmus & S. Thomas, quam expositionem præfero aliis.

V. 13. ESCA VENTRI. Hoc dicit, quoniam lites erant de iis quæ ad vitam pertinent de victu. Ventrem & escas contemnendas docet. HAS DESTRUET. Gotth. *hæc*, sed esset Græca constructio: βρώματα ταῦτα, genere neutro. Verum *esca* vox Latina postulat, ut dicatur *has*. Venter proximus est genitalibus; ideo hac occasione in fornicationem rursus invehitur. CORPUS AUTEM NON FORNICATIONI, scilicet servire debet.

V. 16. DUO IN CARNE UNA. Græc. *in carnem unam*, id est una caro, quasi corpus unum, fiunt meretrix & qui ad eam accedit. Quod de Adami coniugio dictum est, transfert ad fornicationem.

V. 18. IN CORPUS SUUM PECCAT. Qui fornicatur, ignominia illud afficit, quod non contingit in aliis peccatis, corpus peccantis non fœdant.

V. 19. NON ESTIS VESTRI. *Vestri ipsorum* in genitivo. Syr. *non estis vestri iuris.*

V. 20. PORTATE DEUM, id est exterius declarate hominibus vestram professionem. Græc. *glorificate ergo Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei:* sic etiam Syr. Noster Græca sic habuit: Δοξάσατε καὶ βαστάσατε τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν.

MENOCHII.

Vers. 1. ADVERSUS ALTERUM, id est adversus fratrem, sive Christianum. IUDICARI: iudicio contendere, litigare. APUD INIQUOS: apud iudices infideles. ET NON APUD SANCTOS: Christianos.

V. 2. AN NESCITIS QUIA SANCTI DE HOC MUNDO IUDICABUNT? quasi dicat, Si sancti cum Christo mundum iudicaturi sunt, quanto magis æquum est vos alios iudices non quærere quam illos? IN VOBIS IUDICABITUR MUNDUS: si a vobis iudicabitur mundus. INDIGNI ESTIS, &c. quanto magis per vos quasi arbitros minimæ vestræ lites componi debent?

V. 3. NESCITIS QUONIAM ANGELOS IUDICABIMUS? Christus enim & sancti iudicio proprie dicto iudicabunt Angelos, & homines; bonos quidem iudicio approbationis, laudis, & glorificationis; malos autem propriissime iudicio condemnationis. QUANTO MAGIS SAECULARIA; scilicet negotia, quæ ad communem hominum usum pertinent (hoc enim significat Græcum βιωτικὰ) subaudi, digni, & apti sumus iudicare.

V. 4. CONTEMPTIBILES QUI SUNT IN ECCLESIA, &c. potius quam Gentiles iudices, sive arbitros constituite ad iudicandum.

V. 5. AD VERECUNDIAM VESTRAM DICO, &c. quasi dicat: Hæc idcirco a me dicuntur, ut hanc potissimum ob causam iustum vobis pudorem incutiam: nam revera cui credibile videatur neminem esse inter vos tanta sapientia, ac prudentia præditum, qui fratrum controversias iudicare possit? INTER FRATREM SUUM: inter Christianos.

V. 7. DELICTUM EST. In Græco est ἥττημα a verbo ἡττῶμαι, quod est succumbo, cedo, frangor. Itaque ἥττημα animi quamdam impotentiam, & imbecillitatem significat, qua iræ, lucrive cupiditati succumbebant, & ad litigandum ante gentiles iudices incitabantur. IUDICIA HABETIS: lites, & controversias. QUARE NON MAGIS INIURIAM ACCIPITIS? id est, damnum patimini, ut decet Christianos. NOLITE ERRARE: existimantes aliqua ex his quæ enumerabo peccata non esse, saltem gravia, ut simplicem fornicationem.

V. 10.

V. 10. NEQUE MOLLES: μαλακοὶ, illi proprie sunt qui Catamiti dicuntur, scorta scilicet mascula. MASCULORUM CONCUBITORES: ἀρσενοκοῖται: sicut molles illi dicuntur qui turpia patiuntur, ita masculorum concubitores, qui eadem turpia peragunt. MALEDICI: λοίδοροι, qui in alios iaciunt convicia.

V. 11. ET HAEC QUIDAM FUISTIS; id est, fuerunt etiam aliquando ex vobis aliqui, qui se hisce peccatis macularent. SED ABLUTI ESTIS: sed has peccatorum sordes per baptismum, & pœnitentiam abstersistis. SED SANCTIFICATI ESTIS: non solum labes scelerum abluistis, sed simul etiam sanctitatem divinæ gratiæ consecuti estis. IUSTIFICATI ESTIS, id est veram iustitiam per baptismum adepti. IN NOMINE IESU CHRISTI, id est per meritum Domini, ac redemptoris nostri Iesu Christi. Tota enim iustificatio, & renovatio nostra a principio usque ad finem adscribenda est merito passionis Christi. ET IN SPIRITU DEI NOSTRI, id est virtute Spiritus sancti, a Deo nostro procedentis. Huic enim auctori ea quæ ad sanctificationem nostram pertinent, peculiariter in sacris litteris adscribi solent.

V. 12. OMNIA MIHI LICENT: quæ scilicet sunt indifferentia, quale est repetere suum in iudicio, quatenus simpliciter prohibitum non est, nec per se malum, nec tamen expedit, propter rationes initio capitis indicatas; quasi dicat: Hæc contra iudicia dixi, non quasi illicitum sit ex se in iudicio sua repetere, sed quod nolim sub aliorum, scilicet iudicum, advocatorum, procuratorum, maxime infidelium potestatem vos redigi. OMNIA MIHI LICENT, SED EGO SUB NULLIUS REDIGAR POTESTATE. Sensus est, Multa mihi licent, quæ tamen facere nolim, ne redigar sub alienam potestatem.

V. 13. ESCA VENTRI; scilicet destinata est, sicut venter escis; quasi dicat: Cur lites suscipitis propter temporalia, quæ se re ad escas, & ventrem tendunt? esca enim res vilis est ad hoc facta ut in ventrem demittatur, venter autem est corporis pars admodum ignobilis, ut pudere nos debeat huius causa tantas lites movere. HUNC, ET HAS DESTRUET: cum moriemur, aut post resurrectionem in qua sicut homines *nec nubent, nec nubentur*, ita nec comedent, aut bibent. CORPUS AUTEM NON FORNICATIONI; scilicet destinatum est. SED DOMINO; ut illi casto corpore, & probatis moribus serviamus. ET DOMINUS CORPORI; id est, Christus corpori nostro damnatus est in caput; quasi dicat, Ergo corpora nostra non fornicationi, sed Christo capiti, quasi membra pure servire debent.

V. 14. DOMINUM SUSCITAVIT: Christum scilicet crucifixum & mortuum. ET NOS SUSCITABIT: ad vitam immortalem, in qua cessabit usus membrorum ad ea quæ sunt huius corruptibilis vitæ. PER VIRTUTEM SUAM; potentia sua.

V. 15. CORPORA VESTRA MEMBRA SUNT CHRISTI: quamquam enim Christus corporis sui mystici caput sit præcipue ratione animæ, cui impertit fidem, gratiam, &c. tamen secundario respicit etiam corpora, quæ sunt animæ instrumenta, iisque largitur vim, & facultatem, qua facile sese animæ imperio subiiciant. TOLLENS ERGO MEMBRA CHRISTI, &c. quasi dicat: Sane rem indignam facit qui fornicatur, nam membra sua, quæ quodammodo Christi sunt, cui tamquam capiti agglutinatur, tradit meretrici.

V. 16. UNUM CORPUS EFFICITUR: per corporum unionem, & commixtionem. DUO IN CARNE UNA, id est duo sunt una caro: citat locum Genes. II. 24.

V. 17. EST UNUS SPIRITUS; unus caritate, voluntatis consensu, gratia, & gloria, quæ hominem faciunt quasi divinum & Deum, ut cum Deo quasi unus, idemque sit spiritus.

V. 18. FUGITE FORNICATIONEM. Peculiare est huic vitio, ut fugiendo potius, quam pugnando vincatur. OMNE PECCATUM, pleraque peccata. EXTRA CORPUS EST; id est, tale est ut proprium peccantis corpus non polluat, & maculet. EXTRA CORPUS EST; id est, tale est ut proprium peccantis corpus non polluat, & maculet. IN CORPUS SUUM PECCAT, quia dehonestat illud, & ignominia afficit fœdam libidinem exercens.

V. 19. MEMBRA VESTRA TEMPLUM SUNT SPIRITUS SANCTI: nam in iustis est Spiritus sanctus, ut indicant sequentia, & latius diximus Act. II. 4. QUEM HABETIS A DEO: qui illum in vos misit. ET NON ESTIS VESTRI, id est vestri iuris, ideoque si for-

si fornicamini corpore, quod vestrum non est, abutimini.

V. 20. EMPTI ENIM ESTIS PRETIO MAGNO: non estis vestri iuris, cum sitis servi emptitii, magno pretio Christi sanguinis redempti. GLORIFICATE, ET PORTATE DEUM IN CORPORE VESTRO; castum illud servando in obsequium spiritus, & Dei.

TIRINI.

Vers. 1. INIQUOS vocat Ethnicos, Gentiles & profanos iudices, quia sicut fide, ita & iustitia carent, non modo Christiana, sed & morali ac politica. SANCTOS vocat Christianos ob rationem supra allatam *a*.

V. 2. SI IN VOBIS, id est per vos Christianos, in extremi iudicii die IUDICABITUR totus MUNDUS, *b* an vestromet calculo INDIGNI ESTIS QUI DE MINIMIS inter vos oboitis litibus IUDICETIS?

V. 3. NESCITIS QUOD in die universalis iudicii, una cum Christo IUDICABIMUS non modo homines, sed & ANGELOS? & quidem proprie dicto iudicio. *Bonos* quidem iudicio approbationis, laudis & glorificationis: *malos* vero iudicio exprobrationis & condemnationis. Unica enim est Ecclesia Christi ex angelis & hominibus conflata: unum omnium caput, princeps & iudex Christus. Et hoc pertinet ad maiorem laudem & gloriam tum divinæ iustitiæ, tum ipsorummet angelorum & hominum: ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, Suarez *c*.

V. 4. SAECULARIA; græce, βιωτικὰ, id est ad communem vitæ usum spectantia, negotia SI HABUERITIS inter vos controversa, CONTEMPTIBILES, id est viliores & abiectiores Christianos, potius quam Gentiles, eligite, & iudices vel arbitros vobis CONSTITUITE.

Nota, hæc iudicia etiam causarum sæcularium inter Christianos committi consuevisse Episcopis: (sed Corinthi tum temporis nullusdum erat Episcopus, inquit S. Ambrosius:) vel delegatis ab Episcopo Presbyteris, ut constat ex Clemente Romano *d*, ex lege *e* Theodosii & Caroli Magni, & ex antiquo Ecclesiæ usu. Iudices enim in his causis sederunt Gregorius Thaumaturgus, Neocæsariensis *f*, S. Ambrosius, Augustinus, Synesius *g* & alii Episcopi. Sed crescente nimis numero Christianorum simul & litium, onus hoc reiectum in humeros iudicum sæcularium iam Christianorum, *ne* (ut ab initio S. Petrus apud eumdem Clementem *h* recte monuit) *Episcopus præfocatus sæcularibus negotiis, non possit vacare verbo Dei*.

V. 7. DELICTUM EST, QUOD talia, vel tali modo, IUDICIA HABETIS INTER VOS: neque enim vetat Christianis iudicia, ut volunt Anabaptistæ: (nam omnibus præcedentibus versibus illa permittit, dummodo fiant apud iudices Christianos:) sed solum iubet declinari Ethnicorum tribunalia, ad quæ passim convolabant Corinthii non tam amore iustitiæ, quam iræ, lucri *i*, contentionis affectu, idque cum scandalo tum aliorum Christianorum, tum etiam ipsorummet Ethnicorum, qui Christi fidem ideo quoque contemnebant. Alioqui cum necessitas, seu publica, seu privata, urget, licere etiam apud Ethnica tribunalia litigare, patet exemplo ipsiusmet Pauli, ad Cæsaris tribunal appellantis k. QUARE NON MAGIS INIURIAM ACCIPITIS, seu PATIMINI, & FRAUDEM. Græ. ἀποστερεῖσθε, id est damno vos affici sinitis? supple, ut decet novos Christianos, pacem & perfectionem professos, idque primo spiritus fervore, in tanta fidelium paucitate & hostium multitudine. De quo pluribus alibi *l*.

V. 9. NOLITE ERRARE, existimantes aliqua ex his quæ vel recensui, vel recensebo, non esse gravia peccata, ut quidam Philosophi vos docent, v. g. de simplici *fornicatione:* quam constat etiam lege naturæ *m*, & non sola Mosaica *n* vel Christiana prohibitam esse, ut optime docet Sanchez *p*, a Lapide & alii.

V. 10. MOLLES; græce, μαλακοὶ, scorta sunt mascula, seu qui turpia patiuntur & *catamini* vocantur, inquit Menochius. Sed Syrus in genere vertit *corruptores*, puta sui ipsorum, per voluntariam pollutionem, ut plerique exponunt.

V. 12. OMNIA MIHI LICENT: nempe adiaphora, & legibus non prohibita, inquit Chrysostomus. Occurrit Apostolus tacitæ Corinthiorum obiectioni: Si iure naturæ licet, coram tribuno, etiam Ethnico, lites instituere; cur adeo in illo inveheris? Respondet, Non invehor quia non li-

licent, SED quia NON EXPEDIUNT vobis: & quia nolo, seu me, seu vos *sub alienorum iudicum redigi potestatem*: ita S. Anselmus, Syrus & S. Thomas.

V. 13. ESCA VENTRI, ET VENTER ESCIS, supple, destinatus est. Diluit alteram obiectionem, nempe: Lites tot & tantas suscipimus, ut bona nostra, alioqui peritura, vel stabiliamus, vel recuperemus. Respondet: Egregia sane bona, quæ fere solis escis & ventri subserviunt, rebus vilissimis, & quæ necessario semel a *Deo destruentur*. Atque utinam solido & æterno corporum vestrorum bono studeatis! neque illa conspurcetis *fornicatione*, cui sane destinata non sunt, SED DOMINO, id est Christo, ut illi tamquam capiti nostro, castis membris serviamus & inhæreamus: sicut DOMINUS Christus caput nostrum CORPORI suo, id est nobis, membris suis, castissime adest, & cælesti influxu suo inhæret. Decet enim ut tam casto capiti membris omnino castis serviamus & inhærea mus. Et hoc est secundum argumentum quo improbat *fornicationem*. Nam primum proposuit vers. 9. & 10. quia *fornicarii regnum Dei non possidebunt*. Tertium proponitur.

V. 14. SUSCITABIMUR, si casti fuerimus, ad insignem gloriam cum Christo. Quartum:

V. 15. & 16. QUONIAM CORPORA nostra, quæ MEMBRA SUNT CHRISTI, per fornicationem fiunt MEMBRA MERETRICIS, & quidem vinculo arctissimo, & (ex natura sua) moraliter indissolubili, ex duobus UNA CARNE conflata, ut Scriptura testatur *q* de iunctis matrimonio: actus enim externi, seu coniugum, seu fornicantium, non differunt secundum speciem naturæ, licet in ratione moris, etiam genere differant, cum fornicantium actus sint libidinis & vitii; coniugum vero actus sint temperantiæ, iustitiæ & virtutis, inquit S. Thomas. E contrario

V. 17. QUI casto corpore & animo ADHAERET DOMINO, UNUS cum eo fit & est SPIRITUS, non essentialiter, ut voluit Almaricus, & quidam illuminati, teste Ruisbrochio *r*; sed accidentaliter: unus, inquam, caritate, consensu, gratia, gloria, quæ hominem faciunt *divinæ consortem naturæ s* & quasi Deum: ita S. Ambros. Oecumen. & Anselmus. Casta enim anima, inquit Basilius *t*, sponsa est Dei, in divinæ imaginis excellentiam, &, ut addit Bernardus *u*, in bonorum omnium communicationem translata.

V. 18. FUGITE FORNICATIONEM, id est illecebras & occasiones fornicationis, nempe turpes cogitationes, aspectus, colloquia, consortia. Nam peculiare est huic vitio, ut fugiendo potius quam pugnando vincatur, sicut docet Cassianus, Anselmus & alii Patres. Sequitur quintum argumentum: OMNE aliud PECCATUM, *quod homines* ordinarie committunt, EXTRA CORPUS EST, non maculans illud, neque defœdans: QUI AUTEM FORNICATUR, IN CORPUS SUUM PECCAT: quia primo, fœda pudendaque libidine illud contaminat, dedecorat, dehonestat, inquit Nyssenus *x*. Secundo, etiam debilitat & nobilissimis spiritibus exhaurit, & sæpe lue venerea & aliis morbis inficit & conficit, ut S. Athanas. notat apud Oecumenium. Tertio, facit illud ex nobili, libero & ingenuo sordidum mancipium libidinis & concupiscentiæ; iuri, potestati, dominio vilissimæ meretricis illud subiiciens & alligans: perinde ac si vegetum, speciosum, nobile alicuius corpus alligaret corpori alterius putidi leprosi, qua quæ maior iniuria posset generoso corpori inferri?

V. 19. MEMBRA VESTRA TEMPLUM SUNT SPIRITUS SANCTI, de quo supra *y*. Et hoc est sextum argumentum. Sequitur septimum. ET NON ESTIS VESTRI iuris.

V. 20. EMPTI ENIM ESTIS a Deo, & quidem MAGNO PRETIO, nempe sanguine unigeniti Filii Dei. Cum ergo sitis servi emptitii, maximam iniuriam facitis Deo si corpore, quod vestrum non est, sed Dei, abutamini in ipsiusmet Dei ignominiam. Unde suadeo, & quanto possum affectu rogo, GLORIFICATE ET PORTATE DEUM non minus IN CORPORE, quam *in spiritu vestro* (ut addunt Græca:) id est, impendite illud obsequio & servitio solius Dei & gloriæ divinæ. Equus enim (ut ait S. Thomas) si generosus est, non alium quam proprium herum admittit sessorem, & ad eius solius nutum movetur.

Porro Corinthios eguisse huiusmodi stimulis, quibus a fornicatione arcerentur, vel ex eo colligas, quod teste Herodoto *z* & Strabone, fanum Veneris Corinthi supra

pra mille haberet facrorum famulas meretrices, deæ dicatas, & insuper innumeras virgines quæ quotidie lenonibus exponebantur: quod illæ sibi honori & pietati ducebant, captantes hac via felix sibi matrimonium. Et *Cothys* ibidem colebatur Deus & præses effeminatorum & impudicorum, inquit Suidas *aa*. Unde & in proverbium abierat κοτυτιάζειν, id est lascivire, genio & libidini indulgere.

(a) Rom. I. 7.
(b) Matt. XIX. 28.
(c) Suarez III. p. q. lIX. disp. lVII. sect. VIII.
(d) Clem. II. Constitut. Apostol. cap. xlIX. & seq. & epist. I. ad Iacobum Frat. Dom.
(e) Causa XI. q. I. an. *Quicumque* & can. *Volumus*.
(f) Nyssen. in eius Vita.
(g) Ambros. Lib. II. Offic. cap. xxix. August. de Opere Monachor. cap. xxvI. Synes. ep. lvII. & lvIII.
(h) Clem. ep. I. ad Iacobum fratr. Dom.
(i) Hic vers. 8.
(k) Actor. XXV. 21.
(l) Matt. V. 39.
(m) Sexto præcepto Decalogi.
(n) Deut. XXII. 21, & Num. XXV. 9.
(p) Sanchez in 6. præcepto.
(q) Gen. II. 24.
(r) Ruisbrochius Lib. de Alta contemplatione.
(s) II. Petr. I. 4.
(t) Basil. Lib. de Vera virginit.
(u) Bern Serm. VII. in Cant.
(x) Nyssenus orat. in hanc sententiam.
(y) Hic cap. III. 16.
(z) Herod. in Clio. parabol. VIII.
(aa) Suidas verbo *Cothys*.

G O R D O N I.

Vers I. & 2. SANCTI, hoc est Christiani non debent iudicari ab infidelibus iniquis iudicibus. Propositio hæc seipsam utcumque probat ex antithesi inter sanctos causæ actores, & iniquos iudices. Ratio alia est: Sancti Christiani mundum iudicabunt: quanto magis per eos possent definiri lites vestræ minimæ quas inter vos habetis. Immo & Angelos iudicabunt cum Christo. Agitur hic cum de mundo & Angelis loquitur de die generali iudicii. Ceterum Paulus hic non reprehendit Christianos, qui coacti trahebantur ad forum infidelium, & quod declinare non poterant; sed arguit Christianos vel sponte adeuntes infidelium tribunalia, vel ad illa alium Christianum trahentes.

V. 4. CONTEMPTIBILES. Si qui sint inter vos contemptibiles, satius vobis esset eos esse vestros iudices, quam infideles. Et vero an non habetis aliquem sapientem ex vobis qui iudex sit? quis hoc credet?

V. 7. IAM QUIDEM OMNINO. Redit ad reprehensionem communium delictorum hac transitione; quasi diceret: Non solum a contentione coram infidelibus abstinere oporteret: sed nec causam contentioni dare deberetis memores vos esse Christianos, quorum potius est fraudem pati, quam damnum alteri inferre. Iniquorum non est regnum cælorum, nec eorum qui hæc faciunt quæ sequuntur. Quod est vers. 17. ἥττημα, designat animi in rebus arduis pusillanimitatem: ἡττάω, *vinco*, ἡττάομαι, *succumbo*, aut *vincor*.

V. 10. NEQUE MOLLES. Hi sunt, nisi resipiscant, quibus paratur supplicium æternum. Docent passim Theologi in explicatione Decalogi, non solum adulterium, sed simplicem etiam fornicationem inter solutum & solutam esse contra naturæ legem & Decalogum, Exod. XX. & Tob. cap. I. Repugnat institutioni matrimonii, & educationi prolis vagus concubitus. Paulus propterea hic distinxit fornicationem ab adulterio. Inter hæc gravissima flagitia sunt molles (*catamiti*) qui inter masculos turpia agunt, vel patiuntur. (ἀρσενοκοῖται,) maledici seu conviciorum opifices, & alii quos damnat hic Paulus.

V. II. ET HAEC QUIDAM FUISTIS. Fuerunt tales aliqui inter vos ante Christianismum; sed sanctificati estis per baptismum, quem accepistis, & per pœnitentiam, per gratiam Christi acceptam, abluti estis. Nihil in hac iustificatione de fiducia inani Calviniana, & nuda imputatione imaginaria. De virtute baptismi lege Nazianzenum orat. funebri de Cypriano: belle damnat Calvinum nondum natum.

V. 12. OMNIA MIHI LICENT. Locus obscurus, & varie a multis explicatus. Multa dixit Paulus contra recensita flagitia, & hic insequenter reprehensurus est fornicationem. Diceret iam forte aliquis durum esse, tot legibus velle frænum iniicere humanæ voluntati, præsertim cum ad hæc omnia peccata habeat homo liberum arbitrium; & sic pro naturali libertate sint licita volenti. Respondet Paulus non omnia quæ sic licent expedire, aut esse salutaria. Licet quidem sic, & potest homo indulgere gulæ, ventri & escis, unde na-

fci

sci solent fornicationis flagitia: sed non expedit, nam Deus tandem ventrem & escas disperdet. Quid ergo? sanior certe mens est quæ cogitat in hac parte totum corpus esse non fornicationi, sed Deo dicatum, & fore ut Deus illud resuscitet ad immortalitatem. Ita locum exponunt Theodoretus & Oecumenius. Favet multum Græcus codex, ubi τὸ ἔξεςι, *licet*, restringitur per τὸ, συμφέρει, quod est, conferre ad salutem.

V. 15. NESCITIS. Clare iam & sex argumentis usque ad finem capitis probat fugiendam esse fornicationem, &. probrosam hanc corporis turpitudinem: 1. quia corpus est Dei. 2. quia resurget. 3. est membrum Christi. 4. est templum Spiritus sancti. 5. turpis contaminatio est. 6. redemptum sanguine Christi. En quam fœdum sit meretricium. Nec mirum est Apostolum sic urgere Corinthios, hoc vitio pene olim infames. Hinc κορινθιάζειν, erat libidini & genio indulgere. Colebatur apud eos ex Suida Cothys, Dæmon impudicorum, tam erant in Venerem fœdam propensi Corinthii.

CAPUT VII.

Corinthios instruit de matrimonio, eiusque usu & indissolubili vinculo, innuptis commendans cælibatum: & quomodo fidelis cum coniuge infideli se habere debeat: quodque unusquisque in quo vitæ statu ad fidem vocatus est, permaneat: virginitatem matrimonio præfert, uxorem mortuo marito liberam dicens, ut cui velit in Domino nubat.

1. DE quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: 2. propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat: 3. (*a*) Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. 5. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in id idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. 6. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. 7. * Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. 8. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. 9. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri. 10. Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, (*b*) uxorem a viro non discedere: 11. quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. 12. Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. 13. * Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: 14. sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 15. Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocavit nos Deus. 16. Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies? 17. nisi unicuique sicut divisit Do-

Dominus, unumquemque ficut vocavit Deus, ita ambulet, & ficut in omnibus Ecclefiis doceo. 18. Circumcifus aliquis vocatus eft? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus eft? non circumcidatur. 19. Circumcifio nihil eft, & præputium nihil eft: fed obfervatio mandatorum Dei. 20. (c) Unufquifque in qua vocatione vocatus eft, in ea permaneat. 21. Servus vocatus es? non fit tibi curæ; fed & fi potes fieri liber, magis utere. 22. Qui enim in Domino vocatus eft fervus, libertus eft Domini: fimiliter qui liber vocatus eft, fervus eft Chrifti. 23. (d) Pretio empti eftis, nolite fieri fervi hominum. 24. * Unufquifque in quo vocatus eft, fratres, in hoc permaneat apud Deum. 25. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: confilium autem do, tamquam mifericordiam confecutus a Domino, ut fim fidelis. 26. * Exiftimo ergo hoc bonum effe propter inftantem neceffitatem, quoniam bonum eft homini fic effe. 27. Alligatus es uxori? noli quærere folutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. 28. Si autem acceperis uxorem: non peccafti. Et fi nupferit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt huiufmodi. Ego autem vobis parco. 29. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve eft: reliquum eft, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes fint: 30. & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non poffidentes: 31. & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura huius mundi. 32. Volo autem vos fine follicitudine effe. Qui fine uxore eft, follicitus eft quæ Domini funt, quomodo placeat Deo. 33. Qui autem cum uxore eft, follicitus eft quæ funt mundi, quomodo placeat uxori *, & divifus eft. 34. Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini funt; ut fit fancta corpore, & fpiritu. Quæ autem nupta eft, cogitat quæ funt mundi, quomodo placeat viro. 35. Porro hoc ad utilitatem veftram dico: non ut laqueum vobis iniiciam, fed ad id, quod honeftum eft *, & quod facultatem præbeat fine impedimento Dominum obfecrandi. 36. Si quis autem turpem fe videri exiftimat fuper virgine fua, quod fit fuperadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, fi nubat. 37. Nam qui ftatuit in corde fuo firmus, non habens neceffitatem, poteftatem autem habens fuæ voluntatis, & hoc iudicavit in corde fuo, fervare virginem fuam, bene facit. 38. Igitur & qui matrimonio iungit virginem fuam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. 39. (e) Mulier alligata eft legi quanto tempore vir eius vivit: * quod fi dormierit vir eius, liberata eft: cui vult nubat: tantum in Domino. 40. Beatior autem erit fi fic permanferit, fecundum meum confilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.

(a) I. Pet. III. 7. (b) Matt. v. 32. & XIX. 9. Marc. x. 9. Luc. XVI. 18. (c) Ephef. IV. 1.
(d) Sup. VI. 20. I. Pet. I. 18. (e) Rom. VII. 2.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verf. 7. Volo enim omnes vos effe ficut meipfum. Correctores mutarunt coniunctionem adverfativam *autem* in caufalem *enim*, & nomen *homines* in pronomen *vos*: vulgo enim legitur: *Volo autem omnes homines*.

Verf. 13. Et fi qua mulier fidelis. Hic noluerunt omitti *τὸ fidelis*.

Verf. 24. Unufquifque in quo vocatus eft, fratres. Servandum eft plurale *fratres*, non fubftituendum fingulare *frater*. Sequitur: *In hoc permaneat apud Deum*. Pro compofito quidam legunt fimplex *maneat*, fed plurale *maneant* non eft admittendum.

V. 26.

Verſ. 26. *Exiſtimo ergo hoc bonum*. Pro *ergo*, quidam *enim*; quidam *autem* ſcribunt.

Verſ. 33. *Et diviſus eſt: & mulier innupta & virgo cogitat*. Olim ante Hieronymianam correctionem fere legebant latini codices: *diviſa eſt mulier & virgo. Quæ innupta eſt, cogitat*.

Verſ. 35. *Et quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi*. Correctores prætulerunt τὸ *obſecrandi*, quod eſt orandi, ei quod multi legunt *obſervandi*, quod eſt colendi.

Verſ. 39. *Quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt*. Non addas *a lege*, ſed intelligas.

NOTATIONES.

Verſ. 33. & 34. DUplex hoc loco eſt lectio. Prior eſt: *Solicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Et mulier* (*quæ eſt* 2. MS.) *innupta & virgo cogitat quæ Domini* (*Dei* o.) *ſunt*. Hæc Latinorum hodie fere codicum eſt; quam auctor commentariorum quæ apud Hieronymum exſtant, Primaſius, Haymo, atque hoc poſteriores Latini Enarratores edifferunt, & B. Ambroſius initio libri De viduis profert. Poſterior eſt: *Solicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori. Diviſa eſt mulier & virgo. Quæ innupta eſt, cogitat quæ Domini ſunt*. Iſta Græcorum hodie fere librorum eſt; ita enim habent, μεμέρισαι (ϗ R.) ἡ γυνὴ ϗ ἡ παρθένος, ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ &c τὰ ἑξῆς; quibus Syrici conſonant „ (differentia autem eſt, ſcribunt, inter uxorem & virginem. Ea quæ viro non eſt &c. ") & interpretes Græci Chryſoſtomus, Theophylactus, atque Oecumenius, & inter Latinos Sedulius adſtipulantur, cum D. Baſilio libro De vera virginitate. Hunc ad modum Hieronymus citat tum contra Helvidium diſputans (cap. x.) tum Euſtochium ad cuſtodiendam virginitatem adhortans (cap. ix.) Eumdem ad modum reperi in duobus antiquis Latinis libris ſcriptum, Malmundarienſi maiori, & T. quamquam hoc habeat: *Et diviſæ mulier & virgo*; illud: *Et diviſa eſt mulier & virgo*. (*a*) Ceterum ex hoc atque aliis locis conſtat exemplaria hæc multa ex veteri editione ſervare, quæ in noſtra emendata ſunt. Hieronymus enim primi adverſus Iovinianum libri VII. cap. teſtatur fuiſſe hanc ſuo tempore Latinorum codicum lectionem; ſed alteram quam in Græcis ſuis videtur habuiſſe antigraphis, ut quæ Apoſtolice ſit veritatis probat. Quare ex D. Hieronymi emendatione hanc in noſtræ editionis eſſe libris manifeſtum eſt. Hieronymi Grecis antigraphis duo obſervarunt Pariſienſes, ſ & ια ſimiliter legentia. Nos unum a Simone Colinæo anno 34. excuſum: ϗ μεμέρισαι ϗ γυνὴ ἡ ἄγαμος ϗ ἡ παρθένος μεριμνᾷ. Commentaria quæ ſunt in Ambroſii operibus lectionem habent ex dictis duabus compoſitam: *Quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*. Diviſa eſt mulier & virgo. Quæ non eſt nupta, ſolicita eſt de iis quæ Domini ſunt.

(*a*) Pl. m. habuit: *Et diviſa eſt mulier innupta & virgo cogitat*.

COMMENTARIA

GAGNÆI.

Verſ. 1. BONUM EST HOMINI. Quia erant Corinthi pſeudoapoſtoli, qui Chriſtianis factis, & uxoratis, rei uxoriæ interdicerent, quaſi damnabiles eſſent nuptiæ; ea de re turbati Corinthii Paulo ſcripſerant, quibus ille reſpondet; *bonum eſt homini mulierem non tangere*, Græce, γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι, id eſt mulieri non adhærere & adglutinari; quaſi diceret Paulus, Præſtaret, ſi per utriuſque conſenſum ac citra incontinentiæ periculum fieri poſſet, uxore ſua abſtinere. Quod enim de iam coniugatis loquatur, hinc manifeſtum eſt, quod ait *bonum eſt non adglutinari mulieri*, id eſt uxori. Nam idem eſt verbum quod poſtea vertit uxorem. Quod ſi de ſolutis intelligeret, dixiſſet, malum eſſe homini mulierem tangere; neque hoc quærebant Corinthii, an bonum eſſet nubere, ſed nuptis bonumne eſſet, quum ad fidem converſi eſſent, rei uxoriæ operam dare; ſic enim Gr. ſcholia, ἔγραψαν τῷ παύλῳ, εἰ δεῖ ἀπέχεσθαι γυναικὸς, ἢ οὔ, id eſt *ſcripſerant Paulo, ſi oporteret ab uxore abſtinere, an non*.

V. 2. UNUSQUISQUE SUAM UXOREM. De multis per epiſtolam Paulum rogaverant Corinthii; primum, num poſt fidem acceptam continere deberent, & uxores relinquere, quod pſeudo-apoſtoli ſuadebant. Deinde, num virgines ſuas matrimonio collocare poſſent. Demum ſi duorum ethnicorum altero converſo alter infidelis remaneret,

neret, num conversus discedere ab infideli posset. Ad primum ergo respondet Paulus, quod bonum, Gr. τὸ καλὸν, id est egregia res (inquit Thophylactus) esset, si prorsus ab uxoris contubernio abstinere vir posset citra omne periculum: propter fornicationem tamen vitandam, inquit, UNUSQUISQUE SUAM UXOREM HABEAT. Gr. ἐχέτω, id est non relinquat, sed illi adhæreat, eam sequatur, illa utatur: id enim significat verbum ἔχομαι; unde Hieronymus adversus Iovinianum Lib. I. explicans hunc locum ait, Non dixit, unusquisque propter fornicationes ducat uxorem; sed unusquisque suam uxorem habeat: suam, inquit, habeat, sua utatur quam habebat antequam crederet. Omnis hæc quæstio de iis est qui in matrimonio sunt deprehensi; an ne liceat uxores dimittere. Sic explicat & Chrysost. *habeat*, id est utatur sua.

V. 3. DEBITUM REDDAT; ut scilicet quando exigitur, liberis operam det: id enim vocat debitum, & Græci hoc loco verecundius τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν, id est *debitam benevolentiam*.

V. 5. NOLITE FRAUDARE INVICEM, id est nolite debitum negare: vel hinc conjicitur uxoratis loqui: alioqui quam fraudaret, qui uxorem non duxit? ORATIONI. Gr. addunt hoc loco & τῇ νηστείᾳ, id est *& ieiunio*.

V. 6. SECUNDUM INDULGENTIAM. Græc. κατὰ τὴν συγγνώμην, *& non secundum imperium*. Quum enim dixisset Paulus, uxori vir debitum reddat, & unusquisque uxori suæ adhæreat, ne videretur fræna laxare concupiscentiæ, hoc, inquit, non præcipio, sed indulgeo, prout quisque commodum viderit. Et certe Oecumenius Græcus hanc indulgentiam refert ad id quod præcessit, *Nolite fraudare invicem*, cuius verba ita vertimus: non enim quemadmodum τὸ non occides, non mœchaberis: sic etiam istud, nolite fraudare, præceptum aliquod est: neque qui id perficit, laude dignus est tamquam si legem servaverit. Ideo secundum indulgentiam inquit Paulus, hoc dixi, infirmitati vestræ condescendens.

V. 7. SICUT MEIPSUM, id est, quantum ad me attinet, vellem omnes meo exemplo continentes esse: sic enim Græcus Theodoritus, εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτὸν, *esse sicut meipsum*, scilicet (inquit) ἐν ἐγκρατείᾳ, id est *in continentia*: & Oecumenius Græcus, παρθένος ἦν ὁ παῦλος, καὶ ἐπειδὴ εἶπε θέλω πάντας εἶναι ὡς ἐγὼ φησὶ τὸ μένειν παρθένον, id est, virgo erat Paulus, & quum dicat, volo unumquemque esse sicut ego sum, intelligit manere virginem.

V. 8. SI SIC PERMANSERINT, &c. Et hinc quoque conjicitur vel uxorem non duxisse Paulum, aut certe continentem vixisse. Ambrosius hinc conjicit virginem fuisse; & quod Paulus ait, DICO NON NUPTIS ET VIDUIS, arguit eum præcedentia de conjugatis intellexisse.

V. 9. QUOD SI NON SE, &c. Neque hoc loco præceptum est, sed indulgentia, neque statim sequitur, quod cuivis liceat nubere, non magis quam ex loco sequenti, si nupserit virgo, non peccat, ubi virgines sacras non intelligit Paulus, ut illic dicemus: sic neque hoc loco sacerdotio mancipatos, aut qui alias continentiam voverint.

V. 10. IIS AUTEM QUI MATRIMONIO. Initio capitis de conjugatis solverat quæstionem a Corinthiis propositam, respondens præstare ab usu uxoris ut abstinerent, si possent; sin minus, illi propter vitandam fornicationem adhærerent. Quoniam vero sermonem interposuerat de innuptis & viduis, rursum ad eos redit, alterum scrupulum solvens, quod essent, qui inter Christianos matrimonia non admitterent, & contracta dissolverent, quasi ea fidei nocerent: quibus ait Paulus, *rursum iis qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus*, ut neque vir ab uxore discedat, nec contra. Nam Matth. v. & xix. de non dimittenda uxore cavetur hoc modo: *Dictum est autem, quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii: ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat*: quibus verbis duo Christus innuit; prius ne quo ad carnalem cohabitationem divortium fiat, nisi ob fornicationem, quod tunc se uxor iure exigendi debiti privat: deinde ne quis ob fornicationem dimissam, alterius uxorem sibi adsciscat; quod sic adulter esset: unde constat non esse verum divortium: quapropter & hunc locum explicans Paulus: *præcipio*, ait, *non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si* ob causam a Christo permissam

sam *discesserit*, *manere innuptam*. Certe Augustinus putat hoc loco intelligere Paulum de coniugatis tantum Christianis, in qua etiam sententia est Oecumenius Græcus.

V. 12. NAM CETERIS. Vult his & sequentibus verbis, quod si quis infidelium ad fidem convertitur altero manente in infidelitate, non dirimatur propterea matrimonium, modo qui remanet infidelis consentiat, scilicet citra iniuriam creatoris & fidei, fideli cohabitare: quia ut Græci hic dicunt: Si fideli statim infidelem abiicere liceret, omnia plena turbatione ac tumultibus essent: porro etiam plerumque contingit infidelem a fideli converti. Ideo non vult Paulus huiusmodi matrimonia dirimi: quamquam August. propter hæc verba, *dico ego*, *non dominus*, dicat esse consilium Christiano, ut infidelem etiam consentientem retineat, aut si velit, abiiciat. Theodoritus Græcus ait esse præceptum, solvens divi Augustini rationem, cuius verba ita vertimus: Dico ego, pro eo quod est, non invenio huiusmodi legem in divinis Evangeliis scriptam, nunc vero illam addo. Quod enim ipsius Apost. leges, domini Christi leges sint, manifestum est in iis, qui divinas scripturas callent. Ipsius enim vox illa est, An experimentum quæritis loquentis in me Christi? & illud, Non ego, sed gratia Dei mecum: sic & hoc loco, sanctissimo Spiritu per eum loquente legem tulit Apostolus: hoc Theodoritus.

V. 14. ALIOQUI, id est non derelinquat fidelis infidelem sibi consentientem, ALIOQUI FILII VESTRI IMMUNDI ESSENT, id est censerentur pro adulterinis, utpote de vero matrimonio, quod dissolutum est, nati nunc sancti sunt, id est legitimi, vel alioqui filii vestri qui per communem utriusque consensum in fide educati sunt & sancti, immundi, id est infideles fierent, potissimum ii qui parentem sequerentur infidelem. Periculum enim esset ne in odium divortii seducerentur ab infideli parente relicto.

V. 15. QUOD SI INFIDELIS DISCEDIT, χωρίζεται, id est separatur, ac dissolutionem quærit, & cohabitare non vult cum fideli, aut non vult sine creatoris contumelia, quod idem est, discedat etiam & fidelis, & alteri (si velit) nubat. NON ENIM SUBIECTUS EST FRATER, id est Christianus, IN HUIUSMODI: quem locum sic Græcus Photius explicat: Non oportet, inquit, matrimonium dissolvere: siquidem pars infidelis cum fideli habitare consentit, sin autem seditiosus est infidelis, & dissolutionem facit, non sic est illi fidelis ubnoxius, ut discedere quoque illi non liceat: quinimmo matrimonium infideli dissolvente, liberum quoque est fideli discedere, verumtamen (inquit Photius) liber est per infidelis defectionem matrimonium solvere. IN PACE AUTEM, id est si seditiosus est, nec tecum habitare consentit, noli illum retinere nolentem, quinimmo & tu discede, alioqui futuræ sunt inter vos rixæ & dissensiones. In pace autem vos vocavit Deus, id est ad pacem: nam frequens est Paulo sumere ἐν pro εἰς, id est *in* pro *ad*: quod autem noster interpres legit, *vos*, Græci quidam habent *nos*: sed facilis est transitus ab ὑμᾶς ad ἡμᾶς. Quomodo autem in pace vocavit nos Deus? quum Matth. x. dicat Christus, *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram*, *non veni pacem mittere sed gladium*, *veni enim separare hominem adversus patrem suum*, *& filiam adversus matrem suam*, *& nurum adversus socrum suam*: verum ille gladius spiritualis quia bellum habet & inimicitias cum mundo, carne & diabolo, pacem habet cum Deo: pro qua belligerare oportet adversus omnes, etiam & patrem & matrem, si quid mandatis Dei contrarium iusserint: immo & adversus animam propriam; iuxta quam sententiam dicit in Evangelio Salvator, Luc. XIV. cap. *Si quis venit ad me & non odit patrem suum*, *& matrem suam*, *& uxorem*, *& filios*, *adhuc autem & animam suam*, *non potest meus esse discipulus*: huiusmodi autem pugna cum vitiis carnis & affectibus secum admittit pacem in Deo, Christo Iesu domesticam.

V. 16. UNDE ENIM SCIS. Tractim legendo cum præcedentibus sensus est: si solutionem quærit, aut a fide promissa discedens ad impietatem te cogit, tecumque contendit ac rixatur, (sic enim Chrys.) præstat discedere: non enim ad seditiones, sed ad pacem vocavit vos Deus: & quia causari poterant: forte virum infidelem lucrabor, subdit: *unde enim scis mulier si virum salvum facies aut non?* idcirco cum te ad defectionem fidei sollicitet, præstat disce-

discedere. Quidam hunc locum (ut Ambrosius) referunt ad id quod ante praecessit: *fidelis mulier non dimittat infidelem secum habitare consentientem. Unde enim scis mulier*, &c. praecedentia autem (*quod si infidelis*) per parenthesim leguntur.

V. 17. NISI UNICUIQUE. Graeci, ut Severianus, legunt ἢ μὴ, id est *an non*, & referunt ad id quod praecessit, *Si uxorem salvam facies an non?* dein sequitur, UNICUIQUE SICUT DIVISIT DOMINUS, id est gratiam dedit, ita sub. faciat: noster legit εἰ μὴ, id est, *nisi*, & sensus est, unde scire potes quod virum salvabis, aut contra, nisi unicuique sicut divisit Deus, id est nisi quod scire potes sicut unicuique divisit Deus gratias suas & dona. UNUMQUEMQUE, inquit, SICUT VOCAVIT DEUS, ITA AMBULET; id est, conditionem hominis baptismus aut fides non mutat; si servum reperit, servitutem non excutit: si uxoratum, uxorem non reiicit, modo in pace & sine Christi contumelia vivat. ET SICUT IN OMNIBUS; id est, ambulet in sua vocatione, & quemadmodum in ecclesiis doceo ambulare. Noster legit ὥσπερ, id est sicut Graeci οὕτως, id est *sic*.

V. 18. NON ADDUCAT PRAEPUTIUM. Erant enim Iudaei quos ob gentes praesectae pelliculae puderet, atque adeo medicamentis eam sibi sarciendam curarent, id quod Theophilus & Photius Graecus ex Epiphanio docent. Vult autem his verbis Paulus nullum discrimen esse inter fideles sive ex circumcisione, sive ex gentilitate vocati sint ad fidem.

V. 21. SERVUS VOCATUS ES? Non vult propter fidem, ad quam vocatus est, servum servitutem excutere: quinimmo, inquit, non sit tibi curae huiusmodi servitus: id est, ne sis de illa excutienda anxius, quin etiam vel si eximi ab ea potes, magis ea utere, id est in usum aliquem eam confer. Hieronymus hos locos de servo & libero, circumciso & incircumciso interpretatur de nuptis & innuptis: ut servi & circumcisi sint nupti; incircumcisi autem & liberi, innupti, & hoc modo ante eum Origenes, cuius apud nos Graeca habemus.

V. 22. LIBERTUS DOMINI, id est a Domino manumissus & in libertatem Christianam assertus: libertus enim dicitur qui ex servo factus est liber, quales Christiani, qui ex servitute peccati & diaboli in libertatem Dei & gratiae sunt asserti.

V. 25. MISERICORDIAM CONSEQUUTUS; id est, gratiam apostolici muneris in gentes consequutus sum a Domino, ut fideliter illis consulam.

V. 26. PROPTER INSTANTEM, νομίζω, inquit Gr. id est existimo sive decerno hoc bonum esse, id est virginitatem rem esse bonam & egregiam *propter instantem necessitatem*, id est propter urgentes rei uxoriae difficultates & molestias. Sic enim Oecumenius Graecus: *Existimo*, inquit, *hoc bonum esse*: quodnam vero hoc bonum est? abstinere a nuptiis propter eas, quas secum afferunt, molestias & difficultates.

V. 28. SI NUPSERIT VIRGO. Hic Hieronymus adversus Iovinianum Lib. I. Et si nupserit virgo non peccavit, non illa virgo, inquit, quae semet Dei cultui dedicavit. Virgines enim quae post consecrationem nupserunt, non tam adulterae quam incestae sunt. Et Theophilus ex Chrysostomo, virginem hoc loco dicit; non eam quae Christo dicata sit: haec namque si nupserit, delinquit haud dubie plurimum. Videant igitur quam recte faciunt, qui moniales virgines ad incestas nuptias solicitant. Photius de hoc, καὶ ἀν γήμη ἡ παρθένος, οὐκ ἥμαρτε, παρθένον ἐνταῦθα φησὶν οὐ τὴν ἀφιερωμένην θεῷ, ἀλλὰ τὴν ἄγαμον κόρην, ὡς ἥγε ἀφιερωθεῖσα θεῷ εἰ γήμη, μοιχὸν ἐπιφέρει χριστῷ ἐνυμφευται, id est, & si nupserit virgo, non peccat: virginem hic dicit non Deo dicatam, sed innuptam puellam: quod si Deo dicata nupserit, adulterum Christo, cui desponsata erat, superinducit. TRIBULATIONEM CARNIS: scilicet parturientium dolores, liberorum educandorum solicitudinem, & mille matrimonii incommoda. EGO AUTEM VOBIS PARCO, Graece φείδομαι, id est vestri misereor, nolens si fieri possit, in has vos molestias incidere.

V. 29. RELIQUUM EST. Vult Paulus, si qua etiam esset in huius mundi rebus voluptas, non admodum illis affici propter temporis brevitatem: quod si quae essent huiusmodi voluptates, fluxae sint & breves. Qui ergo, inquit, uxorem duxerunt, non magnopere rei uxoriae afficiantur.

V. 30. & 31. QUI FLENT, &c. *qui emunt, tamquam non possidentes*. Graece μὴ κατέχοντες; quasi dicas, Non perpetuo possidentes. Est enim κατέχειν magnopere aliquid

quid detinere, & vehementer ad illud affici, ut *κατοχή* ardens animi affectio. Inquit ergo, qui emunt; sint, subaudi, tamquam non possidentes; id est, non ita detineantur rebus emptis, quasi illas perpetuo possessuri: ET QUI UTUNTUR HOC MUNDO, TAMQUAM NON UTANTUR. Gr. *ὡς μὴ καταχρώμενοι*, id est *si utantur ut non abutantur*, ut abuti sit hoc loco supra modum & immodice uti. Immodico igitur rerum secularium usu interdicit Paulus, scilicet, ut utamur iis tamquam probi fructuarii, non tamquam perpetui possessores, qui res suas, si visum est, iure suo absumunt. PRAETERIT ENIM FIGURA. Græce *σχῆμα*, id est habitus, species, ac status mundi huius: vult enim nos affici huic mundo, quod quicquid in eo est fugax sit ac labile: *παράγει* quoque, quod interpres vertit *præterit*, significat etiam decipit: quo modo sumi potest, ut sit sensus: Nolite huic mundo immodice affici. Nam etsi figuram ac speciem boni nonnullam habet, fallax tamen est, suique studiosos decipit.

V. 33. DIVISUS EST, id est in multas solicitudinum partes, miseriarumque distractus. Græca habent *μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος*; id est, *divisa est mulier sive uxor & virgo*: hoc est, iuxta Oecumenium, non eandem solicitudinem habent, sed diversa sunt illis studia, quia virgo cogitat quæ sunt Dei, mulier quæ sunt viri.

V. 35. SED AD ID QUOD HONESTUM. Gr. *ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον, καὶ πρόσεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως*; est autem sensus quod tantopere virginitatem vobis commendo, ad utilitatem vestram facio, NON UT LAQUEUM VOBIS INIICIAM: id est, non quod necessitatem vobis imponere velim continendi: *βρόχον* enim, id est *laqueum*, inquit Oecumenius, necessitatem appellat. Sed supple, ut vos adhorter ad id quod honestum est, &c. Græcis quoque aliquid simile suplendum est, quorum ad verbum sensus esse potest: Sed ut vos invitem, sub. ad honestatem & indivulsam immobilemque domino assidentiam, id est ut vos adhorter honeste vivere & domini obsequio assiduos esse.

V. 36. SI QUIS AUTEM TURPEM SE VIDERI EXISTIMAT; id est, si quis indecorum existimat virginem suam esse plus æquo nubilem, tradat eam viro: neque enim sic peccat.

V. 37. NAM QUI STATUIT IN CORDE SUO; id est, qui certo apud se statuit, non collocare nuptum filiam, quum pro arbitrio id possit, nulla necessitate ad eam secum retinendam adactus, bene ac laudabiliter facit.

V. 39 LIBERATA EST A LEGE, id est non amplius tenetur lege, quæ illam vetabat vivente viro secundas adire nuptias. Græci paulo secus habent *ἐλευθέρα ἐστὶν ᾧ θέλει γαμηθῆναι*, id est *libertatem habet nubendi cui volet*. TANTUM IN DOMINO, id est secundum dominum, hoc est, castis & honestis nuptiis cum spe liberorum procreandorum.

S A.

Vers. 1. MIHI, scilicet respondeo quod sequitur: BONUM EST; pro, melius est.

V. 2. FORNICATIONEM, scilicet vitandam. HABEAT, id est potest ducere, vel ducta uti.

V. 3. DEBITUM, id est copulam a coniuge petitam.

V. 4. MULIER, id est uxor. SUI CORPORIS, id est membrorum quibus peragitur concubitus: August. V. cont. Julian. NON HABET, scilicet sola, vel solus. SED; pro, sed etiam; quasi dicat, Potest coniux debitum petere, debetque alter reddere.

V. 5. FRAUDARE, id est debitum subtrahere. ORATIONI. Græc. & Syr. *ieiunio & orationi*. IDIPSUM, id est copulam. PROPTER; pro, per.

V. 6. HOC, scilicet de repetenda copula.

V. 7. SICUT MEIPSUM, id est continentes: August. Lib. de Grat. & Lib. arb. id est in perpetua castitate vivere: Hieron. epist. XIV & XXII.

V. 8. BONUM, id est melius: August. Lib. de Bono viduit. SICUT ET EGO, scilicet in totum abstinere. Syr. *sicut sum puritate*.

V. 9. NUBANT: nisi continentiam voverint: August. Lib. de Bono viduit. NUBERE. Græc. *γαμῆσαι*, id est *matrimonio iungi*. URI, id est fornicari: Hieron. epist. L. August. Lib. ad Virg. lapsf.

V. 10. NON EGO; quasi dicat, Non est id præceptum humanum, sed divinum. DISCEDERE, scilicet sine iusta causa.

V. 11.

V. 11. DISCESSERIT, scilicet cum causa iusta.

V. 12. DICO, id est *præcipio*, Hebr. NON DOMINUS, scilicet præcipit; quasi dicat, Præceptum est humanum, non divinum. FRATER, id est Christianus. CONSENTIT, id est vult.

V. 14. SANCTIFICATIS, scilicet quantum ad matrimonium; vel quasi dicat, Fit interdum ut convertatur ad fidem. SANCTI, id est Christiani, scilicet opera fidelis parentis baptizati; vel quasi dicat, Sunt legitime nati. Syr. *mundi*.

V. 15. DISCEDIT, scilicet nolens cum fideli habitare. SERVITUTI, scilicet ut non habeat illo discedente libertatem cum altero contrahendi. IN PACE; pro, ad pacem, id est ut pacifice vivamus, & quiete; quasi dicat, Non debet ea res pacem turbare.

V. 16. UNDE. Græc. *quid*: potest autem id referri vel ad superiora, vel ad proxime dicta.

V. 17. NISI; pro, verum. Syr. *sed*. DIVISIT, scilicet dona sua; quasi dicat, Agat vero quisque secundum talentum sibi creditum, & vocationem suam. Videtur autem id ad sequentia pertinere. SICUT: lege, *sic*. DOCEO. Græc. *ordino*. Syr. *præcipio*.

V. 18. ADDUCAT, id est reducere conetur, scilicet arte, seu medicamento aliquo. Græc. *attrahat*. Vide Epiph. Lib. de Mensur. qui hunc quorumdam morem fuisse refert. Syr. *revertatur ad præputium*, id est Gentilitatem. IN PRÆPUTIO, id est Gentilis.

V. 19. NIHIL EST, id est nihil prodest ad salutem.

V. 20. VOCATIONE, id est conditione.

V. 21. CURAE; quasi dicat, Ne tibi molestum sit. MAGIS, id est potius. UTERE, scilicet servitute, ob maiorem humilitatem & patientiam.

V. 22. IN DOMINO; pro, ad Dominum, seu Domini fidem. LIBERTUS, id est e servo liber factus.

V. 23. SERVI, id est eis addicti, seu propter ipsos servientes, sed propter Deum.

V. 24. APUD DEUM, id est Deo serviens.

V. 25. VIRGINIBUS, id est servanda virginitate. FIDELIS; scilicet in Apostolico munere, & possim docere salutaria.

V. 26. INSTANTEM, id est præsentem; NECESSITATEM, id est molestiam quam coniugium adfert, & solicitudines domesticas, &c. vel necessitatem brevi moriendi, de quo infra.

V. 28. TRIBULATIONEM, &c. id est molestias & incommoda multa coniugii. PARCO, scilicet permittens coniugium: *parcere*; pro, sinere, seu omittere.

V. 31. NON UTANTUR, scilicet non diligant: August. FIGURA, id est habitus, seu status.

V. 32. QUAE; pro, de iis quæ.

V. 33. DIVISUS, scilicet mente, & cura.

V. 34. SANCTA, id est sanctior, nam & coniugati sancti: August. Lib. de Bono viduit.

V. 35. LAQUEUM, &c. id est cogam vos continere: August. & Hieron. AD ID, scilicet hortor. HONESTUM, id est honestius: August. Lib. de Bono viduit. IMPEDIMENTO. Græc. *distractione*. DOMINUM OBSECRANDI. Græca possunt verti, *Domino adhærendi*.

V. 36. TURPEM SE; pro, agere se indecore, seu rem reprehensibilem. Syr. sic reddidit, *Si quis se putat despicatui haberi, ob virginem suam, quod prætereat tempus eius, nec dederit eam viro, congruum est ut det, quod vult*, &c. OPORTET; pro, videatur oportere. NUBAT; pro, nuptum det, seu detur illa.

V. 37. NECESSITATEM, id est aliquid cogens. SUAE VOLUNTATIS, id est faciendi de virgine sua quod velit, scilicet quia illa se ei commisit. IUDICAVIT, id est statuit.

V. 39. IN DOMINO, id est Christiano: Hieron. & August.

V. 40. BEATIOR, scilicet in futuro sæculo. Ambros. SIC, scilicet innupta.

MARIANAE.

Vers. 1. DE QUIBUS AUTEM SCRIPSISTIS. Quædam rogarant Corinthii de matrimonio & virginitate. Ad illa nunc respondet. BONUM EST HOMINI MULIEREM NON TANGERE, sive ab uxore separetur quis ex consensu, sive in cælibatu maneat. *Bonum*, id est melius est a muliere abstinere. Quisque tamen

V. 2. SUAM UXOREM HABEAT. Aut uxo-

uxorem ducat, aut quam habet, non relinquat. Dicebant pseudoapostoli, post Baptismum relinquendas uxores. Nisi ex consensu.

V. 5. UT VACETIS ORATIONI. Græc. & Syr. *ieiunio & orationi*.

V. 7. SECUNDUM INDULGENTIAM hoc dico; non est præceptum reverti ad usum, quia poterant ex consensu totam vitam abstinere. Aut referatur ad illud: *Unusquisque suam uxorem habeat*, id est ducat.

V. 7. SICUT MEIPSUM vellem esse omnes, id est cælibes. Sic plerique Expositores hic, Epiphanius Hæc. LXXVIII. Hieronymus epist. XXII. ad Eustochium, Paulum cælibem fuisse aiunt.

V. 9. MELIUS EST ENIM NUBERE, QUAM URI libidinis igne. De solutis loquitur, non de sacris Virginibus, quæ iam Christo nupserunt. Ambrosius ad Virginem lapsam, cap. V. *Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Ceterum, quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro: & iam si voluerit nubere communi lege coniugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.*

V. 11. MANERE INNUPTAM, si uxor a viro discesserit. Vides coniugium solvi non posse umquam.

V. 12. NAM CETERIS EGO DICO. Rogarant, cum alter coniugum tantum convertitur, quid esset faciendum. Respondet, de ea re non habere præceptum Domini, ipsum autem constituere, quid facto opus sit. Vides, inter Apostolica præcepta quædam esse humana, quæ mutari possunt, aut venia emolliri. Sane quod hic Paulus constituit, ne fidelis ab infideli coniuge discedat, Concilio Toletano IV. revocatum est. Aut sit consilium, ut alii volunt; non moror.

V. 14. PER MULIEREM FIDELEM sanctificatur vir. Græc. *in muliere fideli*: sic Gotth. sed *in* sumitur pro *per*. Verum, quomodo infidelis sanctificatur? nempe, ut coniugium inter eos sit sanctum & legitimum. ALIOQUIN FILII VESTRI IMMUNDI ESSENT, id est si coniugium non staret, filii spurii essent. NUNC AUTEM SANCTI SUNT, id est sanciti, secundum leges legitimi sunt.

V. 15. IN PACE, id est ad pacem vocavit nos Deus. Ita si coniux infidelis vult discedere, abeat.

V. 16. UNDE ENIM SCIS. Hoc ad illud referatur, *non dimittat virum*.

V. 17. UNICUIQUE SICUT DIVISIT; quasi dicat: Conditionem non mutat Baptismus, servus manet servus, sic & uxoratus, sic de aliis.

V. 18. NON ADDUCAT PRAEPUTIUM. Solebant pellem membri extendere instrumento, quod dicebatur *spathester*, ut ait Epiphanius de Pond. & mens. tum I. Mach. I. 16. id significatur cum ait, *Fecerunt sibi præputia*.

V. 22. LIBERTUS EST DOMINI servus, id est ab eo manu missus, & a peccato liber.

V. 25. DE VIRGINIBUS. Rogarant etiam, An liceret virgines nuptui dare. Respondet, Præceptum de hoc non habeo, consilium do. CONSILIUM AUTEM DO: γνώμην. Damascenus Lib. III. de Fide Orthod. cap. XIV. ait eam vocem aliquando significare *exhortationem*, ut hoc loco; aliquando *consilium*. *Super populum tuum malignaverunt consilium*; Psal. LXXXII. 4. Aliquando *decretum*, seu *sententiam*; Dan. II. 15. *Tam crudelis sententia a facie Regis*, Tum *fidem*, *opinionem*, multa alia, sed exempla non affert. TAMQUAM MISERICORDIAM, id est pro ratione Apostolici muneris mihi crediti.

V. 26. PROPTER INSTANTEM NECESSITATEM, id est molestias matrimonii, de quibus plura diximus Lib. I. de Morte & immortalit. cap. II. Aut propter persecutiones & fugas. SIC ESSE, id est in suo quemque manere statu melius est, tam uxoratos, quam cælibes.

V. 28. VOBIS PARCO, seu *misereor*, φείδομαι, cum videam vos his molestiis implicari, scilicet matrimonii, quæ magnæ sunt.

V. 31. QUI UTUNTUR HOC MUNDO. Græca *utentes hoc mundo*, *quasi non abutentes*. Basilius in Regul. brev. num. 69. legit, *tamquam utentes hoc mundo, non tamquam abutentes*. Græca paulo aliter quam modo sunt habuit, pro καὶ οἱ χρώμενοι, ipse legit καὶ ὡ χρώμενοι. PRAETERIT ENIM FIGURA, species, omnia sunt caduca. Aut sic: Cæli & terræ natura perpetua est, status & figura in mundi fine mutantur: Gregorius XVII. Moral. cap. V.

V. 33. ET DIVISUS EST. Græc. *Divisa est mulier & virgo; innupta curat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu; nupta autem curat quæ sunt mundi*. Sic prorsus Syr. quamvis aliis verbis: sic Hieronymus citat, I. cont. Iovinian. contra Helvid. & ad Eustoch. Ita in nostra lectione puncta sunt mutanda, & pro *divisus est*, legendum *divisa est*; tum post *virgo*, addendum *innupta*. Aut nostra retinenda, quæ in aliquibus Græcis codicibus est: sic Ambrosius legit initio Lib. de Viduis, & alii antiqui; tum Hieronymus I. contra Iovin. hanc Græco cod. lectionem fuisse suo tempore ait, eamque alteri præfert.

V. 35. NON UT LAQUEUM, id est vos implicem aliquo peccato, a coniugio dehortor, vel non, ut ligem vos; nemo enim invitum lege castitatis ligare potest: sed ad id hortor, quod facultatem præbeat DOMINUM OBSECRANDI. Lovan. *observandi*. Gregorius III. Past. num. 38. *Domino observiendi*. Græc. nihil horum, & omnia tamen admittit; ait enim: *Ad id quod honestum est, & adhæreat Deo indistracte*; scilicet precibus aut obsequio.

V. 36. SI QUIS AUTEM, pater, aut virginis curator de sua virgine erubescit, QUOD SIT SUPERADULTA: ὑπέρακμος, *ultra pubertatem*: sic Ambrosius. Porro ἀκμὴ est τέλος τῆς αὐξήσεως, vigorque qui hominibus in iuventa contingit. Loquitur ergo de virgine pubertatis annos transgressa, quam noster *superadultam* dixit. Hesiodus in Oper. ad nuptias feminæ quindecim annos designat, Aristoteles octodecim, Plato viginti. Epictetus duodecim sufficere putat, cum pubescere, & domina vocari incipit.

V. 37. POTESTATEM AUTEM HABENS, nempe quia virgo ipsa consentit permanere in cælibatu, bene facit, si eam servet in eo statu.

V. 38. MULIER ALLIGATA EST. Agit postremo de viduis. NUBAT, si non se continet. TANTUM IN DOMINO, pro, modo id fiat in Domino, id est fideli. Coniugia cum infidelibus infausta sunt & irrita: Epiphanius Hær. LIX. *In Domino*, id est non in scortatione, non in adulterio, non in clandestinis nuptiis.

MENOCHII.

Vers. 1. DE QUIBUS AUTEM SCRIPSISTIS MIHI; quasi dicat, Quod attinet ad quæstiones, quas proposuistis mihi de matrimonii, & cœlibatus iure, usu, fructu, sic respondeo. BONUM EST HOMINI MULIEREM NON TANGERE, id est commodum, honestum, & honorificum homini est castimoniam colere, & a mulierum consuetudine abstinere.

V. 2. PROPTER FORNICATIONEM, id est ne in fornicationem incidat.

V. 3. DEBITUM REDDAT: debitum coniugalis copulæ. In Græco est, ὀφειλομένην εὔνοιαν, *debitam benevolentiam*, quibus verbis honeste debitum coniugale Apostolus circumscribit.

V. 4. MULIER SUI CORPORIS POTESTATEM NON HABET; scilicet, secundum ea membra quæ sexum distinguunt, & quatenus serviunt actui coniugali. POTESTATEM NON HABET: ut pro sua voluntate possit continere, aut altei se coniungere, sed maritus.

V. 5. FRAUDARE INVICEM: denegando debitum coniugale. Ex CONSENSU: abstinendo. REVERTIMINI IN IDIPSUM: finito tempore orationis redite ad opus coniugale. NE TENTET VOS SATANAS; id est, ne in adulterium, aliasve damnabiles corruptelas vos tentando pertrahat satanas, si diutius maneatis thoro separati. PROPTER INCONTINENTIAM VESTRAM, id est per continentiam vestram; occasionem lapsus vobis obiiciens per incontinentiam ad quam vos proclives animadvertit.

V. 6. DICO SECUNDUM INDULGENTIAM; quasi dicat, Copulam indulgeo, non præcipio.

V. 7. VOLO: vellem, cuperem. SICUT MEIPSUM: quoad cælibatum, & continentiam. ALIUS QUIDEM SIC, ALIUS AUTEM SIC, id est alius tale donum, alius vero tale aliquid diversum.

V. 8. SI SIC PERMANEANT, id est innupti, & cælibes.

V. 9. QUAM URI: quam libidinis ardore flagrare, & in libidinem consentire.

V. 10. PRAECIPIO NON EGO, SED DOMINUS. Respicit Apostolus Domini præceptum

ceptum de uxore non dimittenda: Matth. v. & 19 Marc. x Luc. vi.

V. 11. QUOD SI DISCESSERIT: facto divortio. MANERE INNUPTAM: nam si coniux separet se a coniuge, quia verbi gratia est adulter, non propterea dissolutum est matrimonium. VIR UXOREM NON DIMITTAT, sine gravi, & iusta causa; ob fornicationem enim & aliis iustis de causis dimittere licet.

V. 12. NAM CETERIS; scilicet qui matrimonio iuncti non sunt. Opponit enim hunc versum versui 10. ut patet ex voce, *nam*, & ex voce, *ceteris*, quod ex sequentibus clarius patebit. EGO DICO; id est, ego auctor fio non præcipiens, sed consilium dans, ut scilicet innupti perseverent, qui nimirum continere possunt: ad præcedentia enim & non ad sequentia hoc est referendum. SI QUIS FRATER, id est Christianus. NON DIMITTAT ILLAM: poterat enim coniux fidelis cum coniuge infideli permanere ob spem conversionis infidelis Vide Conich de Sacramentis disp. xxvi. dub. v. num. 56 & 57.

V. 14. SANCTIFICATUS EST ENIM VIR INFIDELIS PER MULIEREM FIDELEM; quasi dicat, Matrimonium, & coniunctio hæc sancta est, unde non profanatur nec polluitur fidelis per contactum infidelis, sed potius infidelis morali quadam denominatione sanctificatur, tum quia maritus est sanctæ, id est fidelis coniugis, tum quia eam in fide sua non impediendo, & benevole cum ea vivendo, quasi viam sternit sibi, ut per preces, merita, verba, & exempla fidelis coniugis convertatur, & fiat sanctus. ALIOQUI FILII VESTRI IMMUNDI ESSENT; quasi dicat, Si ab infideli coniuge faceretis divortium, filii vestri haberentur quasi nati ex illicito thoro, adulterini, & illegitimi. NUNC AUTEM SANCTI SUNT, id est ex honesto, & legitimo matrimonio concepti, & nati. Vel *sancti sunt*, quia connivente infideli facile fidelis parentis fide, diligentia, & cura sanctificari, baptizari, & Christiane educari possunt.

V. 15. QUOD SI INFIDELIS DISCEDIT, DISCEDAT; sensus est: Si infidelis discedit, non consentiens habitare cum fideli, ut fideli; id est, si religione eius offensus eam relinquat, non est quod coniux fidelis existimet se debere illum sequi, sed sinat eum discedere tamquam per illius discessum libertati suæ restitutus. NON ENIM SERVITUTI, &c. id est, non est serviliter subiectus frater aut soror talibus, hoc est, infidelibus qui discedunt, aut cohabitare non consentiunt. IN PACE AUTEM VOCAVIT NOS DEUS, id est ad pacem. Sensus est: Religio Christiana ad quam a Deo vocati sumus, non cogit nos ad hanc servitutem, qua pax Christiana turbetur, hoc est pacificus, & tranquillus Christi cultus in familia impediatur.

V. 16. UNDE ENIM SCIS MULIER SI VIRUM SALVUM FACIES? quasi dicat: Si infidelis rixis, probris, minis in fidem, & fidelem coniugem, discessionem quærit, discede o coniux fidelis ab eo, ut pacifice vivas, neque prætendas spem conversionis eius. Unde enim id speres in homine pagano, blasphemo, rixoso? ac consequenter unde scis, aut unde speras, quod eum salvum facies?

V. 17. NISI UNICUIQUE, &c. ordo verborum est: Ita ambulet quisque, sicut unicuique divisit Dominus, & sicut unumquemque vocavit Deus. NISI: idem hoc loco significat quod, *sed veruntamen*, *vel hoc tamen salvo*. Sensus ergo Apostoli est; quasi dicat: Hæc dixi de coniugio fidelis cum infideli, deque discessione, & divortio, si infidelis illud quærat, aut constare non possit pax sine divortio; alioqui velim unumquemque in vocatione sui coniugii perseverare, & universim sorte sua esse contentum. ET SICUT: in Græco est, ἀλ ὥτως, *& sic*. DOCEO: διατάσσομαι, *ordino*.

V. 18. CIRCUMCISUS ALIQUIS VOCATUS EST? id est, si quispiam prius circumcisus, quia Iudæus, vocatus est ad fidem. NON ATTRAHAT PRAEPUTIUM: circumcisis enim præputium reduci potest instrumento attractorio quod Spatisterem vocant, adducta cute ut glandem tegat, ut docet Celsus Lib. VII. cap. xxv. idque eos qui a Iudæis apostatabant ad Gentiles, facere solitos, patet ex Lib. I. Machab. 1. 18. & Iosepho Lib. XII. Antiq. cap. vi. IN PRAEPUTIO VOCATUS: vocatus a Gentilismo ad Christianismum. NON CIRCUMCIDATUR: hoc enim esset iudaizare.

V. 19. CIRCUMCISIO NIHIL EST, &c. sensus est, Nihil hæc valent, aut conferunt

ad salutem, & iustitiam, ideo non sunt affectandæ. SED OBSERVATIO MANDATORUM DEI: supple est, aliquid, & confert ad salutem.

V. 20. IN QUA VOCATIONE: vitæ statu.

V. 21. NON SIT TIBI CURAE: non te res illa angat, quod servus sis. SI POTES FIERI LIBER, MAGIS UTERE; sensus est, Si tamen sese aperiat occasio, & opportunitas consequendæ libertatis, eam suadeo elabi non sinas, sed illa utaris, ut in libertatem te asseras.

V. 22. QUI ENIM IN DOMINO VOCATUS EST SERVUS, &c. necte verba hæc cum illis: *servus vocatus es? non sit tibi curæ*. Sensus autem est, Qui enim cum sit servus, a Domino ad fidem eiusdem Domini Iesu Christi vocatus est, manumissus est, & libertatem filiorum Dei assecutus, licet adhuc serviat servitutem temporalem. SERVUS EST CHRISTI: quia ab eo redemptus.

V. 23. PRETIO EMPTI ESTIS: sanguinis Christi. NOLITE FIERI SERVI HOMINUM: ne vos in servos vendatis, aut servituti mancipetis, si possitis libertate] gaudere; hæc enim civilis libertas decet Christi libertum, & iuvat ut expeditius eidem Christo servire possitis.

V. 24. APUD DEUM: Deo adhærens, cui per Christianismum se adiunxit.

V. 25. DE VIRGINIBUS AUTEM: ut scilicet maneant virgines, & serviant Deo in virginitate. CONSILIUM AUTEM DO: ut id faciant. TAMQUAM MISERICORDIAM CONSECUTUS, &c. virginitatem consulo, tamquam is, qui misericorditer assumptus sum ad gratiam Apostolici muneris apud Gentes, ut fideliter illis consulam; quasi dicat: Quo præ aliis Apostolis indignior maiori gratia, & misericordia vocatus sum ad Apostolatum, eo magis decet me esse fidelem in meo munere, & fideliter consulere iis, ad quos a Christo missus sum Apostolus.

V. 26. EXISTIMO ERGO HOC BONUM ESSE; ut scilicet virginitatem servent. PROPTER INSTANTEM NECESSITATEM: instans necessitas est brevitas temporis, quod nobis conceditur ad æternitatis conquisitionem; quæ proinde non mundo, non coniugi, sed animæ, & Deo danda est. QUONIAM BONUM EST HOMINI SIC ESSE; quasi dicat: Existimo bonum esse manere virginem propter instantem necessitatem, bonum, inquam, esse in virginitate. Particula enim *quoniam*, non reddit causam, sed inservit eiusdem sententiæ repetitioni.

V. 28. SI ACCEPERIS UXOREM NON PECCASTI: si nimirum nullum subsit impedimentum, quod matrimonium reddat illicitum. TRIBULATIONEM CARNIS: coniugii, liberorum, & familiæ onera. Tribulationem enim carnis appellat eam, quæ circa carnem, & carnalia versatur, & quæ carnem affligit. EGO AUTEM VOBIS PARCO; scilicet permittens coniugium. Vel potius sensus est: Ego autem vobis tamquam filiis parco, cupiens afflictionum, & molestiarum quæ nuptias consequuntur expertes esse, ideoque continentiam suadeo.

V. 29. TEMPUS BREVE EST: tempus huius vitæ, ideoque non immorandum sæculi voluptatibus, sed de æterna salute serio cogitandum. TAMQUAM NON HABENTES; ut scilicet non magnopere rei uxoriæ afficiantur, ut animum, mentem, atque amorem magis in Domino, quam in uxoribus defigant.

V. 30. QUI FLENT TAMQUAM NON FLENTES, id est quibus tristia accidunt, quæ sunt flendi materia, non iis admodum commoveantur, sed patienter, & æquanimiter ferant, utpote non diu duratura, seque consoletur spe vitæ futuræ. ET, QUI GAUDENT, TAMQUAM NON GAUDENTES: consideratione brevitatis, & vanitatis gaudiorum huius mundi. TAMQUAM NON POSSIDENTES: perpetuo scilicet, sed tamquam usufructuarii ad vitam.

V. 31. TAMQUAM NON UTANTUR: utendo scilicet obiter, & quantum fert necessitas, & sine adhæsione affectus. PRAETERIT ENIM FIGURA HUIUS MUNDI: tota huius mundi facies, & dispositio transitoria est, & aliquando cessabit.

V. 32. VOLO: velim]. SINE SOLICITUDINE ESSE: ac consequenter in virginitate, & cœlibatu vivere. SOLICITUS EST QUAE DOMINI SUNT; id est, magnam habet opportunitatem se totum occupandi in rebus spectantibus, ad salutem æternam. QUOMODO PLACEAT DEO: per cordis puritatem, & opera pietatis.

V. 33. DIVISUS EST: in multas curas distractus, ita ut uni Deo vacare non possit, sed partem temporis Deus, partem, & qui-

& quidem maiorem, & potiorem, uxor, & filii sibi vendicent.

V. 34. COGITAT QUAE DOMINI SUNT: opportunum habet otium ea meditandi, quæ spectant ad Deum. UT SIT SANCTA: hoc est, pura, & immaculata.

V. 35. NON UT LAQUEUM VOBIS INIICIAM: non quod vobis imponere velim necessitatem continendi, & vos eo cogere. SED AD ID QUOD HONESTUM EST; scilicet, vos adhortans ad honestum, id est honestiorem, & meliorem vivendi conditionem in cœlibatu. FACULTATEM PRAEBEAT: vobis virginibus. IMPEDIMENTO, id est distractione.

V. 36 SI QUIS TURPEM SE VIDERI EXISTIMAT, &c. id est, si quis putat sibi esse turpe, & indecorum, quod filiam, v. g. iam adultam nuptui non tradiderit. SUPERADULTA: ὑπέρακμος, multum superans ἀκμὴν, & tempus opportunum eam viro tradendi. ET ITA OPORTET FIERI: & ita potius debere fieri putat, ut scilicet eam viro tradat, quam ut eam domo virginem senescere patiatur. QUOD VULT FACIAT: collocet eam in matrimonium, si hoc magis placeat, vel servet virginem, si id malit.

V. 37. NAM QUI STATUIT IN CORDE SUO FIRMUS; id est, qui stabile, ac firmum habet animo propositum, nec movetur vulgi sermonibus, ut fecus faciat, quam apud se constituit. NON HABENS NECESSITATEM; scilicet præcepti. POTESTATEM AUTEM HABET: circa propriam voluntatem. ET HOC IUDICAT IN CORDE SUO, id est maturo iudicio apud se decrevit, & statuit. SERVARE VIRGINEM SUAM: in statu virginitatis. BENE FACIT: quia consilium Christi, & meum adimplet.

V. 39. ALLIGATA EST LEGI; scilicet, matrimonii, ut scilicet discedere a viro suo, & alteri nubere non possit.

V. 40. SI SIC PERMANSERIT, id est si ne viro. PUTO AUTEM QUOD EGO SPIRITUM DEI HABEAM: nimirum Spiritum Consilii, secundum quem puto me hæc fideliter suadere. SI DORMIERIT: si mortuus fuerit. LIBERATA EST, id est libera est, ut nubere possit cui voluerit. TANTUM IN DOMINO, id est in Christianismo, nubens viro Christiano.

TIRINI.

Verf. 1. DE quæstionibus mihi per literas propositis, prima, an Christiano, utpote iam renato & sanctificato, castitatis & pietatis studioso, prorsus abstinendum sit a re uxoria, ut quidam pseudo-apostoli, quo sanctiores habeantur, vos docent; hoc a me responsum habetote: BONUM EST; græce, καλὸν, id est *pulchrum*; id est, res ex se & in se præclara & eximia est, NON TANGERE, non cognoscere MULIEREM. Hoc enim angelicum est, summeque optandum. Sed per accidens, nempe

V. 2. PROPTER FORNICATIONEM EVITANDAM, expedit, UNUSQUISQUE vestrum (qui sat incontinentes estis) UXOREM SUAM, quam duxit, HABEAT & illa utatur. Loquitur enim hic solis coniugatis, ut patet ex sequentibus: nam versu demum octavo incipit agere de non nuptis: ita S. Hieron. & alii Patres. Atque ita corruit Achilles Lutheri, Melanchthonis, Buceri & aliorum hæreticorum, qui ex vocula distributiva, *unusquisque*, volunt etiam sacerdotes & monachos omnes debere uxores ducere. Sed Paulus hic non agit de non nuptis, quibus cælibem potius suadet vitam verf. 8. & seqq. Et ut etiam hoc versu de illis ageret, certum est, non dare hic præceptum (quia sic sibi ipsi repugnaret:) sed solum permittere, & quidem non nisi capacibus coniugii, id est, liberis, nec voto, morbo, senio, vel alio simili impedimento detentis: atqui sacerdotes & monachi voto detinentur & præpediuntur: ergo

V. 4. MULIER coniugata NON HABET SUI CORPORIS POTESTATEM, vel ius, ut pro sua voluntate possit ab actu coniugali abstinere invito marito, vel alteri se coniungere, inquit S. Augustinus *a*. Simili modo nec maritus, invita uxore. Nam in iure & debito coniugali, seu exigendo, seu reddendo, par omnino est uxor marito, ut fuse docent S. Hieronymus *b*, Chrysostomus cum suis, Primasius & Anselmus.

V. 5. NOLITE FRAUDARE INVICEM negando petenti debitum coniugale. Sed etiam post aliquantam mutuo consensu abstinentiam, ITERUM REVERTIMINI IN IDIPSUM,

PIUM, id eſt ad debitum mutuo reddendum. Ergo (inferunt Magdeburgenſes & Petrus Martyr) non licet coniugibus ex mutuo conſenſu vovere perpetuam continentiam. Reſpondeo, neg. conſeq. quia *revertimini*, non eſt imperantis, ſed ſolum permittentis, ut ipſemet Paulus ſe mox explicat.

V. 7. VOLO ENIM, id eſt velim, optem, (ſcilicet, niſi incontinentiæ periculum ſecus poſtularet,) OMNES VOS ESSE SICUT MEIPSUM, id eſt perpetuo continentes, immo cælibes omnino & virgines; quaſi dicat: Continentem, cælibem, immo virginalem ſtatum, quem (uti ex ſe optimum) mihi *c* delegi; optarem, ſi res integra eſſet, & commode fieri poſſet, etiam unicuique veſtrum iam coniugatorum: omnes enim vos diligo ſicut meipſum. SED cum ſciam id commode fieri non poſſe, & iam non omnibus integrum eſſe, nolo id vel urgere, vel ſuadere, vel efficaciter optare: cum UNUSQUISQUE PROPRIUM DONUM HABEAT EX DEO: unus caſtitatis virginalis, alter continentiæ vidualis, alius coniugalis: quiſque autem ſatisfaciat Deo, ſi dono ſuo quod ab illo accepit, bene uſus fuerit.

Petes, Quid ſi ſacerdotes aliqui vel monachi non habeant donum virginitatis, ſtatui ſuo proprium, poteruntne matrimonium inire? Sed peto a pari, Quid ſi coniugatus non habeat donum continentiæ coniugalis (v. g. ſi de facto cum aliis adulteretur) poteritne cum adulteris novas nuptias inire? Item, ſi uxor vel nolit, vel ægrotet, vel abſit, poteritne maritus incontinent aliam complecti vel ſuperinducere? Sicut ergo mihi reſpondebis, id non licere marito; quia, etſi de facto non ſe contineat, habet tamen quantum *ex Deo* eſt, donum continentiæ ſuo ſtatui proprium, quo, ſi velit, omnino poſſit ſe continere; idem tibi reſpondeo de ſacerdotibus & monachis. Neque enim Apoſtolus hic per *donum* proprie intelligit habitum, ſed auxilium gratiæ ſufficiens ſingulis a Deo præparatum, quo quiſque cum libera ſua cooperatione poſſit in ſuo ſtatu caſtus vivere ſi velit, ut infra *d* videbimus; nempe, ſi per media congrua cooperetur gratiæ & auxilio divino: v. g. ſi vetet periculoſa colloquia, conſortia, tactus, aſpectus, ſi ſtudio non foveat turpes cogitationes: ſi ſerio vacet orationi, ieiunio, piæ lectioni, & perpetuæ occupationi. Senſus ergo Pauli eſt; Etſi non omnes habeant de facto gratiam, qua poſſint virginalem vel cælibem continentiam colere, utpote iam libera ſua voluntate matrimonio iuncti, in quo ſubſunt alterius poteſtati: omnes tamen habent gratiam qua poſſint Deo per omnia facere ſatis, quiſque in ſuo ſtatu; etiam coniugati habent gratiam qua poſſint continentiam coniugalem colere ut oportet, & per illam placere Deo, nullam aliam ab ipſis exigenti: ita S. Ambroſius Chryſoſt. & alii paſſim.

V. 8. NON NUPTIS umquam, id eſt virginibus; ET VIDUIS DICO: BONUM ILLIS EST, SI SIC innupti PERMANEANT, SICUT ET EGO innuptus permaneo. Unde clariſſimum eſt, S. Paulum non habuiſſe uxorem, ſed cælibem vitam egiſſe, inquit S. Hieronym. Epiphan. *e* Ambroſ. & Chryſoſt. cum ſuis. Hæc erat ſecunda quæſtio propoſita Paulo a Corinthiis.

V. 9. URI non eſt idem quod *tantum calere* vel *tentari calore* libidinis: (nam ſic etiam Paulus *urebatur f*, nec tamen propterea nupſit:) ſed eſt idem quod, ardere libidine, vel ardore libidinis flagrare, & ab eo vinci ſuccumbendo, & lædi conſentiendo. Sic uritur ab igne, non qui calorem eius ſentit, ſed qui ab eo læditur & realiter aduritur. Qui SE NON CONTINENT, NUBANT: ſupple, ſi ſui ſint iuris & adhuc liberi, ut ſupra dixi *g*. Quod dico propter ſacerdotes & monachos, qui cum iam per votum nupſerint Chriſto, non poſſunt ad alias nuptias devolare. Sed quid remedii ſi & ipſi urantur? Reſpondeo, Abſcedant ab igne, devitent pericula & occaſiones, cooperentur dono gratiæ & auxilii divini, numquam, ſi voluerint, defuturo, ut verſ. 7. dixi: ita S. Ambroſius, Anſelmus, S. Thomas.

V. 12. CETERIS coniugibus qui diſparis fidei ſunt, ut ſequitur, (& ita exponit S. Auguſt. Anſelm. & S. Thomas:) quaſi dicat: Quæ hactenus docui de coniugibus, intellexi de fidelibus utrimque, (ut ſat inſinuavi ex fine verſ. 5. præſcripto, *ut vacetis orationi*.) Iam loquor de coniugibus quorum alter infidelis eſt, ſeu Ethnicus. His EGO DICO, id eſt conſulto: (ſed DOMINUS NON præcipit:) non dimittere coniugem infidelem, ſi illa CONSENTIT HABITA-

BITARE CUM fideli sine contumelia; creatoris & fidei. Hic respondet Paulus tertiæ quæstioni Corinthiorum.

Ubi notandum, infidelitatem tempore S. Pauli nec fuisse impedimentum dirimens matrimonium cum fideli contractum, nec impediens, seu contrahendum, seu contractum, si fideli non erat periculum perversionis. Poterat tamen, ex Christi permissione, fidelis coniux infidelem coniugem nolentem converti, dimittere, & alias nuptias inire, ut docent Doctores citati ab Henriquez. *h* Progressu autem temporis inductum in Ecclesiam, ut infidelitas dirimat matrimonium a fideli contrahendum cum infideli, ut docent iidem Doctores. Hoc tamen (quia multis locis valde odiosum & onerosum,) viri quidam docti censent restringi posse ad infideles proprie dictos, id est qui non credunt ullo modo in Christum, sed colunt idola. Quales non sunt nostri temporis Anabaptistæ, qui etsi necdum baptizati sint, volunt tamen & parati sunt baptizari, sed baptismum differunt in adultam ætatem & subinde valde provectam; profitentur interea fidem Christi, ut plures alii hæretici: & passim etiam non nisi hæretici vocantur & habentur. Unde & putant iidem salvo meliori iudicio, sentiendum in hoc negotio de his Anabaptistis, ut de ceteris hæreticis, id est non esse hic impedimentum irritans aut dirimens contractum matrimonii, sed impediens tantum. Ego nihil definio, sed quæstionem istam Doctoribus Scholasticis maturius expendendam relinquo. Causa vero cur malit S. Paulus eiusmodi coniuges non separari, est, quia hoc non expedit saluti prolium, nec coniugis infidelis. Neque profanatur aut polluit fidelis per contractum infidelis (uti scrupulose timebant Corinthii,) sed potius

V. 14. SANCTIFICATUS EST VIR INFIDELIS PER MULIEREM FIDELEM: nempe morali quadam denominatione, & quasi sanctitatis (sed extrinsecæ) aspergine: partim quia maritus est sanctæ, id est fidelis, coniugis, & una caro cum illa: partim quia non impediendo illam in sua fide & religione, sed benevole cum ipsa vivendo, quasi viam sternit sibi ad veram sanctitatem, ut scilicet per preces, merita, monita & exempla fidelis coniugis paulatim etiam ipse convertatur & sanctus fiat ut patuit in Valeriano Cæciliæ, Sisinnio Theodoræ, Adriano Nataliæ, Clodoveo Clotildis marito, & tot aliis: ita S. Chrysostomus, Theophyl. Anselmus. ALIOQUIN FILII VESTRI ex præcedenti matrimonio concepti, haberentur & ESSENT IMMUNDI: nam separatione facta, filii quasi ex adulterino thoro nati pro adulterinis & illegitimis haberentur, & a parente infideli in infidelitatis immunditia educarentur. NUNC AUTEM, continuato coniugio, SANCTI, id est mundi, SUNT (opponitur enim *sanctum* hic immundo:) utpote ex legitimo matrimonio concepti & nati, & industria parentis fidelis facile possunt baptizari & in fide instrui, atque ita vere sanctificari: ita S. Augustinus, Ambrosius, Anselmus, & ex Tertulliano Hieronymus k & alii. Nihil ergo hinc colligi potest pro Calvino & Beza, volentibus infantes fidelium vere & proprie sanctos nasci, & sine baptismo salvari. Quia S. Paulus non agit hic de vera, intrinseca, supernaturali & proprie dicta sanctitate, sed solum de improprie dicta, intrinseca & civili: quali sanctitate supra *l* dixit totam *massam* populi Israelitici *sanctam* esse, & hic *m* dicit, virum *infidelem sanctificari* per mulierem fidelem. Quod certum est, etiam Calvini & Bezæ confessione, non posse de proprie dicta sanctitate exponi.

V. 15. SI INFIDELIS coniux DISCEDIT, vel physice dissolutionem quærens, vel moraliter, nempe iniuriis lacessens seu uxorem, seu Christum;) eo casu DISCEDAT etiam fidelis, id est divortium faciat non solius thori, sed etiam contractus matrimonii, ita ut possit ad alias nuptias transire. Hoc enim in favorem fidei concessit Christus *n*: alioqui nimiæ SERVITUTI SUBIECTUS esset FRATER, id est Christianus. Immo licet infidelis nolit discedere, posse tamen fidelem discedere, docet S. August. & alii Patres, ac DD. ab Henriquez *o* citati, & passim Canonistæ *p*. Quin & debere discedere, si coniux sit maneatque Iudæus, expresse pro Hispaniæ provinciis monet Concilium Toletanum quartum can. LXI. quod experientia doceat, Iudæos, ut sunt pervicaces in suis erroribus, ita solere suas coniuges in eosdem importunius pertrahere. Quod cum in Ethnicis, seu Paganis, ut plurimum, non habeat locum, idcir-

idcirco nil simile de his usquam decretum: sed prudentiæ & arbitrio conversæ coniugis relictum eo casu divortium facere, vel non facere. IN PACE AUTEM; Syrus, *ad pacem*, id est ad quietam & pacatam vitam, VOCAVIT NOS DEUS. Non vero ad inquietam & rixosam servitutem. Si ergo maritus infidelis molestus tibi sit suis rixis, probris vel minis, fac divortium, ut pacifice vivas. Nec prætendas spem conversionis ipsius:

V. 16. UNDE ENIM hanc speres ab homine pertinace, rixoso, blasphemo?

V. 17. NISI quod optem: Syriace, *sed*, ITA quisque AMBULET, SICUT UNICUIQUE DIVISIT DOMINUS, id est secundum statum in quem (ut sequitur) UNUMQUEMQUE DEUS VOCAVIT; quasi dicat: Quod dixi de divortio certis casibus faciendo, nolim in fraudem status coniugalis trahi: v. g. nolim ob hoc solum fieri divortium, ut quis ab ordinariis coniugii oneribus liberetur, vel lautioribus nuptiis potiatur, vel ex servo liber fiat, vel ex Iudaica familia transmigret in Gentilium numerum; aut contra. Et hæc erat quarta quæstio a Corinthiis Paulo proposita.

V. 18. CIRCUMCISUS ALIQUIS, seu Iudæus, *vocatus* EST ad fidem Christi? NON ADDUCAT PRAEPUTIUM. Græce, μὴ ἐπισπάσθω, id est non attrahatur, scilicet cutis præputii, ut glandem rursus operiat, inquit Celsus *p*. Id enim ferro attractorio (quod *spatisterem* vocant) solitos facere Iudæos cum ad Gentiles apostatarent, patet ex historia Machabæorum, Iosepho & Epiphanio *q*: unde & quorumdam opinione *recutiti* dicebantur *q* Martiali, Persio *r* & aliis. Sed communis sententia est, dici *recutitos*, quasi sine cute, sicut refossus, resignatus, &c.

V. 19. CIRCUMCISI NIHIL EST; id est, ad salutem homini Christiano nec prodest, nec obest. Loquitur S. Paulus de suo tempore, quo ceremoniæ Iudaicæ iam tum *mortuæ* erant, sed necdum *mortiferæ*, ut paulo post factæ sunt, inquit S. Ambrosius, Anselmus, Caietanus.

V. 21. SI POTES FIERI LIBER a servitute MAGIS UTERE oblata commoditate, & amplectere libertatem. Et mox clarius:

V. 23. PRETIO sanguinis Christi EMPTI & redempti ESTIS e servitute peccati, & sic liberi facti estis Christi: NOLITE ergo SERVI HOMINUM FIERI, vel citra extremam necessitatem vos vestrosve filios vendere in mancipia, præsertim infidelibus: nam libertos Christi decet etiam libertas civilis, ut eo melius possint toti vacare servitio Christi. Unde & Constantinus Magnus eiusque filii sub pœna capitis vetuerunt subiectis sibi Iudæis, Paganis vel hæreticis, ne quis Christianum habeat mancipium, ut habes in Codice & apud Sozomenum *s*.

V. 25. DE VIRGINIBUS quinta erat proposita quæstio, an scilicet Christianismi legibus debeant perpetuo virgines permanere? Respondet S. Paulus, se *nullum* hac de re PRAECEPTUM DOMINI *habere*: suadere se tamen, ut tales permaneant. MISERICORDIAM CONSECUTUS A DOMINO, UT SIM FIDELIS; quasi dicat: Gratiam muneris Apostolici & Prophetici a Christo obtinui, ut fideliter exponam mentem Dei, & saluti omnium optime consulam: unde tuto potestis fidem mihi per omnia habere.

V. 26. EXISTIMO ERGO, & audacter pronuncio BONUM ESSE *homini* sic in perpetua virginitate *esse*: (infra *t* dicet etiam *melius* esse,) non tantum propter maiora emolumenta spiritualia, (de quibus paulo post *u*) sed etiam propter maiora commoda corporalia, nempe PROPTER NECESSITATEM, id est necessariam difficultatem, puta *tribulationem carnis x*, INSTANTEM. Græce, ἐνεστῶσαν, *inexistentem* statui matrimoniali; v. g. onus alendæ & instruendæ familiæ, onus uteri, partus, educationis liberorum, molestias, mœrores, rixas, timores, &c. ita S. Ambrosius, Chrysostomus & Anselmus. Qui tamen per ἐνεστῶσαν cum S. Hieron. *y* & aliis etiam intelligunt *præsentem*, *imminentem*, *urgentem* necessitatem, ex brevitate temporis nobis concessi ad æternæ salutis conquisitionem, quod proinde non mundo, non carni, non coniugi, sed animæ & Deo totum impendendum: ita enim mox vers. 29. sese explicat Apostolus.

V. 28. EGO AUTEM qui tenerrime afficior vestro bono & commodo, VOBIS ut filiis charissimis PARCO, sed parcitum velim *z*, optans ut multiplicium afflictionum & molestiarum quæ nuptias consequuntur, expertes sitis, atque ideo continentiam suadeo.

V. 29.

V. 29. QUI HABENT UXORES, SINT TAMQUAM NON HABENTES: nempe, non magnopere efficiantur rei uxoriæ; ut animum, mentem, affectum omnem divino servitio & saluti suæ æternæ serio procurandæ impendant.

V. 30. QUI FLENT, sint TAMQUAM NON FLENTES, id est quibus adversa & tristia obveniunt (quæ sunt flendi materia) non admodum illis commoveantur, utpote non diu duraturis; seque solentur spe vitæ & mercedis æternæ brevi obventuræ.

V. 31. PRAETERIT ENIM celerrime tota MUNDI & vitæ HUIUS FIGURA. Græce, σχῆμα, id est species, forma, habitus, dispositio & status, inquit S. Ambros. & divine Lipsius:

Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
Et scenæ imago, & verbo ut absolvam, nihil. Ideo

V. 32. VOLO, id est velim, optem, desiderem, VOS SINE rerum eiusmodi periturarum SOLLICITUDINE ESSE, suadens in cælibatu permanere.

V. 33. QUI CUM UXORE EST, DIVISUS EST mente & cura: nam unam (ut summum) partem Deo, alteram & fere potiorem, uxori & filiis impendit, inquit S. Ambrosius.

Nota, S. Basilium, Chrysost. cum suis & Syrum, & fere Novantes, hoc ultimum verbum adnectere versui sequenti, hoc modo: μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, id est *divisa est uxor & virgo*; quasi: dicat. *Virginem a non virgine dividit*, seu distinguit, *otium & negotium: virgo otium, non virgo negotium agit*, inquit Chrysost. Quod licet verum sit, tamen S. Hieron. asserit, eam lectionem non esse *Apostolica veritatis*. Tam enim Græca, quam Latina exemplaria distinguunt hæc, ut ante vidimus.

V. 34. VIRGO COGITAT QUAE DOMINI SUNT, utpote sponsi sui, cui uni & unice studeo placere, UT SIT coram eo SANCTA, pura & immaculata tam CORPORE suo, quam SPIRITU. Ex quibus verbis colligere possumus octo nobilissimas virginum prærogativas. Prima est, quod instar angelorum, uni Deo, divinoque obsequio totaliter intendant. Secunda, integrum sunt & perfectum holocaustum, corpore & animo, omni ex parte dicatis Deo. Tertia, sponsæ sunt Christi. Quarta, studio, cogitatione, affectu simillimæ Deo & SS. Trinitati. Quinta, nobilissima pars seu portio Ecclesiæ, inquit Cyprianus *aa*, & gemmæ & monilia pulcherrima totius orbis, inquit Hieronymus *bb*. Sexta, sicut *nuptiæ terram*, ita *continentia cælum replet*, inquit idem Cyprianus. Septima, plus ceteris a Deo & Christo sponso suo redamantur. Octava, maius præmium in cælis *cc* & singularis aureola virgines manet: unde & *canticum canent quod nemo alius canere potest dd*. Ex quibus omnibus, ut & aliis hic S. Pauli verbis *ee* certissimo concludimus, *continentiam* meliorem esse *matrimonio*, non tantum in ordine ad temporales curas ac molestias vitandas, ut vult Lutherus; sed etiam ut quis *sanctior* evadat & aptior cultui divino, ut hic fatentur Petrus Martyr & Beza: & diserte docent SS. Patres Hieron. Ambros. Athanas. August. Chrysost. Basilius, integris libris hac de re conscriptis.

V. 35. PORRO HOC continentiæ encomium, has laudes, hos fructus DICO & enarro, non ad solam ostentationem & plausum, sed AD UTILITATEM VESTRAM spiritualem, nempe ad maiorem profectum vestrum & perfectionem in spiritu. NON quod velim infirmioribus & non se continere valentibus *iniicere* LAQUEUM, id est præceptum, seu necessitatem continendi: sed solum adhortor qui robustiore animo sunt, AD ID QUOD eximie HONESTUM, laudabile, gloriosum simul & utile vobis est: Græce, πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπάρεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως, id est *ad id quod decens est & adhærens*, seu adhærescere faciens, *Domino indivulse*; scilicet ut sit vobis *facultas* DOMINUM assidue OBSECRANDI, ut legunt Romana; vel ut Plantiniana & alia Biblia, *observandi*.

V. 36. SI QUIS TURPEM SE VIDERI EXISTIMAT SUPER VIRGINE SUA; Syrus, *si quis putet se despicatui haberi* apud mundanos homines, *ob virginem* filiam *suam*, *quod prætereat tempus* & flos ætatis *eius*, *nec det eam viro; & tamen ita oportet*, seu conveniat *fieri*, seu quia vult ipsa nubere, seu quia stirps propaganda, seu quia aliæ causæ ita suadent; QUOD VULT FACIAT, id est det illam nuptui, procurato commodo marito, si hoc magis placeat: vel virginem servet, si id ipsa malit.

V. 37. NAM QUI STATUIT IN CORDE SUO

SUO FIRMUS; id est, qui firmum ac stabile habet animi propositum, nec obloquutis aliorum dimovetur a sua sententia, NON HABENS NECESSITATEM, id est qui non cogitur filiam servare innuptam, v. g. ob inopiam, infamiam, vel quia nemo illam vult coniugem, vel aliis de causis; HABET AUTEM POTESTATEM SUAE VOLUNTATIS, id est potest facere quod vult, (nempe quia virgo se permittit parentis arbitrio,) si tum maturo iudicio decernat SERVARE VIRGINEM SUAM in statu virginitatis, BENE, immo MELIUS, FACIT: quia consilium non meum tantum, sed & Christi *ff* adimplet: ita S. Chrysost Theophyl. Oecumen. & alii.

V. 39. MULIER vidua) de hac quæsierant sexto loco Corinthii, an posset ad secundas nuptias transire? Respondet Paulus affirmative:) CUI VULT, NUBAT iterum, dummodo IN DOMINO, id est in Ecclesia Christi, & viro Christiano ac probo: ita Ambrof. August. *gg* Theodor. Theophyl. Anselmus, Sedulius, S. Thomas: qui hinc contra Tertullianum, Montanum & Novatianum, probant licitas esse secundas nuptias. Probant & nuptias non ineundas cum infidelibus, neque cum hæreticis, partim ob indecentiam, partim ob periculum perversionis. Quas ob causas Ecclesia prorsus irritat matrimonium fidelis cum infideli: cum hæretica non irritat, sed prohibet sub peccato mortali iis locis ubi Catholici ab hæreticis seiunguntur: nam ubi permisti vivunt, ut in Polonia, Gallia, Germania, Anglia, Hollandia, &c. id permittit, dummodo absit periculum perversionis, & sinantur proles catholicae educari, ut docet Thomas Sanchez *hh* & alii Doctores. Probant denique contra hæreticos, cælibatum esse in nostra potestate, esseque meliorem matrimonio, ut supra *ii* vidimus. Quomodo enim alias suaderet illum nobis S. Paulus?

V. 40. BEATIOR ERIT SI SIC cælebs PERMANSERIT: nam & hic vitam agit quietiorem ac sanctiorem: & maiori præmio ac gloria decorabitur in cælo, inquit S. Ambrof. & nos ante probavimus kk.

(a) August. Lib. V. cont. Iulian. cap. XV.
(b) Hieron. citatus causa XXXII. quæst. II. can. *Apostolus*.
(c) Hic vers. 8.
(d) Hic vers. 25. & 36.
(e) Hieron. ep. XXII. ad Eustochium Epiph. hæresi LXXVIII.

(f) II. Cor. XII. 7.
(g) Hic vers. 2.
(h) Henriq. Lib. X. de Matrim. cap. VIII.
(i) Aug. Lib. II. de Peccat meritis cap. XXVI.
(k) Hieron. ep. CIII. ad Paulin.
(l) Rom. XI. 16.
(m) Hic vers. 14.
(n) Hic vers. 12.
(o) Aug. Lib. II. de Adulterinis coniug. c. XIII. 19. &c. Henriq. sup. o in cap. *Quanto* & cap. *Gaudemus* tit. de divortiis, &c. *Si infideles* 28. q. II.
(p) Celsus Lib. VII. vers. 25.
(q) I. Machab. I. 16. Ioseph. Lib. XII. Antiq. cap. VI. Epiph. de Ponderib. & mensur.
(r) Martial. epigram. I in Cæliam. Persius satyra V.
(s) L. unica Lib. I. Codicis, tit. Ne Christianum mancip. Sozom. Lib. III. cap. XVII.
(t) Hic vers. 38.
(u) Vers. 33. & 34.
(x) Vers. 28.
(y) Hieron. Lib. I. cont. Iovinianum.
(z) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. 58.
(aa) Cypr. Lib. de Disciplina & habitu virginum
(bb) Hieron. Lib. VII. cont. Iovinian.
(cc) Hic vers. 40.
(dd) Apoc. XIV. vers. 3. & 4.
(ee) Hic vers. 7. 8. 25. 36. 34. 35. 38. & 40.
(ff) Matth. XIX. 12.
(gg) Aug. Lib. I. de Adulterin. coniug. cap. XXI.
(hh) Sanchez de Matrim. disp. LXXII. num. III. tom. II.
(ii) Hic vers. 34.
(kk) Ibid.

GORDONI.

Vers. 1. DE QUIBUS AUTEM SCRIPSISTIS. Prima de Matrimonio quæstio tractatur, an Christiano iam sanctificato matrimonium sit licitum. Respondet licere; debitum utrinque reddendum, & melius esse nubere quam uri. Ita usque ad versum decimum. Item bonum esse & laude dignum (ad concupiscentiæ victoriam,) non cognoscere mulierem: tamen propter fornicationem, ne quis in eam incidat; aut nolit esse cælebs, unusquisque habeat uxorem. Ego, inquiet Melanchthon, licebit hoc etiam monachis & sacerdotibus? Inepte infers Novator. Apostolus non præcipit sed consulit timenti fornicationem. Nec certe talia monita aut documenta; (immo ne præcepta) dantur, morbo, voto, senio, aut aliter iuste impeditis: quod passim docent Patres. An non etiam Paulus ipse passim hoc capite suadet castitatem: immo hoc versu secundo tantum loquitur de iam coniugaris; ac si diceret, HABEAT, pergat habere. Nec de aliis loquitur usque ad versum octavum, ut clarum est ex contextu, & initio versus octavi

V. 3. 4. & 6. τὸ, DEBITUM, Græcus vo-

vocat debitam benevolentiam. Coniuges sui iuris non sunt, hoc est, ius non habent se continendi, nisi ut hic explicat Apostolus, vers. 5. & ex consensu. REVERTIMINI ad opus coniugale. Quod, inquit, dico indulgendo, non præcipiendo. At quid si vellent coniuges diu aut semper abstinere? Responsio, si ad tempus aliquod hoc licet ex pia causa, cur non diutius? Cur non usque ad mortem? Si, inquam, cessat periculum incontinentiæ aut fornicationis. Plurima sunt huius continentiæ exempla in Ecclesia, etiam in Regibus & Reginis. Et Paulus versu septimo optat (non præcipit) cælibatum. Sed quod est hoc donum proprium? Sicut sunt bona naturæ, item bona aliqua sunt prorsus a Deo: ita sunt bona alia quæ partim a Deo sunt, partim a nobis: talia sunt bona & meritoria opera; & exercitium cælibatus, & virginitatis. Ut certe sunt in hominis potestate, si eius voluntas a Deo adiuvetur per gratiam, quam ipse non negat, sed dare paratus est, & dabit, nisi homo sibi desit, Trident. seff. XXIV. Can. IX.

V. 8. & 9. DICO AUTEM NON NUPTIS. Hactenus de coniugatis; nunc de aliis qui sunt innupti. Ut PERMANEANT, inquit, SICUT EGO. Aperte docet Paulus se innuptum mansisse: quod si non continent, satius est nubere, quam ex fervore libidinis consentire in fornicationem: hoc enim in præsentia est uri. Hoc intelligo, nisi voto, aut alio gravi impedimento stet obligatio ad continentiam: his non est satius nubere; nam peccarent, quod numquam licet. Quid ergo in his facient angustiis? Respondeo, Castigent corpus, & orent pro dono continentiæ, ut fecit Paulus II. Cor. XII. 9. Deus bene petenti non negat gratiam.

V. 10. & 11. IIS AUTEM. Venitur ad quæstionem de divortio. Hoc de prohibito divortio præceptum a Christo extat, Matt. cap. V. 19. Marci X. & Lucæ VI. Quod si mulier discesserit, verbi gratia, propter viri adulterium, & ex iusto divortio maneat innupta, aut redeat reconciliata. Nam adulterium non dissolvit matrimonium. Errat (ut aperte testatur hic locus) si quis cum Caietano dicant, non posse ex Scripturis probari, non dissolvi matrimonium per adulterium. Diceret forte Caietanus Paulum tantum loqui de iniusto divortio; & per hoc quidem non solvi matrimonium. Certe subterfugium hoc est clare contra verba textus & Pauli mentem. Lege Trident. seff. II Can. VII. & August. Lib. II. de adulterinis coniug. cap. IV. Quod sequitur vers. II. VIR UXOREM NON DIMITTAT, non separet a se, nempe sine iusta & gravi causa.

V. 12. NAM CETERIS EGO DICO NON DOMINUS. Aliqui hæc verba referunt ad sequentia: sed vix hoc admitti potest. Rectius ergo post vocem, *Dominus*, punctum est; & ita ut hæc verba referantur ad præcedentia, quæ mentionem faciebant de non nuptis, stetque antithesis inter versiculum decimum de nuptis, & hunc duodecimum de ceteris, hoc est, non nuptis. Sensus ergo est. Dominus de nuptis præcepit non discedere, de ceteris vero non nuptis, (de quibus dixi versu 7.) non Dominus præcipit, sed ego scilicet consulo, seu auctor sum, non præcipiens, sed consulens, ut sic permaneant. Sic etiam se explicat Paulus vers. 25. τὸ, *Ego dico*, non esse Pauli præceptum, sed consilium docent Augustinus Lib. I. de adult. coniug. cap. XIII. S. Thomas & alii.

V. 12. SI QUIS FRATER. Tertiam aggreditur Paulus quæstionem Corinthiorum; an possit coniux fidelis habitare cum infideli coniuge. Sit hæc hypothesis. Ioannes & Margarita infideles contrahunt matrimonium: quæstio est, an Ioannes postea factus fidelis, possit dimittere uxorem hanc infidelem, & ducere aliam? Hodie quidem & ex consuetudine recepta præsentis Ecclesiæ infidelitas (non tamen hæresis) est impedimentum impediens contrahendum & dirimens contractum: si, inquam, fidelis contrahat cum infideli, tamen tempore Pauli infidelitas non erat impediens contrahendum, nec dirimens contractum, si fideli non creabatur periculum perversionis, & iniuria creatoris. Præterea certum est quando matrimonium contractum fuit inter duos infideles, & alter postea convertitur, posse dissolvi quoad vinculum, si remanens infidelis nolit cohabitare sine iniuria creatoris ex cap. *Quanto*, & *Gaudemus*, de divortiis: & colligitur ex his verbis Pauli, vers. 15. *Si infidelis discedit, discedat.*

Iam sensus verborum Pauli (legendo cum Romana editione, & puncto) si quis

K 2 frater,

frater, seu Christianus infidelem ducat uxorem, & consenserit sine iniuria habitare, potest eam retinere ob spem conversionis uxoris infidelis. At quomodo vers. 14. sanctificatur infidelis per virum fidelem? quia sane hoc matrimonium a fideli sanctum denominatur, nam praebet viam ad sanctificandum coniugem infidelem, & ad procreandos filios fideles, succedente baptismo.

Verum hinc inepte Calvinus errorem suum hausit de traduce sanctitate a patre ad filium, ac proinde nullam esse necessitatem baptismi. Sic, inquit, sunt filii Ecclesiae; sicut liber est qui ex liberis nascitur, & filius Abrahae, qui ex Abrahamo vi foederis. Respondeo, neminem nasci Christianum ex lege ordinaria, sed filium irae. Et quid illud Ioan. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua?* baptismo regeneramur. Et cur non dicet similiter Novator ille, unum coniugem sanctificari per alium sine fide, spe & caritate, si bene utitur verbis Pauli.

V. 15. QUOD SI INFIDELIS. Ponit hic casum, quo licet infidelem coniugem dimittere etiam a vinculo; nempe si quaerat dimissionem, aut cohabitare non vult sine iniuria creatoris. Haec enim fideli esset servitus magna, si in hac impietate, obstrictus maneret fidelis infideli. Vide cap. *Quanto*, & cap. *Gaudemus*, de divortiis, & cap. *si infidelis*, 28. quaest. II. his consentanea sunt quae sequuntur de pace.

V. 16. UNDE ENIM SCIS. Urget illud de pace retinenda & tollendis rixis, ne quis pretextu conversionis velit diuturnum hoc bellum domesticum tolerare. Unde scis, inquit, futurum quod praetendis a coniuge blasphemo pagano, & tot rixarum causa.

V. 17. NISI UNICUIQUE. Dixit iam de divortio & mutatione circa coniugium: nisi vero ex illa quam recensui, iusta causa, contingat mutatio, opto, inquit Paulus, quemque in suo, ut coepit statu manere. Si coniugatus, sine divortio maneat: si in praeputio vocatus, non affectet circumcisionem, aut e contra: si servus vocatus ad fidem, non aspiret malis artibus ad libertatem: quisque serviat Deo contentus statu suae vocationis: mutationes istae ex vers. 20. nihil valent ad salutem. Quorsum enim aut vocatus ad fidem paganus praescindet pelliculam; aut Iudaeus vocatus eam reducet. Solebant etiam Iudaei apostatae reducere praeputium: huius reductionis auctorem aliqui faciunt Esau.

V. 25. DE VIRGINIBUS. Est quae hic tractatur quaestio Corinthiorum tertia, an virgines vocatae ad fidem debeant manere virgines? Brevis, vera & facilis solutio est, per legem a Christo latam non praecipi ulli virginitatem; omnibus tamen consuli, si velint ita vivere. Sane cum hoc consulat Christus, idemque laudet Paulus, fateri oportet caelibatum esse in potestate nostra per Dei gratiam. Idem passim docent Patres, ut alibi ostendi. Augustinus Psalm. CXXXVII. qui hortatur ut voveas, adiuvat ut reddas. Est quidem res operosa & difficilis, nec omnes hoc capiunt. Matthaei XIX. quia vim sibi non faciunt. Capiunt tamen aliqui, ut Christus docet. Ceterum Paulus bonum hoc consulit aliis, tamquam is qui ex concessa sibi misericordia fungitur munere Apostolico.

V. 26. Existimat HOC BONUM ESSE PROPTER INSTANTEM NECESSITATEM. Sane in matrimonio gravia sunt onera ferenda. Est etiam vita omnis humana plena molestiis. Nec desunt superandae tentationes: incumbit denique has superandi necessitas. Cum ergo caelibatus leviora ad portandum onera haec reddat, merito censetur bonus, & utilis, ne succumbat homo tot malis & oneribus. Atque hinc commode sequuntur quae infert Paulus, & belle explicant, quomodo caelibatus sit utilis ad praesentem necessitatem perferendam.

V. 29. TEMPUS BREVE EST. Pronunciat & ingeminat vitae brevitatem, ut mores ex hoc velut momento discant temperare affectum ad res vitae praesentis, & sint tamquam non habentes; vel ulusfructuarii. Sic etiam fugacem vanitatem licebit devitare.

V. 32. VOLO AUTEM VOS. Aliud argumentum ad commendandam virginitatem: ut sitis, inquit, sine solicitudine. Anxia res est & plena curarum matrimonium, avocans ab his quae Dei sunt. Animus curis divisus minor est ad singula.

V. 35. PORRO HOC. Explicat mentem suam Paulus, non spectare hoc consilium eo, ut velit cogere quemquam: adhortatio tantum est ad meliorem vitae conditionem; & ut virgo sit sancta corpore & spiritu.

At

At, inquiet Novator, vovere est laqueum sibi iniicere? Cur non etiam æque dicet matrimonium esse laqueum? Neutrum tamen malum est, sicut utrumque libere fit. Iam votum religiosorum & libere fit, & non nisi post annum probationis. Non sic se probant coniuges. Nihil ergo temere fit in voto; nihil non voluntarium. Non sic solet iniici laqueus.

V. 37. Nam qui statuit. Non est solius patris, quasi possit ille cogere filium ad horum unum, vel alterum. Interim locus est aliquis arbitrio, tam in patre quam in filia.

CAPUT VIII.

Quamquam idolothytis vesci non sit ex se illicitum, cum idolum nullius sit efficaciæ aut potestatis, non sunt tamen illa edenda aut repugnante conscientia, aut cum infirmorum offendiculo: neque ea edere, aut non edere, hominem efficit meliorem.

1. De iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat. 2. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. 3. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. 4. De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus. 5. Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra (si quidem sunt dii multi, & domini multi:) 6. nobis tamen unus Deus, Pater *, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. 7. Sed non in omnibus est scientia. * Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. 8. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus. 9. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. 10. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? 11. (*a*) Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? 12. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 13. (*b*) Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

(a) Rom. xiv. 19. (b) Rom. xiv. 21.

BRUGENSIS.

Romanae Correctiones.

Vers. 6. *Ex quo omnia & nos in illum*. Alii libri mutant accusativum in ablativum *illo*.

Vers. 7. *Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli*. Carius additur quam omittitur præpositio *cum*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. DE HIS AUTEM. Erant Corinthii nonnulli perſuaſi a pſeudo-Apoſtolis, qui exiſtimarent nefas eſſe veſci earne idolis immolata, qua ideo idolothytum vocant. Erant contra perfectiores, qui nihil exiſtimabant ulli cibo propter idolum accedere vel decedere, & ideo templa idolorum ingredientes cum illorum ſacrificiis edebant: quod quum a præſtantioribus fieri viderent infirmiores, illorum cœnis aderant, veſcentes quoque de idolothyto, ſed nonnihil numinis in eo eſſe credentes. Carpit ergo perfectiores Paulus, qui quum gloriarentur ſe ſcire nullam in cibis fore diſcretionem, interim puſillis ſcandalo erant, oſtendens parum prodeſſe illis huiuſmodi ſcientiam (de ea enim loquitur) niſi caritas eos a proximorum ſcandalo avertat.

V. 7. SED NON IN OMNIBUS EST; id eſt, quamquam noſtis nihil religionis, aut maculæ cuiquam cibo accedere propter idolum, non tamen paſſim idolothyto veſci oportet: non in omnibus eſt hæc ſcientia, id eſt non enim hæc omnes norunt: qui nimmo multi veſtro exemplo idolothytum manducantes, exiſtimant aliquid in idolo eſſe numinis, atque ita polluuntur: non quia veſcuntur, ſed quia cum huiuſmodi conſcientia veſcuntur. Græci explicant, *non in omnibus eſt ſcientia*; id eſt, non omnes ſciunt quod nihil eſt idolum in mundo: ſed quum vos ad menſas idolorum vident accedere, putant in iis eſſe aliquid numinis. CUM CONSCIENTIA USQUE NUNC IDOLI, id eſt cum eadem ſcientia & conſcientia, qua & gentes exiſtimantes aliquid eſſe idolum.

V. 8. NEQUE SI MANDUCAVERIMUS ABUNDABIMUS, id eſt neque laudabiliter agemus, manducantes; NEQUE DEFICIEMUS, id eſt peccabimus, abſtinentes.

V. 10. IN IDOLIO, id eſt menſa idolis conſecrata. Græce, ἐν εἰδωλείῳ.

V. 11. IN TUA SCIENTIA, id eſt ob huiuſmodi ſcientiam, quam tibi cum periculo fratris vendicas.

S. A.

Verſ. 1. HABEMUS; quaſi dicat, Scimus omnes idola nihil eſſe. INFLAT, ſcilicet ſine caritate: Auguſt.

V. 3. COGNITUS, id eſt dilectus, ſcilicet novit Dominus ſuos; aliis dicit, *Neſcio vos*.

V. 4. NIHIL EST; quaſi dicat, Repræſentat ut Deum, id quod Deus non eſt.

V. 5. SUNT, ſcilicet Gentilium opinione.

V. 6. IN ILLUM, id eſt per illum, ſcilicet ſumus; vel ad illum tendimus. PER IPSUM, ſcilicet ſumus.

V. 7. SCIENTIA, ſcilicet ut par eſt. CONSCIENTIA, ſcilicet erronea. IDOLOTHYTUM, id eſt idolis immolatum; quaſi dicat, Putantes ſe in eo peccare.

V. 8. ESCA, ſcilicet ex ſe; quaſi dicat, Nihil refert apud Deum, ſive edas idolothyta, ſive non. ABUNDABIMUS, id eſt meliores erimus apud Deum. DEFICIEMUS, id eſt minus habebimus.

V. 9. LICENTIA, id eſt libertas quibuſlibet veſcendi.

V. 10. SCIENTIAM, ſcilicet quod idolothytum nihil veſcentem lædat. IDOLIO, id eſt idolis immolatorum menſa. AEDIFICABITUR, id eſt excitabitur. Syr. *confirmabitur*. AD MANDUCANDUM, ſcilicet putans tamen non licere.

V. 11. IN TUA SCIENTIA, id eſt propter tuam ſcientiam.

V. 12. PERCUTIENTES, id eſt vulnerantes.

MARIANAE.

Verſ. 1. DE IIS AUTEM, QUAE IDOLIS. Hoc capite ſolum affert rationem cur immolata idolis comedere non liceat, nempe propter conſcientiam. Addit deinde ſcandalum; ut videatur concedere id fieri licite, cum remoto ſcandalo quis ſibi id licere putat. Verum, cap. x. 20. & 21. aliam rationem adiungit, nempe, qui ea comedunt, cultus impii eſſe participes. De prohibitione Apoſtolo-

stolorum, Act. xv. 26. nulla mentio. Fortassis hæc Epistola ante eam prohibitionem est scripta. Aut, ut alii volunt, solum Antiochenis & vicinis locis est impositum id Apostolorum præceptum, ut mitigarent rabiem eorum qui male ferebant, conversos ex Gentibus non servare legem. OMNES SCIENTIAM HABEMUS, scilicet ex se non referre, si ii cibi comedantur.

V. 3. SI QUIS AUTEM DILIGIT DEUM, HIC COGNITUS EST AB EO, id est probatus qui Deum diligit, & ex caritate, ne infirmos offendat, ab eo esu abstinet. Nil ergo scientia prodest sine caritate.

V. 4. SCIMUS QUIA NIHIL EST IDOLUM. Res inanis. Videtur alludere ad nomen *idoli*, אליל *Eli*, quod *vanum* & *nihil* significat. Forst. dictum putat quasi אלאל *Al Æl*, id est *non Deus*, vel geminatione posterioris litteræ in voce אל *Æl*, id est *Deus*, quod sit quidam velut Deus. Clemens Strom. vi. legit; *nobis nullum est simulacrum in mundo*, id est nullam Dei imaginem fingimus, scilicet quoad eius substantiam. Spectra tantum pingimus quibus apparuit, quia nihil ei simile. Græca οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ, quod nostram & Clementis interpretationem admittit. Tertullianus lib. de Idololat. extremo, illud *Non sumas nomen Dei tui in vano*, explicat *in idolo*: nempe nomen Dei idolo non attribues.

V. 6. IN ILLUM, id est propter illum nos sumus, scilicet Deum. Nos PER IPSUM, id est, ab eo facti, scilicet a Christo.

V. 7. NON IN OMNIBUS EST SCIENTIA; scilicet idolum nihil esse nec ex se referre, si illi oblata edantur.

V. 8. ESCA AUTEM NOS NON COMMENDAT, sive *adiungit*, παρίςησι, non conciliat nos Deo. NEQUE ENIM SI MANDUCAVERIMUS, id est, neque laudabile faciemus edendo, neque DEFICIEMUS, id est, peccabimus abstinendo. Providendum tamen, ne ea licentia sit

V. 9 OFFENDICULUM, id est scandalum, nova ratio ob quam sit abstinedum.

V. 10. EUM QUI HABET SCIENTIAM, id est perfectionem, si quis videat. IN IDOLIO, id est idoli mensa. CONSCIENTIA EIUS, id est contra conscientiam, motus perfectioris exemplo comedet idolothyta.

V. 11. IN TUA SCIENTIA, id est propter tuam scientiam & libertatem peribit infirmus, quia scilicet contra conscientiam ipse operatur quod malum putat.

13. SI ESCA SCANDALIZAT. Basilius II. Lib. de Bapt. quæst. x. *Si quod fit est ex se bonum, aut præceptum, non est relinquendum propter scandalum; si ex se malum, utraque de causa est relinquendum, quia malum, & quia scandalizat: si quod fit est ex permissis, ob infirmi scandalum est dimittendum.* Idem repetit in Regulis brev. cap. LXIV. Scholastici addunt: *Si in his scandalum ex infirmitate venit, abstinendum; si ex malitia, non curandum.*

MENOCHII.

Vers. 1. DE IIS: QUAE IDOLIS SACRIFICANTUR: carnibus, & aliis huiusmodi. SCIMUS: quod scilicet immolata idolis ab aliis cibis non differant, nec plus habeant numinis aut religionis. QUIA OMNES: bene, & plene in fide Christi instituti. SCIENTIAM, id est sufficientem rerum Christianarum cognitionem, ex qua scimus idolothyta rem esse indifferentem. SCIENTIA INFLAT; quasi dicat: Scientia isthæc vestra, qua scitis idola nihil esse, & consequenter licitum esse idolothytis vesci, iisque vescimini cum scandalo ignorantium hoc: hæc, inquam, scientia facit vos superbire contra ignorantes, eosque despicere. CARITAS VERO AEDIFICAT; scilicet, infirmos, & ignaros, ut eos in fide, & pietate Christiana contineat, & promoveat. Hoc enim significat *ædificare*, scilicet, proximos ad salutem promovere; cui e contrario opponitur scandali peccatum, quo proximus destruitur, hoc est, damno salutis afficitur.

V. 2. SI QUIS AUTEM SE EXISTIMAT SCIRE, &c. id est, qui putans se aliquid scire inde inflatur, hic necdum scit quis sit finis, usus, & modus scientiæ, videlicet ut per scientiam ne superbias, prosis quibus possis, nemini obsis, neminem scandalizes, & sic a Deo agnoscaris, & ameris, ut sequitur.

V. 3. SI QUIS AUTEM DILIGIT DEUM: & propter Deum proximum, ut eum idolothytorum esu, aliave re non scandalizet, sed ædificet. HIC COGNITUS EST AB EO, id est hic a Deo approbatus, & dilectus est; in huius scientia complacitum est Deo.

Deo. De escis autem, &c. quasi dicat: Igitur, ut ad propositam quæstionem redeam, quæ de usu eorum, quæ idolis immolantur, instituta est. Scimus quia nihil est idolum in mundo: nemo nostrum ignorat idolum nihil esse in rerum natura, id est id quod existimatur, & quod repræsentat, quia nihil veri numinis illi subest, nullus enim alius Deus est præter unum Deum, quem nos colimus.

V. 5. Nam etsi sunt qui dicantur dii: a Gentilibus idololatris.

V. 6. Nobis tamen, recte sentientibus. Et nos in illum: in illius scilicet gloriam, & cultum creati sumus. Per quem omnia: facta sunt. Et nos per ipsum, scilicet creati & redempti sumus.

V. 7. Sed non in omnibus est scientia: iam dicta, quod idolum, & idolothytum nihil sit. Quidam autem cum scientia idoli: scilicet ex conscientia erronea putantes idolum habere aliquid divinitatis. Quasi idolothytum manducant, id est cum reverentia, quasi cibus ille aliquid sacri habeat ex eo quod idolo immolatum est. Vel, cum horrore, quasi esu illo inficiantur, & polluantur. Et conscientia ipsorum cum sit infirma, id est non plene instructa circa idolothyta. Polluitur: quia contra conscientiam aliorum exemplo manducant idolothyta.

V. 8. Esca autem non nos commendat: Deo; quasi dicat, Idolothytum, vel aliorum ciborum esus per se nihil facit ad pietatem, qua Deo placeatur. Neque enim si manducaverimus: idolothyta. Abundabimus: escis, & delitiis abundabimus quibus alia ratione frui non possimus. Deficiemus: quasi eodem genere edulii edere non liceat, licet idolo immolatum non sit.

V. 9. Haec licentia vestra: comedendi idolothyta. Offendiculum fiat infirmis: eo modo, quem statim explicat.

V. 10. Eum, qui habet scientiam: idolothytum non esse rem sacram, aut religiosam. In idolo, id est in templo, vel mensa idolis consecrata. AEdificabitur, id est provocabitur, excitabitur, ut comesat idolothyta quasi sacra.

V. 11 Et peribit infirmus: peccabit ignorans non esse per se peccatum vesci idolothytis. In tua scientia: per tuam scientiam, qua tu male, & importune uteris.

V. 12. Et percutientes, id est scandalizantes, & per scandalum quodammodo vulnerantes. In Christum peccatis. Christus enim sibi factum arrogat, quod uni ex minimis eius factum fuerit Matth. xxv. 40. Rursum qui scandalizant proximum in Christum peccant, quia Christi fabricam, scilicet proximorum probitatem, & salutem, quam Christus suo sanguine construxit, malo suo exemplo destruunt, & evertunt.

V. 13. Esca: cibus idolo oblatus, & carnes immolatæ. Ne fratrem meum scandalizem: ne fratri meo offendiculum obiiciam, & peccandi occasionem præbeam.

T I R I N I.

Vers. 1. OMnes bene instituti in fide Christiana sufficientem scientiam habemus, quod carnes, vinum, panes, aliique cibi idolis immolati, nihil inde, seu religionis aut sanctitatis; seu vitii aut sordium, in se trahat, neque ex se differant ab aliis vulgaribus cibis, inquit S. Chrys. Sed hæc scientia, quia in plerisque vestrum, o Corinthii, non associatur caritati fraternæ, (ut S. August. exponit,) non tam prodest, quam nocet: nam & vos inflat, id est superbire, & aliis quasi ignorantibus & stupidis insultare facit: & non aedificat, sed lædit & destruit proximum, id est non promovet infirmos ad salutem, sed scandalum & offendiculum illis parit, quo in ruinam trahuntur & damnationem.

V. 2. Si quis talis inter vos se existimat aliquid scire in hoc genere, noverit is, se non nisi obiectum nosse scientiæ, non vero etiam usum, finem & modum scientiæ; cum tamen scientiæ practicæ & Christianæ (de qua hic agitur) proprium, immo præcipuum sit, in usum & finem sibi præstitutum, semperque in Dei honorem & publicum commodum referri. Quod sane non observat qui sua scientia ipsemet superbit, & proximo dat ansam scandali ac ruinæ. Unde nec talis probatur Deo, sed displicet.

V. 3. SI QUIS AUTEM instructus, scientia simul DILIGIT DEUM, & amore Dei studet ædificationi & commodis *a* proximi, HIC demum COGNITUS *b*, probatus & dilectus EST Deo: & in tali eius scientia complacitum est Deo.

V. 4. IDOLUM NIHIL EST, nempe formaliter, seu ut repræsentat aliquod numen, vel aliquid divini; quasi dicat: Non est id quod opinione Gentilium existimatur esse: non enim est Deus, ut ipsi arbitrantur; sed materialiter tantum est lignum vel lapis; formaliter & repræsentative est nihil, quia imago falsa, seu rei falsæ: ita Tertull. Cyprian. *c* Anselmus & alii apud Bellarminum *d*. Quia non est nisi

V. 6. UNUS DEUS, nempe PATER æternus, EX QUO tamquam principio, OMNIA, ET NOS IN ILLUM, id est in illius gloriam, cultum & servitium creati sumus: ET Filius eius DOMINUS IESUS, PER QUEM tamquam primum directorem creata sunt OMNIA, ET NOS PER IPSUM tamquam mediatorem redempti sumus: subaudi *& Spiritus sanctus*; in quo tamquam abysso omnis perfectionis sunt omnia, ut alibi docuit *e*.

V. 7. SED hæc SCIENTIA de idolothytis, quod nihil ipsis seu sacri, seu sordidi insit, NON EST adhuc IN OMNIBUS: nam QUIDAM vestrum USQUE NUNC CUM erronea CONSCIENTIA IDOLI, putantes *idolum* habere aliquid veræ divinitatis, MANDUCANT QUASI IDOLOTHYTUM, nempe cum reverentia & veneratione, vel certe cum horrore, tamquam quod numini in idolo (ut putant) latenti oblatum & dicatum sit: atque ita ex hoc errore POLLUITUR IPSORUM CONSCIENTIA per esum idolothytorum, CUM SIT adhuc INFIRMA, seu male instructa. Peccat enim, quia putans non licere vesci idolothytis, aliorum tamen recte sentientium exemplo illis vescitur, non deposita opinione sua erronea: ita S. Chrysost. cum suis.

V. 8. ESCA idolis oblata, seu esus idolothyti, ex se, vel per se, NON COMMENDAT NOS DEO, nec quidquam facit ad conciliandam vel augendam pietatem, qua Deo placeamus. NEQUE ENIM SI MANDUCAVERIMUS idolothyta, ideo ABUNDABIMUS, id est donum aliquod spirituale vel gratiam acquiremus: NEQUE SI illa NON MANDUCAVERIMUS, propterea *deficimus* virtute, merito vel profectu spirituali: ita S. Chrysost. Ut quid ergo edendis illis adeo inhiatis, etiam cum offensione & scandalo *infirmorum*?

V. 10. SI ENIM infirmus QUIA VIDERIT alterum QUI veram & rectam de qualitate idolothyti SCIENTIAM HABET (nempe quod nihil lædat edentem,) si, inquam, viderit illum non tantum domi suæ vescentem idolothytis, sed etiam inexcusabili audacia RECUMBENTEM IN IDOLIO, id est in templo vel mensa idolo consecrata, ut cum idololatris promiscue vescatur idolothytis: (quod sane nullo modo, ut infra *f* dicetur) NONNE INFIRMA EIUS CONSCIENTIA hoc tuo exemplo AEDIFICABITUR, id est erigetur, excitabitur, provocabitur, AD MANDUCANDUM simili modo IDOLOTHYTA, quæ tamen conscientia ipsius dictat sibi non licere? Solitos autem Gentiles, exemplo Iudæorum *g*, victimas, ut pote sacras, in templi, seu loco templis vicino absumere, constat ex Herodoto, Virgilio *h* & pluribus aliis.

V. 11. *&* 12. ET ita PERIBIT IN, seu per, *tuam scientiam* (qua abuteris) INFIRMUS FRATER, occasione tui exempli Deum offendens. Atque ideo etiam vos PECCATIS IN CHRISTUM, PERCUTIENTES & vulnerantes vestro imprudenti facto CONSCIENTIAM INFIRMAM fratris, PROPTER QUEM e peccatis educendum CHRISTUS MORTUUS EST. Quod enim Christus in ipso construxit, vos malo vestro exemplo destruitis & evertitis. Adde, Christum etiam sibi arrogare, quod membris eius irrogatur *i*.

Petes, Quare Apostolus absolute vetat esum idolothytorum, prout vetuerunt Apostoli in suo Concilio Actorum xv. 29.? Respondeo, Quia præceptum istud non erat perpetuum sed solum pro tempore: neque extendebat se ad omnes Christianos, sed ad solos Antiochenos, & eorum vicinos, ut patet ex vers. 23. ibidem: idque causa concordiæ Iudæorum cum Gentilibus, quæ Corinthi non periclitabatur ex hoc capite: ita Baronius k.

(a) I. Ioan. iv. (b) Matt. vii. 23. & xxv. 12. &c.
(d) Tertull. Lib. de Idololatria. Cyprian. de Exhortat. Mart. cap. 1. (d) Bellarm. Lib. II. de Imagin. 19. (e) Rom. 11. ult.
(f) Cap. x. huius epist. xxi.
(g) Deuter. xvi. 11.
(h) Herod. in Clio. Virgil. VIII. Æneid.
(i) Matt. xxv. 40. & Actor. ix. 4.
(k) Baron. an. Christi 51.

GORDONI.

Vers. I. DE IIS AUTEM. Apostolus hic inchoatam quæstionem de idolothytis absolvit capite decimo, vers. 20. 21. Et nunc quidem ait ex se malum non esse: tamen docet non licere quando est scandalum, comedere hos cibos, qui idolis immolantur, (θύειν τοῖς εἰδώλοις.) De quo S. Thomas 1. II. quæst. CIII. art. 14. Addit porro citato capite decimo esse peccatum his vesci in Idolio, seu templo Idolorum, vers. 7. cum Idololatris. Hoc enim est quædam professio idololatriæ. Sicut qui hodie panem solitum in Cœna Calvinistica comederet. Peccaret porro qui idolothyto vesceretur cum erronea conscientia. Licet enim ut dixi ex se non sit peccatum, cum ex se nullam vim habeat; tamen qui illo vesceretur putans se male agere, peccaret. Denique peccatum esse potuit ex transgressione præcepti Apostolici, Act. XV. 29. saltem inter Antiochenos, ad quos missum fuit hoc præceptum, & alibi ubi fuit receptum. Hæc universe. SCIMUS QUIA OMNES SCIENTIAM HABEMUS. Huius exordii hic sensus est: docti ut plurimum estis in fide; scitis immolata Idolis nihil habere numinis, & non differre in se a communi cibo. Videte tamen ne hæc scientia vos inflet, & superbire faciat, & contemnere eos qui hoc ignorant: sicut si caritatem retinetis, ea ignorantes atque infirmos ædificabit: Antithesin habent ædificare (promovere ad pietatem) & scandalizare, quod proximum peccato destruit.

V. 2. & 3. SI QUIS AUTEM. Dat obiter discrimen inter hanc inflantem scientiam & caritatem. Qui illam tantum habet, caret proprio modo & usu scientiæ: scilicet qui est ut prosit aliis. Qui vero habet caritatem, amat proximum in Deo, & Deum rebus omnibus anteponit.

V. 4. DE ESCIS AUTEM. Nunc redit ad propositam quæstionem, quæ, inquit, est de escis. Certe idolum, qui immolatur, nihil est, nihil, inquam, est eorum quæ putant: arbitrantur enim esse Deum; & vere est non Deus: ac si dicas, pura negatio est, aut non ens: &, si vis materiam tantum est lignum; formale est, ut dixi Isai. XLI. אל אל *al el non Deus*, aut אליל *elil*, *vanitas*. Et errant grammatici illi novi, qui volunt quodlibet simulacrum esse idolum: nam nisi sit falsi numinis, idolum non est.

V. 5. & 6. NAM ETSI. Exclusa deorum & idoli vanitate, concludit tantum esse unum Deum: quamvis plures, inquit, sint Dii gentilium: sic separat vanitatem gentium in suis idolothytis a vera Sapientia Christianorum de Deo & Christo, PER QUEM OMNIA. En divinitatem Christi.

V. 7. SED NON IN OMNIBUS. Ceterum, inquit, non est in omnibus perfecta scientia, quales sunt qui ex erronea conscientia (ut dixi vers. 1.) manducant, & sic polluuntur ac peccant: non quidem quod non sit peccatum, ubi non est erronea conscientia: sed cum multis aliis modis pecent homines, etiam hoc modo contingit peccari circa idolothyta.

V. 8. & 9. ESCA AUTEM NOS NON COMMENDAT. Primo docet non oportere esse addictum escis: non enim commendant Deo. Et hoc propter doctores, de quibus vers. 9. ubi videtur apostrophe ad firmiores, ne dum libere & sine erronea conscientia vescuntur idolothytis, sint scandalo aliquibus, qui dum vident vos in fidei rebus doctores tam licenter vesci idolothytis, putant oportere illis vesci, tamquam re sacra. Et hoc est quod ait versu decimo, AEDIFICABITUR; hoc est, excitabitur, provocabitur, peribitque ex tuo facto, qui abuteris tua scientia. Suadet ergo reliquo capite prudentem usum scientiæ, docens satius esse numquam vesci carne, quam fratem scandalizare.

Nihil ineptius est quam quod hic colligunt Novatores, male præcipi statuta ieiunia ab Ecclesia. Certe esca non commendat Deo, nec delectus ciborum ex se, sed virtus abstinentiæ a cibis & obedientia sunt, quæ Deo commendant in Quadragesima & aliis statis temporibus. Sed quorsum illud vers. 10. IN IDOLIO. Solebat epulum in templis & idolis exhiberi. Vide Deuter. XVI. 11. Hic iam maior occasio scandali: dum enim in æde sacra comedebatur idolothytum, facilius credebat infirmus comedi rem sacram.

CA-

CAPUT IX.

Non accipiebat Paulus victum a Corinthiis quibus concionabatur, ut omnem amputaret offendiculi occasionem, licet hoc sibi fuisse licitum multis probet argumentis: sed in omnem formam se vertit, quo plures ad Dei cultum adducat: Corinthjos exhortando ad imitationem eorum qui in stadio currunt, aut in agone certant, suum quoque ait se domare corpus.

1. NOn sum liber? Non sum Apostolus? Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? 2. Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino. 3. Mea defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est. 4. Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi? 5. Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? 6. Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi? 7. Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? 8. Numquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? 9. Scriptum est enim in lege Moysi: (*a*) Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? 10. * An propter nos utique hoc dicit? nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. 11. (*b*) Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? 12. Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. 13. (*c*) Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant? 14. Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. 15. Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc ut ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. * 16. Nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero. 17. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est. 18. Quæ est ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio. 19. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. 20. Et factus sum Iudæis tamquam Iudæus ut Iudæos lucrarer: 21. iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem: iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. 22. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. 23. Omnia autem facio propter Evangelium: ut particeps eius efficiar. 24. Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. 25. Omnis autem, qui in ago-

agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. 26. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: 27. sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

(a) Deut. xxv. 4. 1. Tim. v. 18. (b) Rom. xv. 27. (c) Deut. xviii. 1.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 10. *An propter nos utique hoc dicit?* Non omittas pronomen *hoc*.

Vers. 16. *Nam si evangelizavero*. Non interponas *&* inter *nam*, & *si*.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Vers. 1. NON SUM LIBER? id est, numquid mei iuris sum, ut nemo inhibere possit, quin sumptus a vobis exigam?

V. 2. 3. & 4. NAM SIGNACULUM; id est, vos argumento estis mihi creditæ Apostolicæ functionis, apud quos Apostolatus opera gessi: quinimmo & mea defensio estis. Si quis enim me negat Apostolum esse, ego vos ostento, mea defensio est hæc: Vos, inquam, SIGNACULUM APOSTOLATUS MEI: nec mihi videtur iungendus hic locus cum sequenti, NUMQUID NON HABEMUS, &c. neque enim indigebat defensione ad ostendendum quod iure sumptus in Evangelio prædicando fecisset, sed probat se fuisse illis Apostolum; quasi dicat: Poteram exigere a vobis sumptus, quia vester Apostolus: quod si quis negaverit, mea vos estis defensio, utpote signaculum apostolatus mei, in quibus ego apostolatus mei sigilla impressi, firmissimam scilicet Christi fidem. Quod si quis (inquiunt Græca scholia) me negat esse apostolum, ego vos profero: in quibus quæcumque apostolum decent, peregi, tum in edendis signis ac fide docenda, tum etiam in ferendis periculis: quæ omnia sunt σφραγίς, & sigillum apostolatus.

V. 5. SOROREM. Perverse hunc locum quidam explicant de uxoribus Apostolorum, quum nulli (ut inquit Hieronymus) uxores habuisse legantur præter unum Petrum, idque ante conversionem. Certe Chrysostomus, Theodoretus, & Theodorus Græci interpretantur de mulieribus apostolis ministrantibus, quales Christum sequutas esse legimus, & illi ministrasse. FRATRES DOMINI: Ioannem, Iacobum, Iudam, & Simonem dicit, qui cum cognati essent Domini, Hebræorum more, fratres dicebantur.

V. 8. SECUNDUM HOMINEM; id est, numquid humana tantum similitudine, aut auctoritate potestatem nostram probare contendo? numquid & in lege parabolæ bovis ea confirmatur?

V. 9. NUMQUID DE BOBUS CURA EST DEO, id est boumne, an non nostra magis causa hæc dixit?

V. 12 POTESTATIS VESTRAE; id est, si ii qui non sunt vobis doctores neque Apostoli utuntur potestate a vobis concessa, ut a vobis sumptus exigant, quare non potius nos exigamus? fortassis autem τὸ ἐξουσίας, id est *potestatis*, pro οὐσίας, quod opes & facultates alicuius significat, posuit Paulus, ut plerunque sermonis proprietatem negligit; id est, si facultatum vestrarum participes illi facti sunt, cur non & nos?

V. 13. QUI IN SACRARIO OPERANTUR. Levitas dicit, quibus pars sacrificii contingebat in edulium. Vide Deut. XVIII. c.

V. 15. UT ITA FIANT, id est quod mihi sumptus a vobis exhiberi velim.

V. 16. & 17. NON EST MIHI GLORIA, id est non accedet mihi ad cumulum gloriæ, neque est quod inde gloriari possim, qui ad hanc functionem non meo merito,

sed

sed Dei gratia sum vocatus, cuique iniunctum est: quod si VOLENS, id est ultro & iniussus, id muneris exequerer, hinc mihi merces accresceret. SI AUTEM INVITUS, id est iussus & ex mandato id perago, nihil est quod inde glorier: dispensatio enim, & Evangelii administratio mihi credita, & commissa est; quasi diceret, Servus inutilis sum: quod iubeor & debeo facere, facio.

V. 18. SINE SUMPTU, id est gratis. POTESTATE MEA, id est libertate sumptus exigendi.

V. 24. NESCITIS, &c. Hortatur eos ad supernæ vocationis bravium & præmium contendere, exemplo pugilum, & antagonistarum, qui marcescibilis coronæ gratia se continent ab omnibus, quæ ab ea consequenda avertunt, ut expeditius currant: quanto magis nos, qui ad immarcescibilem coronam contendimus, properare oportet & ab omni præpediente peccato abstinere? *Stadium* autem curriculum est, & locus in quo equi hominesve ad cursum exercentur, & athletæ certant. BRAVIUM, id est statutum præmium: est autem Græce βραβεῖον quod Latini usurpant pro bravium sive brabæum statutum victoribus in quocunque certamine præmium.

V. 26. AEREM VERBERANS, id est frustar & inaniter laborans.

V. 27. IN SERVITUTEM REDIGO, id est mihi subigo, & si quando in servi morem contumacis lascivire incipit, CASTIGO illud, NE QUUM ALIIS PRAEDICAVERIM REPROBUS EFFICIAR. Gr. ἀδόκιμος, quod improbum quoque significat; & tunc sensus est, ne quum aliis vitam prædicem & commendem studiosam, ipse vitiosus inveniar.

S A.

Vers. 1. LIBER? id est libertatem habens vescendi quibuslibet. IN DOMINO, id est per gratiam Domini, seu in Domini fide.

V. 2. SIGNACULUM, id est sigillum; scilicet quo fit certa fides; quasi dicat: Vestra fides, ostendit me vestrum Apostolum, qui vos converterim.

V. 3. INTERROGANT. Græ. *diiudicant*, id est examinant, ex me quærentes. Syr. *condemnant*.

V. 5. SOROREM, id est Christianam, scilicet vocabantur Christiani *fratres*, Christianæ vero *sorores*. CIRCUMDUCENDI, scilicet sequebantur piæ feminæ Apostolos, eisque ministrabant ut Christo, Luc. VIII. FRATRES, id est cognati, scilicet Iacobus. Iudas, &c. CEPHAS, id est Petrus.

V. 6. HOC. Græc. & Syr. *non*; quasi dicat: Nonne possumus, non operando manibus, ex Evangelio vivere?

V. 7. SUIS STIPENDIIS, id est propriis sumptibus.

V. 8. HOMINEM, id est humanam rationem, scilicet solum.

V. 9. ALLIGABIS. Futurum pro Imperativo. CURA, scilicet præcipua, & non potius de hominibus.

V. 10. NOS, scilicet præcipue. TRITURAT, scilicet triturare.

V. 11. CARNALIA, id est corpori sustentando necessaria.

V. 12. VESTRAE; pro, in vos, scilicet accipiendi a vobis victum. NOS, scilicet qui vestri sumus Apostoli. SUSTINEMUS, id est patimur. OFFENDICULUM, id est impedimentum, seu scandalum.

V. 13. SACRARIO, id est templo. OPERANTUR, id est sacrificant, seu ministrant. DE SACRARIO, id est oblata templo. PARTICIPANT, id est partem capiunt, scilicet oblatorum.

V. 15. IN ME, id est erga me; quasi dicat, Ut alar a vobis. GLORIAM, id est gloriæ materiam. EVACUET, id est adimat.

V. 16. GLORIA, scilicet talis, seu singularis, scilicet apud Deum. NECESSITAS, scilicet ex Dei præcepto.

V. 17. VOLENS, id est ultro, sine ullo Dei præcepto. INVITUS, id est præcepto Dei coactus.

V. 18. MERCES, scilicet singularis. SUMPTU, scilicet auditorum. ABUTAR, id est utar, scilicet quantum possem. EVANGELIO, scilicet prædicando.

V. 19. EX OMNIBUS; pro, ex omni parte; vel quasi dicat, Ex omnium servitute exemptus.

V. 21. LEGE, scilicet Moysaica.

V. 22. INFIRMUS. Græc. & Syr. *velut infirmus*. FACEREM, scilicet quod in me erat.

V. 23. EVANGELIUM, id est bona per Evangelium promissa.

V. 24.

V. 24. BRAVIUM, id est præmium victoriæ.

V. 25. AGONE, id est publico certamine.

V. 26. QUASI AEREM, &c. id est frustra, seu in vanum.

V. 27. CASTIGO, ὑπωπιάζω, id est *lividum reddo*, scilicet flagellis.

V. 27. REPROBUS, scilicet apud Deum.

MARIANAE.

Vers. 1. NON SUM LIBER? Dixerat, ad vitandum scandalum se a licitis abstinere velle, nempe esu carnium: nunc alia licita affert, a quibus abstinet, ne quis offendatur cum liber sit, id est licite id possit facere, cum sit Apostolus, non sumere tamen ab Ecclesiis sumptus. NONNE CHRISTUM IESUM DOMINUM NOSTRUM VIDI? scilicet immortalem, quod non est minus quam mortalem vidisse, ut alii Apostoli viderunt.

V. 2. SIGNACULUM APOSTOLATUS MEI. Σφραγὶς, *sigillum*, quo confirmamus quæ scribimus & affirmamus. Signa & opera quæ inter vos feci, confirmant me esse Apostolum, & ad ea provoco, si quis interrogat, aut dubitat de meo Apostolatu.

V. 4. NUMQUID NON HABEMUS; quasi dicat, Et tamen, neque sumptus sumimus, neque in ministerium mulierem, ut alii, circumferimus. Ut

V. 5. ET FRATRES DOMINI faciunt, scilicet Ioannes, Iacobus, Iudas & Simon, quia cognati Christi, fratres eius vocantur.

V. 8. NUMQUID SECUNDUM HOMINEM, quasi dicat: Non humanis tantum rationibus probo me potuisse sumptus sumere, sed divino testimonio: *Non alligabis os bovi trituranti*.

V. 9. NUMQUID DE BOBUS? Quæ de bestiis præcipiuntur, ad homines profecto referenda sunt, & de iis intelligenda. Vides in Scriptura plures esse sensus etiam literales & historicos.

V. 12. SI ALII POTESTATIS VESTRAE, id est si qui non laborant, de facultatibus vestris decerpunt, sumptus exigunt, cur non potius nos? *Potestas* pro facultate, substantia, & divitiis.

V. 13. QUI IN SACRARIO, id est Levitæ de sacrario oblatis vivunt, sic nos possemus.

V. 15. UT ITA FIANT IN ME, hæc scribo; quasi dicat, Non hæc dico, ut deinceps sumptus detis.

V. 16. NON EST MIHI GLORIA. Si evangelizo, iussus id & coactus facio. Sic nulla ex eo mihi gloria, scilicet apud homines.

V. 17. DISPENSATIO MIHI CREDITA EST; id est, væ mihi, si muneri iniuncto non satisfecero, non est quod ex eo glorier.

V. 18. QUAE EST ERGO MERCES MEA? id est, in quo gloriari possum? nempe, quod gratis id facio. UT NON ABUTAR POTESTATE, id est libertate sumendi sumptus, ne videar ex ea captare lucrum, in eo gloriari possum. In eo etiam, quod omnibus omnia fio,

V. 22. INFIRMIS INFIRMUS, id est quasi infirmus. OMNIBUS OMNIA. Iulianus Apostata, ut affert Cyrillus III. Lib. contra eum, polypo similem Paulum fuisse dicebat, qui rupis cui adhæret, colorem assumit, nempe ex hoc loco sumpta occasione calumniandi.

V. 24. NESCITIS QUOD II QUI IN STADIO. Reddit rationem cur sine fructu in præsenti laboret, nimirum ob spem præmii: simul hortatur alios ad labores. BRAVIUM? id est præmium certaminis. Vox Græca, sed Latine usurpata.

V. 25. AB OMNIBUS SE ABSTINET. Plato VIII. de Legibus eadem prorsus dicit, de quatuor athletis suo tempore nobilissimis, abstinere eos propter victoriam consuevisse, quod Paulus propter coronam ait.

V. 26. NON QUASI AEREM VERBERANS, id est frustra laborans.

V. 27. SED CASTIGO CORPUS, si quando rebellat. Irenæus Lib. IV. cap. LXXII. *Lividum facio corpus meum*, scilicet plagis, ὑπωπιάζω: ne REPROBUS, pravus ἀδόκιμος, efficiar, cum aliis prædicavero.

MENOCHII.

Vers. 1. NON SUM LIBER? NON SUM APOSTOLUS? quasi dicat: Nonne mei iuris sum, ut tamquam Christi Apostolus sumptum, & alimenta a vobis exigere, & accipere possim? NONNE CHRISTUM IESUM DOMINUM NOSTRUM VIDI? quasi dicat: Hinc patet me esse Aposto-

Postolum, quia Christum vidi, & ab eo ad evangelizandum missus sum: Act. IX. 5. & XXII. 18. OPUS MEUM VOS ESTIS; quos ego per prædicationem Christi genui.

V. 2. ET SI ALIIS NON SUM APOSTOLUS, &c. quasi dicat, Esto, non sim aliis Apostolus; at sane negari non potest vestrum Apostolum me esse. SIGNACULUM APOSTOLATUS MEI. Græce est σφραγὶς, sigillum, testimonium sigillo munitum. Italice diceremus, VOI SIETE LA PATENTE DEL MIO APOSTOLATO.

V. 3. MEA DEFENSIO APUD EOS QUI ME INTERROGANT: si qui negant, aut dubitant me esse Apostolum, vos estis mea defensio, vos enim ostendens quos converti ad Christum, satis ostendo me esse Apostolum. Alii putant sensum esse; quasi dicat, Iis qui vitæ meæ rationes explorant, hoc fere modo, qui sequitur, soleo satisfacere.

V. 4. MANDUCANDI, ET BIBENDI, scilicet sumptibus vestris.

V. 5. MULIEREM SOROREM: Christianam aliquam matronam. CIRCUMDUCENDI: per ea loca in quibus Evangelium prædico, exemplo Christi, quem sequebantur mulieres ei ministrantes de facultatibus suis: Luc. VIII. 3. vide quæ ibi diximus. FRATRES DOMINI, scilicet Iacobus, Ioannes, Iudas, Christi consanguinei secundum carnem. ET CEPHAS; & ipse Princeps Apostolorum.

V. 6. HOC OPERANDI, id est faciendi quod ceteri faciunt, vivendi ex Evangelio, & mulierem circumducendi.

V. 7. QUIS MILITAT SUIS STIPENDIIS UMQUAM? quasi dicat, Sicut par est milites vivere stipendiis, quæ a Duce accipiunt, cui militant; ita æquum est præcones Evangelii vivere ex Evangelio, sic vinitor vineæ fructibus pascitur, & pastor lacte gregis sui.

V. 8. NUMQUID SECUNDUM HOMINEM HAEC DICO? Numquid hæc dico ex humano & carnali affectu, tamquam mihi, meisque commodis consulere volens? minime. AN ET LEX HAEC NON DICIT? Nonne quod dico Scripturæ testimonio probare possum?

V. 9. IN LEGE MOYSI: Deut. XXV. 4 NON ALLIGABIS OS BOVI TRITURANTI: quia nimirum par est ut animalia laborantia comedant. Utebantur olim bobus ad fruges pedibus triturandas: qui vero tenaciores erant, bobus ora obligabant, ne de frugibus quas terebant, edere possent; quod erat inclementiæ cuiusdam & iniustitiæ, quam lex inhibet. NUMQUID DE BOBUS CURA EST DEO? quasi dicat, Præcipua cura Dei in hac lege non fuit boum, sed quia altius spectavit, videl. nos, & nostri similes, qui sumus boves typici, laborantes, & triturantes in agro, & area Domini, quos ex Evangelio vivere posse, voluit indicare.

V. 10. QUONIAM DEBET IN SPE ARARE QUI ARAT. *In spe*, id est cum spe, scilicet mercedem sperans; ergo etiam prædicator sperare potest alimoniam ex sua prædicatione;

V. 11. SPIRITUALA: doctrinam Evangelicam, & Sacramenta. CARNALIA: alimenta, & alia subsidia, quibus caro, id est corpus nutritur, & fovetur.

V. 12. POTESTATIS VESTRAE: ἐξουσίας ὑμῶν, id est iuris sui quod habent in nos; quasi dicat, Si alii usi sunt iure accipiendi alimoniam quod habent in vos, cur non & ego uti possim? SED OMNIA SUSTINEMUS: famem, sitim, & alia incommoda, quæ ex eo oriuntur quod vobis parcamus, nec iure nostro utamur alimenta accipiendi. NE QUOD OFFENDICULUM DEMUS EVANGELIO; ne accipiendo sumptus demus occasionem hominibus tenacibus Evangelicæ prædicationis prohibendi, aut obloquendi.

V. 13. IN SACRARIO: in templo. OPERANTUR: sacris funguntur, aut subserviunt, ut Sacerdotes & Levitæ, QUAE DE SACRARIO SUNT, EDUNT, id est hostias, aut templi proventus, v. g. decimas, & primitias. ET QUI ALTARI DESERVIUNT. τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες, id est *altari assistentes*, aut *assidentes*. CUM ALTARI PARTICIPANT: de oblationibus altaris participant, partem oblatorum accipiendo.

V. 14. ITA ET DOMINUS ORDINAVIT, &c. Legimus enim Luc. X. 7. *In eadem domo manete, edentes, & bibentes quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua*: similia habet Matt. cap. X. 11. & 14.

V. 15. NULLO HORUM USUS SUM: nam *cum essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui*, ut scribit in II. epist. cap. I.

9. UT

9. UT ITA FIAT IN ME: ut alimenta mihi præstentur. BONUM EST MIHI MAGIS, id est melius mihi est. GLORIAM MEAM. In Græco est *καύχημα*, *gloriationem*, evangelizandi scilicet sine sumptibus.

V. 16. NON EST MIHI GLORIA: gloriatio. NECESSITAS ENIM MIHI INCUMBIT, scilicet evangelizandi; ut enim prædicarem Evangelium iniunctum mihi est a Christo. VAE ENIM MIHI EST, SI NON EVANGELIZAVERO: si non Evangelizavero manet me pœna, tamquam divini præcepti transgressorem.

V. 17. MERCEDEM HABEO: mercedem, & gloriam eximiam. DISPENSATIO MIHI CREDITA EST: tunc non habeo gloriam singularem, sed neque pecco, quia fungor officio meo, & facio quod iubeor, demandatam dispensationem, sive administrationem Evangelii exercens. In Græco est: *οἰκονομίαν πεπίστευμαι*, quod Syrus vertit, *Præfectura domus mihi credita est*, & fortasse sensus esse posset: Non consequor eximium meritum, & decus, quale est Evangelium prædicantium; sed modicam aliquam laudem, qualis domesticæ rei administris, & curatoribus debetur.

V. 18. QUAE EST ERGO MERCES MEA? Eximia, & singularis merces hoc loco ponitur pro egregio opere mercedis eximiæ meritorio; per metonymiam. SINE SUMPTU PONAM, scilicet tradam, & annunciem. UT NON ABUTAR: ut non omni iure & potestate mea utar.

V. 19. CUM LIBER ESSEM EX OMNIBUS, id est ab omnibus; quasi dicat, Cum nemini essem obstrictus. OMNIUM TAMEN ME SERVUM FECI; id est, ad omnia me demisi, etiam ad inopiam, & famem, & me omnium infirmitatibus accommodavi. UT PLURES LUCRIFACEREM: ut quamplurimos Christo acquirerem, & salvos facerem.

V. 20. FACTUS SUM IUDAEIS TAMQUAM IUDAEUS: quoad quædam quæ tunc Christianæ fidei non repugnabant.

V. 21. LUCRIFACEREM: ad Christianam fidem adducerem. IIS QUI SINE LEGE ERANT: gentilibus, qui non erant subditi legi Mosaicæ. QUASI SINE LEGE ESSEM: quasi naturam tantum ducem sequerer, ut Gentiles faciunt, & non legem aliquam scriptam. CUM SINE LEGE DEI NON ESSEM, &c. Cum tamen revera non vivam sine lege Dei, sed Christi legem profitear, illique obediam. EOS QUI SINE LEGE ERANT, id est Gentiles.

V. 22. OMNIBUS OMNIA FACTUS SUM. *Non mentiendo, sed compatiendo; non simulantis astu, sed commiserantis affectu*, omnibus omnia factus est Paulus: ita Augustin. epist. IX. & XIX.

V. 23. OMNIA FACIO PROPTER EVANGELIUM: ut nimirum fructum prædicati Evangelii suo tempore percipiam, & eius particeps efficiar cum aliis prædicatoribus; hoc est, ut una cum illis assequar ea bona, quæ promittit Evangelium.

V. 24. NESCITIS QUOD II QUI IN STADIO CURRUNT; quasi dicat: Ideo sine sumptu Evangelizo, & generatim contendo hoc vitæ stadium rite decurrere, ne ex iis sim, qui quadamtenus quidem currunt, sed non perveniunt ad percipiendum præmium. SED UNUS ACCIPIT BRAVIUM: non significat unum tantum æternum præmium consecuturum, sed paucos; alioqui frustra diceret in numero multitudinis, *sic currite, ut comprehendatis*. BRAVIUM: *βραβεῖον*, victoriæ præmium. SIC CURRITE UT COMPREHENDATIS, scilicet coronam gloriæ, & bravium victoriæ.

V. 25. OMNIS QUI IN AGONE CONTENDIT: qui lucta, aut cursu certat. AB OMNIBUS SE ABSTINET: quæ vires aut velocitatem corporis impedire possunt; cuiusmodi est Veneris, aut quorumdam ciborum usus. UT CORRUPTIBILEM CORONAM ACCIPIANT: præmium aliquod temporale, & periturum. NOS AUTEM INCORRUPTAM, id est æternam coronam in cælo iis qui bene certaverint repositam.

V. 26. NON QUASI IN INCERTUM: sed cursum meum, & vitæ meæ rationes ad debitum finem dirigo. SIC PUGNO: *πυκτεύω*, pugilem ago, pugnis certo. NON QUASI AEREM VERBERANS, id est frustra, & inaniter laborans; sed hostem verbero, id est corpus meum. Videtur alludere ad pugilum morem, qui ante pugnam ad virium ostentationem, brachia cestibus armata iactabant, ut Virgilianus Dares Lib. V.

> *Talis prima Dares caput altum in prælio tollit,*
> *Ostenditque humeros latos, alternaque iactat*
> *Brachia protendens, & verberat ictibus auras.*

V. 27.

V. 27. SED CASTIGO CORPUS MEUM : ὑπωπιάζω, *lividum facio*, scilicet verberibus. IN SERVITUTEM REDIGO : ut spiritui pareat, & subiiciatur.

T I R I N I.

Vers. 1. NON SUM LIBER? id est, nonne mei iuris sum? aut inhibitum mihi sumptus vel alimoniam necessariam a vobis accipere vel etiam exigere? Aut forte NON SUM APOSTOLUS vel præco Evangelii, ut mihi debeatur alimonia? At Apostolum me esse, & quidem immediate ab ipsomet Christo missum ad evangelizandum, patet, quia CHRISTUM corporaliter mihi apparentem VIDI *a*, meque vocantem & mittentem audivi. Porro de facto me evangelizasse, ut alia indicia nunc omittam, vosmet testes cito: NONNE VOS OPUS MEUM ESTIS IN DOMINO? id est, nonne prædicatione mea ad Christum conversi & regenerati estis? nonne vestra Ecclesia, mea est structura?

V. 2. SI malevolorum quorumdam obtrectatione NON SUM, seu non habeor, ait alibi APOSTOLUS, certe nemo tam impudens esse potest, qui neget me vestrum esse Apostolum: NAM VOS IPSI IN DOMINO per me geniti, SIGNACULUM ESTIS APOSTOLATUS MEI. Græce, σφραγίς, id est *sigillum*, seu patentes sigillo munitæ, quo omnibus fiat plena fides; quasi dicat: Tam prolixa, tam fructuosa apud vos prædicatio mea, tot patrata ibidem miracula, tot vestri causa subiti labores & pericula, tanta Christo collecta messis, certum clarumque testimonium sunt Apostolici muneris mei apud vos exerciti. Et hoc testimonium

V. 3. DEFENSIO MEA EST APUD EOS QUI ME de meo Apostolatu INTERROGANT. Si quis enim vel dubitet, vel neget me meo munere functum, mox pro exemplo vos in medium produco.

V. 4. NUMQUID NON HABEMUS ego & Barnabas *b* POTESTATEM vestris sumptibus MANDUCANDI? aut

V. 5. CIRCUMDUCENDI MULIEREM SOROREM, id est matronam aliquam Christianam, quæ nobis ex suis facultatibus necessaria subministret? SICUT circumducunt CETERI APOSTOLI, etiam FRATRES DOMINI, Iacobus, Iudas, Ioannes consanguinei Christi: quin & ipse Apostolorum omnium princeps CEPHAS, id est Petrus: adeoque etiam ipsemet *Christus*, cui *ministrabant* omnia necessaria *mulieres quæ cum ipso ascenderant d de Galilæa*? Laur. Valla, Petrus Martyr, Beza, Tremellius, & quidam alii Novantes, ut plebi persuadeant, S. Paulum ceterosque Apostolos habuisse uxores, Græcum γυναῖκα, quod in genere *mulierem* significat, ipsi *uxorem* interpretantur. Nam etiam Clemens Alexandr. *e* (inquiunt) & Martyr Ignatius Epistola ad Philadelphios, Paulum dicunt uxoratum fuisse. Sed perfide dissimulant, Epistolæ illi S. Ignatii nomen Pauli a posterioribus Græcis clericis clam insertum esse, ut bene monet Baronius *f* nam in exemplaribus Vaticanis, Sfortianis, & aliis antiquioribus nomen Pauli non reperitur. Clemens quidem ita sensit, ab aliis deceptus: sed quid unus Clemens ad omnes alios antiquos Patres qui id absolute negant? Et cur dissimulant Novantes, Clementem diserte addere, Paulum, etsi habuerit uxorem, tamen post conversionem non amplius habuisse ut uxorem? quod ipsorum causæ non patrocinatur, sed efficit. Ceterum, Paulum numquam habuisse, præter unanimen totius antiquitatis assensum, certo constat ex ipsiusmet Pauli verbis sup. cap. VII. 7. & 8. Et phrasi illa, ἀδελφὴν γυναῖκα nil aliud significari quam *Christianam mulierem*, (sicut simili phrasi, ἄνδρες ἀδελφοὶ id est, *viri fratres*, significantur non *mariti*, sed in genere quivis *viri Christiani*,) notius puto quam ut probatione indigeat. Denique præter *Petrum*, nullos omnino Apostolos habuisse uxorem; Petrum quoque post vocationem Christi numquam amplius usum uxore, docent expresse Tertul. *g* Hieron. & plures alii Patres a Bellarmino *h* citati. Quid vero Ambrosio Catharino *i* in mentem venerit nescio, cum ait, in Revelationibus S. Birgittæ k haberi, Paulum fuisse coniugatum: nam ibi prorsus contrarium asseritur.

V. 9. NUMQUID HAEC de alimentis præconibus fidei debitis, DICO SECUNDUM HOMINEM, id est ex humano & carnali affectu, tamquam mihi, meisque commodis studere & consulere intendens? Minime.

V. 10. QUI in aliorum gratiam ARAT, merito DEBET IN, id est cum, SPE mercedis

cedis ARARE: ergo etiam præco Evangelii sperare potest alimoniam ex sua prædicatione.

V. 12. SI ALII PARTICIPES SUNT POTESTATIS VESTRAE; Græce, ἐξουσίας ὑμῶν, id est *iuris vestrum*, seu quod in vos habent; quasi dicat: Si alii iure suo quod habent, accipiendi a vobis alimoniam, libere utuntur; cur nos non utamur? SED nos ideo NON *utimur*, immo potius incommoda OMNIA inde emergentia SUSTINEMUS, *ut nullum* EVANGELIO OFFENDICULUM DEMUS, neque libertate nostra scandalizemus Gentiles, neque ansam avaris præbeamus obloquendi vel repugnandi Evangelio, spargendique in vulgus, non animas quæri, sed thesauros. Nihilominus etiam

V. 14. DOMINUS Iesus ITA ORDINAVIT. Luc. x. 7. *Manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua*. Hoc sextum est argumentum, quo probat Paulus deberi verbi ministris alimoniam. Quinque priora habes vers. 5. 7. 9. 11. 13.

V. 15. EGO AUTEM, maioris ædificationis causa, ut dixi NULLO HORUM USUS SUM, *cumque essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui*. NON AUTEM *scribo* HAEC, UT deinceps ITA FIANT IN ME, id est ut alimenta mihi a vobis præstentur, sicut merito præstanda probavi. Malim ENIM MORI, QUAM UT QUIS sportulis suis EVACUET GLORIAM MEAM, quam evangelizando sine sumptibus mihi acquisivi apud Deum & homines, inquit S. Chrysost. Anselm. D. Thomas.

V. 17. SI evangelizo VOLENS; Græce, ἑκών, id est sponte mea, seu citra præceptum Christi nempe liberaliter & gratis; MERCEDEM mihi repositam HABEO, non qualemcumque (ut alii, qui non gratis evangelizant) sed copiosam & excellentem. SI AUTEM evangelizo INVITUS; Græce, ἄκων, id est non mea sponte, non liberaliter, non gratis, sed solum præsto quod præcepto Christi cogor præstare; carebo illa singulari gloria & mercede excellenti. Et licet satisfaciam muneri meo & præcepto Domini mei; mihi ipsi tamen male consulo, quod, cum possim, nolim supremam gloriam & mercedem mihi comparare. DISPENSATIO enim MIHI, seu fidei meæ, plane & plene CREDITA EST a domino meo; ut, si velim, possim supremam mihi gloriam & mercedem comparare, nec id ab alio, quam a me solo dependet.

V. 18. QUAE EST autem HAEC MERCES MEA? id est, quæ est via hanc supremam mercedem obtinendi, si velim? Respondet, UT EVANGELIUM SINE SUMPTU PONAM, id est si gratis evangelizem. SIC NON ABUTAR POTESTATE MEA; id est, non minus recte & utiliter illa utar, quam commode possim: & (si maximum bonum tam meum, quam domini mei amem) etiam quodammodo debeam: neque enim defraudabo meipsum suprema gloria & mercede, quam, si velim, possim nancisci: neque remoram ponam cursui Evangelico, unde maior messis & uberior fructus accedet hero meo. *Abuti* ergo hic sumitur non absolute, sed respective, ut idem sit quod, *minus bene uti* quam quis possit, non quam absolute debeat; ita fere S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. & Anselmus.

V. 19. CUM LIBER ESSEM EX, seu ab, OMNIBUS, id est cum nemini essem obstrictus vel obnoxius, vel subiectus; OMNIUM ME SERVUM FECI, omnium necessitatibus & infirmitatibus me accommodans, UT PLURES, immo quam plurimos, LUCRIFACEREM & Christo acquirerem.

V. 21. IIS QUI SINE scripta LEGE ERANT, id est Gentilibus, qui non tenebantur lege Mosaica, FACTUS SUM TAMQUAM SINE LEGE scripta ESSEM, & solam naturam ducem ac lucem sequerer, ut faciebant Gentiles, inquit Theophyl. & Oecumen.

V. 22. OMNIBUS OMNIA FACTUS, *non mentiendo* (ut politici) *sed compatiendo: non simulantis astu, sed commiserantis affectu*, inquit S. Aug. *l* nempe in rebus licitis & indifferentibus.

V. 23. UT PARTICEPS Evangelii EFFICIAR. Græce, συγκοινωνός, id est *comparticeps*; quasi dicat: Ut una cum aliis præconibus Evangelii, immo & cum aliis omnibus fidelibus, particeps fiam coronarum & præmiorum quæ in Evangelio promittuntur. En Pauli humilitatem, inquit Chrysost. cum omnes longissime superaret, gaudebat vel ultimorum particeps reddi.

V. 24. IN STADIO OMNES QUIDEM CURRUNT, SED UNUS ACCIPIT BRAVIUM; quasi dicat: Ideo sine sumptu evangelizo, ideo omnibus omnia fio, ideo tanto labore contendo hoc vitæ Apostolicæ stadium decur-

decurrere, quia ad primum & supremum anhelo præmium, quod paucis obtinget. Sicut enim *in agone*, seu *stadio*, sic in religione Christiana non omnes currentes accipiunt propositum bravium, sed ii soli qui heroice & constanter ad metam usque decurrunt, inquit Chrysost. cum suis.

V. 25. OMNIS QUI IN AGONE CONTENDIT, ABSTINET SE AB OMNIBUS, quæ ipsum in agone impedire aut remorari possent. Alludit ad Græcorum certamina Olympica & Isthmia, (quæ Corinthi celebrabantur in honorem Neptuni & Melicertæ) in quibus omnis generis *pugiles*, qui pugnis; *stadiodromi*, qui cursu; *acrochiristæ*, qui summis inter se manibus; *pancratiastæ*, qui toto corpore decertabant, de quibus vide Petrum Fabrum. Hi ut ad certamina expeditiores essent, superfluis & delicatioribus cibis abstinebant, contenti certo demenso seu necessario victu, quem Aristoteles ἀναγκοφαγίαν, id est *cibi sumendi necessitatem*, Iuvenalis *coliphium* a membrorum robore, teste Budæo. Addunt Plato & Clemens Alexandrinus *m*, *athletas* etiam *venere* abstinuisse.

V. 26. SIC ET EGO PUGNO in Evangelii palæstra, NON inani contentione AEREM VERBERANS, sed certis destinatisque ictibus hostem meum feriens, puta corpus & carnem meam: nam hoc hoste subacto, reliqui duo dæmon & mundus nil mihi nocere poterunt. Videtur alludere ad præambulas pugilum exercitationes, quibus antepugnam vires suas tentabant, brachia cæstibus armata iactantes, & aerem verberantes, ut ille Dares Virgilianus *n*.

Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

V. 27. SED CASTIGO CORPUS MEUM per ieiunia, vigilias, cilicia, flagella. Nam Græcum ὑπωπιάζω etiam Beza, Melanchthon, Castalio & Henricus Stephanus vertunt, contundo: contusio autem non fit sine percussione & verbere, vel simili violenta carnis afflictione, quam aptissimum instrumentum esse ad virtutem & perfectionem, plenamque de vitiis & hostibus nostris victoriam, dummodo cum discretione assumatur, docent SS. Hieronymus, Basilius, Chrysost. Ambrosius, Gregorius D. Thomas *o*. NE FORTE REPROBUS EFFICIAR; ἀδόκιμος, id est reprobatus, nempe a supremo pugilum iudice & agonotheta Deo. Alludit ad Ierem. VI. vers. ult. *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit*, id est reprobavit, *illos*. Unde S. Gregorius *p* & a Lapide colligunt, Paulum non habuisse revelationem, neque plenam certitudinem de salute sua æterna, neque ita in gratia confirmatum fuisse, quin sua culpa excidere potuerit. Saltem hinc constat, iustos non debere certa & divina fide (ut hæretici volunt) credere, se prædestinatos esse & infallibiliter salvandos.

(a) Actor. IX. 5. & XXII. 18. &c.
(b) Hic vers. 6.
(c) Chronic. cap. XLVI. in fine 4. tabulæ.
(d) Lucæ VIII. 3.
(e) Clem. Alex. Lib. III. Stromat.
(f) Baron. anno Christi 57. pag. 518.
(g) Tertull. Lib. de Monogamia.
(h) Bellar. de cælibatu sacerdot.
(i) Ambrosius Catharin. in Philip. IV. vers. 2.
(k) S. Brigittæ Revel. Lib. II. cap. VII. & Lib. VII. cap. 1.
(l) August. Lib. X. & XIX.
(m) Plato Lib. VIII. de Legibus Clem. Lib. III. Stromat.
(n) Virg. Lib. V. AEneid.
(o) Hieron. ep. XXV. ad Celantiam in fine Lib. II. contra Iovinianum, Basil. in Regul. fusius disputatis. reg. 17. Ambros. ep. ad Ecclesiam Vercellensem. Greg. Lib. XXX. Moral. cap. XXVI. D. Thom. II. quæst. CXVIII. a. 7.
(p) Greg. Lib. VI. ep. XXII. ad Gregoriam.

GORDONI.

Vers. 1. SUnt clara omnia: non est hic omnino abruptus sermo a priore capite, sed ibi inchoatum sermonem de scandalo & ædificatione hic absolvit, ut capite decimo redeat ad Idolothyta. Dat ergo insigne virtutis exemplum, de stipendio sibi tot titulis debito, & tamen suo labore sibi victum paravit: forte etiam pseudoapostolos respiciebat suo lucro intentos. Frequenti interrogatione rem explicat.

V. 5. MULIEREM SOROREM.] Idem in Græco est. Beza cum asseclis vertunt sororem uxorem, ut colligant Paulum fuisse coniugatum; sed cum τὰ γυναῖκα, tam mulierem quam uxorem (ut fatentur) significet, quo iure illi soli uxorem vertunt potius quam mulierem? Adde inepte hic verti uxorem, ubi vocatur soror. Sane Paulus per sororem mulierem intelligit Christianam, sicut hactenus per fratrem designavit Christianum: sensus ergo est, potuisse Paulum (quod pro more Iudæorum faciebat Petrus, immo & Chri-

ſtus Luc. VIII. 2.) circumducere matronam, quæ Paulo ſubminiſtraret neceſſaria; ſed noluiſſe, ne gentes offenderet, quibus forte non probabatur illa conſuetudo Iudaica. De Paulo non coniugato lege Baronium anno 57. Solus Clemens Alexandrinus contra omnes Patres putat Paulum coniugatum: vide quæ dixi Philip. cap. 4.

V. 7. QUIS MILITAT SUIS STIPENDIIS? Secundam hanc feci capitis partem, ubi probat evangelizantem debere ex Evangelio vivere. Sane ſicut miles, paſtor, vinitor, ſicut alii Apoſtoli: ſicut ſacerdotes legis: ex Chriſti lege: & denique ex ipſo iure naturali verſ. 11.

V. 8. NUMQUID SECUNDUM HOMINEM HOC DICO? quaſi diceret, Nequaquam inergo ex carnali affectu, quaſi meis volens ſervire commodis: nam verum eſt quod dixi etiam ex lege divina. Citat locum Deuter. XXV. 4. de bove triturante, quod refert ad præſens negotium: nam ſi bovi (cuius minor eſt cura apud Deum) debetur alimentum, quanto magis Apoſtolis, ut aperte concludit verſ. 11.

V. 12. & 15. SED NON USI SUMUS. Tertia pars capitis de repudiato uſu iuris huius. Neque, inquit, hoc attingo, quod velim præſtari a vobis alimenta: longe enim mihi glorioſius eſt coram Deo evangelizare ſine ſumptibus ex verſ. 15. Tota autem ſequens oratio ad ordinem rerum revocata hunc ſenſum habet: ſi non prædicavero, væ mihi: facio enim contra præceptum Domini: ſi invitus, quæ merces erit; quamvis nihil ibi ſit ſingulare, exequor tantum diſpenſationem creditam: ſi volens, erit merces ut eſt aliis Apoſtolis: ſi non tantum volens, ſed etiam ſine ſumptibus, hoc maxime glorioſum erit coram Deo. Itaque ſi, inquit, evangelizavero ut alii, non eſt illa gloriatio ſingularis, aut opus per ſupererogationem. Ergo non omnia bona ſunt in præcepto.

V. 20. ET FACTUS SUM IUDAEIS. Quamdiu Iudaica erant adiaphora, poterant in bonum finem admitti aliquæ illius legis ceremoniæ. Sic Timotheum circumcidit Paulus Act. XXI. cum gentilibus vero ac ſi non eſſet ſub lege Iudaica. Omnibus omnia factus eſt, quantum Dei lex patiebatur.

V. 24. NESCITIS QUOD HI QUI IN STADIO. Hac poſtrema parte hortatur ad labores. Proponitur pro bravio vita æterna: res plena timoris; nec eſt homo certus an præmio dignus ſit, ex his Pauli verbis, NE FORTE REPROBUS EFFICIAR. Metuit Paulus damnari, & Novator certum ſe fingit de ſua prædeſtinatione. Paulus itaque non certus de ſua ſalute, nec ita confirmatus forte in gratia, ut non potuerit excidere. Et Gregor. Lib. VI. Epiſt. XXII. de Gregoriam ſcribit Paulum non habuiſſe revelationem de ſua ſalute: vide II. Tom. IV.

CA-

CAPUT X.

Commemoratione ingratorum Iudæorum frequenter ob varia peccata a Deo punitorum, hos a similibus absterret: de tentatione humana, & Dei in tentationibus auxilio: non solum idololatria fugienda est, sed & mensa eorum qui idolothytis vescuntur: tum quod per hoc videantur aliquid idolis deferre; tum quod scandalo sint infirmioribus.

1. NOlo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes (*a*) sub nube fuerunt, & omnes (*b*) mare transierunt; 2. [*c*) & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari: 3. (*d*) & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, 4. (*e*) & omnes eumdem potum spiritalem biberunt [bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus] 5. sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: (*f*) nam prostrati sunt in deserto. 6. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, (*g*) sicut & illi concupierunt: 7. neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: (*h*) Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. 8. Neque fornicemur, (*i*) sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die vigintitria millia. 9. Neque tentemus Christum: (*k*) sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt. 10. (*l*) Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. 11. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. 12. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. 13. Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere. 14. Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura: 15. Ut prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 17. Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, * omnes qui de uno pane participamus. 18. Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? 19. Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum, sit aliquid? 20. Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: 21. non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 22. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? (*m*) Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. 23. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. 24. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. 25. Omne, quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 26. (*n*] Domini est terra, & plenitudo eius. 27. * Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis opponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 28. Si quis autem dixerit: * Hoc immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam: 29. conscientiam autem

autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia? 30. Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago? 31. (o) Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. 32. Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei: 33. sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

(a) Exod. XIII. 21. (b) Num. IX. 22. (c) Exod. XIV. 22. (e) Exod. XVI. 15. (f) Exod. XVII. 6. Num. XX. 10. (f) Num. XXVI. 65. (g) Ps. CV. 14. (h) Exod. XXXII. 6. (i) Num. XXV. 1. (k) Num. XXI. 5. 6. (l) Num. XI. 1. & XIV. 4. (m) Sap. VI. 12. Eccli. XVIII. 30. (n) Ps. XXV. 1. (o) Col. V. 17.

B R U G E N S I S

ROMANÆ CORRECTIONES.

Vers. 17. *Omnes qui de uno pane participamus*. Non addas *& de uno calice*.

Vers. 27. *Si quis vocat vos infidelium*. Nec hic addas *ad cœnam*.

Vers. 28. *Hoc immolatum est idolis*. Non mutes participium *immolatum* in nomen *immolatitium*.

C O M M E N T A R I A

G A G N Æ I.

Vers. 1. NOLO ENIM VOS IGNORARE. Admonet hoc capite Corinthios Paulus, ne de donis a Deo perceptis efferantur. Futurum enim ut per elationem hanc atque alia peccata his donis excidant, & a Christo eiiciantur, idque exemplo Iudæorum, quos licet, in figura, similibus tamen ab eo donis affectos probat; sed hine tamen ob sua delicta excidisse; sicut enim in Spiritu sancto, & aqua baptizati veri Pharaonis servitutem excusserunt, Christi carne pasti, & eius sanguine potati sunt; ita patres Iudæi, excussa Pharaonis servitute, & transgresso mari rubro, quodammodo in mari, & nube baptizati sunt, similitudinarie scilicet; quod autem illis nubes protegens, conducens, ac refrigerans id nobis Spiritus sanctus actionum nostrarum dux, & protector, libidinumque moderator & extinctor: quod ipsis mare, hoc Corinthiis & Christianis omnibus aqua baptismatis. Corinthii Christi carnem manducabant, illi figuram eius manna: quam spiritualem vocat escam, quod miraculose cælitus descenderit. Corinthii sanguinem Domini bibebant; Iudæi spiritualem potum, quem miraculose petra fudit, bibe runt: neque tamen tot affecti beneficiis, præter duos tantum, in terram promissionis pervenerunt: sed in deserto prostrati sunt ac mortui. Qua in re figura nostri fuere, ut scilicet a vitiis illorum abstineamus, alioqui in deserto perpetuæ vastitudinis perituri, neque veram promissionis terram ingressuri.

V. 4. CONSEQUENTE EOS PETRA, pro consequente, Græce est ἀκολουθούσης, id est per totum iter comitante: non quod re vera petra unde aqua manavit, perpetuo eos comitaretur, sed Christus in petra figuratus, unde, ait, PETRA AUTEM ERAT CHRISTUS, id est Christum significat, de cuius percusso latere in passione sanguis & aqua defluxit, unde refecti ac potati sumus.

V. 9. NEQUE TENTEMUS; id est, nequé de misericordia eius diffidamus sicut illi. Nam in deserto diffidentes, & dicentes, *cur eduxit nos de Ægypto ut moreremur in solitudine?* Christum Deum eorum ducem tentabant. Qui enim experiri virtutem aut bonitatem alicuius cupit, de illo se diffidere ostendit.

V. 10. AB EXTERMINATORE, scilicet angelo, quia per angelum vindictas suas Deus exercebat: vel exterminatorem intellige exitialem quandam Dei potestatem, & ultricem virtutem, quoquo modo illa fieret.

V. 11. IN QUOS FINES, non in quos fines, quia τέλη Græce neutrum est, ὕς, id est *quos* masculinum, sed in quos, scilicet nos, fines sæculorum devenerunt; quasi diceret,

ceret, Finis sæculi, aut vitæ cuiusque nostrum properat, & modicum tempus superest ad bene agendum. Ideo studeat quisque bonis operibus; & qui se existimat stare, id est, firmum esse in fide, & perfectum videat, & caveat ne inde excidat.

V. 13. TENTATIO VOS NON APPREHENDAT. Noster legit εἴληφεν, & hoc modo sensus est, Ne sinite vos apprehendi, & vinci ab ulla tentatione, nisi humana, idest facili, quæ, velit, nolit homini se ingerit; λαμβάνομαι namque, convinci significat. Græci legunt εἴληφε, id est *apprehendit*, & tunc sensus est: Qui se existimat perfectum, videat & caveat ne præceps ruat: neque enim vos ulla tentatio apprehendit, nisi humana, & facilis; quasi diceret, Nondum insurrexere adversum vos fortes & vehementes tentationes, nondum quod Hebræis ait, usque ad sanguinem restitistis, ut ob huiusmodi superatas tentationes, perfectos vos gloriari possitis; veruntamen confidite in Deo. Fidelis enim est Deus, &c. PROVENTUM, Græc. ἔκβασιν, quidam exitum interpretantur; id est, si tentatio ingruerit, faciet ut statim ea evolet. Quum autem ἐκβαίνειν significet ultra progredi & promovere, recte mihi vertisse videtur interpres proventum. Certe Photius proventum interpretatur, cuius ita Græca vertimus: *faciet cum tentatione proventum*, id est faciet vos statim fortes & ferre valentes, adeo ut nullum ex tentatione detrimentum, quin potius lucrum multum referatis.

V. 16. & deinceps CALIX BENEDICTIONIS, hoc, & sequenti de sacrificio Iudæorum exemplo vult abducere Paulus Corinthios a mensa idolorum quam frequentabant Corinthii, ibi se ingurgitantes, & excusationem e doctrina sumentes, in qua nullus cibus est immundus. Iis ergo dicit Paulus, *calix benedictionis* CUI BENEDICIMUS, id est quem gratiarum actione sumimus, NONNE COMMUNICATIO SANGUINIS CHRISTI EST? id est, nonne calicem Christi sumentes, ac sanguinem illius bibentes, cum illo communicamus, & cum illo commercium nobis esse declaramus? ET PANIS QUEM FRANGIMUS; id est, corpus Christi quod sub speciebus panis sumimus, NONNE PARTICIPATIO CORPORIS DOMINI EST? id est, nonne declarat nos partem habere cum corpore Domini, & in illud consentire? Quinimmo, inquit, quotquot mensam Domini adeuntes de uno pane edimus, & de uno calice bibimus, unus panis & unum corpus mysticum in eo sumus, quando per ipsius sumptionem illius corpori incorporamur; rursum inquit, VIDETE ISRAEL SECUNDUM CARNEM, id est, considerate illum, carnale sacrificium immolatum.

Nonne levitæ & sacerdotes qui edunt hostias PARTICIPES SUNT ALTARIS, id est consentiunt in sacrificia? Nonne verum est (vos enim, antea dixit, *ipsi iudicate*, id est iudices estote) unumquemque in illud sacrificium consentire, de quo edit; sive illud sit de corpore Christi Christianum sacrificium, sive carnale Iudæorum? Indubie subiuncturus erat Paulus: sic vos quoque, qui idolothytis vescimini, idolorum participes estis; sed ne illos offenderet, sermonem temperavit, ostendens se non hæc dicere, quasi aut idolo, aut idolothyto aliqua virtus insit: sed quia *nolo*, inquit, *vos socios fieri dæmoniorum*: quibus verbis latenter innuit, eos dum idolothytis vescuntur, in idola consentire: aut certe hanc de se opinionem infirmis in fide generare; a quibus, ut eos avertat, concludit eos non posse mensæ Domini in Eucharistia, simulque dæmoniorum in idolothyto participes esse.

V. 22. AN AEMULAMUR. Gr. παραζηλοῦμεν, id est eximulamus & irritamus? ostendens irritari dominum a Corinthiis, dum passim idolothytis vescerentur. Deinde subdit, NUMQUID FORTIORES ILLO SUMUS? quasi diceret, Frustra illum irritamus, qui fortior est, & ulciscendi vim habet.

V. 23. OMNIA MIHI LICENT: non omnia expediunt quæ licent, quando scilicet non ædificant; quasi diceret: Etsi in se idolothytum manducare non est illicitum; passim tamen id, ut facitis agere cum offendiculo proximi, malum est, nos autem non tam ius nostrum tueri oportet, quam infirmitati alterius consulere, hoc enim ait, dicens, NEMO QUOD SUUM EST QUAERAT.

V. 25 NIHIL INTERROGANTES PROPTER CONSCIENTIAM, non quod conscientia iudicet non esse interrogandum; sed id vult Paulus, quod de iis quæ in macello væneunt, nullam facere oporteat conscientiam, verum (ut innuit Photius) puram illam

ea

ea in re & nihil hæsitantem habere oportet.

V. 28. HOC IMMOLATUM EST: ex hoc loco & præcedente ostendit se idolothytum non inhibere, nisi quatenus suspicionem affert venerati idoli, quando si extra sacrificia idolorum, ac sine conscientia idoli apponatur, non interdicit.

V. 29. LIBERTAS MEA IUDICATUR. Gr. κρίνεται, id est condemnatur ob alienam conscientiam; id est, etsi per Christum libertatem habeo vescendi idolothyto, non tamen sinendum est, ne ob conscientiam alterius læsam, hæc mea libertas vitio mihi vertatur, & damnabilis fiat.

V. 30. SI ERGO CUM GRATIA; id est, inquit Chrysost. si per Dei gratiam indifferenter quolibet cibo vesci possum, proque hac libertate gratias ago, QUID BLASPHEMOR? id est quid me sino blasphemari, & male audire a gentibus? Nam gentes, inquit Chrysost. videntes Christianos idola aversari, & tamen ad eorum mensas accurrere, ibique ingurgitari, accusabant eos simulationis & gulæ.

S A.

Vers. 1. ENIM. Græc. *autem*.

& 2. IN MOYSE, id est duce Moyse. BAPTIZATI; pro, velut baptizati, scilicet figura erat illa Baptismi.

V. 3. SPIRITUALEM, id est spiritualis figuram.

V. 4. BIBEBANT AUTEM. Græc. *bibebant enim*. SPIRITALI, id est spiritalis rei figura, seu, ut August. explicat, spiritaliter intelligenda. PETRA, id est petræ aqua. PETRA AUTEM, scilicet quæ significabatur per illam petram. CHRISTUS: qui etiam, ut est in Eucharistia, per Manna significabatur.

V. 5. IN PLURIBUS, &c. quasi dicat, Multi eorum Deo displicuerunt.

V. 8. VIGINTITRIA. At Numer. XXV. dicitur *vigintiquatuor*. Utrumque verum. In maiori enim numero minor includitur.

V. 9. TENTAVERUNT, scilicet Christum. PERIERUNT, id est occisi sunt: sic infra.

V. 10 EXTERMINATORE, scilicet Angelo. Vide Num. XIV. & XVI.

V. 11. CORREPTIONEM. Syr. *eruditionem*. FINES SAECULORUM, id est ultima ætas mundi.

V. 13. HUMANA, id est quam homo ferre possit; quasi dicat: Potest quisque non cadere si velit. AUTEM; pro, enim; quasi dicat: Deus enim qui fideliter suos custodit, non patietur, &c. PROVENTUM, id est successum, seu eventum bonum; seu quasi dicat: Addat vires.

V. 16. CUI. Græc. *quod*. BENEDICIMUS, id est cum benedictione consecramus. COMMUNICATIO, id est *participatio*, ut statim vertit idem verbum Græcum. Nota vero hic, *communicandi* verbum quam sit antiquum, scilicet communicatur nobis in Eucharistia Christi corpus & sanguis, ut hic aperte dicitur. PANIS: sic dicitur ob species panis.

V. 17. UNUS. Syr. *ut unus est*. UNUM. Syr. *sic unum*. OMNES QUI. Græc. *omnes enim*.

V. 18. SECUNDUM CARNEM, id est carnalem: est enim & Israel spiritalis. ALTARIS, scilicet & sic quodammodo Dei. Eodem modo qui edunt idolis immolata, videntur participare cum idolis, & alios scandalizant.

V. 19. ALIQUID, id est vim aliquam habens.

V. 20. SOCIOS, id est participes, seu consortes.

V. 21. MENSAE, id est altaris.

V. 22. AEMULAMUR, id est provocamus ad indignationem. Græc. παραζηλοῦμεν; quasi dicat, Deumne audemus irritare?

V. 23. OMNIA, &c. Vide sup. VI. AEDIFICANT, scilicet proximum. Loquitur de idolothytorum esu.

V. 24. SUUM, id est sibi utile, scilicet solum. SED; pro, sed etiam.

V. 25. INTERROGANTES, scilicet an sit idolothytum. CONSCIENTIAM, scilicet ne lædatur, vel vestra, vel aliorum fidelium, qui possent scandalizari.

V. 26. DOMINI, &c. quasi dicat, Est enim caro Dei creatura, qua vesci licet. PLENITUDO EIUS, id est quidquid in ea est.

V. 28. ET PROPTER; pro, id est propter.

V. 29. NON TUAM, scilicet qui scis licere. ALTERIUS, scilicet qui scandalizatur. UT QUID ENIM; pro, alioqui enim cur. IUDICATUR, id est condemnatur, scilicet in re alioqui licita.

V. 30.

V. 30. Gratia, id est gratiarum actione. Blasphemor, id est reprehendor. Quod; pro, de quo.

V. 32. Sine offensione, id est neminem scandalizantes.

V. 33. Placeo, id est studeo placere ad ædificationem. Est, scilicet solum. Sed; pro, sed etiam.

MARIANAE.

Vers. 1. Nolo enim vos. Admonet Corinthios, ut bene se gerant, neque ob accepta dona sint negligentes, aut superbiant, ne Iudæorum exemplo, qui multa dona accepere, & ipsi excidant. Quæ sunt illa dona?

V. 2. Baptizati sunt omnes Iudæi. Nubes refrigerans significabat Spiritum sanctum. Mare quo cincti erant, aquam Baptismi. Fuerunt ergo Iudæi tunc baptizati non vere, sed in figura.

V. 3. Eamdem escam spiritalem. Manna Eucharistiæ figura erat. Ab ea significatione vocatur *esca spiritualis*, id est mystica. Sicut & potus de petra Christi sanguinem significabat.

V. 4. Consequente eos, petra. Syr. *Bibebant autem de spirituali petra, quæ cum ipsis veniebat. Petra autem illa erat Christus*, non materialis petra. Quæ omnia

V. 6. In figura facta sunt nostri; scilicet ut sint nobis exemplo, neque imitemur eorum deliria.

V. 7. Neque idololatrae, sicut Iudæi, qui vitulum fecerunt. Et surrexerunt ludere: Hic *lusum* pro idololatria: alioqui locus quem adducit, non esset ad rem. Cyrillus Homil. 1. Festorum hoc verbum pro *fornicatione* usurpari ait: In Homero Odyss. ά. vers. 372. ubi ait,

Τῶν δ' ἔφαγόν τ' ἔπιόν τε, καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα.

Livius vetus Interpres vertit: *Affatim edi, bibi, lusi*: ubi Interpretes alii pro αἰδοίοις, *venerea* posuere, ipse *lusi* dixit. Citat Scaliger in Festum, verbo *Adfatim*.

V. 3. Viginti tria millia. Num. xxv. 9. *viginti quatuor millia* occisa ait: sed ultimus millenarius completus non fuit: sic loca conciliantur. Unus Gotth. *viginti quatuor millia* habet.

V. 9. Neque tentemus Christum, id est diffidamus de eius misericordia, ut illi qui dicebant: *Cur eduxit nos de Ægypto?* Qui tentat & experitur alicuius bonitatem aut virtutem, de ea diffidit.

V. 10. Et perierunt ab exterminatore quidam, id est angelo percutiente & nequam. Per eos enim infert Deus vindictam, uti alio loco dictum est. Isidorus apud Burchardum Lib. XX. cap. liv. *Quoties Deus quocumque flagello huic mundo irascitur, ad ministerium vindictæ apostatæ angeli mittuntur*. Hæc propter nos scripta sunt,

V. 11. In quos, scilicet nos. Fines saeculorum, id est mundi aut vitæ cuiusque finis prope est.

V. 13. Tentatio vos non apprehendat; quasi dicat: Ne sinatis vos apprehendi, nisi humana & facili, quæ vix vitari potest. Græc. & Syr. *apprehendit*, εἴληφε, id est hactenus dura & difficilia non tolerastis. Cassianus Lib. V. cap. xvi. sic legendum ait, quasi exprobrantis affectu; quasi dicat, Pauca & levia hactenus passi estis: sic denique Vulg. Reg. habet. Cyprianus Lib. III. ad Quirinum cap. xci. *Tentatio vos non occupavit nisi humana*.

V. 14. Fugite ab idolorum cultura. Revertitur ad idolothyta. Calix

V. 16. Cui benedicimus, id est quem calicem mysticis verbis consecramus. Et panis participatio corporis, re, non per fidem tantum, ut hæretici volunt. Ideo unum esse debemus.

V 17. Unum corpus multi sumus, scilicet mystice. Omnes qui de uno pane. Gotth. *nam omnes de uno pane:* sic Græc. Itaque reddit causam cur unum corpus simus. Alii pro *omnes qui de*, legunt, *omnes quidem uno pane:* sic Græc. & Syr.

V. 18. Qui edunt hostias. Intendit nos sacræ Eucharistiæ sumptione fieri participes Christi, Iudæos etiam suorum sacrificiorum. Atque adeo qui idolothyta comedunt, illius cultus esse participes.

V. 22. An aemulamur Dominum? sive irritamus, seu provocamus ad zelotypiam. Numquid fortiores illo sumus? ut evadamus vindictam.

V. 23. Omnia mihi licent. Indicat ex se licitum esse idolothyta manducare, sed propter scandalum id vitandum. Ergo comedite quæ apponuntur,

V. 25. Nihil interrogantes propter conscientiam, id est ne conscientia turbetur, si dicatur esse immolata.

V. 29. DOMINI EST TERRA, ET PLENITUDO EIUS, id est omnia quibus terra est plena, Domini sunt. omnia honesta & licita.

V. 28. HOC IMMOLATUM, si quis dixerit, sive *immolatitium*, ut Goth. & plures alii Latini codices, non comedas propter conscientiam.

V. 29. NON TUAM. Videtur semper sentire eos cibos ex se esse licitos, sed propter offensionem aliorum abstinendum. Aut sit nova ratio cur abstinere debeant, præter illam quæ posita est superius de participatione cum idolis. Summa, in idolio manducare ea, ex se illicitum; extra, ex se licitum, illicitum tantum propter conscientiam & scandalum. UT QUID ENIM LIBERTAS MEA IUDICATUR, id est condemnatur, propter eam alios offendere.

V 30. SI EGO CUM GRATIA; id est, si eos cibos sumo ut Dei beneficium, & cum gratiarum actione, quid culpor?

MENOCHII.

Vers. 1. SUB NUBE: nubes hæc fuit columna per diem obumbrans Hebræos ut nubes: & per noctem lucens, ut ignis, quæ eos duxit per desertum quadraginta annis. MARE: rubrum.

V. 2. IN MOYSE: duce Moyse. BAPTIZATI SUNT: quodammodo baptizati. Transitus enim per mare rubrum figura fuit baptismi, in quo sanguine Christi rubricamur, & mergimus Ægyptios, hoc est peccata. IN NUBE: sequentes nubem.

V. 3 ESCAM SPIRITALEM, id est manna. Dicitur manna esca spiritalis, Angelorum ministerio producebatur. Unde Psal. LXXVII. 5. vocatur *panis Angelorum*, & quia typus erat, & figura Eucharistiæ.

V. 4. EUNDEM POTUM SPIRITALEM: aquas intelligit, quas percussa petra Moyses elicuit. Dicitur autem potus ille aquæ spiritalis, quia typus erat Sanguinis Christi, quo sensu etiam dicitur, Petra spiritalis, quod esset typus Christi; & quia non naturæ vi, sed per miraculum, & spiritu operante, Deo scilicet aut Angelis e rupe eductæ sunt. CONSEQUENTE EOS PETRA. Hæc petra comitata dicitur Hebræos, eo quod aquæ quas petra copiosissime fundebat, ad commoditatem populi in rivos divisæ, longo spatio profluerent, donec veniretur ad loca ubi esset aquarum copia: unde Psal. LXXVII. 16. *Et deduxit tamquam flumina aquas, & torrentes inundaverunt*: & Psal. CIV. 41. *Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina*. PETRA AUTEM ERAT CHRISTUS: petra illa Christum significabat, qui erat petra spiritualis.

V 5. SED NON IN PLURIBUS EORUM BENEPLACITUM EST DEO; quasi dicat: Licet omnes idem manna comederint, eandem aquam de petra biberint, tamen non omnes Deo placuerunt. NAM PROSTRATI SUNT IN DESERTO: omnes enim Hebræi, qui Duce Moyse egressi sunt Ægypto, ob peccata sua, præsertim murmurationem, mortui sunt in deserto, dempto Iosue, & Caleb, qui soli cum nova sobole nata in deserto, ingressi sunt terram promissam, Numer. XIV. 29.

V. 6. IN FIGURA NOSTRI: ad exemplum nostrum, & eruditionem nostram, ut ex eorum punitione discamus Deum revereri, & illi obedire. MALORUM: rerum noxiarum, & prohibitarum. SICUT ET ILLI: veteres Hebræi. CONCUPIERUNT: delicias carnium in loco qui dictus est, *sepulcra concupiscentiæ*: Num. II. 33. & 34.

V. 7. QUEMADMODUM SCRIPTUM EST: Exod. III. 26. SEDIT POPULUS MANDUCARE ET BIBERE: nam ederunt & biberunt epulo constructo ex hostiis pacificis, quas aureo vituli simulacro obtulerant. SURREXERUNT LUDERE, saltando nimirum, & choros agendo; hos enim paulo post descendens e monte vidit Moyses, Exod. XXXII. 19.

V. 8. SICUT QUIDAM EX IPSIS FORNICATI SUNT: cum scilicet Hebræi coluerunt Beephegor, id est Priapum, & in eius gratiam & cultum fornicati sunt cum filiabus Moab, Num. XXV. CECIDERUNT UNA DIE VIGINTI TRIA MILLIA: respicit ad Exod. XXXII. 28. ubi ob adoratum vitulum cæsa dicuntur viginti millia.

V. 6. NEQUE TENTEMUS CHRISTUM: quasi diffidentes eius promissis, ut aliqui Corinthiorum dubitabant de resurrectione, ut patet cap. XV. 12. SICUT QUIDAM EORUM TENTAVERUNT. Numer. XXI. 5. ubi dicitur, *Et tædere cœpit populum itineris, & laboris, locutusque contra Dominum, & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? deest panis*,

nis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo. ET A SERPENTIBUS INTERIERUNT, scilicet morsibus eorum interfecti: Num. XXI. 6.

V. 10. NEQUE MURMURAVERITIS: vel contra Deum, vel potius contra homines vobis præfectos. SICUT QUIDAM EORUM MURMURAVERUNT. Num. XI. 1. & XIV. 1. AB EXTERMINATORE: Angelo scilicet cuius ministerio exterminati, id est occisi sunt.

V. 11. HAEC OMNIA IN FIGURA CONTINGEBANT ILLIS; id est, Deus punivit Hebræos in figura nostri, hoc est ad exemplum nostrum, ut scilicet eorum pœna eruditi, sapiamus. AD CORREPTIONEM NOSTRAM: ut iis auditis aut lectis sapiamus, ne simili ratione peccantes, eadem patiamur. IN QUOS FINES SAECULORUM DEVENERUNT: qui extrema hac mundi ætate vivimus.

V. 12. QUI SE EXISTIMAT STARE, qui vana, & arroganti securitate stare sibi videtur, & firmitatem in bono sibi pollicetur. VIDEAT NE CADAT, scilicet hoc discat alieno exemplo.

V. 13. TENTATIO VOS NON APPREHENDAT NISI HUMANA, id est, cum vos tentatio aliqua pulsaverit, nolite eam fovere, & apprehendere, ita ut sensim erescat, tandemque fiat insuperabilis; nam humanas, & leves tentationes omnino excludere, ut eas numquam sentiatis, est impossibile. In Græco non est ἔληψεν, *apprehendit*, non ut legit noster interpres εἴληφεν: vide Cassian. Lib. V. cap. XVI. FIDELIS AUTEM EST DEUS, id est verus in promissionibus, qui se protectorem suorum electorum promisit. SUPRA ID QUOD POTESTIS: ferre. FACIET ETIAM CUM TENTATIONE PROVENTUM: faciet ut tentatio bonum sortiatur exitum, ut illam superetis, & vobis inde lucrum spirituale proveniat. UT POSSITIS SUSTINERE: cum fructu spiritali resistere possitis impressioni tentationis.

V. 14. PROPTER QUOD: itaque: significat se omnia præcedentia dixisse ut absterreret eos ab idololatria, & idolothytis.

V. 15. UT PRUDENTIBUS LOQUOR, scilicet id quod sequitur; quasi dicat, Cum prudentibus, & intelligentibus mihi sermo est. VOS IPSI IUDICATE QUOD DICO: id quod volo dicere tale est, ut vosipsi tamquam prudentes facile de eo iudicare possitis.

V. 16. CALIX BENEDICTIONIS, &c. quæ hic dicuntur eodem spectant, scilicet ad absterrendos Corinthios ab idolothytis. Argumentum vero est huiusmodi. Quemadmodum qui comedunt de pane Eucharistico, & de calice consecrato bibunt, participes sunt sacrificii Eucharistici, ita qui comedunt idolothyta quodammodo participes sunt sacrificii idololatrici. CALIX BENEDICTIONIS: dicitur calix benedictionis, quia quod calice continetur, a sacerdote benedicitur, & consecratur. ET PANIS QUEM FRANGIMUS: est Christi corpus, quod sub specie panis sumimus, & fidelibus distribuimus.

V. 17. QUONIAM UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS: ut sicut ex multis granis fit unus panis, ita ex multis fidelibus fiat unus panis sacer, & vivus, unum scilicet corpus mysticum Christi, quod est Ecclesia.

V. 18. VIDETE ISRAEL SECUNDUM CARNEM: videte, & considerate Israelitas, qui corporalem circumcisionem circumferunt, & qui externis sacrificiis adhuc sunt additi. QUI EDUNT HOSTIAS: qui victimas ab illis cæsas & Deo sacrificatas edunt, participes censentur facti sacrificii.

V. 19. QUID ERGO? &c. quasi dicat: Quorsum autem hæc disputo? An (contra id quod paulo ante docui) idolum aliquid esse, vel quod idolis immolatum est, aliquam contraxisse labem affirmo? aut aliqua tandem vi, seu potestate Deorum simulacra prædita esse existimo, ut ab iis aliquid metuendum videatur?

V. 20. SED QUAE IMMOLANT GENTES, &c. quasi dicat: Immo assero idola muta esse dæmonum simulacra, & quæ Gentes immolant, ea dæmoniis, non Deo immolari. NOLO AUTEM VOS SOCIOS FIERI DAEMONIORUM: nolim autem vos cum dæmone quidpiam habere commune.

V. 21. MENSA DOMINI: in Eucharistia.

V. 22. AN AEMULAMUR DOMINUM: παραζηλοῦμεν, id est ad zelum, & iram provocamus. NUMQUID PORTIORES ILLO SUMUS? quasi dicat, Minime. Ergo non impune nobis cedet illa æmulatio, & Dei ad iram provocatio.

V. 23. OMNIA MIHI LICENT, scilicet omnia quæ sunt indifferentia, quale est comedere idolothyta. SED NON OMNIA EXPEDIUNT: quia, ut sequitur, non omnia ædificant; quasi dicat, Materialiter licet

N. 2. vesci

vesci idolothyto per se, per accidens tamen non licet, si sequatur scandalum.

V. 24. NEMO QUOD SUUM EST QUAERAT: nemo sua commoda ita studiose quærat, ut alienæ utilitatis rationem non habeat. Nemo velit vesci idolothytis cum aliorum offensione, sed libenter careat illa voluptate, vel utilitate, ut aliorum scandalum vitet.

V. 25. OMNE QUOD IN MACELLO VAENIT: quidquid in macello vanale prostat. NIHIL INTERROGANTES: an sit idolothitum. PROPTER CONSCIENTIAM; ne vel conscientia vestra lædatur, quasi sit religio carnibus immolatitiis vesci, vel aliorum, qui forte scandalizabuntur, si videant vos ab huiusmodi carnibus non abstinere.

V. 26. DOMINI EST TERRA, ET PLENITUDO EIUS; quasi dicat: Omnis creatura, quia Domini est, bona est, & munda; sic & idolothyta non sunt immunda, ut vos putatis ex eo quod dæmoni sint oblata, sed munda sunt quia a Domino creata sunt. PLENITUDO EIUS, id est quidquid in ea est.

V. 27. SI QUIS VOCAT EOS; invitat ad prandium, vel ad cœnam infidelium. OMNE: etiam si sit idolothytum. NIHIL INTERROGANTES, &c. vide dicta vers. 25.

V. 28. SI QUIS AUTEM DIXERIT: in prandio, vel in cœna. PROPTER ILLUM QUI IUDICAVIT: ne videlicet ei scandalum præbeatis manducando, sive fidelis ille sit, sive infidelis. ET PROPTER CONSCIENTIAM: non scilicet lædas conscientiam fratris tui in fide infirmi, tibi in mensa assidentis, dum eum tuo exemplo provocas, ut contra conscientiam suam idolothyta comedat.

V. 26 UT QUID ENIM LIBERTAS MEA IUDICATUR, &c. Cur enim ego libertate mea ita temere utar, ut hoc libertatis beneficium ægro fratri, qui mea actione offenditur, interitum afferat?

V. 30. SI EGO CUM GRATIA PARTICIPO, &c. Sensus est: Committere non debeo, ut alius mihi maledicat, aut male de me loquatur, propter id pro quo ego Deo gratias ago, id est propter cibum; sed potius abstinebo, quamvis alioqui cum gratia participaturus.

V. 31. SIVE ERGO MANDUCATIS, &c. quasi dicat, Ita manducate, bibite, omniaque vestra ita facite, ut apta sint ad Dei gloriam promovendam, & quæ nullum scandalizent sed omnes ædificent.

V. 32. IUDAEIS, ET GENTIBUS: Iudæis, aut Gentilibus, qui nondum Christo se adiunxerunt. ET ECCLESIAE DEI; & Christianam fidem professis.

V. 33. OMNIBUS PLACEO; id est, placere studeo ut omnes ædificem, neminem offendam, aut scandalizem.

T I R I N I.

Vers. 1. PATRES NOSTRI post egressum ex AEgypto OMNES FUERUNT SUB columna *nubis*, quæ angelo ductore & directore per diem instar spissæ nubis obumbrabat & ab æstu protegebat Hebræos: per noctem, instar ignis, illuminabat tota castra totis 40. annis *a*.

V. 2. OMNES IN MOYSE, id est per Moysen, duce Moyse, BAPTIZATI SUNT, scilicet typice, IN hac NUBE ET IN MARI rubro: quia subire nubem, & inire mare quod Ægyptios demergit, figura erat futuri baptismatis Christi, quo hostes nostri, id est peccata, demerguntur, & nos sanguine Christi rubricamur, & cælesti rore gratiæ Spiritus sancti obumbramur, inquit S. Ambrosius, Chrysost & Anselmus.

V. 3. OMNES tam boni, quam mali MANDUCAVERUNT EAMDEM ESCAM SPIRITALEM; puta manna. Neque enim vult Apostolus, Hebræos *eamdem nobiscum* escam manducasse, (ut Calvinus & Beza maligne interpretantur, quo probent, nos non nisi typicum corpus Christi sumere in Eucharistia, ut sumebant Hebræi in suo manna:) sed *eamdem inter se* mutuo, ut patet ex seqq. Vocat autem manna *escam spiritalem*, id est mysticam & typicam, quia typus seu figura erat nostræ Eucharistiæ *b*: & quia *spirituum*, puta angelorum, ministerio parabatur, unde & *panis angelorum* dicebatur *c*. Simili modo aqua profluens ex *petra* Oreb *d*, vocatur

V. 4. *Potus spiritalis*, quia typus erat sanguinis Christi, qui ex *petra*, id est Christo virga crucis a Iudæis percusso, profluxit. Item quia non vi naturali, sed manu spiritali, id est angelica, ex rupe educebatur.

Dices cum Calvino: PETRA ERAT CHRISTUS, id est typus Christi: ergo eodem modo. *Hoc est corpus meum*, id est typus cor-

corporis mei. Respondeo primo, nego antecedens, neque enim typice, sed revera & proprie *petra* (de qua hic Paulus) *erat Christus*. Nam non agit hic Paulus de corporali petra, seu saxea rupe deserti, quæ typice significabat (ut dixi) Christum, (quia hæc rupes non consequebatur Hebræos:) sed agit de *spirituali petra* (ut disertis verbis affirmat,) id est de petra quæ spiritaliter, seu typice per rupem illam significabatur. Hæc vero petra spiritalis [significata per alteram spiritalem significantem] non erat typus seu figura Christi, sed erat ipsemet; verus Christus: hic enim est qui virtute divinitatis suæ, Hebræos per omnia deserti loca ceu comes consequebatur: ita S. Chrysost. Ambros. Oecumen. Anselmus. Respondeo secundo, nego sequelam: quia cum rupes, seu petra, sit res plane repugnans & disparata a Christo, non mirum esset, si typice acciperetur, quia res disparatæ, repugnantes, non possunt de se mutuo proprie prædicari, eo quod una non possit esse alia: sic lapis non potest esse, ergo nec dici bos: panis non potest esse, ergo nec dici corpus Christi, etsi id velit Lutherus. Sed in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, pronomen *hoc*, non est quid repugnans aut disparatum a corpore Christi; cum designet indeterminate id quod sub speciebus panis latet quod potest esse divina virtute tam corpus Christi, quam substantia panis: unde potest immo debet *corpus Christi* proprie accipi quando affirmante Christo de *hoc* prædicatur, ut fuse ostendunt Bellarminus, Suarez & alii Scholastici.

V. 5. SED IN PLURIBUS Hebræorum NON EST BENEPLACITUM DEO, ob frequentes illorum obmurmurationes, idololatriam, & alia scelera, ob quæ omnes adulti qui AEgypto egressi fuerant *e*, PROSTRATI & mortui SUNT IN DESERTO: exceptis solum duobus, Iosue & Caleb.

V. 6. IN FIGURA NOSTRI; id est, figura nobis & exemplum sunt eorum quæ etiam nobis imminent si exemplo eorum similibus peccatis offenderimus Deum.

V. 8. CECIDERUNT UNA DIE VIGINTI TRIA MILLIA: nempe idololatrarum, seu cultorum vituli, Exodi XXXII. 28. nam horum meminerat Paulus vers. 7. præced. Quod si tamen malis referre ad fornicarios cum filiabus Moab, seu ad cultores Beelphegor, Num. XXV. quorum mentionem facit Paulus hoc eodem vers. 8. tum dicendum numerum 23000. ut minorem, comprehendi in maiore numero 24000. qui in Lib. Num. cap. XXV. 9. exprimitur.

V. 10. *Exterminator* vocatur angelus per quem exterminati sunt *f* *Core*, *Dathan*, *Abiron*, & alii eorum complices Num. XIV. 14. & 16. inquit Anselmus.

V. 11. IN FIGURA, seu typo pœnarum nobis imminentium, si similiter peccemus: vel, ut Vatablus & Vasquez *g*, in exemplum nobis, IN QUOS FINES SAECULORUM DEVENERUNT, id est qui extrema hac mundi ætate vivimus, nempe ut extarent exempla posteris suppliciorum quæ Deus peccantibus infligit.

V. 13. TENTATIO VOS NON APPREHENDAT (ita legendum; non vero, *apprehendit*, ut habent Græca Chrysost. & Syrus,) NISI HUMANA, id est subrepentem tentationem ne ita foveatis, ut fiat quasi insuperabilis: nam ut humanas & leves tentationes numquam sentiatis, omnino impossibile est. *Dæmoniacum* est, (ait S. Gregor. *h* & Anselmus,) maligna tentatione vinci, & ex malitia peccare: *angelicum*, nullam sentire tentationem: *humanum*, sentire & vincere. NON PATIETUR DEUS VOS TENTARI SUPRA ID QUOD POTESTIS, seu supra vires. Unde contra Lutherum & Calvinum infero, primo, si non permittit, ergo multo minus præcipit impossibilia: multo minus intendit lapsum in peccata: multo minus impellit ad peccandum. Infero secundo, nullam esse tentationem tantam, quin Dei gratia vinci possit: & hanc gratiam non solis electis, sed omnibus Deum invocantibus paratam esse, ut Tridentinum *i* definit. SED FACIET ETIAM CUM TENTATIONEM PROVENTUM; ἔκβασιν, id est *evasionem* supple, felicem & gloriosam, quali v. g. miles e prælio vel duello evadit victor, fortior & gloriosior: ita Photius & alii Græci: UT POSSITIS postea multo plura, maiori fructu & gloria SUSTINERE. Resistendo enim tentationibus per contrarios virtutum actus, intenduntur & augentur habitus earumdem virtutum; & sic homo magis corroboratur ad alia etiam graviora superanda.

V. 16. CALIX BENEDICTIONIS, id est benedictus *k*, seu consecratus a Christianis

sacer.

ſacerdotibus, NONNE COMMUNICATIO SANGUINIS CHRISTI EST? id eſt, nonne communicat & diſtribuit ſumentibus ipſum ſanguinem Chriſti? ET PANIS QUEM in altari FRANGIMUS, id eſt offerimus Deo, & oblatum diſtribuimus populo, NONNE PARTICIPATIO CORPORIS DOMINI EST? id eſt, nonne ſumentes, participes facit veri corporis Chriſti? Hinc, ut & ex cap. ſeq. clariſſimum teſtimonium habes, Apoſtolos conſecraſſe, & conſecratum corpus Chriſti fidelibus communicaſſe, id eſt Miſſam feciſſe. Nam quod Paulus Euchariſtiam hic, etiam poſt conſecrationem, vocet adhuc *panem*, facit more Hebræo, quo quivis cibus vocatur *panis l*. Et quia in Euchariſtia, propter remanentes ſpecies *panis*, videtur adhuc eſſe *panis*, licet revera non ſit amplius: ita Theodoret. Theophyl. Anſelmus, & paſſim Scholaſtici. Quorſum hæc de Euchariſtia hic proferat Paulus, dicet verſ. 20. & nos ibi applicabimus.

V. 17. QUONIAM vero UNUS eſt PANIS, de quo omnes PARTICIPAMUS, hinc per illius unius ſumptionem OMNES quantumcumque MULTI, efficimur & SUMUS UNUM CORPUS Chriſti: unum, inquam, tum cum Chriſto (nam alimentum coaleſcit cum alito:) tum inter nos mutuo; nam quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt etiam inter ſe eadem: ita S. Irenæus, Hilarius, uterque Cyrill. Chryſoſt. *m* & alii Patres.

V. 18. VIDETE & conſiderate ISRAEL SECUNDUM CARNEM, id eſt Iſraelitas carnales, ſeu Iudæos modernos, quando HOSTIAS in templo oblatas EDUNT, NONNE PARTICIPES SUNT ſacrificii in *altari* oblati? nempe ſic & vos quando idolothyta in idolio *n* comeditis, eo ipſo participatis & communicatis ſacrificio idolis oblato: nam abſumptio victimæ eſt quaſi conſummatio ſacrificii. Non quod velim dicere,

V. 19. QUOD IMMOLATUM IDOLIS SIT ALIQUID in ſe, ſeu ſacrum, ſeu pollutum: immo aſſero, ut ſupra *o*, idola nihil eſſe formaliter, materialiter ſolum muta eſſe dæmonum ſimulacra.

V. 20. SED quia QUAE IMMOLANT GENTES, DAEMONIIS IMMOLANT, ſeu ſacrificant; ideo NOLO vos de idolothytis in idolio manducare, ne participetis & communicetis ſacrificio idolis oblato: qui enim de victimis comedit, participat de ſacrificio: ſicut cum de hoſtia Euchariſtica comeditis, participes eſtis ſacrificii Euchariſtici. Et vero quam indignum eſt, participantes *menſæ Domini*, (id eſt altaris, ſeu Euchariſtiæ oblatæ Deo in altari, & fidelibus porrectæ ex altari, in quo Deus quaſi in menſa ſua nobiſcum convivatur:) participare velle etiam *menſæ dæmoniorum*, & his quaſi dominis & diis ſuis *ſociari* & ſubiici? Sed NON POTESTIS Deo ſimul & dæmonio ſacrificare vel ſervire *p*: ita S. Cypr. Auguſt. Chryſoſt. Anſelm. *q*

V. 22. AN AEMULAMUR DOMINUM. Græce, παραζηλοῦμεν, id eſt ad zelum & iram provocare audemus? nempe, ut relicto hero, patre, ſponſo noſtro, adhæreſcamus dæmoni, iurato hoſti illius & noſtro.

V. 24. NEMO QUOD SUUM ſolius EST, QUAERAT; neque ita captet propria commoda, ut incommodum aliis creet: careat potius ex eſu idolothytorum colligi ſolitis cupediis, quam ut alios offendat hac via: non quod omnino vetem eſum omnem idolothytorum. Nam.

V. 25. OMNE genus carnium, QUOD IN MACELLO VAENIT, ſeu vænale proſtat, etſi idolis antea immolatum, libere coemite & MANDUCATE, nulla præmiſſa interrogatione, an idolis immolatum ſit, nec ne. Idem dico.

V. 27. SI QUIS INFIDELIUM VOCET vos ad epulum domeſticum: nam ſolitos Gentiles etiam domum ſuam deferre, & ſacerdotes etiam ad macellum ſuo lucro divendendas mittere carnes idolis immolatas, conſtat ex Herodoto, Euſebio & S. Auguſtino *r*.

V. 28. SI QUIS AUTEM convivarum, ſeu fidelium, ſeu infidelium, DIXERIT vobis vel alteri, HOC IMMOLATUM EST IDOLIS *ut te vel arceat* quaſi ab illicitis vel trahat quaſi ad illicita; eo caſu NOLITE ex iis MANDUCARE: idque ne lædas CONSCIENTIAM eius QUI tibi id INDICAVIT; vel aliorum aſſidentium qui cum neſciant id tibi licere, ſcandalizarentur ſi viderent te comedentem, alioqui ſi abſit omne ſcandalum, licet veſci idolothytis: etiam indicatis & cognitis: ſed cum ſcandalo, non licet.

V. 29. UT QUID ENIM LIBERTAS MEA IUDICATUR AB ALIENA CONSCIENTIA? id eſt, cur & cui bono utar iure & libertate mea cum offenſione alterius, ut

iudi-

iudicer, id eſt damner ab illius infirma conſcientia? quaſi dicat: Nullo modo id faciendum, inquit Anſelmus.

V. 30. SI ERGO non niſi CUM GRATIA, ſeu gratuito beneficio libertatis Evangelicæ, & gratia erga Deum animi recognitione PARTICIPO (dum ſe dat occaſio,) vel participare poſſum de idolothytis; non debeo ulla ratione committere, ut PRO EO *blaſphemer* ab infirmis, quaſi idololatra fiam: tunc enim abuterer conceſſa a Deo libertate; nec gratias illi agerem, ſed graviter offenderem; nec gloriæ ipſius conſulerem, ſed illam blaſphemiis & maledictis aliorum exponerem.

V. 31. OMNIA QUAE FACITIS, ita FACITE, ut cedant non in ignominiam, ſed IN GLORIAM DEI, neque in deſtructionem, ſed in ædificationem proximi, inquiunt Ambroſius, Anſelmus, Caiet.

V. 32. SINE OFFENSIONE ESTOTE; id eſt, nolite cauſam offenſionis dare, ſeu IUDAEIS, ſeu GENTIBUS necdum converſis, ſeu ECCLESIAE DEI, id eſt iam ad Chriſtum converſis.

V. 33. SICUT ET EGO PER OMNIA OMNIBUS PLACEO, id eſt placere ſtudeo *ſ*, ſatagens omnes ædificare, neminem iuſte offendere, neminem ſcandalizare.

(a) Exodi XIII. 21.
(b) Exod. VI. 14.
(c) Pſal. LXXVII. 25.
(d) Exodi XVII. 6.
(e) Num. XIV.
(f) Sap. XVIII. 25.
(g) Vaſquez in 1. p. q. 1. a. x. diſp. XIV. c. 6.
(h) Gregor. p. 1. Paſtoral cap. XI.
(i) Trid. ſeſſ. XIV. cap. IX. & ſeſſ. VI. cap. XI.
(k) Matt. XVI. 26.
(l) IV. Reg. VI. 22. & 23. & Ioan. VI. 31. & 41.
(m) Iren. Lib. IV. cap. XXXIV. Hilar. de Trin. Lib. VIII. Cyrill. Alexandrinus Lib. IV. in Ioan. cap. XVII. Cyrill. Ierosolymit. catecheſi XV.
(n) I. Cor. VIII. 10.
(o) Ibid. verſ. 4.
(p) Matt. XXIV.
(q) Cypr. Serm. de lapſis. Auguſt. Lib. I. Cont. adverſarium legis cap. XIX. tom. VI. Chryſoſt. in morali.
(r) Herodot. in Clio. Auguſt. in Rom. VII. Euſeb. Lib. V. hiſt. cap. XIV. & XXIX.
(ſ) Proleg. de Idiotiſm. Heb. num. 56.

GORDONI.

Verſ. 1. HAEc vitiorum reprehenſio, quæ eſt uſque ad verſum 17 habet protaſin per quinque priores verſus, & mox apodoſin inde ac redditionem per enumerationem vitandorum vitiorum uſque ad verſum 18. Docet ergo veterum Hebræorum exemplo cavenda eſſe hæc vitia. Hæc quæ de Hebræis contigerunt, notiſſima ſunt ex libro Exodi. De nube dixi Exod. XIII. 21. Fuit autem mare rubrum illis velut lavacrum, in quo fuerunt immerſi: ſalvi ſunt facti Hebræi; perierunt AEgyptii. Figura eſt baptiſmi, qui affert ſalutem veris Iſraelitis, & interitum peccatis. Baptizati vero dicuntur in nube, hoc eſt, ſequentes nubem: vide Exod. XIV.

V. 3. & 4. Per eſcam manna ſignificatur, de quo Exod. cap. XVI. Spiritualis vocatur, quia producebatur miniſterio Angelorum. Typus eſt Euchariſtiæ. Per potum hic intelligit Paulus aquas percuſſa petra, de qua Exod. XVII. & Num. cap. XX. Spiritualem vocat, vel quia ſpirituali vi & ope eductæ ſunt, vel quia typus ſunt educti ſanguinis Chriſti. Et petra illa Chriſtum ſignificabat.

V. 5. 6. 7. SED NON IN OMNIBUS. Venitur ad redditionem. Omnes, inquit, eodem cibo, potu & Dei beneficiis uſi ſunt, ſed non eadem vitæ integritate, ac proinde caſtigati ſunt a Deo, privati terra promiſſionis, mortui in deſerto exceptis duobus, Num. cap. XIV. verſ. 28. Hæc illis in figura & Chriſtianis ad exemplum ſunt. Singulas recenſet pœnas uſque ad verſum 13. Sed quid illud verſ. 4. *De conſequente eos petra?* Sane petra non ſequebatur populum inde recedentem, ſed inde fluentes aquæ tam copioſæ erant ut efficerent fluentes rivos per viam qua gradiebantur, donec alias aquas invenirent: de quo eſt illud Pſal. CIV. 41. *abierunt in ſicco flumina*. CONCUPIERUNT. Petierunt delicias carnium: vide Num. cap. XI. & IDOLOLATRAE caſtigati ſunt, Exod. XXXII. 6. & 19.

V. 8. 9. 10. NEQUE FORNICEMUR. Hebræi ad cultum Beelphegor fornicati ſunt, Num. XXV. ET CECIDERUNT. Porro ob ſimile peccatum Idololatriæ viginti tria millia, ut habetur de vitulo, Exod. XXXII. 28. TENTAVERUNT ſcilicet Hebræi, Num. XXI. 5. ubi de pœna per ſerpentes. NEQUE MURMURAVERITIS. Ob hoc caſtigati ſunt Hebræi, Num. verſ. 1. & cap. XIV. verſ. 1. Et talia, inquit, ſunt quæ vobis pro exemplo ſint, & ad correptionem: ſic enim hic accipitur nomen figuræ.

V. 12. ITAQUE QUI EXISTIMAT. Cum

tot

tot periculis sit obnoxius homo, stet in timore, & oret pro perseverantia. Evertit hic Apostolus securitatem Novarorum aperte sane: de quo lege Augustinum de Bono persever. cap. VIII.

V. 13. TENTATIO NON APPREHENDAT: εἰλήφέτω, sic legendum est, non autem in præterito. Sensus est, in his & similibus quæ dixi, vos tentatio non apprehendat, aut occupet ita, ut fortis evadat: dum adhuc levis est & humana, facile repelli potest: si ex mora invalescit, vix superari potest. De quo recte Gregorius p. 1. pastor. cap. XI. Non sentire ullam tentationem Angelorum est; sentire & vincere humana est. FIDELIS DEUS. Insignis est hic locus pro gratia sufficiente ad vitanda omnia peccata, & eius promissione omnibus facta. Ergo multo minus impellit ad mala: ac demum sequitur, quæ ipse præcipit, non esse nobis impossibilia, quia etiam faciet in tentatione progressum bonum.

V. 14. PROPTER QUOD CHARISSIMI. Tandem post digressionem de prædicatione gratuita, de legitime certantibus contra tentationes, & de bravio, redit ad idolothyta, & modum abstinendi a tali esca, omnique idololatria.

V. 16. & 17. CALIX BENEDICTIONIS. Affert mentionem sacrificii Iudaici, & simul Christiani, ut inde a simili concludat Corinthios in malo usu idolothytorum participes esse idololatriæ: nam Iudæi dum comedunt oblata in altari Iudaico participes sunt illius sacrificii. Idem qui comedunt Christiani de pane Eucharistico post factam consecrationem, participes etiam sunt huius sacrificii incruenti: sic ergo qui temere & imprudenter vescuntur idolothytis, communicant cum Idololatris sacrificantibus; & plene sic concludit vers. 18. & 19.

Non hæreo in plena confutatione sectariorum post Calvinum: quos certe damnat satis hic Paulus; dum ab hac reali præsentia & communicatione corporis Christi argumentatur, ut dicebam, Apostolus, plane affirmat in communicantibus esse veram & realem participationem corporis & sanguinis: nihil hic fingi potest de typo aut figura; atque ita nec calix, seu potus communicatus potest esse typus; nec panis (Hebraice cibum quemvis significat) tantum potest esse figura. Pro hoc in Eucharistia vero sensu urget plurimum sane argumentum illud Pauli, quod supponit realem communicationem in idolothytis & sacrificio Mosaico. Vocatur vero calix benedictionis, quia quod calice continetur post benedictionem consecratur; sic enim nunc se gerit sacerdos, ut Christus, quia in ultima cœna gratias primum egit, mox benedixit, ac tandem consecravit. Lege Trident. sess. XIII. cap. 1. Quamvis benedictionem putaverit includi in consecratione S. Thomas III. p. quæst. LXXVIII. art. 1. ad 1. saltem concomitanter, ut ille loquitur.

V. 22. AN AEMULAMUR DOMINUM. Conclusit abstinendum esse a perverso esu Idolothytorum, nisi velint æmulari, & ad iram Deum provocare. Certe non estis illo fortiores; non deerit castigatio: volo quidem, inquit, ut liceant omnia, sive quæ adiaphora sunt, (ut aliqui hoc intelligunt) sive volenti male operari (cui dicitur licere quicquid libere potest) tamen si operans rationem sequi velit, debet etiam videre quid expediat: nemo saltem ita suum quærere debet, ut proximum scandalizet, & lædat.

V. 25. *usque ad vers.* 29. OMNE QUOD IN MACELLO. Ponit iterum ante oculos quod attigit cap. VIII. 4. & deinceps: ac præcipue scrupulum depellit. Non ita, inquit, statuitur de esu idolothyti, ut debeat Christianus illius temporis semper esse anxius, aut cum aliquid emit in macello, quærere teneatur, an sit idolothytum, vel non; sicut nec cum ad prandium invitatur. Omnia Dei sunt: solum ut non peccet videndum ex errore conscientiæ, ex scandalo, aut contra præceptum, si quod est.

V. 29. Iudicari hic est damnari. Non, inquit, committere debeo, ut alius infirmus offendatur, & damnet meam libertatem in escis. Loquitur de infirmo assidente: male in tali mensa uterer mea libertate. Omnia ergo facite, inquit, cum gratiarum actione, & sine offensione.

CA-

CAPUT XI.

Vir aperto, mulier autem velato debet orare capite: Corinthios reprehendit quod ad celebrandam cœnam Dominicam invicem non expectarent, sed inter se dissiderent; referens interim Sacramenti Eucharistiæ a Christo institutionem, & scelus ac pœnam indigne ad illud accedentium.

1. IMitatores mei estote, sicut & ego Christi. 2. Laudo au-
tem vos fratres, quod per omnia memores estis: & sicut
tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 3. Volo autem vos
scire, (*a*) quod omnis viri caput Christus est: caput au-
tem mulieris, vir: caput vero Christi, Deus. 4. Omnis
vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput
suum. 5. Omnis autem mulier orans aut prophetans non
velato capite, deturpat caput suum: unum enim est ac
si decalvetur. 6. Nam si non velatur mulier, tondeatur.
Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. 7. Vir
quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria Dei est, mu-
lier autem gloria viri est. 8. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex vi-
ro. 9. (*b*) Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter
virum. 10. * Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Ange-
los. 11. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Do-
mino. 12. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem
ex Deo. 13. Vos ipsi iudicate: decet mulierem non velatam orare Deum?
14. Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia
est illi: 15. mulier voro si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli
pro velamine ei dati sunt. 16. Si quis autem videtur contentiosus esse: nos
talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 17. Hoc autem præ-
cipio: non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenitis. 18. Pri-
mum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos,
& ex parte credo. 19. Nam oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt,
manifesti fiant in vobis. 20. Convenientibus ergo vobis in unum, iam non
est Dominicam cœnam manducare. 21. Unusquisque enim suam cœnam præ-
sumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. 22.
Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam
Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Lau-
do vos? in hoc non laudo. 23. Ego enim accepi a Domino quod & tradidi
vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem,
24. & gratias agens fregit, & dixit: (*c*) Accipite, & manducate:
hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam comme-
morationem. 25. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix
novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis,
in meam commemorationem. 26. Quotiescumque enim manducabitis panem
hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat. 27. (*d*)
Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini in-
digne; reus erit corporis & sanguinis Domini 28. (*e*) Probet autem seipsum
homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 29. Qui enim manducat
& bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domi-

ctuti sunt, qui tot annos observatas ecclesiæ catholicæ consuetudines enervare contendunt, quum rem indifferentem, & de qua nihil in Scripturis caveatur, observari ab omnibus velit, argumentum aliud adversus contentiosos non afferens, nisi ecclesiæ consuetudinem? Græci dupliciter exponunt: vel, non habemus talem consuetudinem contradicendi; vel, quod mulier aperto capite oret, vir velato.

V. 17. HOC AUTEM PRAECIPIO: τὸ hoc mihi referendum videtur ad præcedentia, scilicet mulierem velato capite orare, virum aperto: *nec tamen interim laudo, quod non in melius, sed deterius convenitis*. Græci hic habent, *hoc autem præcipiens non laudo*, sed ad sensum nihil refert.

V. 18. CONVENIENTIBUS. Necesse est hoc loco consuetudinem Corinthiorum repetere ex Chrysost. & aliis Græcis. Statutis diebus conveniebant in ecclesiam (inquit) fideles, atque ibi post mysteriorum, scilicet corporis & sanguinis Domini communicationem, communia omnibus ex æquo fiebant convivia pauperibus & divitibus, quæ a communi invicem caritate ἀγάπας, id est *charitates* vocabant: ibi communiter omnes discumbebant in hymnis gratiarumque actionibus convivia illa transigentes. Augustinus tamen ait, quod more Christi qui agnum Paschalem primum discipulis dedit, deinde suum corpus & sanguinem; primum in ecclesia Christiani convivia communia faciebant, deinde ad mensam Domini accedebant. Verum sive ante, sive post, iam ab illo more honestorum conviviorum desciverant, sed particularia convivia faciebant, ubi se ingurgitabant: quin etiam ut Græcis quibusdam visum est, non in communi mensa Christi corpus & sanguinem, sed privatim prout variæ erant illorum sectæ sumebant, atque a mensa Domini, & a suis illis conviviis pauperes arcebant: quos ob id arguens Paulus, *audio* (ait) *sic vobis convenientibus, scissuras, & sectas esse inter vos*.

V. 19. OPORTET HAERESES. Græci hoc loco non falsas opinionum sectas, sed schismata dissentionum interpretantur, quia iam non communiter post vel ante cœnam dominicam vescerentur, sed neglectis pauperibus divisim per sectas. *Oportet* ergo, inquit, *hæreses*, id est dissentiones esse, UT QUI PROBATI SUNT, id est viri probi, MANIFESTI FIANT, ubi τὸ ut, eventum rei dicit, non causam.

V. 20. CONVENIENTIBUS ERGO. Sic ergo vobis in unum, id est in unam ecclesiam convenientibus, NON EST DOMINICAM COENAM MANDUCARE; id est, dum sic particularia convivia facienda in ecclesia convenitis, non potestis, ut par est, & qua bonitate decet cœnam domini manducare, sive antecedenter sic ingurgitamini, ut putat August. sive consequenter, ut Chrysost. spirituale convivium & corporale paschalis agni commune fuit discipulis omnibus. Vos autem communi caritate neglecta seorsum vescimini.

V. 21. UNUSQUISQUE ENIM, inquit, PRAESUMIT. Gr. προλαμβάνει, id est præoccupat & anticipat COENAM SUAM AD MANDUCANDUM. Græce ἐν τῷ φαγεῖν, id est *in comedendo*. Divites enim non vocatis, aut expectatis pauperibus, contra ecclesiæ consuetudinem & dominicæ cœnæ imitationem, reiiciebant a suis conviviis pauperes: in quo eos arguit, atque etiam præterea, quia ibi se ingurgitarent. Et conformiter ad hoc dicit in fine capitis, *cum convenitis ad manducandum, invicem expectate*.

V. 22. NUMQUID DOMOS; id est, si se ingurgitare visum fuerat, nonne privatim domi id faciendum erat, & non neglectui habenda, ac hisce comessationibus polluenda ecclesia? an, inquit, CONFUNDITIS EOS QUI NON HABENT, scilicet pauperes, id est, an ad eorum ignominiam illos non admittitis & reiicitis?

V. 23. EGO ENIM ACCEPI, id est didici a Domino QUOD ET TRADIDI VOBIS, id est quod vos docui, modum scilicet consecrandi, & manducandi corporis dominici. Facit autem hoc loco mentionem instituti sacramenti, ut quemadmodum neminem suorum a sacrosancta mensa Christus abiecit: ita nec a suis conviviis, quæ dominicam cœnam repræsentabant, arcere eos pauperes doceret.

V. 24. HOC EST CORPUS. Visum est hoc loco ob renascentem hæresim adversus Eucharistiam, doctorum Græcorum sententiam hæc adscribere, ut intelligant omnes in hac cœna non symbolum tantum, sed verum Domini corpus esse, licet aliquando mysterium dicatur, quia significat quod debeamus per concordiam communem

unus panis esse in Christo. Chrysost. cuius Græca non addam, quia extant impressa, reprehendens quod statim post communionem mensæ Dei a sua carnali mensa pauperes abiicerent: Sanguinem (inquit) dominicum gustasti, neque sic fratrem agnoscis. De carne vero, & hoc (inquit) facis, quum ad Christi mensam discubueris in die illa, qua carnem eius lingua attingere dignatus est, ecce carnem, non carnis symbolum panem dicit. Ipsa autem communia convivia, symbolum erant cœnæ Domini.

V. 26. DONEC VENIAT, id est usque ad adventum illius. Hoc enim est iuge Eucharistiæ sacrificium usque ad adventum Domini duraturum, postquam in gloria non iam sub speciebus, sed palam, excellentiore, licet nunc nobis incognito, modo, corpore illius fruemur; nec corpore modo, sed divinitate.

V. 27. REUS ERIT. Hic Theodoretus Græcus, τὸ δέ ἔνοχος ἔςαι τῦ σώματος καὶ τῦ αἵματος, τῦτο δηλοῖ, ὅτι καθάπερ παρέδωκεν μὲν αὐτὸν ὁ Ἰῦδας παρῴνησαν δέ εἰς αὐτὸν. Ἰυδαῖοι ὅυτως ατιμάζυσι αὐτὸν ὀι τὸ πανάγιον αὐτῦ σῶμα χερσὶν ἀκαθάρτοις δεχόμενοι, καὶ ἐναγεῖ προσφέροντες τῷ σώματι: quorum verborum sensus est: Quod vero ait, reus erit corporis & sanguinis, hoc innuit, quod quemadmodum prodidit quidem illum Iudas, ac Iudæi conviciis eum & iniuriis affecerunt, sic illum ignominia afficiunt, qui sacratissimum eius corpus manibus impuris attrectant, orique admovent execrabili. En simile crimen proditoris, crucifigentiumque Iudæorum, & indigne sacrosanctum illud corpus habentium: non patitur brevis pagina plura adferre testimonia, quare supersedebimus.

V. 28. PROBET AUTEM, id est conscientiam suam examinet, nec sinistre de hoc mysterio sentiat. Ita enim Theodorus & Theodoretus: Unusquisque, inquiunt, mentem suam scrutetur, qualem nimirum de hisce mysteriis opinionem habeat, atque ita participet & communicet. Quod enim ait, SEIPSUM, positum est pro mentem ac sententiam suam: vult enim nos recte sentire de huiusmodi mysteriis, ne carnale aliquid tantum suspicemur inesse. Theodoritus *probet seipsum*, Tu, inquit, tui ipsius arbiter esto, & eorum quæ in vita gessisti iudex non indiligens: conscientiam tuam scrutare, & tunc Dei dona suscipe: neque enim sufficit recte de sacramento isto sentire, nisi puram a peccato mentem afferas.

*V.*29. NON DIIUDICANS: Photius, μὴ διακρίνον τὸ σῶμα τῦ κυρίυ, ἀλλὰ ὡς ἀδιαφόρῳ τῶν λοιπῶν μετέχων αὐτῦ, καὶ προσερχόμενος αὐτῷ; id est, non diiudicans corpus Domini, sed eo tamquam promiscuo & indifferente cibo utens, atque ita ad ipsum accedens.

V. 30. IDEO INTER VOS MULTI INFIRMI ET IMBECILLES. Ostendit ex indigne sumpto corpore Domini & sanguine, immaturas mortes evenire, cum ait, dormiunt multi, similiter & longos morbos, aliaque mala multa.

V. 31. DIIUDICAREMUS, id est examinaremus, & nostra ipsi peccata condemnaremus: utrumque enim significat διακρίνειν.

V. 31. DUM AUTEM: dum a Domino in hac vita plectimur per morborum afflictiones tantum corripimur: huiusmodi enim animadversio pro nostris delictis quædam est benigna castigatio.

S A.

Vers. 2. PRAECEPTA. Græc. παραδόσεις, id est *traditiones*.

V. 3. VIRI, scilicet fidelis: Iustin. quæst. LXXXIX. CAPUT, scilicet superior, dux, seu gubernator.

V. 4. PROPHETANS, id est Scripturam interpretans, aut Dei mysteria edisserens. DETURPAT, id est dehonestat, seu dedecorat. SUUM, scilicet Christum; quasi dicat, Facit iniuriam Christo, per rem indecentem.

V. 5. SUUM, scilicet virum suum. UNUM, pro, idem. DECALVETUR. Græc. *rasa sit*.

V. 6. NAM, &c. quasi dicat: Si enim licet non velari, licebit & tonderi. DECALVARI. Græc. *radi*.

*V.*7. GLORIA DEI, scilicet sapientiam Dei & dominium repræsentat dum orat, aut prophetat, ideoque coram illo debet esse aperto capite, vel ob reverentiam, vel ad Dei libertatem repræsentandam. Id autem quidam intelligunt, dum talia fiunt in persona Ecclesiæ. Nam alioqui tecto capite concio habetur. VIRI, scilicet dum se subiectam ei profitetur, adeoque debet semper esse velata, velut subiecta.

V. 10. POTESTATEM, scilicet velum signi-

gnificat potestatem viri in uxorem. ANGELOS, scilicet ad Angelorum præsentium reverentiam. Quidam tamen per *Angelos*, sacerdotes & iustos intelligunt; quasi dicat, Ne illis sit causa tentationis.

V. 11. SINE MULIERE, scilicet nascitur. IN DOMINO, id est Deo sic utrumque faciente.

V. 14. NEC; pro, non ne. COMAM NUTRIAT, scilicet more feminarum Græca verti possunt, *comatus sit*: sic nf.

V. 16. ECCLESIA. Græc. *Ecclesiæ*; quasi dicat: Nec Iudæi, nec Christiani, vel nec ex Iudæis, nec ex Gentibus conversi.

V. 17. HOC, scilicet præcedens. NON LAUDANS, scilicet quod sequitur. IN MELIUS, scilicet progredientes, ut par esset. CONVENITIS, scilicet ad Ecclesiam.

V. 18. SCISSURAS, id est dissidia. Græc. σχίσματα.

V. 19. HAERESES, id est sectas; scilicet errantium.

V. 20 IN UNUM, id est simul. NON EST, id est non accidit. MANDUCARE, scilicet ut oporteret.

V. 21. COENAM, scilicet post Eucharistiam solebant una cœnare, invitatis pauperibus: postea per abusum quidam soli cœnabant, non expectatis egenis.

V. 22. NUMQUID, &c. quasi dicat, Si vestra soli edere vultis, cur non facitis domi vestræ? CONFUNDITIS, id est pudorem incutitis.

V. 24. AGENS; pro, cum egisset. TRADETUR. Græc. *frangitur*. COMMEMORATIONEM, id est memoriam mei.

V. 25. CALICEM, scilicet accepit. EST; pro, continet. SANGUINE, scilicet hic incluso, per quem novum Testamentum confirmatum.

V. 26. ANNUNTIABITIS, id est commemorabitis.

V. 27. CORPORIS, scilicet indigne sumpti, id est peccati in corpus.

V. 28. PROBET, id est examinet, scilicet ne cum peccato accedat. HOMO, id est *quisque*, Hebr.

V. 29. DIIUDICANS, id est discernens, scilicet a ceteris cibis: vel expendens, scilicet quanta res sit, quantaque puritate accedendum. Mirum, hic non videre hæreticos veritatem corporis Christi in Eucharistia. Ecquid potuit apertius dici?

V. 30. DORMIUNT, id est moriuntur.

V. 32. DIIUDICAREMUS, id est discuteremus, & emendaremus. IUDICAREMUR, id est damnaremur a Deo, seu puniremur.

V. 32. CORRIPIMUR, ist est castigamur.

V. 34. IUDICIUM, id est condemnationem.

MARIANAE.

Vers. 1. IMITATORES. Hic versus finis est cap. superioris, & cum illo iungi posset.

V. 2 LAUDO AUTEM VOS FRATRES. Laudat bona, & vituperat mala. An hoc ironice dicitur, ut quidam ait? Simul docet quo pacto in Ecclesiis esse debeant.

V. 3. CAPUT VERO CHRISTI, DEUS, scilicet qua parte homo est. Vis argumenti: Turpia teguntur, sic mulier, quia eius caput vir est, nocuus & malus tegatur. Vir qui caput habet Christum innocentem, detegatur. Aut sic potius: Subditus coram superiori demittit oculos, quasi velet faciem, sic mulier in Ecclesia coram viris. Vir autem quia nullum ibi superiorem habet, detegat illud. Vir non velet caput, quia

V. 7. IMAGO ET GLORIA DEI EST. Corpre & animo æque vir & mulier imago Dei sunt; at iuxta rationem principatus vir est imago Dei, quia mulier illi subdita est. Est autem *gloria Dei*, quasi eius opificium. MULIER AUTEM GLORIA VIRI, id est propter virum facta & ad eius gloriam, ut genus hominum esset integrum.

V. 10. DEBET MULIER POTESTATEM HABERE SUPRA CAPUT, id est signum potestatis, quam vir habet super mulierem, nempe *velamen*, quam vocem quidam Latini codices, pro *potestate* habent: sed & Velesii margo περιβόλαιον habet, id est *velamen*. PROPTER ANGELOS: ob Angelorum reverentiam, qui in templis versantur. Aut *Angelos* vocat sacerdotes, quos detectis feminis ad libidinem solicitari non vult: sic Anselmus & S. Thomas, tum Sixtus II. Lib. de Castitate, adductus a nostro Torrensi sive Turriano Libro de Continentia, Clemens Lib. II. Nypotypos. *Angelos* vocari putat viros sanctos & probos qui in templis sunt. Basilius Lib. de Virg. extremo,

mo, etiam in occulto debere ait mulieres velare caput ob Angelorum reverentiam, qui ibi versantur.

V. 16. SI QUIS .... CONTENTIOSUS; id est, si quis hactenus a me dictis contradicat, nos contendere nolumus. NEQUE ECCLESIA DEI, scilicet his contentionibus utitur.

V. 17. HOC AUTEM PRAECIPIO, scilicet ut mulier tegat caput. Neque interim tamen laudo quod in cœna Dominica facitis.

V. 20. IAM NON EST DOMINICAM COENAM, id est non imitamini Christum. Solebant certis temporibus post sumptam Eucharistiam convivia publica omnibus præbere, ἀγάπας, id est *caritates* vocabant: de quibus Constit. Apostol. Lib. VII. cap. XXXII. mentionem faciunt. Erant incentiva charitatis, ut nomen ἀγάπη declarat: sic filii Iob convivia inter se circulo celebrabant. Ad XI. Kalend. Martii convivium cognati Romæ celebrabant, ut si quæ offensiones extitissent, iis epulis delerentur, & *caristia* vocabantur. De quibus Valerius Maximus Lib. II. & Ovidius in Fastis:

> *Proxima cognati dixere caristia patres:*
> *Et venit ad socios turba propinqua deos.*

Ab eo sane principio deflexerant privatas cœnas afferentes ad Ecclesiam, quas ante aut post Eucharistiam, quique privatim sumebant. Eum abusum hic reprehendit.

V. 23. EGO ENIM ACCEPI A DOMINO, quem imitari opus est: sic ille dixit in Cœna: *Hoc est corpus meum.*

V. 24. QUOD PRO VOBIS TRADETUR, κλώμενον, *frangitur*, scilicet propter species quæ franguntur, aut *frangitur*, id est frangetur paulo post in cruce. HOC FACITE. Ecce præceptum cœnam Domini conficiendi: sed videtur ad sacerdotes pertinere; soli enim erant Apostoli.

V. 25. POSTQUAM COENAVIT, scilicet post esum agni Eucharistiam confecit: sic facientes, mortem Domini annuntiabitis.

V. 26. DONEC VENIAT, nimirum usque ad secundum Christi adventum hoc iuge sacrificium perseverabit, postea Sacramenta non erunt.

V. 27. ITAQUE QUICUMQUE. *Itaque* videtur redundare: neque quod hic dicit, ex superioribus sequitur. INDIGNE ederit aut biberit, id est in peccato, REUS ERIT CORPORIS, perinde erit ac si occidisset Christum.

V. 28. PROBET AUTEM, excutiat conscientiam, expiet per confessionem peccata, alioqui reus erit.

V. 29. NON DIIUDICANS, id est discernens corpus Domini ab aliis cibis vulgaribus.

V. 30. IDEO INTER VOS .... DORMIUNT id est mortui sunt multi. Vides malum usum Eucharistiæ morbos & mortem afferre. Contra bonus usus. Si nos iudicaremus & probaremus,

V. 31. NON UTIQUE IUDICAREMUR, id est puniremur morte & morbis. Punitio salutaris est. Corripimur autem

V. 32. UT NON CUM HOC MUNDO, id est cum amatoribus mundi damnemur. Si quis esurit, domi manducet:

V. 34. UT NON IN IUDICIUM, id est in supplicium vertatur, secus fecisse quam præcipio.

MENOCHII.

Vers. 1. SICUT ET EGO CHRISTI: imitator sum.

V. 2. PER OMNIA MEI MEMORES ESTIS: meam doctrinam tenetis, præcepta, traditiones.

V. 3. OMNIS VIRI CAPUT CHRISTUS EST. Caput hic idem est quod Dominus, superior, rector. CAPUT VERO CHRISTI DEUS: Christi dominus, sive humanitatis Christi caput, & rector est Deus.

V. 4. PROPHETANS: sacris hymnis, aut Psalmis Deum laudans; sic propheta pro cantore sumitur I. Paral. XXV. 1. & I. Reg. X. 10. DETURPAT CAPUT SUUM; videtur enim dedecore affici Christus caput nostrum, cui tamquam supremo Sacerdoti, humanique generis apud Patrem patrono, caput aperiendum est, sive dum preces fundimus, sive alia quapiam sacra functione rei divinæ operam damus. Vel, per *caput suum*, intelligitur caput ipsius orantis, quod velari non decet, quasi erubescamus; quam rationem attingit Tertull. in Apologet. cap. XXX. *Illuc*, inquit, *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus.* MULIER DETURPAT CAPUT SUUM; quia facit contra naturalem honestatem, & verecundiam illi a Deo inditam.

V. 6.

V. 6. NAM SI NON VELATUR MULIER, TONDEATUR: quasi dicat, Si licet non velari, licebit & tonderi. DECALVARI: ξυρᾶσθαι, radi.

V. 7. IMAGO, ET GLORIA DEI: imago Dei gloriosa, in qua scilicet maxime elucet Dei maiestas, & imperium. MULIER AUTEM GLORIA VIRI; id est, mulier facta est ex viro ad viri gloriam, veluti eius imago, unde illi subiecta est, & in signum subiectionis velata.

V. 9. SED MULIER PROPTER VIRUM: ut esset viro in adiutorium ad vitæ societatem, & prolis propagationem.

V. 10. POTESTATEM: velamen, quod est signum potestatis viri in mulierem. PROPTER ANGELOS: ob reverentiam Angelorum quia mulieres Angelos testes habent honesti pudoris, aut impudentiæ: item obedientiæ, aut inobedientiæ suæ.

V. 11. NEQUE VIR SINE MULIERE, &c. alter enim alterius, utpote coniugis ope indiget. IN DOMINO, id est Domino ita volente, & disponente.

V. 12. MULIER: Eva. ITA ET VIR PER MULIEREM: concipitur, formatur, nascitur, propagatur. OMNIA AUTEM EX DEO: fiunt, ordinantur, & disponuntur.

V. 13. VOS IPSI IUDICATE; id est, in suo quisque animo æstimet quod dico. DECET MULIEREM, &c. quasi dicat, Minime.

V. 14. NEC IPSA NATURA DOCET VOS; scilicet decere mulierem non velatam orare, sed potius contrarium, scilicet id quod sequitur. SI COMAM NUTRIAT: ut mulieres faciunt. IGNOMINIA EST ILLI: quia effeminati animi est argumentum.

V. 16. SI QUIS AUTEM VIDETUR CONTENTIOSUS ESSE: φιλόνεικος, contendens non veritatis, sed gloriæ, & victoriæ studio, feminas Christianas velandas non esse cum in templo orant, sed pristinum Gentilium morem retinendum, ut scilicet sint aperto capite; quasi dicat, Cum huiusmodi contentioso pertinacius rixari nolim. NOS TALEM CONSUETUDINEM NON HABEMUS: nos certe, & Ecclesia Dei talem consuetudinem non habemus, ut mulieres orent aperto capite. Aliqui tamen, ut Chrysostomus, putant significare Paulum se alienum esse a contentionibus.

V. 17. HOC AUTEM PRAECIPIO, &c. quasi dicat: Hoc de velandis mulieribus ita præcipio, ut interim vos non laudem in eo quod sequitur, scilicet, *quod non in melius*, &c. QUOD NON IN MELIUS, SED IN DETERIUS CONVENITIS; id est, quod non ad utilitatem, & profectum spiritualem, sicut oportebat convenitis in Ecclesiam, sed magis ex vestris conventibus detrimentum creatur animabus.

V. 18. SCISSURAS ESSE INTER VOS: dissidia, Græce est σχίσματα.

V. 19. NAM OPORTET ET HAERESES ESSE: spectata nimirum inconstantia, superbia, & pronitate ad res novas. HAERESES: schismata, & sectas, tam in fide, quam in moribus. QUI PROBATI SUNT: qui probi, solidi, ac firmi sunt.

V. 20. IAM NON EST DOMINICAM COENAM MANDUCARE: dum rixis, & comessationibus locus est, non tam videmini cœnam Domini instituere, quam Martis, aut Bacchi.

V. 21. SUAM COENAM PRAESUMIT: Hoc est, sumit ante synaxim, nec pauperes expectat. Mos enim fuit illius ævi, ut ante sumptionem Eucharistiæ cœnam omnibus Christianis tam divitibus quam pauperibus communem instituerent, Christum imitantes, qui post cœnam agni, & communem, Eucharistiam instituit. Iam abusus irrepserat ut divites laute cœnarent, nec pauperes quos negligebant, expectarent. PRAESUMIT AD MANDUCANDUM: præsumit manducando. Italice diceremus, *Anticipa di mangiare*. ET ALIUS QUIDEM ESURIT: esuriebant pauperes, quod nihil attulissent, & a divitibus negligerentur. ALIUS AUTEM EBRIUS EST: divites nimirum, qui laute epulabantur, & se supra modum cibo replebant, & potu.

V. 22. NUMQUID DOMOS NON HABETIS, &c. quasi dicat: Si cœnam non vultis facere communem, sed privatam, cur in vestris domibus privatis potius non comederis? AUT ECCLESIAM DEI CONTEMNITIS? loco moderatæ refectioni, mutuæ caritati destinato abutentes, & in eo comessationi, & ebrietati vacantes. Vel, per Ecclesiam Dei, cœtum intelligit Christianorum, contra cuius reverentiam luxu illo epularum, & ebrietatis peccabatur. CONFUNDITIS EOS QUI NON HABENT: pudore afficitis pauperes, qui cibos non attulerunt, eo quod non habeant quod conferant.

V. 23. IN QUA NOCTE TRADEBATUR: a Iuda

PROPHETANS, id est prophetiam explicans, vel quidvis aliud de S. Scriptura, Psalmis, aut hymnis prælegens vel decantans *b*, VELATO CAPITE, DETURPAT, id est dedecore afficit, CAPUT SUUM: quia dignitate præcellentiæ suæ videtur se velle privare, & se alteri subiectum fateri, & coram præsentibus erubescere, ut Tertullianus *c* ait. Loquitur Apostolus secundum opinionem tunc in Ecclesia receptam. Nam hodie contrario ritu signum esset subiectionis si quis in publico verba faciens, aperto capite loqueretur.

V. 5. OMNIS AUTEM MULIER in publico ORANS AUT PROPHETANS (nam præeuntibus viris, etiam mulieres concinebant sacros hymnos & psalmos:) si id faciat NON VELATO CAPITE, DETURPAT CAPUT SUUM, quia facit contra naturalem honestatem & verecundiam illi inditam a Deo: & videri vult non subiecta, cum subiaceat viro. *Unum enim*, seu perinde & æque turpe illi hoc EST, AC SI DECALVETUR.

V. 6. SI NON VELATUR, TONDEATUR; Græce, *etiam tondeatur*: neque enim maior tunc, sed solum par turpitudo illi erit. Petunt Novantes: Cur ergo Religiosæ tondentur in monasteriis? Respondeo, Ut ostendant, se non esse iam sub potestate viri; seque omnem sæculi ornatum deponere, & uni deinceps Christo placere velle, inquit S. Hieron. *d* Sed pro coma habent sacrum velum, quo sar velantur. At Concilium Gangrense *e* vetat, religionis prætextu virgines tonderi. Respondeo, Non Religiosis, sed sæcularibus feminis id vetat, quæ refecta coma virilem habitum assumebant; ut Sozomenus & alii apud Baronium *f* testantur.

V. 7. VIR EST IMAGO ET GLORIA *g*, id est gloriosa imago, potius DEI, in qua maxime relucet Dei gloria, maiestas & imperium: est enim vir in supremo rerum statu constitutus in hoc mundo, velut vicarius Dei, immo velut secundarius aliquis Deus dominans omnibus aliis creaturis. MULIER AUTEM etiam GLORIA EST VIRI, id est ad viri gloriam ex viro procreata, velut imago ipsius. Unde sequitur, velandam mulierem, non autem virum, quia gloria Dei revelanda ac manifestanda est, gloria hominis occultanda.

V. 10. IDEO DEBET MULIER SUPRA CAPUT suum HABERE POTESTATEM, id est signum seu symbolum potestatis *h* viri in mulierem, pura velamen, quod testimonium *insigne* est subiectionis mulierum, ut vocat S. Chrysost. Sicut enim caput nudum & liberum, potestatis indicium est & dominii; ita caput velatum, signum est potestatis constrictæ & alteri astrictæ & subiectæ. Et ab hoc velamine dicuntur *nubere* mulieres, id est caput obnubere, seu velare, cum in viri potestatem transeunt. Contra in viro *pileus* iam ab antiquo liberæ conditionis insigne fuit, teste Livio *i*. Unde, *ad pileum vocare*, est ad libertatem provocare. Iubet vero Paulus velari mulieres in ecclesia PROPTER ANGELOS ubique assistentes, pudoris aut impudentiæ ipsarum testes & accusatores, inquit S. Chrysost. Theophyl. Theodoret. Anselmus & S. Thomas: qui duo posteriores cum S. Ambrosio per *angelos* etiam sacerdotes & Episcopos (ex Apocalyp. 11. & aliis Scripturæ locis,) Clemens Alexandrinus k quosvis viros bonos intelligit: nempe, ne non velatæ mulieres sua forma & lubricitate, eos ad turpia provocent. Unde idem Clemens vult hic præcipi, ut non solum caput seu verticem, sed & frontem, oculos, totumque vultum velamine obumbrent, ut videmus honestiores etiamnum in templis facere, & faciendum monent Tertull. & Cyprianus *l*.

V. 11. VERUMTAMEN hæc quæ dixi de subiectione mulieris erga virum, nolim præiudicare caritati & observantiæ quam viri debent mulieribus: nam sicut MULIER *non* prodiit in mundum SINE VIRO, ita NEQUE VIR SINE MULIERE nascitur, IN DOMINO, id est Deo sic volente ac disponente, ut explicat vers. sequenti.

V. 14. NEC IPSA NATURA DOCET VOS, supple, quod præcedit, nempe, decere mulierem non velatam orare, sed potius eius contrarium. Græca, Syriaca, & quædam Latina clarius per interrogationem hæc legunt, *Non ipsa natura docet vos*, QUOD VIR SI COMAM longam & promissam, more mulierum, NUTRIAT, IGNOMINIA EST ILLI? quia mollis & effeminati animi argumentum est. Non insinuat Paulus, præceptum esse, vel obligationem naturalem, sed solum quid natura dictet honestum & decens esse, & hoc vult a Corinthiis observari.

V. 16. SI QUIS AUTEM VIDETUR CON-

ficium & commemoratio sacrificii, ut patet in sacrificiis veteris legis, v. g. in agno paschali, agno matutino & vesperti no *t*, qui quotidie immolabatur, & tot aliis cruentis victimis, quæ erant proprie dicta sacrificia, & tamen repræsentabant sacrificium crucis Christi olim offerendum. Ergo pari modo nostra Eucharistia, etsi repræsentet ac commemoret idem sacrificium crucis Christi iam oblatum & cruente peractum, est nihil ominus in se verum ac proprie dictum sacrificium, sed incruentum: ita SS. Patres & DD. quos vide apud Coccium, Suarez & Bellarminum *u*.

V. 26. QUOTIESCUMQUE ENIM MANDUCABITIS PANEM HUNC Eucharisticum, MORTEM DOMINI ANNUNTIABITIS; tum verbo revocantes illam in memoriam, ut vertit Syrus (& hoc fit in Canone Missæ dum dicitur: *Unde & nos memores tam beatæ passionis*, &c.) tum potius facto ipso, nempe ritibus Missæ & ceremoniis mortem Domini repræsentantibus: ita Ambros. Theophyl. Ansel. Idque facietis *donec veniat* Christus gloriosus ad iudicium universale. Unde S. Hippolytus, Chrysost. & alii Patres docent, Eucharistiæ sacrificium perpetuo duraturum in mundo usque ad secundum Christi adventum. Impediet quidem Antichristus ne publice celebretur *x*, sed impedire non poterit ne privatim id fiat in locis occultis.

V. 27. QUI INDIGNE MANDUCAVERIT, REUS ERIT CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI violati, & indigne sumpti ac tractati, uti (proportione quadam) a Iuda & Iudæis tractatum fuit, inquit Photius, Chysost. S. Basilius & Ambrosius *y*, qui addit, *hoc peccato conculcari corpus Domini*.

V. 28. PROBET AUTEM, id est examinet, SEIPSUM HOMO, seu unusquisque, an digne sit dispositus ad tanta mysteria. Et si quid deprehenderit quod impediat, puta peccatum aliquod mortale, expellat illud & expurget, non sola contritione, sed insuper etiam confessione sacramentali. Hanc enim ex Christi institutione, & consequenter iure divino S. Paulum hic requirere pro peccatis mortalibus docet Tridentinum, & tot ante Tridentinum sæculis S. Cyprian. z Chrysost. Ambros. Leo *aa* & alii Patres.

V. 29. QUI ENIM MANDUCAT INDIGNE, IUDICIUM, id est condemnationem (inquit Chrysost.) SIBI MANDUCAT, NON DIIUDICANS, id est non discernens, CORPUS DOMINI ab aliis cibis profanis communibus & indifferentibus: ita Photius, Anselm. & alii: *Neque enim* (ut ait S. Iustinus) *Eucharistiam ut communem cibum sumimus, sed credimus, quod sicuti per verbum Dei, Dei Filius factus est homo, ita per verba consecrationis in Eucharistia fiat & sit caro & sanguis Christi*.

V. 30. IDEO, quia indigne sumitis, v. g. ebrii, superbi, contemptores pauperum *bb*, &c. MULTI sunt INFIRMI INTER VOS, ET præmature DORMIUNT, id est moriuntur, MULTI, inquit Chrysost. & Anselmus. Multos multis aliis pœnis ob id mulctatos docent variis exemplis S. Cyprian. Chrysost. & Anselmus: qui addit, id a Paschate maxime deprehendi, cum ob in- digne sumptum corpus Domini videmus varios variis morbis præter solitum affligi, subinde & extingui. In quo elucet quoque divina misericordia, & cura de nobis.

V. 32. DUM enim in præsenti vita per morbos vel mortem IUDICAMUR, id est punimur, hac via CORRIPIMUR A DOMINO, sicut filii a parente, ut tali castigatione resipiscamus & pœniteamus de data causa, ut non damnemur æternum CUM HOC MUNDO, id est cum infidelibus & aliis obstinatis peccatoribus huius mundi. Possetne quis pro veritate corporis Christi in Eucharistia vel certiora argumenta, vel clariora verba deposcere, quam S. Paulus hoc capite nobis suppetit? Quid, quæso, traditum pro nobis in cruce? nonne verum corpus Christi? Quomodo teneor discernere hic corpus Christi a vulgari pane, si hic non verum adest corpus Christi, sed tantum panis vulgaris? Quomodo reus ero corporis Christi indigne sumpti, si non corpus, sed solam figuram corporis indigne sumam? Quid opus tanta probatione ut frustulum vulgaris panis sumam vel haustum vini? Quare denique iudicium mihi manduco, morbis vel morte punior ob sumptum indigne hunc panem vel vinum, potius quam ob sumptum indigne panem vel vinum mensæ meæ, quæ & ipsa possum sumere in commemorationem mortis Christi? Nam quod Calvinus ait ideo me reum fidei corporis Domini, quod illud indigne tractem, non se, sed in sua imagine ac figura; non credo ex animi

 sen-

ſententia, ſed ioci cauſa ab illo dictum: nam ut ſileam id nullo modo ſufficere, (ut patet ex indigne ſumptis olim victimis legalibus, quæ longe clariores erant figuræ & imagines Chriſti;) ſuomet Calvinum iugulabo gladio: nam mox inferam, pari modo Calvinum eiuſque ſequaces iconoclaſtas reos eſſe violati corporis Chriſti, quoties alias Chriſti imagines violant, temerant, contemnunt. Atque ita *incidet in Scyllam, cupiens vitare Charybdim*.

(a) Hic verſ. 10.
(b) Reg. x. 10. & I. Par. xxv. 1. & Prolegom. de Idiotiſm. Hebr. num. 11.
(c) Tertull. in Apolog. cap. xxx.
(d) Hieron. epiſt. xlviii. ad Sabinianum.
(e) Conc. Gangreſe can. xvii.
(f) Sozom. Lib. III. cap. xiii. Baron. anno Chriſti 390.
(g) Proleg. ſup. n. 41.
(h) Gen. iii. 16.
(i) Livius in fine Lib. XLIV.
(k) Clemen. ii. Pædagogi cap. x. & Lib. II. Hypotypoſ.
(l) Tertull. & Cypr. libris de Velandis virginibus.
(m) Teſte Homero, qui paſſim illos vocat crinitos.
(n) Præfat. in epiſtolam ad Corinth.
(o) Plin. Lib. VII. cap. 12.
(p) Tertull. de Corona militis cap. iv. & de velandis virginib. cap. 11. 17. &c. Clem. Lib. II. Pædagogi cap. x. Valer. Max. Lib. III. cap. iii.
(q) Tertull. Apologetic. cap. xxxix. Chryſoſt. in morali ſub finem hom. xxvii.
(r) Sozom. Lib. VII. hiſt. cap. xxix.
(ſ) Matth. xxvi. & Lucæ xxii.
(t) Iodoc. Coccius in Theſauro. Suarez de Sacrif. Euchariſt. Bellar. Lib. I. de Miſſa cap. vi. & xii. &c.
(x) Dan. xii. 11.
(y) Baſil. Ser. ii. de Baptiſmo. cap. iii. Ambroſ. in cap. x. ad Hebræos.
(z) Trid. ſeſſ. xiii. can. vii. Cypr. Serm. de lapſis.
(aa) Leo epiſt. xci. ad Theodor. Foroiulienſem.
(bb) Hic ver. 20. 21. &c.

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. Dicturus Paulus de reprehenſione, orditur a laude. Laudat autem quod memores ſint Pauli, & inſuper mandatorum quæ tradidit Corinthiis: quod eſt etiam hortari, ut eadem monita & traditiones bene retineant. Ergo ante hanc primam ad Corinthios Epiſtolam, aliqua de moribus & doctrina tradidit (ut habet verſ. 23.) quæ non erant ſcripta. Cæci ſunt Novatores ſub Calvino, ſi non vident hic probari a Paulo traditiones, traditamque doctrinam, quamvis ſcripta non ſit. An non tenebantur Corinthii ſervare hæc tradita verſ. 23. antequam ſcripto mandarentur? Plura in hunc locum Patres.

V. 3. Volo autem vos scire. Aggreditur quæſtionem, de velandis mulieribus. Prima ratio eſt talis; ſicut Deus eſt caput Chriſti hominis, ita Chriſtus viri caput eſt, decetque virum orantem eſſe aperto capite in honorem ſui capitis Chriſti. Ergo e contrario mulier orare debet operto capite, quia in publico, ut mox oſtendet, aliter ſe habet ad Deum vir, aliter ad virum mulier. Et hæc prima ratio eſt pro velandis mulieribus: nec mirum eſt Paulum urgere, ut ita fiat; quoniam Corinthi erant mulieres ad luxum & cultum Veneris revelato capite pronæ. Lege Strabonem Lib. VIII.

V. 4. & 5. Omnis vir orans. Alia ratio eſt, quia utile, honeſtum & decorum eſt viro ſic eſſe: contra vero mulieri turpe eſt: honeſtas & pudor mulieris poſtulat, ut velet caput: τὸ prophetans, hoc loco eſt hymnis & pſalmis Deum laudare etiam in publico conventu. Propheta ſic pro cantore ſumitur I. Paral. xxv. 1. Et tam eſt illud turpe, inquit, ac ſi tonderetur.

V. 7. 8. & 9. Vir quidem. Vir eſt gloria Dei, ſeu inter res creatas vel maxime in viro qui eſt Dei imago, relucet gloria Dei, & ſummum acceptum a Deo creationis beneficium debet vir profiteri palam. In huius rei ſignum oret revelato capite. Mulier contra ſubeſt viro: in ſignum huius ſubiectionis acceptæ orabit velato capite. Eſt quidem illa viri gloria, nempe ornamentum & adiutorium, ſed ita tamen ut ſit ſubiecta, & id ipſum orans profiteri debet.

V. 10. Ideo debet mulier. Ergo debet, poteſtatem (quæ viro data eſt) ſeu velamen illam ſubiectionem ſignificans, habere ſuper caput: ſignum eſt enim poteſtatis in mulierem. Sed quorſum hoc fiet propter Angelos? Nimirum ut Angelos puritatis amatores habeant teſtes pudoris, ſubiectionis illius, & obedientiæ.

V. 11. Verumtamen. Hanc veluti parentheſin refert ad verſum nonum: ita enim eſt mulier ſubdita viro, ut alter alterius ope indigeat, nec debeat vir ſuperbire, aut abuti hac poteſtate.

V. 13. Vos ipsi iudicate. Iam velut in hac quæſtione ſuperior relinquit rem iu-

dicio Corinthiorum, & naturali rationi: præsertim cum natura dederit mulieri comam pro velamine. Si quis, inquit, adhuc in hac quæstione videtur esse φιλόνεικος, sciat hanc esse iam consuetudinem Ecclesiæ, ut mulier sit velata: alii explicant non esse morem Ecclesiæ ut sit contentiosa.

V. 17. Altera pars capitis est, ubi reprehenditur abusus, quod in agape seu cœna communi divites excludant pauperes, & seorsim quisque cum suis vacet ebrietati: mox de Eucharistia vers. 23. Sic rem orditur. Ita, inquit, præcipio velandas esse mulieres, ut non laudem quod agitis in agape: non convenitis IN MELIUS, seu ad utilitatem & pietatem, sed ad dissidia & gulam.

V. 19. OPORTET. Video, inquit, necessitate quadam contingere hæreses & schismata, *quando tam* depravatis moribus, & propensione ad res novas venitur. Unde hoc demum efficitur, ut qui probati sunt, manifesti sint: & cognoscatur qui sint boni & constantes in probitate.

V. 20. CONVENIENTIBUS. Dum convenitis ad Eucharistiam, iam non est vobis illa cœna Domini, ut oporteret fieri]; sed vestram instituitis impuram, &c. Solebant Christiani initio ad imitationem Christi post cœnam omnibus communem sumere Eucharistiam: nec hunc morem taxat hic Paulus, sed eos abusus, quos hic subinde vers. 21. & 22. notat. Illa vero cœna communis quæ agape dicebatur, (quam imperabat caritas) temporibus insequentibus sublata est a Concilio Laodiceno cap. XXVIII. immo tempore Tertulliani a ieiunis sumebatur Eucharistia.

V. 23. EGO ENIM ACCEPI A DOMINO. Infert hic Apostolus mentionem de Eucharistia, eiusque institutione sacra & dignitate, ut inde reprehendat tum abusum in agapis, tum indignam huius sacramenti sumptionem cum nulla pia præparatione: hinc illa infert vers. 28. *Probet seipsum homo;* & vers. 27. qui indigne accedit, *reus est corporis & sanguinis Domini;* & vers. 29. *Iudicium sibi manducat & bibit.* Et quod plurimum vexat Novatores, *non diiudicans corpus Domini.* Non dixit Apostolus, non diiudicans figuram corporis; immo quod nolunt advertere, totam refert institutionem huius mysterii, & ne in ulla eius parte significavit esse metonymiam aut tropum. Sed de hoc suo loco ex professo actum est.

V. 24. GRATIAS AGENS FREGIT ET DIXIT, &c. Observant hic Patres & posteriores Theologi in hac institutione varias Christi actiones, quas hic etiam reponit Paulus. Accipiens, inquit, panem 1. gratias egit, 2. benedixit, 3. dedit discipulis, & dum daret, dixit; Accipite & manducate; hoc est corpus meum. Hæc itaque verba sunt tam dantis, quam consecrantis. Quæ verba (ut repellatur corruptor Calvinus) respiciunt quidem panem, non tamen qui remanebat panis, sed qui vi verborum & consecratione convertebatur in corpus Christi. De ordine harum actionum dixi cap. x. vers. 16. ex Trident. sess. XIII. & quid senserit S. Thomas. Iam satis indicatum est, qua relatione singulæ actiones panem respiciant. Non est hic locus prolixius dicendi de veritate hac Catholica. Solum videat Calvinus interrogandus in die iudicii, cur suo iudicio potius quam apertis Christi verbis crediderit, quid, inquam, sit responsurus.

V. 27. & 28. Qui ergo indigne accedit, reus est corporis Domini, nimirum sumpti indigne & male tractati, ut fecerunt suo modo Iudæi. Certe qui nudum signum indigne accipit, non fit corporis reus: utrinque hic urgetur Calvinus: si enim indigne accedens est reus corporis, quia est verum corpus, erit hæreticus Calvinus: si vero tantum quia indigne tractat figuram aut imaginem Christi, an non ipse fit Iconoclasta, dum frangit, & frangendas docet imagines.

Quod sequitur vers. 28. de probatione, explicat discussionem conscientiæ & purgationem debitam, quæ fit ne indignus quis accedat. Alioqui ob peccatum quo est indignus, & contemptum tanti mysterii, iudicium sibi manducat & bibit. De hac probatione lege Leonem Epist. XCI. ad Teodorum, & Trident. sess. XIII. can. VII.

V. 33. & 34. Vetus erat consuetudo Ecclesiæ, ut communicaturi die synaxeos, ieiunarent usque ad vesperam (ut hinc etiam colligi videtur) & cum omnes convenissent, dabatur cœna communis honesta, atque agape, ac demum ex imitatione Christi, succedebat suo loco Eucharistia. Cetera hic clara sunt.

CA-

phetæ? numquid omnes Doctores? 30. numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur. 31. Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

(a) Marc. xx. 19. (b) Rom. xii. 6. Eph. iv. 6. (c) Ephes. iv. 11.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

Vers. 13. *Omnes nos in unum corpus baptizati sumus*. Non omittas nomen *corpus*, quod multi.

Lectionum Varietas.

Vers. 28. *Genera linguarum, interpretationum*. Multi veteris omittunt τὸ *interpretationem*, Græco suffragante.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. Euntes; pro ibatis. Græce ἀπαγόμενοι, id est *abducebamini*; frequens est enim Græcis & Hebræis maxime participium pro verbo.

V. 3. Anathema Iesu; id est, nemo spiritum Dei habens Iesu maledicit. Dicere, id est bene ex domino Iesu sentire.

V. 5. Ministrationum, inter quas est apostolatus, iniunctio baptizandi, & eleemosynas colligendi, ceteraque officia ecclesiastica.

V. 6. Operationum, bonarum scilicet actionum.

V. 7. Manifestatio: collatio doni alicuius spiritualis, sed visibilis, quod esset argumentum invisibilis spiritus accepti.

V. 8. Sermo sapientiae. Sapientiam dixit esse August. per quam in se divina cognoscimus & contemplamur: scientiam qua per bonas actiones ad Deum tendimus: sermo autem sapientiæ & scientiæ virtus est expedite effandi & prompte explicandi quod noveris, tum in sapientia, tum in scientia. Græci interpretantur sermonem sapientiæ de rebus arduis, scientiam de inferioribus.

V. 9. Alteri fides. Fides hic non pro dono credendi, sed pro constanti in Deum fiducia: quippe quæ montes transferre possit. Sanitatum, id est morbos sanandi & curandi.

V. 10. Operatio virtutum, id est signorum & miraculorum, Chrysost. interpretatur vim etiam solo verbo animadvertendi in peccatores. Prophetia, id est prævisio & præcognitio futurorum: potest & sumi pro scripturarum cognitione infusa. Discretio spirituum: qua dignosci poterat quo quis spiritu loqueretur, invidentiæ an caritatis, vel ad discernendum quis verus propheta, & quis falsus. Genera linguarum, id est variarum linguarum cognitio, & interpretatio sermonum, id est facultas peregrinas linguas interpretandi.

V. 12. Ita Christus, sub. in ecclesia unum corpus est multis membris constans, vel unum corpus habet, scilicet ecclesiam.

V. 13. In unum corpus: corpus scilicet Christi, cui per baptismum incorporamur, vel in unum corpus, id est unitatem ecclesiæ. Uno spiritu potati, id est eumdem spiritum accepimus.

V. 4. Nam corpus. Metaphora corporis naturalis docet vitanda esse in corpore mystico ecclesiæ schismata, neque perfectiores oportere ob accepta dona adversus infirmiores insolescere: sicut membra corporis non invicem tumultuantur, sed consentiunt, suo quodque fungens officio: inter quæ debiliora plerumque magis necessaria, ut oculus, & viliora honestiori tegumento velantur quum facies pateat: sic plerumque in Ecclesia qui debiles sunt & utiles, magno sunt usui: unde supportare invicem oportet.

V. 22. Quae videntur. Ad eorum consolationem qui imperfectiores erant mi-

nora-

noraque dona acceperant, ait, quod membra corporis naturalis quæ videntur infirmiora esse, magis sunt necessaria, qualis oculus, quo nihil imbecillius, utpote qui nihil sine læsione admittat; & nihil magis necessarium; ita quæ ignobiliora putamus, ut pedes & cetera, iis honorem abundantiorem tribuimus sollicite tegendo. Sicut ergo in corpore membra quæ abiectiora & infirmiora videntur, ea natura aliis dotibus & abundantiori honore instruxit; sic in corpore Christi mystico, qui minora dona spiritus sancti acceperunt visibilia, eis plerumque Deus maiorem largitus est, sed invisibilem gratiam. Adverte autem, quia non dixit membra infirmiora & inhonesta, quæ simul cum aliis condidit dominus, sed quod talia videntur & existimantur a nobis.

V. 27. MEMBRA DE MEMBRO, id est membra invicem connexa & dependentia. Quidam Græci legunt ἐκ μέλους, id est, *de membro*, alii ἐκ μέρους, id est *ex parte*, quod nondum omnes essent membra Christi, vel ut Græci aiunt, quod non soli essent membra.

V. 28. VIRTUTES, id est quod ante vocavit operationes virtutum. OPITULATIONES, Græci interpretantur gratiam qua infirmorum curam habebant, non qua eos sanarent, sed curam illorum susciperent, & similiter interpretantur gubernationes.

V. 31. AEMULAMINI CHARISMATA, id est sectamini dona potiora.

S A

Vers. 1. SPIRITUALIBUS, scilicet donis.
V. 2. SCITIS, &c. quasi dicat, Primum gratiam Dei agnoscite, qua estis ab idolorum cultu liberati.

V. 3. IDEO, &c. quasi dicat: Illud etiam cogitate, neminem sine Dei gratia posse Christum confiteri. NEMO; pro, sicut nemo. DICIT ANATHEMA; pro, anathematizat, id est execratur, seu maledicit. IESU. Græc. *Iesum*. ET NEMO; pro, sic nemo. DICERE, &c. id est confiteri, ut par est, *Iesum* Deum esse. IN SPIRITU SANCTO, id est per gratiam Spiritus sancti.

V. 4. DIVISIONES, id est discrimina.

V. 5. MINISTRATIONUM, id est ministeriorum.

V. 7. UTILITATEM, scilicet Ecclesiæ.

V. 8. SPIRITUM, scilicet sanctum. SAPIENTIAE, scilicet divina explicandi facultas. SCIENTIAE, scilicet dirigendi humana. SECUNDUM; pro, per.

V. 9. FIDES, scilicet excellens. IN EODEM; pro, eumdem. SANITATUM, id est sanandi. UNO; pro eodem.

V. 10. VIRTUTUM, id est miraculorum. SERMONUM, id est linguarum.

V. 12. CHRISTUS, id est Christi Ecclesia.

V. 13. IN UNO; pro, eodem. IN UNUM, id est unum simus. POTATI; quasi dicat, Unum spiritum hausimus.

V. 22. SED MULTO MAGIS; pro, imo potius.

V. 23. CIRCUMDAMUS, scilicet diligentius operientes. INHONESTA, id est indecora, scilicet pudenda. NOSTRA; pro, in nobis. HONESTATEM, scilicet dum teguntur.

V. 24. NULLIUS, scilicet eiusmodi. TEMPERAVIT; pro, contemperavit. DEERAT, scilicet decor. HONOREM, scilicet dum voluit tegi diligentius, & custodiri.

V. 25. SCHISMA, id est dissidium. IDIPSUM, id est pariter, seu æque.

V. 26. ET SI; pro, itaque si. GLORIATUR; pro, honoratur. Syr. *exultat*.

V. 27. DE MEMBRO. Græc. *ex parte*; quasi dicat; Quisque in parte sua, seu loco.

V. 28. PROPHETAS, scilicet vaticinantes, vel prædicantes. VIRTUTES, id est operantes miracula. OPITULATIONES. Syr. *adiutores*, scilicet rerum spiritualium. GUBERNATIONES, id est gubernatores, seu rectores.

V. 31. AEMULAMINI, id est studiose sectamini, seu expetite. MELIORA, id est potiora. ET ADHUC, &c. quasi dicat, Cuiusmodi est id de quo statim dicam. VIAM, scilicet ad salutem.

MARIANAE.

Vers. 1. DE SPIRITUALIBUS AUTEM, scilicet donis. Illis quidam abutebantur, ideo arguit eos. Cum Gentiles eratis,

V. 2. PROUT DUCEBAMINI; quasi pecudes scilicet. EUNTES; pro, ibatis ad idola, participium pro verbo; quasi dicat: De eo tempore non ago, sed de consequenti, quo spiritu ducimini.

V. 3. NEMO .... DICIT ANATHEMA IESU; quasi dicat: Si quis Christo maledicit,

cit, id facit, quod sit spiritu destitutus; si quis eum benedicit, ex Spiritu sancto habet.

V. 5. ET DIVISIONES MINISTRATIONUM SUNT, id est ministrorum. Varii sunt ministri; quasi dicat, Hic unus spiritus in se varias operationes facit.

V. 7. AD UTILITATEM datur spiritus, ut Evangelium promoveatur, spiritus prorumpit, & se manifestat per operationes quas in unoquoque ministrorum facit.

V. 8. SERMO SAPIENTIAE alii datur, id est datur ut loquatur de rebus divinis & arduis. De iis sapientia est: alii, ut loquatur de humanis, de quibus scientia est.

V. 10. ALII OPERATIO VIRTUTUM, id est ut miracula faciat: ALII PROPHETIA, sive ut enuntiet futura & occulta, sive ut Scripturas interpretetur: id etiam prophetare est. ALII INTERPRETATIO, id est facultas peregrinas linguas interpretandi datur alii.

V. 12. ITA ET CHRISTUS in uno Ecclesiæ corpore multa membra habet.

V. 13. IN UNO SPIRITU POTATI SUMUS, id est eumdem Spiritum accepimus. SIVE SERVI, SIVE LIBERI. Sic Græc. Syr. *sive servi*, *sive ingenui*.

V. 13. QUONIAM NON SUM MANUS. Docet ministros non debere inter se invidere, neque detrahere.

V. 23. IGNOBILIORA, ut pedes. INHONESTA. Augustinus IV. contra Iulian. cap XVI. & II. Retract. cap. VII. per *inhonesta*, verenda intelligit, intelligunt alii. EA ABUNDANTIOREM HONESTATEM HABENT; id est, ea diligentissime tegimus, atque ita, ut cum totum corpus nudamus, illa perizomate tegamus, ut ait Theophylactus.

V. 25. SED IDIPSUM. Syr. *æque unum pro alio* solicita sunt membra. Aut idipsum curant omnia membra, & ad eumdem scopum tendunt.

V. 26. SIVE GLORIATUR UNUM. Syr. *exultat*, lætatur, congaudent alia membra.

V. 27. MEMBRA DE MEMBRO vos estis, id est inter se cohærentia & connexa. Quidam Græci codices habent ἐκ μέλους, id est *de membro*, sic noster legit. Alii ἐκ μέρους, id est *ex parte*, id est partialia partes corporis estis. Syr. *membra in loco vestro*, id est quodque in sua functione, id est ex parte.

V. 31. AEMULAMINI AUTEM CHARISMATA, id est potiora & meliora contendite: quisque scilicet in sua functione. Aut, ut habeatis meliora dona & sublimiora curate.

MENOCHII.

Vers. 1. DE SPIRITUALIBUS: donis, scilicet Spiritus sancti.

V. 2. CUM GENTES ESSETIS; cum essetis Gentiles, & idololatræ. PROUT DUCEBAMINI EUNTES: ibatis, ut ducebamini a consuetudine, institutione maiorum, & sacrificulorum, atque a dæmonis impulsu.

V. 3. IN SPIRITU DEI LOQUENS, id est per Spiritum Dei. DICIT ANATHEMA IESU: Iesum execratur; Iesum maledicit, sed potius qui Spiritu Dei ducitur, Iesum agnoscit, & invocat, quasi auctorem gratiæ, salutis, & omnium donorum spiritualium. DICERE, DOMINUS IESUS, id est agnoscere, credere, invocare, & prædicare nomen Domini Iesu, eiusque fidem profiteri, eo scilicet modo, quo oportet, & ut proficuum est ad salutem. NISI IN SPIRITU SANCTO: nisi per Spiritum sanctum; quasi dicat: Hæc dona adeo non sunt vestra, sed Spiritus S. ut nec Iesum agnoscere, nec invocare ex vobismetipsis possitis; sed agnitio hæc, & invocatio sit Spiritus sancti donum.

V. 4. DIVISIONES VERO GRATIARUM SUNT; gratiæ divisæ sunt in Ecclesia, hæc uni, illa alteri datur, & dividitur.

V. 5. MINISTRATIONUM: διακονιῶν, *ministeriorum*, quæ scilicet varie distributa sunt in Ecclesia. IDEM AUTEM DOMINUS; scilicet Iesus Christus, a quo, ut Deo, & per quem, ut hominem, illa omnia conferuntur.

V. 6. DIVISIONES OPERATIONUM: facultatem intelligit operandi, quæ ad ædificationem spectant Ecclesiæ, & quæ etiam vim naturæ superant, cuiusmodi sunt miracula. IDEM VERO DEUS QUI OPERATUR &c. ὁ ἐνεργῶν, quod Hilarius VIII de Trinitat. vertit, *Inoperatur*: significat Apostolus hoc verbo intimam præsentiam, vim & efficaciam, qua Deus intime omnia operatur, maxime miracula, & dona gratuita.

V. 7. MANIFESTATIO SPIRITUS: aliquod huiusmodi donorum, per quod manifestatur eum accepisse Spiritum sanctum. AD UTI-

LITATEM: non propriam, sed totius Ecclesiæ.

V. 8. SERMO SAPIENTIAE: facultas, scilicet explicandi sapientiam, id est altissima mysteria Trinitatis, incarnationis, prædestinationis, &c. ut explicat infra cap. XIII. 2. Donum quo altissimas rerum causas, maximeque abditas, atque a nostris sensibus remotissimas rimatur. SERMO SCIENTIAE: scientiæ donum ad humanam, civilemque vitam bene instituendam. Alii scientiam intelligunt, qua res fidei per exempla, comparationes, rationes humanas, & philosophicas explicantur. SECUNDUM EUMDEM SPIRITUM: opera eiusdem Spiritus.

V. 9. FIDES, id est magna intelligentia mysteriorum fidei ad ea contemplanda, & explicanda. GRATIA SANITATUM: donum curandi languores, & ægritudines corporales.

V. 10. OPERATIO VIRTUTUM, id est miraculorum. PROPHETIA: donum futura prædicendi, vel scripturas, præsertim propheticas explicandi. DISCRETIO SPIRITUUM, cogitationum scilicet, & intentionum cordis, & consequenter actionum, & sermonum, ut sciat an a natura, an a dæmonis, an a Dei, vel Angeli spiritu, & instinctu proficiscantur. GENERA LINGUARUM, id est donum loquendi variis linguis. INTERPRETATIO SERMONUM, obscuriorum, maxime sacræ Scripturæ.

V. 12. SICUT ENIM CORPUS: naturale, & animale, puta hominis. ITA ET CHRISTUS; unum, scilicet corpus habet, nimirum Ecclesiam, cuius varia sunt membra, & ipse est caput.

V. 13. ETENIM IN UNO SPIRITU: per unum, eumdemque Spiritum sanctum. IN UNUM CORPUS: Christi mysticum, quod est Ecclesia, & consequenter in ipsum Christum. BAPTIZATI SUMUS: Baptismo insiti sumus. POTATI SUMUS: in calice Eucharistiæ unum Christi Spiritum cum sanguine hausimus.

V. 14. NAM ET CORPUS NON EST UNUM MEMBRUM; quasi dicat: Porro *corpus* cum dico, non unum dumtaxat membrorum intelligo, sed unum quidpiam ex multis membris compactum, & coagmentatum.

V. 15. SI DIXERIT PES, &c. Insinuat Apostolus querelas fuisse inter Corinthios propter donorum, & mysteriorum disparitatem.

V. 18. POSUIT: collocavit, & propriam functionem attribuit.

V. 19. UBI CORPUS? quod nimirum conflatur ex diversitate membrorum.

V. 22. MEMBRA CORPORIS INFIRMIORA: ventrem intelligit, & quæ ventre continentur.

V. 23. IGNOBILIA MEMBRA: pedes intelligit Chrysostomus. Vel per ignobiliora membra ea intelliguntur, quæ hoc eodem versu vocat, *inhonesta*. HIS HONOREM ABUNDANTIOREM CIRCUMDAMUS: maiori studio regimus, diligentius, & elegantius vestimus, crepidis, aut calceis ingeniose elaboratis. INHONESTA: verenda. ABUNDANTIOREM HONESTATEM HABENT: diligentius tegimus, & vestimus, ut etiam si quis toto corpore nudus sit, hæc tamen membra nudari non patiatur.

V. 24. HONESTA AUTEM NOSTRA: oculi, facies, manus, &c quæ sunt membra honestiora, & nobiliora corporis. NULLIUS EGENT: quia per se satis decoris, & honoris habent. TEMPERAVIT CORPUS: ita distributionem membrorum, & horum conditionem temperavit, (Italice diceremus, *Ha bilanciato, e contrapesato*,) ut quod ignobilius erat, maiorem honorem sortiretur. EI CUI DEERAT: τῷ ὑστεροῦντι, iis membris, quæ aliis erant ignobiliora; quibus multum deerat ad aliorum membrorum nobilitatem. ABUNDANTIOREM HONOREM; scilicet, curam, & ornatum.

V. 25. PRO INVICEM SOLICITA SINT MEMBRA; mutuum sibi auxilium præbendo.

V. 26. GLORIATUR: δοξάζεται, *gloria afficitur*.

V. 27. VOS AUTEM, id est Ecclesia, in qua velim omnia quæ de corpore naturali dixi per similitudinem intelligi, & compleri. ESTIS MEMBRA DE MEMBRO, id est membra membrorum, commembra, compartes eiusdem corporis mystici, scilicet Ecclesiæ.

V. 28. PRIMUM APOSTOLOS: qui sunt quasi corporis huius caput. SECUNDO PROPHETAS: qui sunt quasi oculi, occulta, & futura prævidentes. TERTIO DOCTORES: qui quasi linguæ instar habent. DEINDE VIRTUTES: δυνάμεις, *potestates*; hoc est, miraculorum operatores, (ponitur enim hic, ut etiam in sequentibus, abstractum pro concreto)

to) hi sunt quasi manus Ecclesiæ. GRATIAS CURATIONUM : curatores scilicet morborum. OPITULATIONES : qui aliis opitulantur, exercentque circa ægros, pauperes, miseros, peregrinos, & hospites opera misericordiæ. In Græco est ἀντιλήψεις, *susceptiones*, hoc est ut alii legunt, subsidia, subventiones. GUBERNATIONES : qui præsunt gubernationi rerum temporalium, quas fideles oncrabant Ecclesiæ, quale munus exercebant septem Diaconi ab Apostolis electi Act. VI. Hi erant quasi pedes mystici corporis Ecclesiæ. GENERA LINGUARUM, id est donum loquendi diversis linguis. INTERPRETATIONES SERMONUM : obscurorum, maxime sacrarum Scripturarum.

V. 29. NUMQUID OMNES APOSTOLI ? quasi dicat, Minime.

V 30. NUMQUID OMNES INTERPRETANTUR ? id est habent donum sermones interpretandi.

V. 31. AEMULAMINI AUTEM CHARISMATA MELIORA; quasi dicat : Quoniam æmulamini charismata, quod non prohibeo, studete consequi meliora, id est Ecclesiæ Dei utiliora. EXCELLENTIOREM VIAM : viam, scilicet caritatis, quæ via est ad Deum, ad vitam, & gloriam æternam.

TIRINI.

Vers. 1. SPiritualia vocat dona & gratias Spiritus sancti, tam gratis datas, de quibus hoc cap. quam gratum facientes, de quibus aget duobus capp. seqq. Hæc non accipiebatis ab idolis olim vestris,

V. 2. CUM AD illorum MUTA SIMULACRA EUNTES DUCEBAMINI. Hebraismo *a* enim ponitur participium pro verbo, *euntes* pro *ibatis*. Hinc cum variis linguis loquimini, vel alia dona gratuito accepta profertis, scitote illa non a mutis idolis, sed a vivo & vero Spiritu Dei vobis obtigisse. Sed & hoc scitote,

V. 3. QUOD NEMO IN SPIRITU, seu præditus spiritu DEI, DICIT ANATHEMA IESU, id est maledicit & execratur Iesum, ut faciunt Iudæi & Gentiles, & ad idem faciendum vos non raro invitant, aut etiam minis & tormentis compellunt, & nominatim se compulisse fatetur Plinius *b*.) Et quia frequens eiusce rei periculum est Corinthi, ideo vos monitos volui, non esse quod de donis Spiritus sancti glorietur, quicumque, seu promissis, seu minis induci se sinit, ut publice vel clam abneget Christum vel solo ore. Secundo, etiam constantes in fide moneo, non esse quod de eo se iactent; cum id ex se non habeant *c*, sed a Spiritu sancto. NEMO enim POTEST DICERE, DOMINUS IESUS, id est agnoscere, invocare (uti oportet, seu proficue ad salutem,) profiteri, vel prædicare Iesum esse Dominum suum, messiam & Dei Filium, NISI IN SPIRITU SANCTO, id est per gratiam Spiritus sancti.

V. 6. DIVISIONES OPERATIONUM SUNT; id est, diversis donatæ sunt diversæ gratiæ, seu facultates, operandi & patrandi diversa genera miraculorum, quæ vers. 10. recenset.

V. 7. MANIFESTATIO AUTEM SPIRITUS; id est, donum Spiritus sancti (per quod tamquam per effectum & signum manifestatur Spiritus sanctus) DATUR UNICUIQUE non ad captandam sibi vanam gloriam, sed ad manifestandam, promovendamque gloriam Dei : item AD UTILITATEM cum propriam, tum reipublicæ & totius Ecclesiæ.

V. 8. ALII DATUR SERMO SAPIENTIAE, id est facultas explicandi sapientiam, seu altissima mysteria puta SS. Trinitatis, incarnationis, iustificationis, prædestinationis, &c. ALII SERMO SCIENTIAE, id est facultas explicandi res naturales & morales ad humanam civilemque vitam recte componendam, inquit S. August. *d*

V. 9. ALTERI FIDES, non præcise Theologica (nam hæc supponitur iam inesse,) sed excellens illa, quæ vocatur *fides miraculorum e*. ALII GRATIA SANITATUM, seu donum curandi languores & ægritudines corporales.

V. 10. ALII OPERATIO VIRTUTUM, id est potentium miraculorum, seu celebriorum & insperatorum, v. g. mortuos suscitandi, &c. ALII PROPHETIA, id est donum futura prædicendi simul & obscuras Prophetarum scripturas enodandi. ALII DISCRETIO SPIRITUUM, id est facultas discernendi cogitationes, affectiones, intentiones cordium, an a natura sint, an vero a spiritu divino, angelico, diabolico. ALII GENERA LINGUARUM, id est donum loquendi variis ac peregrinis linguis. ALII INTERPRETATIO SERMONUM, & lin-

guarum obſcuriorum & intellectu difficiliorum.

V. 12. SICUT CORPUS noſtrum natura le, etſi UNUM, MULTA tamen HABET MEMBRA; ITA ET CHRISTUS unum eſt corpus, in & cum membris ſuis, quæ valde multa & varia ſunt: ita S. Chryſoſtomus.

V. 13. IN UNUM CORPUS Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, BAPTIZATI, ſeu per baptiſmum inſiti SUMUS & incorporati. ET OMNES IN UNO SPIRITU POTATI SUMUS, cum ex calice Euchariſtico unum omnes ſpiritum cum ſanguine Chriſti hauſimus. Unde Græca quædam habent, *πάντες ἑνὶ πόματι ἐπίομεν*, id eſt *omnes uno potu potati ſumus*. Et ita legit Clemens Alexandr; quaſi dicat: Non ſolum in unum Chriſti corpus nati per baptiſmum & incorporati ſumus, ſed inſuper etiam eodem alimento omnes alimur, puta carne & ſanguine Chriſti in Euchariſtia: ita S. Chryſoſt. & Caietanus.

V. 22. QUAE VIDENTUR INFIRMIORA ESSE MEMBRA, venter, ſtomachus, &c. NECESSARIORA SUNT.

V. 23. ET QUAE PUTAMUS IGNOBILIORA, immo INHONESTA ac verecunda, ABUNDANTIOREM HONESTATEM HABENT, id eſt multo honeſtius veſtiuntur, ac diligentius cuſtodiuntur; quaſi dicat: Ita & in Eccleſia, qui infirmi ac contemptibiles videntur, v. g. pauperes, ægri, indocti, &c. maiori cura fovendi ſunt quia ſubinde plus proſunt Eccleſiæ, inquit S. Chryſoſt. *g* unde & velim illos vobis quoque o Corinthii. magis cordi & curæ eſſe.

V. 27. VOS ESTIS Chriſti MEMBRA DE MEMBRO. Græce, *ἐκ μέρους*, id eſt ex parte; id eſt, eſtis membra partialia, compares, confratres, in uno eodemque magno corpore myſtico Chriſti, ſeu in Eccleſia, inquit idem Chryſoſtomus.

V. 28. DEUS IN ECCLESIA POSUIT ſingula membra eo ordine quo ipſi placuit: PRIMUM & quaſi pro capite poſuit non ſæculares principes, ut vult Brentius, Anglo calviniſtæ & Arminiani: (nam principes, ſeu *gubernantes*, ſeptimo demum loco ponuntur: ſed APOSTOLOS & Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopos: SECUNDO PROPHETAS, qui ſunt quaſi oculi occulta detegentes, & futura prævidentes: TERTIO DOCTORES, qui vice linguæ: quarto, VIRTUTES, id eſt miraculorum operatores qui Eccleſiæ pro manibus ſunt; uti & quinto, GRATIAS CURATIONUM, id eſt curatores morborum; & ſexto, OPITULATIONES, id eſt qui per opera miſericordiæ, ſeu corporalia, ſeu ſpiritualia, proximis opitulantur: ſeptimo, GUBERNATIONES, id eſt qui regimini præſunt: octavo, GENERA LINGUARUM, id eſt peritos variorum idiomatum: nono, INTERPRETATIONES, id eſt interpretes, SERMONUM obſcuriorum, ut ſupra *h*. Paſſim enim hic per hebraiſmum *i*, abſtracta pro concretis ponuntur.

V. 31. AEMULAMINI AUTEM (quandoquidem alii aliis præcellere contenditis in donis Spiritus ſancti) CHARISMATA MELIORA, nobiliora, vobiſque & Eccleſiæ utiliora, nempe caritatem Dei & proximi propter Deum. Hæc *excellentiſſima via* eſt ad Deum, ad ſanctitatem, ad gloriam æternam: ita S. Chryſoſt. Theophyl. Oecumenius.

(a) Proleg. de Idiotiſmis. Hebr. 4.
(b) Plin. in epiſt. ad Traianum.
(c) Cor. 4. 7.
(d) Auguſt. Lib. XII. de Trinit. cap. XIV. & XV.
(e) Infra cap. ſeq. 11.
(f) Clem. Lib. 1. *Pædagogi* cap. VI.
(g) Chryſoſt. in morali hom. XXX.
(h) Hic verſ. 10.
(i) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 47.

G O R D O N I.

Verſ. 1. 2. & 3. NON oportet, inquit, vos ignorare varia eſſe conceſſa dona Spiritus Sancti, & præfatur comparando hunc ſtatum Chriſtianiſmi tot divinis donis locupletatum, cum infelici ſtatu, cum eſſent gentiles: quo nomine vult gratias Deo agi & memores eſſe vocationis, per quam liberi a mutis ſimulacris & blaſphemiis perducti ſunt ad veri Dei laudem, & dona Spiritus Sancti ſingularia; ac ſi diceret: Hanc mutationem, & hunc novum in vobis Spiritum agnoſcite, qui mentem regit & linguas, ut nemo iam ex vobis dicat anathema Ieſu, aut illum execretur; ſed potius illum & Deum verum agnoſcat, invocet & veneretur. Sed ne fallimini, dona hæc veſtra non ſunt, a Spiritu Sancto ſunt; & nemo poteſt (ſicut oportet ad ſalutem) ita loqui, & utiliter dicere, DOMINUS IESUS, NISI IN SPIRITU SANCTO.

V. 4.

V. 4. & 6. Divisiones vero gratiarum. Sunt in Ecclesia gratiæ variæ: una uni, alia alteri, sicut & ministrationum; διαιρέσεων, sunt divisiones, idem verus Deus omnium largitor. Sunt ergo divisiones donorum; sunt ministeria (Episcopatus, Diaconatus, &c.) & sunt operationes ἐνεργήματα, ut sanare ægros, expellere Dæmones, &c. quasi dicas, efficacias, scilicet supra naturæ vim.

V. 8. *Usque ad* 12. Recenset hic gratias gratis datas: has autem omnes gratias, administrationes & operationes efficit tota Trinitas, ut sunt opera ad extra, ut loquuntur Theologi, licet ratione potentiæ, sapientiæ & bonitatis attribui soleant etiam certis personis. Quomodo vero Deus hæc & alia operetur, quove concursu & modo, docent scholæ Theologorum. Recensentur vers. 8. & 9. dona hæc. Per *scientiam* intelligunt aliqui donum explicandi res fidei per rationes humanas, comparationes & exempla. Aliter Augustinus Lib. X. de Trinit. cap. xiv. & xv. qui refert ad agenda & mores. Per *fidem*, intelligit fidem miraculorum, de qua dixi Matth. xvii. 16. Includit ea fidem Theologicam, sed excellentem & cum fiducia rei futuræ. Gratia sanitatum, est curationum. Operatio virtutum, est miraculorum, sed maiorum: ita Ambrosius. Discretio spirituum, donum distinguendi an motus animorum sint a Dæmone, a natura, aut a Deo. Interpretationes sermonum, rerum obscurarum, & præsertim Scripturarum. Et semper fuerunt tales in Ecclesia: & dicet adhuc Novator Scripturas esse faciles? Ex hoc loco & cap. xiii. & xiv. recte sumunt Theologi divisionem gratiæ in gratis datam (quæ est ad alios) & gratum facientem (quæ respicit haben tem.

V. 11. Operatur idem spiritus: æque ac Pater. Locus est pro divinitate Spiritus Sancti, & prout vult, non coacte aut ex necessitate naturæ, vel facto, sed libere. Vide Lector & detestare Calvini impietatem, quam hausit a fonte Viclephitarum qui Deum alligant fato, privantque libertate & omnipotentia, hostes sunt divinitatis.

V. 12. Sicut enim corpus. Hoc iam exemplum est usque ad vers. 28. per quod belle explicat structuram corporis mystici, quod est gratiarum donis illis instructum sub capite Christo, & ita compactum esse debet sine schismate a capite, & sine discordia inter membra; sicut videmus in corpore naturali animali, ubi omnia membra conspirant in unum, ut consurgat unum integrum corpus; & talia sunt membra, ut sibi mutuo sint necessaria, nullo vero modo pugnantia vide redditionem exempli vers. 27. En qualem Ecclesiæ ideam proponit Corinthiis Apostolus, ut sint unum corpus incorporati Christo per baptismum, & sit Christus habens unam Ecclesiam. Qui vero sint in Ecclesia Dei, alterius loci quæstio est, & alibi discussa.

V. 28. Et quosdam quidem. In hac constitutione Ecclesiæ per Apostolos, Prophetas (qui sunt velut oculi) Doctores (lingua sunt) & alios, nulla mentio fit principum sæcularium, quasi ad eos quicquam pertineat in regimine Ecclesiæ: non sunt successores Apostolorum, & Episcoporum; nec ad hoc vocati a Christo, dum rectores Ecclesiæ hic recenset. Videt lector abstracta poni pro concretis.

V. 31. Æmulamini charismata meliora. Non omnes habent (ut iam dixit) gratias gratis datas: non sunt hæc dona omnium personarum, locorum aut horarum. Deus mira operatur, ubi, & quando vult. Æmulamini (si vultis æmulari) non ista, sed meliora: & singulis meliora charismata, talia sunt quæ proximo capite ostendet Paulus de caritate.

CA-

CAPUT XIII.

Ostendit caritatis necessitatem, ipsius officia, perpetuitatem, ac præcellentiam supra fidem & spem, reliquaque Dei dona.

1. SI linguis hominum loquar, & angelorum, caritatem au-
tem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cym-
balum tinniens. 2. Et si habuero prophetiam, & noverim
mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero om-
nem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem
non habuero, nihil sum. 3. Et si distribuero in cibos pau-
perum omnes facultates meas, & si tradidero corpus me-
um ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil
mihi prodest. 4. Caritas patiens est, benigna est: Caritas non æmulatur,
non agit perperam, non inflatur, 5. non est ambitiosa, non quærit quæ sua
sunt, non irritatur, non cogitat malum, 6. non gaudet super iniquitate, con-
gaudet autem veritati: 7. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia
sustinet. 8. Caritas numquam excidit; sive prophetiæ evacuabuntur, sive lin-
guæ cessabunt, sive scientia destruetur. 9. Ex parte enim cognoscimus, & ex
parte prophetamus. 10. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur
quod ex parte est. 11. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam
ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacua-
vi quæ erant parvuli. 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc au-
tem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut
& cognitus sum. 13. * Nunc autem manent, fides, spes, caritas, tria hæc:
maior autem horum est caritas.

BRUGENSIS.

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 13. *Nunc autem manent.* Non scribas singulare *manet*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. SI LINGUIS HOMINUM. Quoniam varia erant Spiritus S. dona gratis concessa, ob quæ supra modum Corinthii efferrentur, omnem illis inde gloriationem excludit, ostendens nullum illis proficere posse, si caritatis negligentes fuerint: & quoniam de dono linguarum maxime gloriabantur, ab illis incipit dicens: *Si hominum linguis* LOQUAR ET ANGELORUM, non quod linguas angeli habeant, in quibus est tantum potentia intelligendi, qua divina inter se sensa communicant, nisi forte suo modo linguam hanc placet appellare: sed hyperbolice dicta est angelorum lingua pro eloquentissima, sicut vulgo elegantissima facie hominem angelo comparamus. Si ergo linguis iis loquar sine caritate, FACTUS SUM VELUT AES SONANS AUT CYMBALUM TINNIENS, quæ inanem & inutilem sonum

red-

reddunt: ita sine caritate inutile est donum linguarum.

V. 2. PROPHETIAM: vel gratiam futura prædicendi, vel Scripturas intelligendi. ET SI HABUERO OMNEM FIDEM. Non de vulgari fide hic locus intelligendus, sed ut inquit Theophylactus, syncera & integra. Hæc est fides evangelica sinapis grano comparata, non ob sui exilitatem, sed vim & acrimoniam, qualis est in modico sinapis grano: & hanc interpretatur Origenes in hunc locum, solidam atque integram fidem. Qui, inquit, habet fidem ut granum sinapis, ἄλλω ἔχει τὴν πίστιν, id est solidam integramque fidem habet. Et Gennadius Græcus hunc locum de perfecta fide intelligi, & tamen a caritate distingui docet, dicens, ὃ δὲ εἶπεν ὁ κύριος ἐν εὐαγγελίοις μέγιστον, τὰ διὰ πίστεως ὄρη μεθιστᾶν, τοῦ τό φῆσι, μηδὲν εἶναι ἀγάπης χωρίς; id est, quod vero in evangeliis maximum esse dominus asserit, scilicet montes per fidem transferre, id sine caritate nihil esse dicit Paulus. Videant ergo qui fidem absque operibus satis esse putant, quique eam a caritate non distinguunt, quam recte sentiant.

V. 4. NON AEMULATUR, id est invidet. IRRITATUR, id est exacerbatur.

V. 8. NUMQUAM EXCIDIT, id est numquam intermoritur, nec cessat; semper enim in aliquibus erit caritas, cetera dona in gloria cessabunt.

V. 9. EX PARTE, id est imperfecte.

V. 11. QUUM ESSEM PARVULUS. Similitudine virilis ætatis ostendit omnia spiritus dona, quæ nonnihil habent imperfecti per nostram infirmitatem, præter caritatem aliquando cessatura. Sicut enim vir factus puerilem linguam, puerilesque exuit cogitationes: ita & quum evalerimus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, cessabit quicquid imperfectum habemus: & qui nunc subobscure de Deo cognoscimus, lucide eum intuebimur, hoc enim indicat facie ad faciem, ac plene illo dante cognoscemus, sicut ille plane nos novit.

V. 13. MAIOR AUTEM. Hoc tacent, qui tantum fidei tribuunt, caritatis, operibus nihil.

S A.

Vers. 1. LINGUIS, id est eloquentia; vel quasi dicat, Si loqui sciam omnium hominum linguis. ANGELORUM, id est si possem tam perfecte loqui, ut Angelus; vel, cum Angelis colloqui.

V. 2. SCIENTIAM, scilicet habuero. OMNEM FIDEM, scilicet etiam eam per quam fiunt miracula.

V. 3. ARDEAM, id est comburar. PRODEST, scilicet ad regnum cælorum obtinendum: August. Lib. de Patientia.

V. AEMULATUR, id est invidet. PERPERAM, id est prave, seu perverse, vel temerarie. Syr. *tumultuose*.

V. 5. QUAERIT, scilicet solum; scilicet quærit etiam utilitatem proximi. IRRITATUR, id est excandescit.

V. 6. SUPER; pro, de. VERITATI, id est de probitate, seu *iustitia*, Hebr.

V. 7. SUFFERT, scilicet illata a proximis. CREDIT, scilicet credenda. SPERAT, scilicet speranda. SUSTINET, scilicet adversa.

V. 8. EXCIDIT, id est perit, scilicet quantum ex se est, alioqui per peccatum perditur. EVACUABUNTUR, id est desinent. SCIENTIA, scilicet imperfecta huius vitæ.

V. 9. EX PARTE, id est imperfecte.

V. 10. EVACUABITUR, id est abolebitur.

V. 11. CUM ESSEM; pro, veluti cum; est enim similitudo. EVACUAVI, id est abolevi.

V. 12. PER; pro, velut per. IN AENIGMATE, id est obscure. FACIE AD FACIEM, id est clare, ut cum se duo mutuo aspiciunt. COGNITUS SUM, scilicet a Deo, id est perfecte.

V. 13. HORUM; pro, ex his.

MARIANAE.

AD mutuam caritatem hortatur, quæ multis modis inter Corinthios labefactabatur.

V. 1. SI LINGUIS HOMINUM LOQUAR, ET ANGELORUM; id est, si loquar sermone omnium elegantissimo. Superbiebant quidam de aliis donis, sed præcipue de dono linguæ: ideo ab eo inchoat.

V. 2.

V. 2. Si habuero omnem fidem. Loquitur de fidei dono peculiari ad facienda miracula.

V. 3. Ita ut. Vox *ita* Græce non est, neque Goth. habet, & redundare videtur. Ardeam. Pro, καυθήσομαι, id est *ardeam*, quidam codices habuere καυχήσωμαι id est *ut glorier*: atque ita Hieronymus legit ad Galat. v. extremo: sed nostra lectio est communis.

V. 4. Caritas non aemulatur; pro, non invidet. *AEmulatio* sæpe in bonam partem accipitur pro imitatione.

V. 5. Non est ambitiosa: οὐκ ἀσχημονεῖ, *non pudefit*, non facit pudenda, ut ambitiosi, qui serviliter omnia pro imperio. Noster causam pro effectu, *ambitionem* pro probro & ignominia. Basilius in Regul. brevior. num. 97. legit, *non mutat suum habitum*, id est proprietates, quæ statim recensentur. Clemens III. Pedagogi cap. 1. *non indecore se gerit*, pro, *non est ambitiosa*. Non quaerit quae sua sunt, id est non consectatur sua commoda.

V. 7. Omnia credit, scilicet revelata a Deo. Nam de hominibus cardo & nervus prudentiæ est, non facile credere, uti ex Epicharmo affert. Cicero in Petitione Consulatus.

V. 8. Caritas numquam excidit. Manet in patria, fide & spe sublatis.

V. 9. Ex parte enim cognoscimus, scilicet in hac vita, id est imperfecte, *parum*, ut Syr.

V. 10. Quod ex parte est, id est, quod est imperfectum, evacuabitur, cum quod est perfectum, veniat in cælo.

V. 11. Cum essem parvulus; quasi dicat; Ut vir quis factus loquelam & mores pueri relinquit; sic cum perfectum venerit; imperfecta cessabunt. Visio Dei excludet obscuram cognitionem & ænigmaticam. Nam nunc in speculo videmus, id est in effectis causam Deum.

V. 12. Sicut et cognitus sum a Deo scilicet perfecte & omni ex parte, ut cognitus sum, tunc cognoscam.

MENOCHII.

Vers. 1. Si linguis hominum, &c. Perstringit Corinthios, qui donum linguarum præ ceteris admirabantur. Et Angelorum: si loquar lingua, qua inter se loquuntur Angeli. Vel per Angelorum linguam intelligit linguam elegantissimam; simili hyperbole dicimus aliquem habere vocem, aut faciem Angelicam. Velut aes sonans: quasi crepitaculum æreum resonans, aut perstrepens. Cymbalum: κύμβαλον est genus musicì instrumenti ex ære. Tinniens: ἀλαλάζον, quod verbum factum est per onomatopœiam; quasi dicat, Resonans, *Alala*, *alala*; inconditum, & confusum sonum reddens.

V. 2. Ita ut montes transferam: respicit dictum Christi Matth. xvii. 19. Nihil sum; id est, nullius sum pretii apud Deum; nihil horum me Deo commendat, si caritate destituar.

V. 3. Et si distribuero, &c. Græcum ψωμίζειν significat frustulatim concisum panem, aut escam ingerere ori puerorum, vel ægrorum. Hic vero significat substantiam suam in talem usum expendere. Si tradidero corpus meum, &c. sive quis id faciat ob inanem gloriam, sive etiam propter fidem, interim tamen servans affectum ad peccatum lethale, verbi gratia retinens odium proximi.

V. 4. Caritas patiens est, &c. Græce habemus, μακροθυμεῖ, *longaminis est*, quia scilicet patientiam, & longanimitatem parit, ut etiam benignitatem. Benigna est: χρηστεύεται. Ambrosius vertit, *iucunda est*. Significat autem comitatem, & suavitatem morum, opponiturque asperitati, & difficultati, seu morositati. Non aemulatur: οὐ περπερεύεται, non est procax; vel proterva. Sumpta est vox Græca περπερεύεται, ut etiam Latina *perperam* a Perperis fratribus, qui etiam Cercopes dicti sunt, quorum procacia, & improbitas fabulis Poetarum est nobilitata.

V. 5. Non est ambitiosa οὐκ ἀσχημονεῖ, non se gerit indecore, & impudenter, sed est modesta, & verecunda. Ambitiosi autem ἀσχημονοῦσι, dum honoris capiandi causa ad vilia, & pudenda obsequia, & adulationes indecoras se demittunt. Non inflatur: non se extollit superbe & ambitiose. Non quaerit quae sua sunt: ad quærendum quæ sua sunt impellit amor proprius, qui est vitiosa cupiditas: caritas vero aliorum commodis servit. Non irritatur: hoc est, non facile concitatur ad iram, sed tolerans est iniuriarum. Non cogitat malum: οὐ λογίζεται, non im-

putat

putat cuiquam malum: si lacessitur ab aliquo caritas non æstimat iniuriam, nec vindictam petit, sed dissimulat, excusat, ignoscit.

V. 6. NON GAUDET SUPER INIQUITATE: non gaudet si quis malum quid, & iniustum faciat. CONGAUDET AUTEM VERITATI. Veritas hic sumitur pro æquitate, probitate, & iustitia; quasi dicat: Caritas cum proximos videt iuste, & recte vivere, ac proficere, non invidet, sed quasi de augmento proprii profectus gaudet, & hilarescit.

V. 7 OMNIA SUFFERT: στέγει, *tolerat*, vel, *continet*, est enim metaphora sumpta a tignis pondus aliquod fulcientibus: vel a vasis, quæ nihil exsudant liquoris, quod infusum est. Hoc enim est στέγειν apud Græcos. Valde proprium est caritatis aliorum defectus tolerare, & silentio premere quæ aliis nocitura sunt, aut famam deuigrando, aut alia ratione incommodum aliquod afferendo. OMNIA CREDIT; scilicet, quæ prudenter potest sine erroris periculo credere, facile aliis assentiur, non est suspicax. OMNIA SPERAT: omnia bona de proximo sperat. OMNIA SUSTINET: pravos mores proximorum, & illorum morositatem, aliosque defectus.

V. 8 CARITAS NUMQUAM EXCIDIT; sensus est: Ita caritatem haberi in hoc sæculo, ut si quis eam retineat usque ad exitum huius vitæ, permansura sit cum illo in vitam æternam, cum interim cessent alia dona SIVE PROPHETIAE EVACUABUNTUR: quæ quidem omnes abolendæ sunt, quia non erit illarum usus in cælesti patria, ubi omnes clare videbunt Deum, nihilque remotum a notitia Beatorum erit illis annunciandum. LINGUAE CESSABUNT, id est varietas linguarum; alioqui enim in cælo Beati loquuntur inter se. SIVE SCIENTIA DESTRUETUR: γνῶσις, id est cognitio, hæc scilicet imperfecta, obscura, & ænigmatica, quam hic habemus, quæ cessabit, succedente clara visione Dei.

V. 9 EX PARTE ENIM COGNOSCIMUS, ET EX PARTE PROPHETAMUS: e rebus divinis in hac vita, quædam obscurius cognoscimus, quasi lumine prophetico, quo obscure, & sub integumento symbolorum, aut ænigmatum, prophetis aliqua interdum ostenduntur.

V. 10. CUM VENERIT ID QUOD PERFECTUM EST: in statu autem beatitudinis ubi nihil est imperfectum. EVACUABITUR: cessabit. QUOD EX PARTE EST: quod imperfectum est.

V. 11. CUM ESSEM PARVULUS: νήπιος, infans, puerulus, qui nondum rationis usum adeptus est, aut certe imperfecte. SAPIEBAM: ἐφρόνουν, *sentiebam*. EVACUAVI QUAE ERANT PARVULI: abolevi, abieci, missas feci cogitationes parvuli, & cogitationes, animumque virilem indui: sic apud Homerum Odyss. α. Minerva Telemachum adhortatur:

οὐδέ τί χρὴ
νηπιάας ὀχέειν, ἐπεὶ οὐκ ἔτι τηλίκος ἐσσί.
Non oportet te ultra
Studia puerilia sectari, quia non amplius talis es.

Porro Apostolus hac similitudine ostendere vult nos in hoc sæculo de Deo, & de rebus divinis cogitare, loqui, & intelligere obscure, & imperfecte; simulatque vero futuri sæculi statum illum beatum attigerimus obscuram hanc cognitionem cessaturam, claro lumine Dei visionis succedente.

V. 12. VIDEMUS: scilicet, Deum, & divina. PER SPECULUM: non directe, sed quasi per radiorum reflexum: ideoque obscurius, quam si res in se ipsis viderentur. In Græco est, δι' ἐσόπτρου, quod aliqui vertunt, per inspectorium; quasi dicat, E longinquo, & obscure, ut ea quæ per fistulam diopricam videmus. IN AENIGMATE: obscure; ænigma enim est sermo obscurus. FACIE AD FACIEM: clare, & perfecte, id est non tantum in similitudine, sed per suam essentiam. EX PARTE: imperfecte. SICUT COGNITUS SUM: sicut Deus me novit, & intuetur hoc quod sum, *meam*, scilicet, essentiam.

V. 13. NUNC MANENT; scilicet in præsenti vita. MAIOR HORUM EST CARITAS: quæ nobilior est, & diuturnior, cum permaneat etiam in patria.

TIRINI.

Vers. 1. SI LINGUIS HOMINUM LOQUAR ET ANGELORUM, id est omni, seu humana, seu angelica eloquentia, id est disertissime, elegantissime, excellentissime. Sic *facies angelica a* vocatur pulcherrima & augustissima, inquit Theodor, & Theophyl.

V. 2. Et si habuero fidem, non illam solum Theologicam simplicem ac nudam, sed etiam omnem aliam, nempe illam quoque nobiliorem per quam fiunt miracula; ita ut per eam, iuxta Christi promissa *b*, transferam; si tamen caritatem non habuero, nihil sum, id est nullius pretii, aestimationis aut gratiae sum in oculis Dei, & consequenter in rei veritate: ex quo contra Novantes patet, fidem separari posse a caritate; itemque solam fidem non iustificare.

V. 3. Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, vel exurar, v. g. pro patria servanda, ut Mutius Scaevola: vel pro inani gloria, ut ille Peregrinus: Luciani: vel etiam pro fide Christi tutanda, sed odio erga proximum, vel alio mortaliter peccandi affectu reservato; nihil mihi prodest: ita Theodoret. Anselmus, S. Thomas & Suarez *c*.

V. 4. Caritas patiens est & benigna. Graec. χρηστεύεται, Ambrosius vertit, *iucunda est*. Significat autem comitatem & suavitatem morum, quae opponitur asperitati, seu morositati. Habes hic ex Apostolo sedecim conditiones caritatis, seu officia in proximos. Et fere sunt virtutes quas ipsa caritas parit aut secum adducit. Non aemulatur, id est non laborat cacozelia vel invidia. Non agit perperam, id est perverse, procaciter, proterve. Nam graece est οὐ περπερεύεται, id est non est procax aut proterva, qualis est amor carnalis procorum, amasiarum & meretricum, inquit S. Chrysost. & Tertull. *d* Sumpta est autem vox Graeca περπερεύεται, & Latina *perperam*, a Perperis fratribus, ait Erasmus, qui & *Cecropes* funt dicti, quorum procacia & perversitas fabulis Poetarum est nobilitata.

V. 5. Non quaerit quae sua sunt, scilicet cum damno vel incommodo proximi. Non facile irritatur, vel ad iram concitatur. Non cogitat, non parit, non molitur, malum cuiquam, nec vindictam petit aut excogitat.

V. 6. Non gaudet super iniquitate, seu malo proximi, sive physicum illud sit, sive morale: sed congaudet veritati, aequitati & bono proximi, perinde ac suo.

V. 7. Omnia suffert. Graece στέγει, est fulcit, tolerat, sustinet, instar trabis vel tigni. Omnia credit quae credenda sunt: omnia speranda sperat, inquit Anselmus; vel etiam, ut Chrysost. facile aliis assentitur, non repugnat, non suspicatur fraudem, non contendit aut contradicit. Omnia quantumcumque molesta sustinet, etiam pravos aliorum mores & morositatem, aliosque defectus.

V. 8. Caritas numquam excidit, scilicet quantum ex se est: nam sponte sua numquam hominem deseret in hac vita, nisi prius ab eo per mortale peccatum deseratur; in futura vero comitabitur hominem per totam aeternitatem: cum fere reliqua dona & gratiae tunc abolendae sint: nam prophetiae, ut nullius ibi amplius usus, evacuabuntur, pro obscura cognitione, succedente clara visione in Verbo. Linguae variae, peregrinae & ignotae istic cessabunt: neque enim agit hic de usu propriae & consuetae caelitibus linguae, etiam corporalis, cuius usus non cessabit in caelo, ut docent S. Bernardus *e*, Salmeron, Caietanus, Galatinus, Viguerius & Ioannes Salas *f*. Scientia destruetur. Graec. γνῶσις, id est cognitio, nempe qualis in hac vita habetur de Deo rebusque divinis, scilicet obscura & aenigmatica (ut mox *g* explicabit,) id est, fides, & quaecumque scientia innititur fidei, v. g. scientia Theologica, quae ex principiis fidei, certis quidem, sed obscuris, conclusiones obscuras deducit. In caelo enim erit alia speciei Theologia, nempe ex clara visione & principiis evidentissimis evidentissima, inquit S. Chrysost. cum suis, Caietanus, Molina, & Vasquez *h*.

V. 9. Ex parte enim tantum, id est imperfecte (nam vers. seqq. oponit ei *perfectum*) Syrus, *modicum* cognoscimus et prophetamus: neque enim nisi obscure, puta sub integumento symbolorum & aenigmatum, divina mysteria, etiam nobilioribus Prophetis revelantur in hac vita.

V. 10. Cum autem advenerit status futurae beatitudinis, ubi nihil quod non omni ex parte perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est, id est, abolenda est scientia imperfecta huius praesentis vitae, quae plane puerilis & infantilis est respectu caelestis scientiae.

V. 12. Videmus nunc Deum & divina solum per speculum; id est, non directe ut in se sunt, sed per radios quasi reflexos, ut relucent in, & ex creaturis. Graec.

Græc. δι' ἐσόπτρυ, verti etiam posset, *per inspectorium*; quasi dicat: E longinquo, obscure, indistincte, ut ea quæ per tubum opticum videmus. TUNC AUTEM videbimus FACIE AD FACIEM *l*, id est perfecte, clare, distincte, non per ænigmata vel similitudines, sed per suammet essentiam: SICUT ego iam a Deo COGNITUS SUM, scilicet in meamet essentia, & prout a parte rei sum, nempe clarissime, distinctissime, perfectissime. Ex quibus omnibus patet, quod

V. 13. CARITAS, quæ nobiscum in futura quoque vita permanebit, longe MAIOR & nobilior sit fide & spe (omnibusque gratiis gratis datis, quæ fidem & spem con sequuntur: nam hæc nobiscum non nisi NUNC in hac præsenti vita MANENT. Est ergo caritas virtutum omnium maxima, eminentissima & quasi regina, ut Scholastici k demonstrant.

(a) Ester. xv. 16. (b) Matt. xvii. 19.
(c) Suarez iii. p. quæst. lxix. disp. xxix. sect. ii.
(d) Tertull. Lib. de Patientia cap. xii.
(e) Bernard. in Meditat. cap. iv.
(f) Galat. Lib. XII. de Arcan. cap. 4. Viguer. in Institutionibus Salas in 1ª 2. quæst. v. a 5. tom. 2.
(g) Hic vers. 12.
(h) Vasquez & alii in 1.2. quæst. v.
(i) Exod xxxiii. 11. & Num. xii. 8.
(k) Scholast. in. 2. de Caritate.

GORDONI.

Vers. 1. 2. & 3. MAgni pretii oportet esse caritatem, quæ præfertur dono linguarum (quod magni faciebant Corinthii,) & studiose quærendam, quando ut hic Paulus præfatur, sine illa sint cetera inutilia ad vitam æternam. Tale est caritatis, reginæ inter virtutis encomium. Nec ad curandos Corinthios potuit afferri efficacius remedium. Per linguam Angelicam, est, ac si diceret per linguam excellentissimam, hyperbole est. Reliqua enumeratio clara est. CYMBALUM est musicum ex ære instrumentum. *Tinnire* est confusum & inconditum sonum reddere. Hic facile obiiciet aliquis alia esse maiora, nam constat per pœnitentiam deleri peccata, per gratiam similiter fieri hominem gratum Deo, & per martyrium iustificari; ut est baptismus sanguinis. Respondeo, gratiam iustificantem aut esse caritatem, aut non separari a caritate. Pœnitentia non est forma iustificans, ut loquimur in scholis, sed dispositio est. Dispositio autem nil facit nisi sequatur forma; & quidem ut est ultima dispositio, ita semper habet secum gratiam & caritatem.

Sed quid de Martyrio? Sane non prodest si fiat ex vana gloria, aut retento affectu peccati mortalis; quod commune est eleemosynæ, & aliis operibus in externa specie bonis: si autem recte fiat, multum prodest, ut dicam, sive imperetur a caritate, sive ab obedientia, aut religione. Est vero probabilis opinio martyrium hoc verum & formale conferre gratiam velut ex opere operato, & sic habet caritatem in termino, simul inquam cum gratia. Certum vero est martyrium valere plurimum ex opere operantis, in eo, inquam, qui est in gratia & caritate. Et sic quidem adest caritas ut principium & antecedenter. Priori modo adest ut terminus. Et nisi altero horum modorum adsit caritas, non prodest martyrium. Lege S. Thomam iii. part. quæst. LXIX. ubi idem explicat Suarez disp. xxix. sect. ii. De hac etiam quæstione dixi alibi Lib VI. quæst. xix. cap. iv.

V. 4 *& deinceps*. 5. CARITAS PATIENS EST. Iam de proprietatibus caritatis, quæ morales sunt, nec semper formaliter in caritate. Sic sane est *patientia*, specialis virtus, cuius actus non est elicitus a caritate, sed imperatus; tamen quasi nativo modo ab hoc fonte progrediens; & hinc fit ut velut proprietas videatur caritatis, aut partus eius. Porro *benignitatem* parit caritas. NON AEMULATUR, pellit invidiant. NON AGIT PERPERAM, non malitiose aut procaciter. Syrus, *non est tumultuosa*. NON AMBITIOSA. Græce, ἀσχημονεῖ, *non indecore facit*: unde non pudefit: Latinus causam posuit pro affectu: qui enim nihil ambit honoris, non habet, cur pudefiat. NON COGITAT MALUM, non petit vindictam, non æstimat iniuriam. OMNIA SUFFERT, pondus sibi impositum libenter sustinet, nec flectitur; instat validæ trabis, quæ ἀνθέξεται sustinet tectum. OMNIA CREDIT, omnia quæ credi prudenter debent. Nec est suspicax, sed meliora interpretatur. De his lege Gregorium Libro X. moral. cap. viii. & Chrysostomum hom. xxxiv. de fructibus 16. caritatis.

V. 8. CARITAS NUMQUAM EXCIDIT. Tertium nunc tractat, quod est de comparatione doni caritatis cum donis aliis, Caritas hoc habet præ fide, & spe, quod

non excidat, sed maneat in cælo. Faciet clara Dei visio, ut cetera dona non requirantur, non prophetia, non linguarum varietas, non nostra hic imperfecta scientia, per quam ex parte tantum cognoscimus.

Ceterum non ita est caritas permanens, ut non possit in hac vita amitti: cessat enim per peccatum mortale; nec simul esse possunt in anima. Sicut certum est iustum in hac vita posse peccare: sed permanens est caritas quantum ex se, semper utilis, semper necessaria: non sic alia dona. Et vero homo est, qui peccato pellit caritatem. Ergo in cælo caritas est, quæ manet; non spes, quia quod videmus, non speramus, nec fides, cum sit ibi clara visio: perire proinde debet quicquid fide nititur, verbi gratia; scientia pure Theologica. Et cum sic esset actus Theologicus, probabilis consecutio est etiam cessare habitum. Sed de hac re alibi.

V. 11. 12. & 13. CUM ESSEM PARVULUS. Explicat nostræ scientiæ imperfectionem: fere, inquit, ut in parvulis, ubi cognitio imperfectior est, quam in viro, qui pueriles abiicit cogitationes: sic in nobis, si spectetur visio Dei. COGNOSCAM, SICUT ET COGNITUS SUM. Sicut cognoscit me Deus secundum totum id quod sum, & essentiam: ita Dei essentiam cognoscet beatorum intellectus, clare scilicet & intuitive. Maior interim est ceteris caritas, ut diuturnior, ita & nobilior: Observasse hic debuerunt Novatores Apostolum distinguere spem & fiduciam a fide. Ut certe fides est certa, spes autem habet formidinem de opposito. Non ergo per spem aut fiduciam sunt certi.

C A P U T XIV.

Donum linguarum inferius esse dicit dono prophetiæ; immo inutile, si desit qui interpretetur: tradit ergo eis normam qua his donis ordinate utantur: & mulieres in Ecclesiis silere iubet.

1. SEctamini caritatem, æmulamini spiritalia: magis autem
ut prophetetis. 2. Qui enim loquitur lingua, non homi-
nibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit. * Spiritu au-
tem loquitur mysteria. 3. Nam qui prophetat, hominibus
loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consola-
tionem. 4. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat: qui
autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. 5. Volo autem
omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam
maior est qui prophetat, quam qui loquitur linguis: nisi forte interpretetur,
ut Ecclesia ædificationem accipiat. 6. Nunc autem, fratres, si venero ad vos
linguis loquens; quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut
in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? 7. Tamen quæ sine anima sunt
vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint;
quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? 8. Etenim si incer-
tam vocem det tuba; quis parabit se ad bellum? 9. Ita & vos per linguam
nisi manifestum sermonem dederitis; quomodo scietur id quod dicitur? eritis
enim in aera loquentes. 10. Tam multa, utputa, genera linguarum sunt in
hoc mundo: & nihil sine voce est. 11. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero
ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus. 12. Sic & vos,
quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut a-
bundetis. 13. Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. 14. Nam si
orem lingua, spiritus meus orat, mens mea sine fructu est. 15. Quid ergo
est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. 16.
Ceterum si benedixeris spiritu; * qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet,
Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit: 17. nam tu
quidem bene gratias agis: sed alter non ædificatur. 18. Gratias ago Deo meo,
quod

quod omnium vestrum lingua loquor. 19. Sed in Ecclesia volo quinque verba
sensu meo loqui, ut & alios instruam: quam decem millia verborum in lin-
gua. 20. Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote: sen-
sibus autem perfecti estote. 21. * In lege scriptum est: (*a*) Quoniam in aliis
linguis & labiis aliis loquar populo huic: & nec sic exaudient me, dicit Do-
minus. 22. Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: pro-
phetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. 23. Si ergo conveniat universa
Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut in-
fideles: * nonne dicent quod insanitis? 24. Si autem omnes prophetent, in-
tret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, diiudicatur ab
omnibus: 25. occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem ado-
rabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. 26. Quid ergo est,
fratres? cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam ha-
bet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad
ædificationem fiant. 27. Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut
multum tres, & per partes, & unus interpretetur. 28. Si autem non fuerit
interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur, & Deo. 29. Prophetæ au-
tem duo, aut tres dicant, & ceteri diiudicent. 30. Quod si alii revelatum fue-
rit sedenti, prior taceat. 31. Potestis enim omnes per singulos prophetare:
ut omnes discant, & omnes exhortentur: 32. * & spiritus prophetarum pro-
phetis subiecti sunt. 33. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: * sicut &
in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo. 34. Mulieres in Ecclesiis taceant, non
enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut (*b*) & lex dicit. 35. Si
quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mu-
lieri loqui in Ecclesia. 36. An a vobis verbum Dei processit? aut in vos so-
los pervenit? 37. Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ
scribo vobis, quia Domini sunt mandata. 38. * Si quis autem ignorat, igno-
rabitur. 39. Itaque fratres æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite pro-
hibere. 40. * Omnia autem honeste, & secundum ordinem fiant.

(*a*) Isaiæ xviii. 11. (*b*) Gen. iii. 16.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 2. *Spiritu autem loquitur mysteria*. Non mutes ablativum *spiritu* in genitivum.

Vers. 16. *Qui supplet locum idiotæ*. Non scribas interrogativum *quis* loco relativi *qui*.

Vers. 21. *In lege scriptum est*. Non addas *enim*.

Vers. 23. *Nonne dicent quod insanitis*. Coniunctio *quod* mutanda non est in pronomen interrogativum *quid*.

Vers. 32. *Et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt*. Retinendus est numerus pluralis *subiecti sunt*, non surrogandus singularis *subiectus est*.

Vers. 33. *Sicut & in omnibus ecclesiis sanctorum doceo*. Non est omittendum verbum *doceo*.

Vers. 40. *Omnia autem honeste & secundum ordinem fiant*. Superfluit quod multi codices subiiciunt *in vobis*.

NOTATIONES.

Vers. 33. Sicut (& c.) *in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo*. Voculam *doceo* tollit Latinum Parisiensium exemplar Ge. I. conformiter libris Syricis, & plerisque Græcis, suffragantibus enarratoribus Græcis, Theophylacto, & Oecumenio. Hieronymianus scholiastes dubito an legerit: „ Sic „ est ubique, inquit, ne novi aliquid me „ imperare putetis „. Ex nostris manuscriptis Malmundarii maiori, minori littera addita conspicitur. Videri possit ex VII. huius epistolæ capite vers. 17. huc assumpta, ubi legitur iuxta nostram editionem: *Et sicut* (*sic* R. G. S.) *in omnibus Ecclesiis* (*Sanctorum*

τάσσομαι) *docea*. Ceterum ut in omnibus nostræ editionis sinceris codicibus reperimus, ita ab Auctore commentariorum Ambrosio attributorum, Haymone, & qui hunc ætate sequuntur, Latinis explanatoribus, lectam observavimus. Ad hæc in uno Græco exemplari, ια, Parisienses invenerunt: ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τῶν ἁγίων διδάσκω; cui adstipulatur B. Chrysostomi textus cum Latine, tum Veronæ Græce editus.

V. 28. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Græce est: εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω, quod est: *Si quis autem ignorat, ignoret.* Syriace similiter est. Atque hoc modo Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius non solum legunt, sed etiam intelligunt. Verum Latini & codices, & Interpretes constanter scribunt: *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Forte enim vetus Interpres non ἀγνοείτω, sed ἀγνοεῖσθω, ἀγνοῆται, aut ἀγνοείσεται legit.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Vers. 1. Æmulamini spiritualia; id est, studio incumbite ad Spiritus sancti dona, & inter ea prophetiam maxime.

V. 2. Non hominibus, id est non ad hominum ædificationem: nemo enim peregrinam linguam intelligit. Spiritus autem; id est, non est inutile donum linguarum habentibus, quum, spiritus Dei per illos, & illi per spiritum mysteria loquantur. Græci pro spiritus, legunt πνεύματι, id est *spiritui*, & tunc sensus est, quod non hominibus, sed Deo & Spiritui sancto, id est ad eorum laudem mysteria loquitur: vel πνεύματι, id est spiritu, & per spiritum loquitur mysteria.

V. 4. & 5. Nam qui prophetat. Referendus est locus ad id quod præcessit, *magis autem ut prophetetis.* Græci vero qui legunt ὁ δὲ, id est *qui autem*, iungunt immediate præcedentibus: prophetare autem hoc loco sumitur vel pro futura prædicere, vel scripturas interpretari. Semetipsum aedificat, id est uni sibi prodest: qui autem prophetat, toti ecclesiæ. Nisi interpretetur. Neque enim omnes, qui donum linguarum habebant, variasque intelligebant, interpretandi facultatem habebant. Has enim gratias superiori capite distinxit: quod vero subdit, ut ecclesia Dei, &c. referendum puto ad τὸ prophetare, ut quod intercedit sit parenthesis: vel continue legendum nisi interpretetur, ut ex eius interpretatione ecclesia ædificationem accipiat.

V. 6. Nisi vobis loquar; id est; nisi quod peregrinis & ignotis linguis loquor, vobis explicuero, aut in revelatione, id est interpretatione linguæ, sic enim Græca scholia, aut in scientia, &c. id est, nisi scientiam, prophetiam vel doctrinam attulero.

V. 7. 9. & 10. Tamen quae sine anima. Quamquam Græci constanter legunt ὅμως, id est *tamen*, commodior tamen est sensus, si legamus ὁμῶς accentu circumflexo in ultima, pro ὁμοίως, id est *similiter*, quod fortasse germana lectio habebat; sed ἰῶτα vetustate eraso quidam scripserunt ὅμως: legendo autem ὁμῶς sive ὁμοίως, id est similiter, manifestus est sensus, utcumque linguis loquar, nisi loquar in revelatione, &c. nihil prodero: similiter inanimata instrumenta musices, utcumque ea pulsaveris, nisi sonoram distinctionem dederint, numquam intelliges quid canitur: sic nisi cum lingua manifestum sermonem dederitis, id est manifestam linguæ interpretationem attuleritis, numquam intelligetur quod dicitis, eritis enim in aere loquentes, id est frustra, tam multa ut puta sunt genera linguarum; quidam Græci legunt φωνῶν, id est *vocum*: sed in idem redit. Concludit autem Paulus, quod qui simplex donum linguarum habet, de quo tantopere gloriabantur Corinthii, nulli usui est, nisi vim energiamque vocis, ac linguæ quam callet, teneat.

V. 12. Aemulatores estis; id est, quoniam ad ipsius dona anhelatis, potiora quærite & magis ædificantia.

V. 14. 15. & 16. Spiritus meus. Oecumenius interpretatur spiritum, donum linguæ spirituale, mentem autem claram intelligentiam & interpretationem eorum, quæ dicuntur: itaque, inquit, oportet eum, qui aliena lingua loquitur, sive psallat, sive oret, sive doceat, intelligere & interpretari ad auditorum utilitatem. Quod en-

gen-

go ait, Orabo spiritu, orabo et mente, sensus est, curabo ut donum linguæ & intelligentiæ sive interpretationis habeam: unde Oecumenius ait, ψαλῶ ἐν τοῖ: ἀντὶ τοῦ, νοήσω δὲ ἑρμηνεύσω ἀκούουσιν, id est psallam spiritu, pro eo quod est, intelligam, & interpretabor audientibus. Mihi autem hic videtur sumi posse spiritus pro sermone externo, & voce quæ aere ac spiritu constat. Sic enim sermonem definit Lactantius. Sermo, spiritus est cum voce aliquid significante prolatus, mens autem sicut Græcum νόος, τὸν σκόπον, id est intentionem nostram significare potest: inquit ergo Paulus: Si orem lingua, id est simplex linguarum donum habens, & non interpretationis, *Spiritus meus orat*, id est vocalem quidem orationem sono & enuntio, mens autem mea, Græce νοῦς, id est scopus & intentio, sine fructu est, non quidem loquentis, sed audientis. Quod enim de eo intelligat, docet locus sequens: Si benedixeris spiritu, id est voce tantum non intellecta, quomodo idiota respondebit, Amen? nisi enim spiritus externam vocem significaret hoc loco, sed spiritus gratiam, aut aliquid pure spirituale, non subiungeret τὸ, quomodo dicet Amen, super tuam benedictionem? & quid dicas nescit, quomodo enim intelligeret spiritualiter tantum loquentem? AEmulabor ergo, inquit, prophetiam & interpretationem, & sic spiritu ac mente orabo, id est cum fructu & meo, & audientium.

V. 19. Volo. Hebraismus, pro malo. Sensu meo, Græce νοΐ, id est mente, ut mens sicut & loco præcedente sumatur pro intentione proficiendi aliis. Sic enim Photius Græcus interpretatur, διὰ τοῦ νοός μου τοῦτ᾽ ἐστὶ διὰ τῆς τοῦ νοός μου καρποφορίας, ἥτις ἐστὶν ὠφέλεια τῶν πολλῶν, id est mente mea, hoc est, cum fructu mentis & intentionis meæ, quæ est multorum utilitas. In lingua, id est dono linguæ non intellectæ.

V. 22. Itaque linguae. Totus est in hoc capite Paulus, ut Corinthiorum gloriationem ob donum linguarum excludat asserens eas non in ædificationem fidelibus, sed in signum & miraculum fidelibus datas. Prophetias autem non infidelibus tantum datas: sic enim Theophylactus interpretatur, Prophetiæ enim sive futurorum prænotionem, sive scripturarum cognitionem dicimus, & fidelibus prosunt & infidelibus.

V. 23. Idiotae. Idiotas vocat, inquit Severianus, simplices expertesque malitiæ homines nondum baptizatos, quos postea vocavere κατηχουμένους, quod adhuc elementis religionis imbuerentur, nondum ad mysteria admitterentur fidei & ecclesiæ: Latina ecclesia verbum Græcum usurpavit, catechumenos vocans.

V. 26. Psalmum habet, id est vim vel edendi, vel editum in Dei laudem canendi Psalmi: doctrinam, id est docendi exhortandique gratiam: Apocalypsim, id est donum revelationis, quo vel somnia, vel hominum cogitationes possit discutere.

V. 27. Sive lingua, quo pacto dono linguarum uti debeant ostendit, Secundum duos, inquit, aut ut multum tres, id est per duos aut ad summum tres, id fiat, et per partes, Græce ἀνὰ μέρος, id est vicissim. Ambrosius vertit *particulatim*. Vult ergo Paulus, quod quibus est concessum donum linguarum, nec omnes, nec simul, nec sine interprete loquantur, adhibitoque interprete, ne non intelligentibus ridiculi sint.

V. 30. Revelatum fuerit; id est, si quo prophetante spiritus sanctus quidpiam alteri revelaverit melius, prior taceat.

V. 31. Per singulos, id est singulatim, singuli, quisque.

V. 31. Exhortentur: passive, id est exhortationem a prophetante accipiant.

V. 32. Spiritus prophetarum, id est spiritualis gratia prophetandi in potestate est prophetarum, ut quum velint utantur aut abstineant, prout ecclesiæ conducere viderint: hoc autem ait, ne prophetandi aliis locum non relinquerent, fingentes se tacere non posse.

V. 36. An a vobis. Contentiosos his verbis reprimit, & si qui contradicere velint; quasi diceret, Vosne doctores aliorum estis, a quibus evangelica prædicatio exierit, an non magis discipuli, qui obedire, non contendere debeatis? aut in vos solos pervenit, id est solis vobis prædicatum est, & soli sapitis?

SA.

S A.

Verſ. 1. AEMULAMINI, id eſt ſtudio perſequimini. MAGIS, id eſt præcipue. PROPHETETIS, id eſt divina explicetis. Huc pertinet concionandi munus.

V. 2. LINGUA, ſcilicet peregrina, ſeu variis linguis. AUDIT, id eſt intelligit, ſcilicet niſi habeat donum linguarum. SPIRITU, id eſt mente, ſeu movente Spiritu ſancto.

V. 4. ECCLESIAM, ſcilicet fideles congregatos.

V. 5. VOLO, id eſt opto. MAIOR; id eſt utilior Eccleſiæ.

V. 6. REVELATIONE, id eſt revelans aliquod myſterium. SCIENTIA, id eſt explicans aliquid quod ſcire iuvet. PROPHETIA, id eſt divinum aliquid exponens. DOCTRINA, id eſt mores inſtituens.

V. 7. TAMEN; pro, nam &; ſeu, etenim. DISTINCTIONEM, &c. quaſi dicat, Niſi diſtincte ita ſonent, ut poſſit intelligi quid ſibi velint.

V. 8. INCERTAM, id eſt militibus ignotam.

V. 9. MANIFESTUM, id eſt intelligibilem. IN, pro, velut in. IN AERA, id eſt fruſtra. Syr. *quaſi cum aere*.

V. 10 UTPUTA; pro, quidem, vel nempe. LINGUARUM. Græc. *vocum*.

V, 11. VIRTUTEM, id eſt vim, ſeu ſignificationem. CUI LOQUOR. Græc. & Syr. *qui loquitur*. BARBARUS, &c. quaſi dicat: Nec ego magis intelligam, quam Barbari linguam intelligunt ignotam, videbiturque illi mihi barbara lingua loqui.

V. 12. AEMULATORES, id eſt ſtudioſi. SPIRITUUM, id eſt ſpiritualium donorum. ABUNDETIS, ſcilicet gratiis.

V. 13. INTERPRETETUR, id eſt poſſit interpretari quod dicit.

V. 14. SPIRITUS, id eſt voluntas: ſic dictum, *Spiritus promptus*, id eſt voluntas. MENS, id eſt intellectus SINE FRUCTU, ſcilicet ſi non intelligam quod orans dico. Hora, quoſdam tunc ſolitos lingua peregrina orare, ſed non intelligentes quid dicerent, ut nunc idiotæ, qui Latine orant; ſcilicet dabat interdum Spiritus ſanctus linguæ peregrinæ uſum in oratione, ſed ſine intelligentia ſaltem myſteriorum quæ loquebatur, ut qui nunc Pſalmos, etiam ſi Latine ſciant, non intelligunt.

V. 15. ET MENTE, id eſt quod intelligam.

V. 16. BENEDIXERIS, id eſt Deum laudaveris. SPIRITU, id eſt voluntate quidem in Deum pia, ſed ſic ut ab aliis non intelligaris. SUPPLET. Græc. *implet*. IDIOTAE, ſcilicet populi; quaſi dicat, Qui pro populo reſpondet, ut nunc fit in Miſſis. NESCIT, id eſt non intelligit.

V. 18. OMNIUM VESTRUM, ſcilicet erant Græcorum variæ dialecti. Græc. & Syr. *magis quam vos omnes*.

V. 19. ECCLESIA, id eſt fidelium cœtu. QUINQUE, id eſt pauca. SENSU MEO, id eſt quæ poſſint intelligi, me explicante. LINGUA, id eſt ignota auditoribus.

V. 21. LEGE, id eſt Scriptura Legis veteris, ſcilicet Iſa. XXVIII. LABIIS, id eſt linguis. Repetitio. Paulus ſenſum reddidit: nam Hebr. & Græc. aliquanto aliter.

V. 22. IN SIGNUM, &c. quaſi dicat: Exhiberi ſolent etiam iis qui nihil propterea ad fidem moventur. NON FIDELIBUS, ſcilicet ſolum, vel proprie. SED FIDELIBUS, ſcilicet ſolet Deus ad ſuos Prophetas mittere.

V. 23. IN UNUM, id eſt ſimul. IDIOTAE, id eſt plebei, ſeu imperiti.

V. 24. PROPHETENT, ſcilicet occulta revelantes, vel divina diſſerentes. CONVINCITUR, ſcilicet erroris, vel peccati in quo eſt. DIIUDICATUR, id eſt de eo fit certum iudicium.

V. 26. PSALMUM, id eſt Dei laudem. DOCTRINAM, id eſt morum inſtructionem APOCALYPSIM, id eſt revelationem aliquam. LINGUAM, id eſt quod lingua peregrina loqui poſſit. INTERPRETATIONEM, ſcilicet linguæ, vel alicuius rei obſcuræ.

V. 27. SECUNDUM; pro, per, quaſi dicat, Duo ſolum loquantur. UT MULTUM, id eſt ad ſummum. PER PARTES, id eſt viciſſim. INTERPRETETUR, ſcilicet iis qui linguam illam neſciunt.

V. 28. TACEAT, ſcilicet qui donum habeat linguarum.

V. 29. DICANT, ſcilicet viciſſim. DIIUDICENT, id eſt ferant ſuper dictis ſententiam, ſcilicet probanda ne videantur, an improbanda.

V. 30.

V. 30. PRIOR, scilicet qui volebat diiudicare.

V. 31. PER SINGULOS, id est singillatim. EXHORTENTUR, id est moveantur, seu instruantur.

V. 32. ET; pro, nam. PROPHETIS; vel aliis, scilicet ut sinant se ab illis diiudicari: vel iisdem, scilicet ut possint tacere.

V. 33. ECCLESIIS, scilicet pax est. DOCEO: non est Graec. nec Syr.

V. 34. LOQUI, scilicet in Ecclesia, vel docere. LEX, id est Scriptura, scilicet Genes. III.

V. 36. AN A VOBIS, &c. quasi dicat, Non est quod his contradicatis, quasi sapientiores. VERBUM DEI, id est prædicatio Evangelica.

V. 38. IGNORAT, scilicet Dei mandata, seu Dei voluntatem. IGNORABITUR, scilicet a Deo, id est improbabitur.

V. 40. HONESTE, id est decenter.

MARIANAE.

Vers. 1. AEMULAMINI SPIRITALIA, id est consectamini, quærite dona Spiritus UT PROPHETETIS, id est Prophetiam præ aliis donis optate. Erant multi qui peregrinis linguis loquebantur: id studium reprimere vult.

V. 2. QUI ENIM LOQUITUR LINGUA: peregrina scilicet Deo loquitur, quia ille solus intelligit. NEMO ENIM AUDIT, id est intelligit. SPIRITU, id est sola mente loquitur MYSTERIA, scilicet sibi ipsi. Quidam codices Græci & Latini habent *Spiritus:* sic August. legit XII. de Genes. ad litter. cap. VIII. eritque sensus: Spiritus sanctus occulta & sublimia per Scripturas, sive per os loquentis linguis loquitur: ideo Propheta opus est qui ea explicet.

V. 3. NAM QUI PROPHETAT. *Nam* pro, sed. Græc. *qui autem prophetat*; quasi dicat: Qui loquitur linguis, Deo loquitur; Propheta hominibus, quibus ea mysteria explicat.

V. 5. LOQUI LINGUIS, scilicet variis volo. MAGIS AUTEM PROPHETARE, quia id maius. NISI FORTE INTERPRETETUR, qui linguis loquitur nam in eo Prophetæ officio fungitur. Goth. *nisi forte ut interpretetur*. Quæ utilitas in variis linguis? nisi loquar

V. 6. AUT IN REVELATIONE, id est explicatione eius quod linguis loquor. AUT IN SCIENTIA, id est nisi scientiam, id est cognitionem de rebus humanis. AUT IN PROPHETIA, id est explicatione Scripturæ. AUT IN DOCTRINA, id est sapientiam & rerum divinarum cognitionem attulero.

V. 7. TAMEN; pro, sane. QUAE SINE ANIMA; quasi dicat: Sonitus tubæ, nisi explicetur per distinctionem quamdam quid velit, nihil prodest: sic qui loquuntur linguis sine interpretatione. Quæ utilitas?

V. 9. NISI MANIFESTUM SERMONEM DEDERITIS, id est nisi explicatis quod loquimini, frustra sermo vester erit.

V. 10. NIHIL SINE VOCE EST. Nulla gens, aut nullum instrumentum, aut nulla lingua, Hebræa, Græca, sine voce est; quæque suas habet dictiones: quas si ignoravero, ero ut barbarus coram loquente.

V. 11. ERO EI, CUI LOQUOR, BARBARUS. Anacharsis Scyta dicebat, *Omnes Græci mihi sunt Scythæ*: nam barbarus est qui non intelligitur, Clemens Strom. I.

V. 12. QUAERITAE UT ABUNDETIS, ut explicetis quæ loquimini, ut ad ædificationem loquamini.

V. 13. ORET, scilicet Deum. Προσεύχεσθαι etiam absolute positum, apud profanos etiam significat *orare Deum*. Ergo qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur.

V. 14. NAM SI OREM LINGUA, supple, tantum. SPIRITUS MEUS, id est halitus meus orat; id est hic πνεῦμα, *halitus*, pro voce. Invehitur in eos qui sola voce & sine attentione orant aut canunt in Ecclesia, aut etiam lingua peregrina.

V. 16. SI BENEDIXERIS SPIRITU, id est voce tantum laudaveris Deum. QUI SUPPLET LOCUM IDIOTAE, id est populi imperiti. QUOMODO DICET, AMEN, id est fit ita. QUID DICAS, NESCIT. Nec chorus, quia peregrina lingua oras; nec tu, quia sola voce. Hoc loco abutuntur hæretici, ad probandum, debere preces in Ecclesia cani lingua vulgari, uti ipsi faciunt, & in Dictionar. Syrochald. radice אמן non recte dicere *amen*, qui preces non intelligit. Verum ministri & cantores, qui supplent locum populi idiotæ, satis intelligunt preces nostras.

V. 18. QUOD OMNIUM VESTRUM LINGUA LOQUOR. Græc. *Magis quam vos omnes*

omnes linguis loquens, pro, *loquor*. Ne videatur ex invidia loquentes linguis increpasse, hoc dicit.

V. 19. VOLO; pro, malo. SENSU MEO LOQUI: διὰ νοός μου, *mente mea*, id est intelligentia, ita ut ea intelligam & intelligar. Ambrosius hic, & Hieronymus in Prolog. Galeato διὰ νόμου legerunt pro διὰ νοός, hoc sensu. Malo quinque verba legis, id est quinque Moysis libros loqui. Verum nec ea lectio vera est, neque ad rem. Ergo malo QUINQUE, id est pauca verba loqui, ita ut intelligar, quam multa IN LINGUA, scilicet peregrina.

V. 20. NOLITE PUERI EFFICI SENSIBUS, seu *mentibus* φρεσί. Nolite puerilia consectari, qualia erant loqui linguis sine ullo fructu.

V. 21. ALIIS LINGUIS .... LOQUAR POPULO HUIC. Supplicium id erat, loqui illi populo Iudæorum peregrinis linguis, quas non intelligerent: ad hoc affert testimonium Isaiæ.

V. 22. ITAQUE; pro, verum: illativa pro adversativa: neque enim ex verbis Isaiæ sequitur, linguas infidelibus esse in signum. Si omnes loquantur linguis in Ecclesia.

V. 23. INTRENT AUTEM IDIOTAE, simplices, seu catechumeni, aliive infideles, dicen tvos insanire.

V. 25. OCCULTA CORDIS. Idiotæ, quæ animo versat, aut commisit, manifestantur, si sint in Ecclesia Prophetæ. Quidam putant eo tempore fuisse viros & mulieres, qui revelarent occulta: & de hac prophetia loqui Paulum, eamque præferre dono linguarum. Cum convenitis, quisque

V. 26. PSALMUM HABET, id est facultatem Deum aliquo Psalmo laudandi. DOCTRINAM HABET, exhortandi & docendi alios potestatem. APOCALYPSIM HABET, id est donum revelationis eorum quæ sunt occulta, qui scilicet est Propheta.

V. 27. SECUNDUM DUOS. Præscribit usum linguarum, ut omnes id faciant, sed tantum duo aut tres, idque per partes, id est *vicissim*, ut Syr. vertit, & sequatur unius interpretatio, ut quæ dicuntur, a populo intelligantur. Quod si interpres non fuerit, taceat qui habet donum linguarum.

V. 29. PROPHETAE. De Prophetis idem præcipit, ut duo aut tres loquantur. Adde, per partes, vicissim. CETERI DIIUDICENT, scilicet Prophetæ de doctrina eorum qui loquuntur.

V. 30. QUOD SI ALII, id est si in aliquem Prophetiæ spiritus insiluerit, taceat qui loquebatur. Eusebius initio Psalmorum tangit morem, quem servabant cantores a Davide in quatuor turmas tributi: quod si in aliquem eorum insiliebat spiritus, ceteri silebant. Erant quatuor principes, sub singulis cantores 72. ut quoniam genus humanum in tot familias ob turrim Babylonicam divisi sunt, significaretur omnem linguam debere laudare Deum. Hæc Eusebius.

V. 31. OMNES PER SINGULOS; pro, omnes & singuli potestis prophetare, si hoc servetis.

V. 32. ET SPIRITUS PROPHETARUM sunt illi subditi, ut cum fuerit opus, eis utantur.

V. 33. IN OMNIBUS ECCLESIIS SANCTORUM DOCEO. *Doceo* non est Græc. sed suppletur, Robertus & Velesius ad marginem διδάσκω habent. Ceteri silent, etiam Syr. Quid docet? Deum esse pacis|Deum.

V. 36. AN A VOBIS. Reprimit contentiosos; quasi dicat, Num vos soli sapientes estis, ut aliter faciatis?

V. 38. SI QUIS AUTEM IGNORAT, scilicet quæ dico, illi displicent. IGNORABITUR, scilicet a Deo illi displicebit. Gr ἀγνοείτω, *ignoret*; ac si dicat: Ut voluerit, doctrina mea nihilominus vera est: sic Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius legunt; noster legit Gr. ἀγνοηθήσεται.

MENOCHII.

Vers. 1. SECTAMINI CARITATEM: quam proxime dixi reliquis virtutibus Theologicis esse præstantiorem. In Græco est διώκετε, id est persequimini caritatem: significat ardens studium caritatis, ut eam insectemur, ut venator feram fugientem. AEMULAMINI SPIRITALIA: dona Spiritus S. desiderate, & illa consequi conamini, non studio excellendi, sed ut magis proximis prodesse possitis. MAGIS AUTEM UT PROPHETETIS, ut, scilicet, ex afflatu Spiritus sancti doceatis, dicatis, vel canatis ea, quæ alios ad pietatem excitent. Hoc enim est hic *prophetare*. Vide infra vers. 24

V. 2. QUI ENIM LOQUITUR LINGUA: incognita, & peregrina. NON HOMINIBUS LOQUITUR: cum non intelligant illud idioma.

ma. SED DEO: qui non solum intelligit verba loquentis, sed etiam renes scrutatur, & corda. NEMO ENIM AUDIT: ita ut intelligat. SPIRITU ENIM LOQUITUR MYSTERIA: licet ipse divino Spiritu afflatus alta mysteria loquatur.

V. 4. SEMETIPSUM AEDIFICAT: uni sibi prodest, dum elevatur spiritu, & affectu in Deum.

V. 5. VOLO: velim, optarim. MAGIS AUTEM PROPHETARE: ut scilicet alios ad pietatem excitetis. NISI FORTE INTERPRETETUR: ex ignota lingua in aliquam notam. UT ECCLESIA AEDIFICATIONEM ACCIPIAT: ipso interpretante obscura, quæ explanata ædificant. NISI VOBIS LOQUAR AUT IN REVELATIONE. Quatuor hoc versiculo numerantur, revelatio, prophetia, scientia, & doctrina. Iungenda autem est prophetia, cum revelatione; doctrina, cum scientia; ut sensus sit: Si linguis peregrinis loquar, nec vos instruam, & doceam, vel per doctrinam labore, & scientia partam, vel per prophetiam revelatione acceptam, nihil vobis prodero.

V. 7. TAMEN: ὅμως, quasi dicat: Etiam, quin etiam ex inanimatis quod dico cognosci potest, scilicet linguas nihil prodesse, nisi intelligantur: nam pari modo cithara, & tibia, nisi distinctum dent sonum, ita ut intelligantur, nemini proderunt; nemo enim sciet quid canatur, aut citharizetur, nec se iis pascet, aut oblectabit, nec concinne, & ad numerum saltabit.

V. 9. MANIFESTUM SONUM: εὔσημον, bene significantem intelligibilem. ERITIS ENIM IN AERA LOQUENTES: aerem frustra sono vocis vestræ verberabitis, cum nullus intelligat.

V. 10. UT PUTA, id est *nempe*, εἰ τύχοι; ut res tulerit, ut varias linguas audire contingit. Aliqui vertunt, *Verbi gratia*, eodem sensu. ET NIHIL SINE VOCE EST: & nulla linguarum est sine voce distincta, & intelligibili, si calleas illud idioma.

V. 11. VIRTUTEM: δύναμιν, vim, & significationem vocum illarum. ERO EI, QUI LOQUOR, BARBARUS. Barbarus is dicitur, qui in alia regione constitutus, eius gentis linguam male intelligit, & imperite loquitur, & si propria utatur lingua, non intelligitur: sic dicebat Ovidius:

Barbarus hic ego sum quia non intelligor ulli.

V. 12. SPIRITUUM: donorum Spiritus sancti, & gratiarum, de quibus cap. XII. AD AEDIFICATIONEM ECCLESIAE QUAERITE, &c. quasi dicat: Petite, & poscite a Deo hæc dona abunde vobis donari, & iis non ad ostentationem, sed ad Ecclesiæ ædificationem utimini.

V. 13. ORET UT INTERPRETETUR: Deum roget, ut ea quæ peregrina lingua loquitur, ad aliorum intelligentiam proferre possit explicate; ut percipiantur ab omnibus.

V. 14. NAM SI OREM LINGUA. Loquitur D. Paulus de publica oratione qua unus, privatus licet, afflatus spiritu coram omnibus alta voce orabat, ceteris audientibus, & cum eo deprecantibus, suaque vota iungentibus. SPIRITUS MEUS ORAT: Spiritu meo reficior. MENS AUTEM MEA SINE FRUCTU EST, ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπός ἐστι. id est, scientia, & significatio, quæ verbis a me prolatis subest, sine fructu est proximorum, cum ab illis non percipiatur. Itaque hoc loco *mens*, νοῦς, idem est quod Italice dicimus, *Il concetto*, *il significato*.

V. 15. QUID ERGO EST? id est, quid ergo opus est, ut faciam? ORABO SPIRITU, ut spiritus meus oratione pascatur. ORABO ET MENTE, id est significanter, & intelligenter, ut alii spirituales fructus sint participes.

V. 16. SI BENEDIXERIS SPIRITU: si Deum laudaveris peregrina, & ignota lingua. QUI SUPPLET LOCUM IDIOTAE. In Græco est, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, *qui implet*, vel *occupat locum idiotæ*; id est, qui sedet inter idiotas, simplices, & rudes, linguarum ignaros. QUOMODO DICET, AMEN, approbaturus tuam orationem, si illam non intelligit.

V. 17. NAM TU QUIDEM BENE GRATIAS AGIS, nimirum quatenus spiritu, id est pia animi devotione id facis. SED ALTER NON AEDIFICATUR, cum nihil eorum quæ dicis intelligat. OMNIUM VESTRUM LINGUA LOQUOR, id est omnium gentium, quæ vobiscum, & inter vos versantur; quasi dicat: Non vitupero donum linguarum, nam & ipse eo utor, sed non eo modo, quo vos in Ecclesia ad ostentationem, sed ad ædificationem.

V. 19. Sed in Ecclesia volo, id est malo. Quinque, id est paucissima. Sensu meo: ita ut intelligar. In lingua: peregrina, quam audientes non intelligant.

V. 20. Nolite pueri effici sensibus; quasi dicat: Mente, iudicio, ac ratione nolite effici pueri, ut pueriliter ostentetis donum vestrum linguarum. Sed malitia parvuli estote: sed estote in malitia simplices, ita ut illa vobis, quasi infantibus sit incognita. Sensibus autem perfecti estote; id est, mente, & animo similes estote viris adultis; & ætate perfectis, ita ut habeatis sensus exercitatos ad spiritualem boni, malique discretionem.

V. 21. In lege: Isa. xxviii. 11. aliquando enim lex vocatur non solum Pentatheucus, sed & prophetæ, totumque vetus Testamentum. In aliis linguis, et labiis loquar populo huic; quasi dicat: Ego Dominus loquar populo huic Iudaico variis, & peregrinis linguis, scilicet per Apostolos meos; quod quidem præcipue impletum fuit in die Pentecostes, Act. ii. Aliam huius explicationem vide Isai. xxviii. 11. Et nec sic exaudient me, & ne sic quidem, id est viso huiusmodi signo, quod eis daturus sum, exaudient me, id est credent, aut obtemperabunt verbis meis, quæ loquar per Apostolos.

V. 22. In signum sunt, &c. veritatis fidei, non fidelibus, qui iam credunt, sed infidelibus, ut credant. Prophetiae autem, id est doctrinæ verbi Dei & exhortationes. Non infidelibus sed fidelibus; scilicet signum sunt, nimirum benedictionis, qua Deus suos erudit & benedicit, id est ad omne bonum incitat, & promovet.

V. 23. Omnes linguis loquantur: simul, mixtim, confuse, tumultuarie. Idiotae: qui dialectum illam non intelligunt. Aut infideles: qui nesciunt quid sit habere donum linguarum.

V. 24. Si autem omnes prophetent. Prophetare accipitur pro eo quod est ex inspiratione divina proferre quædam occulta, præsertim pertinentia ad explicationem scripturarum, atque ex iis auditores instruere. Convincitur ab omnibus: quia nimirum ab omnibus prophetis, id est doctoribus, & concionatoribus. de sua infidelitate malis moribus, & vitiis arguitur, & increpatur.

V. 25. Occulta cordis eius manifesta fiunt: dum exhortator, & doctor ea loquitur, quibus se peti sentit auditor, sive is qui loquitur discretionem habet spirituum, & ad illius auditoris salutem sermonem suum dirigat, sive non habeat, & casu quodam, ex divina tamen providentia, in sermonem illum incidat. Et ita cadens in faciem, &c. id est, tota cordis, & corporis humilitate verum Deum agnoscet, & imposterum eum sibi colendum statuet. Pronuncians, &c. id est, profitens, & palam affirmans Deum Christianorum esse verum Deum. Quid ergo fratres; scilicet, faciendum est. Cum convenitis: in Ecclesiam. Unusquisque vestrum psalmum habet; quasi dicat: Ego vobis sum auctor, ut quotiescumque convenitis, ita sint inter vos omnia constituta, ut alius quidem canticum, alius doctrinam proferat, alius peregrino sermone loquatur, alius revelationem promat, alius adhibeat interpretationem, ut ad Ecclesiæ utilitatem cuncta referantur. Psalmum habet: gratiam psallendi, qua hymnum, aut psalmum dictet, aut cantet. Doctrina habet: gratiam populum docendi in iis quæ ad fidem pertinent, & bonos mores. Apocalypsim habet, id est revelationem, & explicationem aliquam, velloci alicuius obscuri sacræ Scripturæ, vel rei futuræ, aut occultæ. Linguam habet: donum linguarum. Interpretationem: donum interpretandi peregrinas linguas.

V. 27. Secundum duos, aut ut multum tres, id est duo, aut ad summum tres loquantur, scilicet in uno conventu. Et per partes, id est quisque seorsum, & vicissim, ne fiat confusio. Et unus interpretetur; hoc est, unus aliquis interpretandi dono præditus, statim interpretetur quod alius lingua peregrina dixerit, ne scilicet huiusmodi sermo a nemine intellectus, fructu careat.

V. 28. Taceat in Ecclesia: is qui habet donum linguarum. Sibi autem loquatur, et Deo; tacitus secum oret.

V. 29. Prophetae autem duo, aut tres dicant; scilicet suas prophetias, sua dogmata, lumina, aut monita a Deo inspirata. Et ceteri: Prophetæ. Diiudicent: ex dono sibi concesso, an id quod dicit propheta, sive doctor, sit vere prophetia, id est doctrina sana, & utilis, necno-

V. 30.

V. 30. QUOD SI ALII, &c. quod si alii prophetæ sedenti, & audienti aliquid melius revelatum fuerit, is surgat ad dicendum, & prior ille qui loquebatur taceat, & audiat verba facientem.

V. 31. POTESTIS ENIM OMNES PER SINGULOS PROPHETARE; quasi dicat: Possunt omnes prophetæ sigillatim hac ratione exhortari, si nimirum servent modum, & ordinem, quem iam præscripsi. ET OMNES EXHORTENTUR: παρακαλῶνται, quod passive accipitur, id est exhortationem & consolationem accipiant.

V. 32. ET SPIRITUS PROPHETARUM PROPHETIS SUBIECTI SUNT. Dat Paulus caussam cur Prophetæ sibi invicem cedere, & tacere debeant, quia nimirum spiritus propheticus est in potestate prophetantis, docentis, scilicet aut exhortantis, nec aguntur ad verba proferenda eo impetu, quo fanatici idololatræ.

V. 33. DISSENSIONIS: ἀκαταςασίας, id est confusionis & turbati ordinis, ut esse solet in tumultu, & seditione.

V. 34. SICUT ET LEX DICIT, id est Scriptura: Gen. III. 16. *sub viri potestate eris*.

V. 35. TURPE ENIM EST MULIERI LOQUI IN ECCLESIA, id enim est contra verecundiam illi sexui naturaliter inditam.

V. 36. AN A VOBIS VERBUM DEI PROCESSIT? Est acris obiurgatio concludens dicta hoc cap. & præcedenti, quasi dicat; Nonne ante vos credidit Ecclesia Iudaica, Samaria. Palæstina, Cyprus, & Syria? Inspicite ergo ordinem, & morem illarum ecclesiarum, an ita de suis donis contendant an ita linguas suas iactitent, & de iis ita pueriliter glorientur, ut vos facitis. AUT IN VOS SOLOS PERVENIT? an vos soli credidistis? Vestra ecclesia nec prima est, nec sola, debetis ergo priores imitari, & illis vos conformare.

V. 37. SI QUIS VIDETUR PROPHETA ESSE: si quis inter vos eminet, & habetur tamquam excellens propheta. AUT SPIRITUALIS: in rebus spiritualibus cognoscendis & diiudicandis eruditus. DOMINI SUNT MANDATA: per me iubentis ut hic ordo servetur in vestris cætibus.

V. 38. SI QUIS AUTEM IGNORAT; quasi dicat, Qui non vult agnoscere has leges, & potestatem meam. IGNORABITUR. Noster interpres legit ἀγνοηθήσεται, & sensus est, Si quis non agnoscit hanc legem, nec illi paret *ignorabitur*, id est improbabitur Deo dicenti, *Nescio vos*, nam *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*. In textu Græco quem nunc habemus est ἀγνοείτω, *ignoret*, quasi dicat: Si quis hanc legem non agnoverit, sed eam violarit, contempserit, per me quidem ignoret, aut contemnat licet, certe suo malo id faciet.

V. 39. AEMULAMINI PROPHETARE: quoniam æmulatores estis spirituum, id consequi studete, quod magis ædificat, id est donum, & actum prophetandi potius, quam linguis loquendi. ET LOQUI LINGUIS NOLITE PROHIBERE; id est, ne reiicite tanquam malum, aut inutile; habet enim & illud suam utilitatem, modo quis in tempore utatur.

V. 40. OMNIA AUTEM HONESTE FIANT: ad honestatem, & decentiam pertinet ne mulieres in Ecclesia loquantur; id enim turpe est, ut supra dixit. ET SECUNDUM ORDINEM: ad ordinem spectat, ne quibus loqui licet, plures simul loquantur, sed singuli, alius post alium. IN VOBIS: in publicis vestris conventibus.

TIRINI.

Vers. I. SECTAMINI; Græce, διώκετε, id est persequimini (ut solent venatores) CARITATEM pro omnibus virtutibus. SPIRITALIA vero dona gratis dari solita, per me licet AEMULAMINI, & assequi conamini, sed duce caritate. Et inter omnia primo loco vobis commendo *prophetiam*, id est donum explicandæ, docendæ & applicandæ sacræ Scripturæ, vel de divinis rebus verba faciendi *a*, hymnos & psalmos in Dei laudem componendi & cantandi *b*. Nam etiam priscorum Prophetarum munus erat non tantum futura prædicere, sed etiam docere populum, concionari, & laudes divinas decantare *c*.

V. 2. QUI ENIM LOQUITUR lingua multiplici, peregrina & ignota (quod quia novum & mirificum videtur, vos adeo affectatis,) non multum consulit publico bono: NON enim HOMINIBUS instruendis vel excitandis LOQUITUR, SED soli Deo laudando; NEMO ENIM non præditus simili dono audit, id est intelligit sic loquentem: quia obscuro & plebi-

plebi, ignoto idiomate, LOQUITUR: MYSTERIA, *Spiritu* sancto suggerente quidem, sed ad privatum loquentis, non ad publicum, audientium bonum. Unde talis,

V. 4. AEDIFICAT solum SEMETIPSUM, & sibi uni prodest, dum elevatur spiritu, & rapitur affectu in Deum. Sed non AEDIFICAT aut instruit ECCLESIAM DEI, sicut is QUI PROPHETAT, & concionatur lingua nota & vulgari.

V. 5. VOLO quidem, id est opto, vellim, OMNES VOS LOQUI LINGUIS peregrinis omnis generis: sed longe MAGIS optem OMNES PROPHETARE. NAM MAIOR, id est potior & præstantior est, quia utilior Ecclesiæ, QUI PROPHETAT, QUAM QUI LINGUIS ignotis LOQUITUR: NISI FORTE, quod ignotis linguis locutus est, nota mox lingua INTERPRETETUR &, populo exponat: &, sic prophetare incipiat.

V. 6. QUID VOBIS PRODERO EX cathedra vobiscum LOQUENS, NISI sic LOQUAR ut vos instruam & doceam, seu per *prophetiam* REVELATIONE acceptam, seu per vulgarem *doctrinam* SCIENTIA, & labore partam?

V. 7. TAMEN, Græce ὁμῶς, id est similiter, quin etiam res inanimatæ testantur, nihil prodesse hominibus, quod non intelligitur; nemo enim qui nescit quid tibiis, cithara vel tuba canatur, ad numerum saltare potest, aut bello sese accingere, &c.

V. 10. & 11. NIHIL, id est nullum genus linguarum cuiuscumque demum nationis, SINE VOCE EST, intelligibili ei qui linguam illam callet; sed ei qui non callet illam, ut fructum inde percipiat; non sufficit vocem audisse, nisi *norit* etiam VIRTUTEM, id est vim, energiam & significationem vocis.

V. 12. VOS igitur, QUONIAM profitemini *vos æmulatores esse* SPIRITUUM, id est spiritualia dona studiose affectare; QUAERITE præ omnibus donum prophetiæ, UT eo ABUNDETIS, & excellatis AD communem ECCLESIAE AEDIFICATIONEM & instructionem.

V. 13. IDEO QUI LOQUITUR LINGUA dum in Ecclesia orat, nempe publica oratione *d*, quæ fiebat in Ecclesia, uno alta voce ceteris præeunte, ut reliqui docerentur orare, & utilia a Deo deposcere. Qui ergo peregrina lingua aliis præorat, sic ORET, UT simul aliis INTERPRETETUR exponatque nota lingua quid oret.

V. 14. NAM SI OREM publice LINGUA solum peregrina, SPIRITUS MEUS ORAT; id est, ego quidem oro Deum, & in animo meo fructum orationis meæ percipio; sed MENS MEA SINE FRUCTU EST; id est intentio & scopus quem præcipue intendere debeo in talibus publicis orationibus vel exhortationibus, scilicet instruere, solari populum; non subsequitur orationem meam, quia nempe alii non instruuntur: sicut si quis apud rudem plebem græce vel latine concionari vellet: ita Oecumen. & Theodoretus. Inferunt Novantes, Ergo etiam sine fructu canuntur in Ecclesia laudes divinæ lingua Latina. Respondeo, Nego sequelam. Quia laudes illæ primo non diriguntur primario ad plebis instructionem, sed ad gloriam & cultum Dei, promovendum, quod, ut hic *e* docet Paulus, potest etiam peregrina lingua fieri, & forte decentius lingua sacra, quam profana: & utilius lingua toti pene orbi aliquo modo intellecta, quam vulgari lingua non nisi uni provinciæ nota. Et sic *mens*, seu intentio, Ecclesiæ in talibus, non est sine fructu, quia Deus pro decentia laudatur, honoratur & colitur; quod unicum in his intendit. Unde secundo, quando divinæ laudes latine decantantur, non possunt dici decantari lingua peregrina quæ a nemine intelligatur: nam plurimi, seu incolæ, seu advenæ, sunt illius periti, & intelligitur etiam a multis mulierculis. Neque hoc fit sine omni interpretatione, cum quæ in templis decantantur, in vulgarem linguam translata in plurimis libellis extent, e quibus quicumque volunt, interpretationem haurire possint. Secus erat tempore S Pauli, cum publicæ, quæ tum fiebant, preces, primario fierent etiam ad populi (ut diximus) instructionem: sed a quibusdam, gloriolæ forte studiosis, subinde instituebantur lingua non Latina vel Græca (quæ sat vulgares tunc erant,) sed peregrina & omnibus ignota: ex qua præter admirationem nullus alius fructus populum consequebatur. Vide Bellarminum *f*.

V. 15. QUID ERGO EST mihi faciendum, cum in publicis conventibus populo ut me sequatur, præoro? Respondet, ORABO SPIRITU, id est ita ut ego fructum

ORA-

Orationis in animo meo percipiam; sed simul ORABO ET MENTE id est ita ut intentionem quoque meam & scopum alloquar, scilicet ut etiam cæteri præsentes intelligant, instruantur, & præeuntem subsequantur; quasi dicat, Orabo lingua omnibus nota.

V. 16. SI enim BENEDIXERIS, seu Deum laudaris solo SPIRITU, id est lingua peregrina, ex qua soli tuo spiritui, seu animo fructus subnascitur, *is* QUI SUPPLET; Græce, *implet* vel occupat, LOCUM IDIOTAE, seu qui est ex idiotis & rudibus, id est plebs indocta, QUOMODO DICET, AMEN, & approbabit tuam orationem, si illam non intellexerit? ita S. Chrysostomus & Thophylactus.

V. 19. IN ECCLESIA, seu publico cœtu dum versor, VOLO, id est malo, QUINQUE, id est paucissima, VERBA LOQUI SENSU MEO, id est idiomate quo ab aliis sentiar, & intelligar, QUAM MILLIA VERBORUM: id est innumera, IN LINGUA aliis ignota.

V. 20. NOLITE PUERI EFFICI SENSIBUS, id est mente, iudicio & ratione, nempe ut pueriliter ostentetis donum vestrum multiplicium linguarum; sed PERFECTI ESTOTE, id est similes viris adultis & ætate perfectis; ita ut mentem & animum MALITIA habeatis vacuum, spiritualibus fructibus plenum: ita S. Chrysost.

V. 21. IN LEGE (quæ subinde etiam Prophetas complectitur) SCRIPTUM EST Isaiæ XXVIII. 11. POPULO HUIC Iudaico rebelli mihi & pervicaci, & Prophetarum meorum dicta exsibilanti, LOQUAR mox ALIIS LINGUIS ferratis & ferratis Chaldæorum: & Allegorico sensu, peregrinis linguis Apostolorum meorum a die Pentecostes & ac deinceps. ET NEC SIC quidem, viso tanto signo, seu miraculo, *exaudient* ME, id est obtemperabunt monitis meis.

V. 22. ITAQUE LINGUAE IN SIGNUM SUNT, id est ad hoc cælitus datæ sunt, ut pro signo, ostento & miraculo deserviant trahendis ad fidem INFIDELIBUS: nempe, dum vident eos qui Christi fidem suscipiunt, loqui multis peregrinis linguis, subito infusis, (quod naturaliter est impossibile;) percelluntur, & fidem ac religionem Christianam a Deo esse fateri coguntur. Vobis vero iam tractis ad fidem, non sunt usui peregrinæ linguæ, sed PROPHETIAE & exhortationes & doctrina verbi Dei.

V. 23. SI OMNES LINGUIS solum ignotis LOQUANTUR, NONNE INFIDELES, ignari quid sit & unde obveniat donum linguarum, DICENT QUOD INSANITIS.

V. 24. SI AUTEM OMNES PROPHETENT, & nota lingua exhortentur se mutuo ad omnem virtutem, vel etiam divinas laudes decantent; mox CONVINCITUR INFIDELIS, quia sentit, se iuste *diiudicari*, id est redargui & damnari.

V. 25. OCCULTA CORDIS EIUS, quæ putabat totum mundum latere, videt MANIFESTA vobis esse: nam sæpe Deus, seu per donum prophetiæ, vel discretionis spirituum, seu per alias providentiæ suæ vias, ita dirigit linguam doctoris, ut apposite tangat & arguat verbis suis etiam occultissima vitia præsentium auditorum, ut putent eum peculiariter sibi prophetice loqui. Id frequens fuisse in primitiva Ecclesia patet ex hoc loco. Et ut etiamnum fiat, orandus ante concionem Deus, inquit S. Augustinus *b*.

V. 26. CUM ad publicos cœtus CONVENITIS, auctor vobis sim, sic inter vos munia partiamini: UNUSQUISQUE VESTRUM vel PSALMUM proferat, si gratia psallendi valet: vel DOCTRINAM, seu instructionem populo accommodam: vel APOCALYPSIM, id est revelationem sibi peculiariter factam: vel LINGUAM peregrinam, sed adiecta mox *interpretatione*: decenti ordine omnia, & AD publicam Ecclesiæ AEDIFICATIONEM. Vide de his S. Iustinum & Tertullianum, qui quæ in publicis Christianorum conventibus tum fiebant, fuse describunt. Et veterum istorum conventuum formam servat etiamnum Ecclesia in concionibus, Missa, & Horis Canonicis, ubi Scripturæ leguntur & exponuntur, psalmi & hymni decantantur.

V. 29. PROPHETAE DUO AUT TRES DICANT suas prophetias, id est lumina sibi a Deo inspirata, seu de rebus futuris vel absentibus, seu de mysteriis reconditis S. Scripturæ: ET CETERI, non idiotæ, sed Prophetæ, qui simili dono præditi sunt, DIIUDICENT, an id quod Propheta, seu doctor in medium profert, sit sanæ & utilis doctrinæ, nec ne.

V. 31. POTESTIS OMNES, quoquot prophetiæ donum habetis, PROPHETARE PER SIN-

SINGULOS, id est sigillatim, ordine quisque suo, UT OMNES EXHORTENTUR passive, id est exhortationem & instructionem accipiant.

V. 32. SPIRITUS PROPHETARUM non est ille fanaticus idololatrarum, qui vates cogat eloqui etiam invitas; sed *subiectus est* PROPHETIS, & in eorum est potestate: unde possunt commode sibi invicem cedere Prophetæ, & vices suas operiri, concordiæ, pacis & ædificationis causa. Porro in his omnibus publicis muniis

V. 34. MULIERES quando IN ECCLESIIS sunt, TACEANT: debent enim non præesse, sed *subditæ* ESSE viris, iubente lege, Gen. III. 16. *Sub viri potestate eris.*

V. 36. AN VERBUM DEI, seu prædicatio Evangelica, A VOBIS o Corinthii, primum PROCESSIT? AUT IN VOS SOLOS PERVENIT? videlicet pro vestro libito sacra tentare, conventus ordinare, meisque decretis, quasi sapientiores me contradicere velitis? nonne ante vos crediderunt Ecclesiæ Palæstinæ, Samariæ, Cypri, Syriæ, & tot aliæ? illarum, si sapitis, ordinem, mores & ritus inspicite & observate. Non quod timeam aut detrectem iudicia proborum vel doctorum: nam

V. 37. SI QUIS inter vos VIDETUR PROPHETA ESSE excellens & indubitatus, AUT saltem SPIRITUALIS, id est in rebus spiritualibus dignoscendis diiudicandisque peritus, talis per me licet, COGNOSCAT QUAE SCRIBO VOBIS: deprehendet, certus scio, QUIA DOMINI, id est Christi, MANDATA SUNT, non per se immediate, sed mediate per me (cui hanc potestatem dedit) iubentis ut iam dicta omnia observetis in cœtibus vestris.

V. 38. SI QUIS AUTEM IGNORAT, id est non vult has leges, & potestatem meam agnoscere, IGNORABITUR vicissim a Christo ulturo hanc legato suo factam iniuriam, dicturoque, *Nescio vos*, k id est *reprobabitur*, inquit S. August. & Anselmus. Græca habent, *ignorans esto*, id est relinquatur suæ ignorantiæ: ut *qui in sordibus est, sordescat adhuc* l. Certe suo malo id faciet. Fixa stat enim Christi sententia, *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit* m. Quod nota pro Canonibus & legibus Prælatorum Ecclesiæ.

(a) Hic vers. 3. & 25.
(b) Hic vers. 26. & Proleg. de Idiotism. Hebr. c. 11.

(c) I. Reg. x. 5. & xix. vers. 20. & Proleg. sup.
(d) Patet ex seq.
(e) Vers. 2. quæst. xiv.
(f) Bellarm. de verbo Dei; an lingua vulgari, &c.
(g) Actor. II. 4.
(h) August. Lib. IV. Doct. Christianæ cap. xv.
(i) Iustin. in fine Apologiæ II. ad Antoninum Tertull. in Apologetico cap. IIX.
(k) Matth. VII. 23. & XXV. 12.
(l) Apoc. XXII. 11.
(m) Lucæ x. 16.

GORDONI.

Vers. 1. &c. VOlens Paulus eximere Corinthiis nimium desiderium linguarum; sicut prius prætulit his donis caritatem; ita nunc anteponit linguis prophetiam. Prophetare autem hic (unde pendent totum hoc caput) est ex instinctu Spiritus sancti, dicere, docere & canere ea, quæ homines excitant ad pietatem, ut satis apparet ex vers. 24. & 25. Sensus iam primi versus ad litteram est; magno studio vos oportet sectari (διώκειν, *persequi*, vim habet) caritatem & spiritualia; non tamen inani aliquo fine, sed magis, ut prophetetis, hoc est, proximo possitis prodesse. Quam varie accipiatur τὸ prophetare dixi I. Paralip. cap. XV. item I. Reg. cap. X. hic tamen designat quod ab aliquibus fiebat speciali motu Spiritus sancti, ad excitandam, ut dixi, pietatem, cui rei nunc successit in Ecclesia, lectio, cantus & concio.

V. 2. QUI ENIM LOQUITUR. Cur autem magis expediat prophetare, ut dictum est, dat rationem; quia cum aliquis peregrina lingua loquitur mysteria, Deo quidem loquitur, qui omnia intelligit; sed qui bene prophetat, intelligitur, & iuvat proximum, erudiens eum ad omnem pietatem. Item, ut ait versu quarto, linguis loquens se quidem ædificat; at prophetans ædificat multos, & Ecclesiam Dei. Ergo, volo, inquit, ut prophetetis: nam maior est qui prophetat. Non ita ergo prosunt linguæ, nisi adsit simul interpres, & revelatio, sintque hæc omnia simul, labor, scientia linguæ & revelatio. Hæc usque ad versum septimum.

V. 7. usque ad 12. TAMEN QUAE SINE ANIMA. Iterum probat quod dixit, petito a rebus inanimatis argumento; linguas non prodesse nisi intelligantur, & sit qui revelet. Sic in cantu, in cithara, in tuba: & de-

demum nisi sciatur quod dicitur, aerem tantum verbero, & videbor audienti barbarus, τό, UT PUTA, aliqui reddunt, verbi gratia, aut nempe, Græce, εἰτύχοι, *ut contigerit*. BARBARUS, ignotæ linguæ homo vilior haberi solet, ut Ovidius apud Getas.

V. 12. SIC ET VOS. Ergo hoc restat; fratres, qui dona gratiæ & spirituum optatis, ut quæratis ædificationem Ecclesiæ. Petite a Deo, ut hæc vobis dona concedantur.

V. 14. &c. NAM SI ORO REM. Dat rationem cur linguis melior sit interpretatio, & ita loqui ut intelligatur sensus verborum ab audientibus. Verbi gratia, dum orat aliquis publice, spiritus quidem ipsius orat, & pascitur a Deo: verum si non oret etiam mente ac sensu suo, ita ut audiens intelligat quod dicitur, orabit sic, sibi quidem bene, sed ἄκαρπος, & sine fructu audientis, scilicet idiotæ, qui linguam illam non intelligit. Opus est ergo interprete, ut sit fructus in audiente idiota, qui non intelligit nisi vulgarem linguam. Opponit ergo hæc duo, linguam & mentem, ubi νοῦς, *mens*, accipitur pro sensu vocum & intelligentia. Et tale est discrimen inter orationem, quæ publice fit, intellectam, & non intellectam. Hic iam Novator: Cur non, inquit, vulgari lingua Missa & Canonicæ preces? Respondeo, licitum quidem esse privatis vulgari lingua orare. Omnino vero expedit publicas & canonicas preces & Missam una fieri lingua, ne si iuxta varias nationes, variis tot linguis orando uti oporteret, nascerentur in editionibus variis errores, ut impossibile foret huic malo occurrere. Electa ergo est una lingua, Latina, Græca vel Hebraica, quæ sunt maxime communes. Si quid vero in ritu & ceremoniis cognoscendum sit, iubet Trident. sess. XXII. cap. VIII. illud explicari a Parocho. Idem de orationibus. Denique Paulus loquitur, ut iam dicam de novis privatorum orationibus, quæ dabantur in publicum, nihil ibi de Missa.

V. 16. CETERUM SI BENEDIXERIS SPIRITU; id est, si Deum in oratione laudaveris tantum tua ignota lingua, quid faciet idiota, seu quivis e plebe? quomodo pro more respondebit, amen, probans quæ dicta sunt, si nescit quid dicatur. Sunt etiam qui hæc verba intelligunt de publica oratione & benedictione post sacrificium. Verius tamen est loqui hic Paulum de privatorum psalmis, quos privati afferebant, ut proferrentur, ut constat ex vers. 26. Idem de vulgari lingua approbat suo exemplo, vers. 18. Mallem, inquit, meo sensu loqui, hoc est, ut intelligar ab audientibus. Sensu vulgari & noto, quo soleo uti, quamvis linguas sciam.

V. 20. NOLITE PUERI EFFICI. Nolite ergo pueri in ostentatione linguarum videri. SENSIBUS PUERI, hoc est, mente & iudicio tamquam pueri: simplices sitis & parvuli in malitia, ita ut sit vobis incognita.

V. 21. IN LEGE. Hoc est Isai. cap. XXVIII. 11. nam nomen legis aliquando totum vetus testamentum designat. Sensum litteralem dixi ibidem esse de Chaldæis. Hic sensum allegoricum dat Paulus de dono linguarum dato Apostolis. Vide litteralem sensum verborum Isaiæ, unde apparebit linguas illas ostensas fuisse Iudæis & infidelibus in signum veritatis. Potior est nota & felicius signum in prophetia, qua denotat se velle suos fideles plene docere in via virtutis.

V. 23. SI ERGO CONVENIAT. Ab effectu præfert linguis prophetiæ & interpretationis donum: quia idiotis linguæ ignotæ risum movent; prophetia autem ædificationem, nempe explanatio ex motu Spiritus sancti rerum ad pietatem pertinentium: hoc enim est hic prophetare, & aperire quod linguis præfertur.

V. 26. QUID ERGO EST FRATRES. Ostendit deinceps quo ordine, qua modestia & prudentia debeant in Ecclesia his donis variis uti, prout quisque attulerit vel psalmum vel doctrinam, vel apocalypsin, seu interpretationem Scripturæ, aut linguas. Erant hæc omnia rite instituta in veteri Ecclesia; quod satis hic docet Paulus: quibus successerunt psalmodiæ, lectiones (in horis Canonicis & Missa) Concio & sacrum. Quæ quidem omnia in tota Ecclesia servata sunt, quamvis ritus & modus agendi (ut in rebus fieri postulant nova tempora) non potuerit semper esse idem.

V. 32. ET SPIRITUS PROPHETARUM. Hoc versu & deinceps ordinem in Ecclesia, de quo iam dicere cœpit, adhuc perficit. Dixit prophetas sibi invicem cedere debe-

debere. Ratio nunc datur, quia spiritus propheticus est in potestate prophetantis, seu docentis. Absit ergo contentionis dissensio. Non doceant in Ecclesia mulieres, absurdum est.

V. 36. AN A VOBIS VERBUM DEI PROCESSIT? Concludit hoc caput hac satis acerba reprehensione; ac si diceret: Nolite in linguis gloriari, nolite prophetantes contendere. Ordinem datum & mandata hæc quæ, per me iubet Deus, servate, memores verbum Dei a vobis non sumpsisse principium. Multi ante vos per Asiam & alibi crediderunt, & finiens honestatem & ordinem inculcat. Ex hoc Pauli de mandatis exemplo, & potestate a Christo tradita, condit Canones & leges Pontifex. Et cur non ut princeps secularis? errat Novator, si dicat omnia esse in Scriptura expressa. Ceterum quæ hic statuit Paulus non sunt leges divinæ, sed humanæ & Ecclesiasticæ. Quod si præter scripturas (quas melius quam Novator intellexit Paulus) has constitutiones adiecit Paulus, obmutescat necesse est Novator.

CAPUT XV.

Christum docet a mortuis resurrexisse, multisque ac demum Paulo qui se minimum dicit Apostolorum apparuisse: ac nostram hic astruit resurrectionem, & ordinem ac modum eius, una cum diversa resuscitatorum gloria; non in anima solum, sed etiam in corpore: mors autem in resurrectione absorbebitur.

1. NOtum (*a*) autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis: quod & accepistis, in quo & statis, 2. per
quod & salvamini: qua ratione prædicaverim vobis, si
tenetis, nisi frustra credidistis. 3. Tradidi enim vobis in
primis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est
pro peccatis nostris (*b*) secundum Scripturas: 4. (*c*) &
quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum
Scripturas: 5. & quia visus est Cephæ, & post hoc undecim: 6. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt: 7. Deinde visus est Iacobo,
deinde Apostolis omnibus. 8. Novissime autem omnium tamquam abortivo, visus est & mihi. 9. (*d*) Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum
dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. 10. Gratia
autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum: 11.
Sive enim ego, sive illi; sic prædicamus, & sic credidistis. 12. Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis,
quoniam resurrectio mortuorum non est? 13. Si autem resurrectio mortuorum
non est; neque Christus resurrexit. 14. Si autem Christus non resurrexit, inanis
est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra: 15. invenimur autem &
falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum: quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. 16. Nam si
mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. 17. Quod si Christus non
resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. 18. Ergo
& qui dormierunt in Christo, perierunt. 19. Si in hac vita tantum in Christo
sperantes sumus, miserabiliores sumus hominibus. 20. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium: 21. (*e*) quoniam quidem per hominem
mors, & per hominem resurrectio mortuorum. 22. Et sicut in Adam omnes moriuntur,

untur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. 23. (*f*) Unusquisque autem
in suo ordine, primitiæ Christus: * deinde ii, qui sunt Christi, qui in adven-
tu eius crediderunt. 24. Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo & Patri,
cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. 25. Opor-
tet autem illum regnare, (*g*) donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.
26. * Novissima autem inimica destruetur mors: (*h*) Omnia enim subiecit sub
pedibus eius. Cum autem dicat: 27. Omnia subiecta sunt ei; sine dubio præ-
ter eum, qui subiecit ei omnia. 28. Cum autem subiecta fuerint illi omnia:
tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus om-
nia in omnibus. 29. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si
omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis? 30. ut quid
& nos periclitamur omni hora? 31. * Quotidie morior per vestram gloriam,
fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. 32. Si (secundum ho-
minem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resur-
gunt? (*i*) manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. 33. Nolite sedu-
ci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. 34. Evigilate iusti, & nolite
peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.
35. * Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient?
36. Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. 37. Et
quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum,
utputa tritici, aut alicuius ceterorum. 38. Deus autem dat illi corpus sicut
vult: & unicuique seminum proprium corpus. 39. Non omnis caro, eadem
caro: * sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia
autem piscium. 40. Et corpora cælestia, & corpora terrestria: sed alia qui-
dem cælestium gloria, alia autem terrestrium. 41. Alia claritas solis, alia cla-
ritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate:
42. sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incor-
ruptione. 43. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infir-
mitate, surget in virtute: 44. Seminatur corpus animale, surget corpus spiri-
tale. Si est corpus animale, est & spiritale, sicut scriptum est: 45. (*k*) Factus est
primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivi-
ficantem. 46. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod
spiritale. 47. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cæ-
lestis. 48. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cæle-
stes. 49. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem
cælestis. 50. Hoc autem dico fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possi-
dere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. 51. Ecce myste-
rium vobis dico: * Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.
52. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: * canet enim tuba, &
mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. 53. Oportet enim corrupti-
bile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.
54. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui
scriptus est: (*l*) Absorpta est mors in victoria. 55. Ubi est mors victoria
tua? ubi est mors stimulus tuus? 56. Stimulus autem mortis peccatum est:
virtus vero peccati lex. 57. (*m*) Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam
per Dominum nostrum Iesum Christum. 58. Itaque fratres mei dilecti, stabi-
les estote, & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quod
labor vester non est inanis in Domino.

(a) Gal. 1. 11. (b) Isai. lxiv. 5. (c) Ioan. 11. 2. Ioan. xx. 19. (d) Act. ix. 3. Ephes. iii. 8.
(e) Coloss. 1. 18. Apoc. 1. 5. (f) I. Thess. iv. 15. (g) Psal. cix. 1. Heb. 1. 13. & x. 13.
(h) Psal. viii. 8. Hebr. 11. 8. (i) Isa. xxii. 13. Sap. 11. 6. (k) Genes. 11. 7. (l) Osee xiii.
14. Hebr. 11. 14. (m) Ios. v. 5.

B R U G E N S I S.

Romanae Correctiones.

Vers. 23. *Deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu eius crediderunt.* Correctores prætulerunt casum sextum *adventu*, ei qui est in plerisque libris, quarto *adventum*.

Vers. 26. *Novissima autem inimica destruetur mors.* Non scribas adverbium *novissime* loco nominis *novissima*.

Vers. 31. *Quotidie morior per vestram gloriam.* Romani Patres prætulerunt monosyllabum *per* dissylabo *propter*.

Vers. 35. *Sed dicet aliquis.* Retinendum est futurum *dicet*, non substituendum præsens *dicit*.

Ibidem: *Qualive corpore venient?* Loco dictionis unius *qualive*, non sunt scribendæ duæ *quali autem*.

Vers. 39. *Sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.* Non sunt omittendæ coniunctiones, *quidem*, *vero*, *autem*.

Vers. 51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Olim quidam latini codices pro *resurgemus*, legebant *dormiemus*; sed minus recte.

Vers. 52. *Canet enim tuba.* Si non addas vocem *tuba*, vel subaudias oportet.

Notationes.

Vers. 31. Quotidie morior per vestram gloriam fratres, Multi nostrorum codicum legunt *per*; plures *propter vestram gloriam*: ab utraque parte præstantia sunt scripta; sed a priore antiqua Epanorthotæ. Carensis, Lyranus, Gorran *propter* ediderunt. Sedulius, Haymo, Primasius, Anselmus *per*; Auctor Glossæ, Lombardus, Thomas, Richelius utrumque exponunt, sed Haymo non *propter*, sed *pro vestra gloria* notat quosdam habere, quo modo & in Sedulio est, & in duobus scriptum vidimus exemplaribus, & in aliquot impressis ad marginem annotatum. Hieronymus in Epitaphio Marcellæ (cap. 151.) *propter vestram salutem*; Auctor enarrationum apud Ambrosium *pro vestra salute* habet. Augustinus autem sub finem epistolæ lxxxix. libri primi De sermone Domini in monte, cap. xxv. & sermone De verbis Apostoli XXVIII. *per* legit: & iurasse Apostolum ex hoc loco præsertim ut apud Græcos est, probat; νὴ τὴν ὑμετέραν (ἡμετέραν *Gq.*) καύχησιν, est Græce: id quod Syri diserte transtulerunt: *Iuro per gloriam vestram*. Scholiastes qui in Hieronymi est operibus cum B. Augustino legit *per*: sed studiose monet non posse hinc Apostoli iuramentum convinci, nimirum quia Pelagius, vel Pelagianus est, quorum hæresis voluit iusiurandum auferre; sed infirma nisus est similitudine. Nam si dicam: Per puerum misi, non statim per puerum iurasse recte putabor; Græce aut vocis, aut proprietatis ignarus. Ceterum νὴ, non solum μὰ quod est iurantis, sed etiam διὰ, quod est causam dantis, significare, itaut *propter* verti recte possit, his verbis Græca scholia docent: νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἢ ὀμνύει, λέγων μὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἢ διὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν ἀποθνήσκω, λέγει δὲ τὴν αὐτῶν προκοπήν, quod est: „ Aut iurat (Apostolus dum ait „ νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν) dicens: Per ve„ stram gloriationem; aut propter vestri glo„ riationem morior; dicit autem ipsorum „ profectum. „ Photii est scholion: „ Chry„ sostomus & Theophylactus *propter* intelle„ xisse videntur. “

V. 51. *Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Triplicem olim fuisse loci istius lectionem ex Hieronymi ad Minerium, & Alexandrum epistola numero 152. Augustini XX. De civitate Dei (cap. x.) libro, ac tertia ad Dulcitium quæstione, illis quæ Hieronymo tribuuntur commentariis, & Græcis Oecumenii Scholiis manifestum est. Una fuit: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*; altera: *Non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur*; tertia: *Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur*. Prima frequentior erat in exemplaribus Latinis; 3. in nonnullis erat Latinis; secunda, & tertia in Græcis. Hodie prima sola invenitur in exemplaribus Latinis; secunda est in Syricis, & plerisque omnibus Græcis; tertiam dumtaxat in Complutensium Bibliorum, & eorum quæ ex illis excusa sunt, margine legimus, qui habet pro πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, aliam Grecam litteram habere, πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα, ἀλλ' οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα, & in S. Pagnini versione, cuius hæc verba sunt: *Omnes siquidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*. Huic tertio legendi modo secundum rem respondet noster, primus inquam, qui Latinorum est: quem non facile debemus vel huic tertio, vel illi secundo postponere.

V. 52. *In novissima tuba: canet enim tuba.* Quatuor Parisiensium manuscripta (Di. o.

Ge.

Ge. o. l. V.) tria Hentenii, & unum nostrum (Brug.) auferunt posterius *tuba*: *Canet enim* duntaxat habent. Nec Græce aliud est quam σαλπίσει γάρ: id quod multi hodie Interpretes *Canet enim*; Syri olim *Dum canet* transtulerunt. Ceterum σαλπίζειν *tuba* *canere* significat, perinde ac si Latine dicas *tubare*; qua voce reddidit Interpres tractatu in Matthæum 3. (longe post medium.) aut quod usitatum est, *buccinare*. Verum si canere hic tantum vertas, *tuba* ex eo quod præcedit subaudiendum relinquitur.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. NOTUM VOBIS FACIO. Græc. γνωρίζω, quod Græci interpretantur ὑπομιμνήσκω, id est *reminisci vos facio*, & sic ordinant contextum: reminisci vos facio evangelii de resurrectione scilicet, quod prædicavi vobis, in quo vos statis, per quod & salvamini, si modo tenetis qua ratione predicaverim vobis. Vel alio modo ordinari potest: reminisci vos facio, qua ratione prædicaverim vobis evangelium, si modo illud tenetis, nisi etiam frustra credidistis.

V. 3. TRADIDI ENIM. Hoc capite adversus gentilium errorem & Sadducæorum, qui resurrectionem negabant, disputat Paulus.

V. 5. & 6. POST HOC UNDECIM. Pro undecim Græci legunt δώδεκα, id est *duodecim*: quod si legitur, dicendum numerum illum duodenarium etiam Iuda mortuo nomen suum retinuisse. DEINDE, inquit, VISUS EST PLUSQUAM QUINGENTIS FRATRIBUS, pro plusquam, Græce est ἐπάνω, quod significare potest supra, id est plusquam, vel superne visus est quingentis fratribus; sic enim Græca scholia.

V. 17. ADHUC ENIM ESTIS. Quia sicut ad Romanos 4. ait, *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*; si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris.

V. 19. IN HAC VITA TANTUM; id est, si tantum pro hac vita speramus in Christo non sperantes aliam, miserabiles sumus, qui pro Christo usque adeo affligi & mori sustinemus, nihil ab eo præmii post mortem, nullam post hanc beatiorem vitam expectantes.

V. 20. PRIMITIAE DORMIENTIUM: primitiæ Christi dicitur, quia primus ad immortalitatem resurrexit, *Deinde resurgent qui sunt Christi*, id est qui ad eum spectant, qui crediderunt in adventum eius: Græci secus habent, nimirum *resurgent in adventu eius qui ad eum spectant*.

V. 24. DEINDE FINIS. Græce τέλος, quod etiam consummationem significare potest. Nam Theodoretus Græc. hoc loco τέλος pro consummata omnium resurrectione sumit. *Deinde*, inquit, *finis*, hoc est, generalis omnium resurrectio, tunc enim finem acceptura sunt omnia. Non est autem hoc loco ordo pro temporis ordine, ut prius tempore iusti resurgant, deinde impii, quum in momento & ictu oculi futura sit resurrectio, sed pro ordine dignitatis ac meriti. TRADIDERIT REGNUM, id est ecclesiam fidelium & congregationem electorum, non quod in ea non regnet Deus, dicente Christo, *regnum Dei inter vos est*, sed quod nonnihil adhuc in eam dominetur peccatum & diabolus. Cyrillus enim & Photius Græci interpretantur, *Tradere regnum patri*, pro eo quod est, electorum ecclesiam ab omni perturbatione, & afflictione liberam, & a dæmonum insidiis & insultibus tutam, patri reddere, quod indicant sequentia, CUM EVACUAVERIT, id est aboleverit & enervaverit OMNEM PRINCIPATUM ET POTESTATEM, scilicet dæmonum potestatem & tyrannidem quam exercent adversus fideles. Mihi videtur hic sensus esse posse: Deus pater misso in mundum filio suam illi regendam ecclesiam tradidit, a qua etiam assumptus in cælum non abest, dicente ipso, *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*: quinimmo instar boni regis ab omni eam adversariorum impugnatione defendit, quo defensore ipsi ecclesiæ opus est, quamdiu hic adversus tot hostes dimicat. Quum autem generalis resurrectio fuerit, nullum iam ab hostibus ecclesiæ periculum erit neque iam defensore opus: & tunc Christus demandatum suæ custodiæ ecclesiæ regnum patri reddet, non iam regnans super eam: quæ (ut inquit Basilius) perpurgata ab omni macula, tota in Deum rapietur, nec iam illi mandato opus erit,

in

ut iam imperium in illam exercere desinat: neque quum patri regnum tradit ecclesiæ ab sese abdicat; sicut quum a patre accepit, non illi abstulit.

V. 25. OPORTET AUTEM. Necesse est enim ob undique instantes hostes ecclesiæ suæ regimen & curam Christum suscipere, nam electos propter fragilitatem carnis labi & vinci contingit: unde imperatore illis opus est Christo, donec omnes inimicos ecclesiæ suæ sibi subiecerit. *Regnare oportet* dicunt Græci, hoc est, quæ imperatoris & regis sunt præstare, vigilare, hostes debellare. DONEC PONAT OMNES INIMICOS SUB PEDIBUS SUIS; ubi τό donec, ut Græc. exponunt, non indicat finem imperii Christi futurum subiectis inimicis, sed tunc magis imperaturum: τὸ γὰρ ἄχρις ἢ ἕως, id est usque & donec, ut aiunt, nequaquam hic ponuntur ut terminus temporis, sed pro semper: ut eo loco *vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, non quod postea nobiscum esse desinat, qui meliori modo tunc adfuturus est; & illud: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabillum pedum tuorum*: non quod postea non sit sessurus is qui sedebit & regnabit in domo Iacob in æternum.

V. 26. OMNIA SUBIECIT; id est, omnium illi potestatem dedit Deus, ut subiicere sibi possit omnia; non quod Patrem aut Spiritum, quibus est consubstantialis subiicere posse credatur. Nondum autem plene diabolicas potestates subiecit, sinens eas ad exercitationem electorum sibi reluctari: & ideo inquit, *Quum autem subiecta fuerint illi omnia.*

V. 28. TUNC ET IPSIUS, id est Christus secundum humanitatem subiectus erit patri, non quod antea non esset. Et ideo interpretatur Photius Græcus, hoc est, manifestabitur revera patri subiectus & obediens, cuius voluntatem impleverit, quum ecclesiæ regnum ab omni tyrannide liberum & seditione reddiderit. Quidam interpretantur subiectus in suis membris scilicet electus, quibus tunc plane dominabitur. UT SIT DEUS, id est si, τὸ ut, eventum dicit, atque ita erit DEUS OMNIA IN OMNIBUS, hoc est, omnem ac plenam in omnia subiectionem habens, vel *ut sit in omnibus*, scilicet electis, omnia, id est pro rebus omnibus.

V. 29. BAPTIZANTUR. Varii varia huc afferunt, mihi hic videtur duplex esse posse sensus, prior ad quem accedit Chrysost. si mortui non resurgunt, quid facient qui baptizantur pro mortuis, id est pro spe mortuorum? quia inquit Chrysost. in primitivâ Ecclesia recitabant baptizandi symbolum integrum, in quo est hic locus: Credo resurrectionem mortuorum; cum qua spe resurgendi a mortuis baptizabantur, haudquaquam baptizandi ac veterem vitam immutaturi, nisi ad immortalem se resurrecturos sperarent; & hoc est quod Paulus vocat baptizari pro mortuis, vel quia Paulus docebat fideles baptizari, nihil aliud esse quam in spiritu & aqua Christo commori & consepeliri, ut consepulti, simul cum eo resurgerent; si quidem per imitationem mortis illius coinsiti in illum sint, sicut ad Romanos sexto docet: ideo, inquit, quid facient qui baptizantur; id est, veteri homini pristinisque deliciis moriuntur in Christo, illique consepeliuntur pro mortuis, id est pro spe quam habent resurgendi a mortuis. Mihi quoque videtur alius esse sensus, ut baptismus pro afflictione & supplicio sumatur, sicut Christus filiis Zebedæi dicit Marci x. *Potestis baptismo quo ego baptizor baptizari*, id est supplicium pati quod ego sum passurus? hoc modo ergo sensus esset, quid facient qui baptizantur, id est affiguntur pro mortuis, id est vel pro spe mortuorum, atque ad vitam non interituram resurgendi; vel pro mortuis, id est pro asserta mortuorum resurrectione, pro qua morti se exponere non dubitarunt martyres. Quod autem baptizari pro affligi hic sumatur, conicio ex sequentibus locis: ut quid periclitamur? quotidie morior, ad bestias pugnavi, &c.

V. 31. PROPTER VESTRAM GLORIAM. Græci secus habent, νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν, id est *per nostram gloriationem*. Est autem νὴ particula obtestantis, sicque hoc loco obtestatur Paulus se quotidie pro spe mortuorum mori, id est variis periculis & mortibus subiacere. Photius tamen legit nobiscum ὑμετέραν, id est *vestram*; & duobus modis exponit, *per vestram gloriam*; uno modo: ut sit iurantis: secundo modo, *morior propter vestram gloriationem*, id est, ut gloriari possim de vobis Christo per me acquisitis.

V. 32.

V. 32. Si secundum hominem. Oecumenius Græcus ita exponit, si secundum hominem, id est propter hominum gloriam, & non ob spem futuræ resurrectionis & retributionis ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest? deinde quod sequitur, si mortui non resurgunt, connectendum cum sequentibus, manducemus et bibamus. Bestias autem vocat Demetrium argentarium & Iudæos Ephesi habitantes, nihil prope a bestiis differentes: alii dicunt Paulum Ephesi obiectum esse bestiis; quam quam nihil de hoc in actis. Photius exponit, *κατὰ ἄνθρωπον* pro *εἰς ἄνθρωπον*, id est quantum homini fuit possibile ad bestias pugnandi, pro quo Græci habent *ἐθηριομάχησα*: mihi autem videtur *θηριομαχεῖν* non modo esse ad bestias pugnare, sed usque ad extremum spiritum more bestiarum pugnare: sensus ergo esset, si secundum hominem, ut Photius explicat, quantum homini est possibile usque ad extremum spiritum pugnavi pro defensione evangelii, quid mihi prodest?

V. 34. Evigilate; id est, sic expergiscimini a peccato, ut iusti sitis. Græc. legunt *δικαίως*, id est *iuste*. Ad reverentiam, id est verecundiam, Gr. *ἐντροπὴν*, id est *verecundiam*.

V. 39. Nisi prius moriatur. Quia erant qui de corporum resurrectione desperarent, videntes ea in terra putrefieri, exemplo grani docet non prius resurrecturum corpus ad immortalitatis fructum, nisi prius mortuum in terra fuerit: sicut ad frugem granum evadere nequit non ante mortuum.

V. 41. Alia claritas solis. Exemplo corporum cælestium quorum alia clariora sunt aliis, docet in resurrectione iustorum futura illorum pro diversis meritis diversa præmia: sicut Christus in evangelio dicit, *in domo patris mei multæ mansiones sunt*.

V. 44. Corpus animale. Animale corpus dicitur a sensitiva & vegetativa facultate animæ, quarum facultatum actionibus hic, dum vivimus, corpus indiget, post mortem autem iam illi non erit opus, quia spirituale erit, id est incorruptibile, non iam alimento indigens: & ideo corpus nostrum quod hic est animale & corruptibile, seminatur in terram, ut surgat spirituale. Sicut enim primus Adam terrenus, secundus autem Adam Christus cælestis, ita nunc terrenum corpus habentes, in resurrectione cæleste habituri sumus, si quidem cælestis Adæ imaginem, id est Christi gratiam nobiscum portaverimus. Photius corpus animale idem esse putat quod mortale, id est iræ, tristitiæ, esuriei, siti, & ceteris animæ corporisque affectionibus obnoxium: spirituale autem, immortale & nullis iam huiusmodi, subditum terrenis affectionibus, similiter animam viventem interpretatur corpus animale, spiritum vivificantem corpus spirituale.

V. 45. In animam viventem: vivebat enim sibi Adam, & sibi unusquisque nostrum vivit: non sibi aut alteri vitam largiri potest, quam solum ille dat qui spiritum vivificantem habet novissimus Adam, omnium nostrum via, veritas & vita.

V. 51. Omnes quidem resurgemus. Docet variam fuisse Græcis suo tempore lectionem. Hieronym. ad Alexandrum & Minerium: prior est, *πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα*; id est, non omnes quidem dormiemus sive moriemur (nam dormire pro mori Scriptura usurpat) sed omnes immutabimur; ut non omnes morituri, adeoque nec resurrecturi sint, sed omnes a mortali corpore sint immutandi ad immortale. Verum cum nec ipsi Christo mors pepercerit, præstat dicere omnes morituros & resurrecturos, cumque ecclesia & nostra lectione, quam etiam præfert Hieronymus, sentire: præsertim quum quidam Græci codices Hieron. tempore sic haberent, & mihi nuper in manus venit Græca Cyrilli in hunc locum expositio nostræ versioni per omnia consentiens, quam hic addere visum est, ne nostram lectionem nullis Græc. placuisse lectores credant. Sic autem habet Cyr. *ἀναβιώσονται μὲν γὰρ ὁμολογουμένως τὰ πάντων σώματα τῇ τῆς ἀφθαρσίας χάριτι κατημφιεσμένα, ἀλλαχθήσονται δὲ οὐ πάντες· ἀλλ' οἱ μὲν φαῦλοι ἀπομένουσιν ἐν τῷ τῆς ἀτιμίας σχήματι, οἱ δὲ δίκαιοι ἀλλαχθήσονται μόνοι πρὸς τὸ τῆς ἀφθαρσίας ἀγαθὸν καὶ τῆς θείας δόξης καταπλουτήσαντες τὴν περιβολήν*; id est, resurgent quidem indubie omnium corpora immortalitatis induta gratiam, at non omnes immutabuntur: sed inhonori permanebunt impii, soli vero immutabuntur iusti, nimirum ad immortalitatis

tatis commodum immutati, & divinæ gloriæ indumento ditari. Sensus ergo est cum nostra lectione, quod omnes quidem moriuntur, sed non omnes immutabuntur, in peccato suo ac miseria permanentibus impiis. Quin etiam Græca in Paulum scholia Veronæ impressa utramque lectionem habent; quinimmo τὸ non omnes dormiemus ita interpretantur ad mentem Augustini hoc modo: quod vero ait, non omnes dormiemus, sic accipiendum est, quod nequaquam longum somnum dormiemus, adeo ut sepultura sit opus, & in corruptionem omnes resolvemur, sed quod brevem mortem, qui tunc vivi invenientur, sustinebunt, propter eam quæ in momento futura est, resurrectionem: potes Græca videre scholia Veronæ impressa, quæ utramque lectionem approbant.

V. 52. NOVISSIMA TUBA. Tuba angeli vocem significare videtur ad iudicium omnes sistentis: ad quam alludere videtur Ioannes in Apocalypsi, dicens, *in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei*: & TUNC, inquit, MORTUI RESURGENT INCORRUPTI, quia cum boni tum mali ad immortalitatem corporis resurgent. Nos vero, id est iusti, IMMUTABIMUR, quia de miseria ad gloriam transibimus. Quod autem hic dicit *nos immutabimur*, & non omnes, facit pro interprete qui antea vertit, *non omnes immutabimur*.

V. 56. STIMULUM MORTIS PECCATUM: quia per peccatum mors invaluit & aucta est viribus, eo utens tamquam stimulo ad nos pungendos. VIRTUS VERO PECCATI LEX. Græce δύναμις, id est *potentia*, quia sine lege peccatum mortuum erat & infirmum.

S A.

Verſ. 1. NOTUM, &c. quasi dicat, In memoriam vobis revoco.

V. 2. QUA RATIONE, id est quo modo:

V. 3. UNDECIM. Græc. & Syr. *duodecim*, scilicet sic vocabantur etiam cum Iudas deesset.

V. 6. FRATRIBUS, id est Christianis.

V. 7. IACOBO, quando aut quomodo, non constat. APOSTOLIS, scilicet die Ascensionis.

V. 8. ABORTIVO, id est imperfecto fœtui, respectu Apostolorum. VISUS EST: Vide Act. IX.

V. 10. VACUA, scilicet operibus; quasi dicat, Otiosa, seu inutilis. ILLIS, scilicet de quibus sup. EGO, scilicet solus, seu ex me.

V. 11. SIC, scilicet ut supra dixi.

V. 14. INANIS, id est vana.

V. 15. ADVERSUS DEUM, scilicet de illo mentientes.

V. 18. IN CHRISTO, id est cum fide Christi.

V. 19. IN HAC VITA; quasi dicat, Huius vitæ bona, seu commoda. MISERABILIORES, scilicet quia fallit nos valde talis spes: vita enim Christiana plena incommodis, seu tribulationibus.

V. 20. NUNC AUTEM; quasi dicat, At revera. PRIMITIAE, id est primus.

V. 22. IN; pro, per. VIVIFICABUNTUR, id est ad vitam suscitabuntur.

V. 23. ADVENTU, id est sub eius adventum, scilicet resurgent: nec est Græc. *qui crediderunt*. Nostra lectio potest sic intelligi: qui in eius priori adventu crediderunt.

V. 24 FINIS, scilicet mundi, seu potius hominis, in quem scilicet creatus. TRADIDERIT REGNUM, id est præsentaverit electos. DEO, scilicet suo, quatenus homo. PATRI; quatenus Deus. EVACUAVERIT, id est aboleverit, scilicet ut non sit necessaria dispensatio per Angelicos Principatus: August. I. Trinit.

V. 25. DONEC, id est eousque ut. PONAT, scilicet Pater, vel ipse.

V. 28. SUBIECTUS ERIT; quasi dicat, Nec tunc desinet esse Patri subiectus, quatenus homo est; vel, tum vero totum Christi corpus mysticum erit Deo plane subiectum, & per omnia obtemperans. OMNIA, id est per omnia, seu perfecte, vel loco omnium, scilicet quæ possunt optari ab homine.

V. 29. PRO MORTUIS, id est ipso baptismo mortuorum resurrectionem profitentes, scilicet in aquam mersi, velut in sepulcrum; & inde velut resuscitati emergentes; vel, qui baptizantur, id est affliguntur, seu patiuntur pro iis qui sunt in Purgatorio, ieiuniis & aliis pœnitentiis se macerantes: *baptizari* enim interdum est *pati*, ut Marc. X. Luc. XII.

V. 31.

V. 31. Morior, id est mortis periculum subeo. Per. Est iuramentum, ut notat August. III. de Doctr. Christ. Potest etiam intelligi; quasi dicat, Ob vestrum profectum. Vestram, id est de vobis. In Christo, id est apud Christum.

V. 32. Secundum hominem, id est humano more, ob finem aliquem temporalem. Ad bestias. Quidam leones intelligunt, quibus aiunt fuisse obiectum, nec læsum; alii probabilius, ad feros homines qui ei adversabantur, præcipue Iudæos, referunt. Manducemus, &c. quasi dicat, Quin illud potius facimus, quod dicunt qui nihil credunt: videtur autem alludere ad Sap. II. Cras, id est cito. Moriemur, scilicet corpore & anima. Est enim vox non credentium animæ immortalitatem.

V. 33. Corrumpunt, &c. Menandri est senarius.

V. 34. Evigilate, id est expergiscimini. Reverentiam, id est pudorem; quasi dicat, Pudere vos deberet talium errorum, quibus vestrum aliqui misere tenentur.

V. 36. Insipiens, &c. quasi dicat, Cur non advertis quod tu ipse facis?

V. 37. Utputa, id est verbi gratia.

V. 39. Caro, id est corpus.

V. 40 Et; pro, & sunt. Gloria, id est claritas.

V. 42. Animale, id est subiectum passionibus & necessitatibus. Spiritale, id est omnino spiritui subiectum, nulloque indigens. Est et; pro, erit &. Scriptum, scilicet Genes. II.

V. 45. Novissimus, scilicet Christus. Est autem id a Paulo additum. Est autem sensus huius loci: Primo homini datum corpus vivens vita animali: Christo vero post resurrectionem corpus spiritale, scilicet nulli subiectum indigentiæ cibi aut potus, aut huiusmodi aliorum quibus Adæ corpus subiectum. Potest & sensus esse: Adamo datam vitam qua viveret, Christo vero qua posset etiam homines vivificare & resuscitare.

V. 50. Caro et sanguis, id est corruptio carnis & sanguinis: August. epist. CXLVI. Neque corruptio. Explicatio præcedentis.

V. 51. Mysterium, id est rem divinam occultam. Immutabimur, scilicet ad gloriam.

V. 52. Momento, id est temporis puncto. Novissima, id est qua dabitur signum postremum. Forte intelligit septimam ex illis, de quibus Apocal. VIII. IX. & X. Tuba, id est signo aliquo clarissimo, quod dicitur etiam vox Christi, & Archangeli: August. epist. CXX. Et nos, scilicet electi. Hinc apparet legendum supra, *Non omnes immutabimur;* & non ut Græca nunc habent.

V. 53. Hoc. Quasi in carnem digitum intendit: August. de Fide & Symb. cap. X.

V. 54. Scriptus, scilicet Isai. XXV. In victoria, id est per victoriam.

V. 55. Ubi est mors, &c. Id sumptum ex Ose. XIII. secundum LXX. ubi nunc sic legitur: *Ubi causa tua mors, ubi stimulus tuus inferne?* Vide ibi.

V. 56. Mortis, id est mortem afferens. Lex, scilicet fomitis, qui ad peccandum incitat; vel Lex vetus, per occasionem, ut dicitur Rom. V. & VII.

V. 58. In Domino, id est per Dei gratiam; seu quod attinet ad Dei remunerationem.

MARIANAE.

Vers. 1. Notum. Græc. *In memoriam vobis revoco*, γνωρίζω. Agit de resurrectione mortuorum, παρασκευή his verbis ad ea quæ dicenda sunt.

V. 5. Et post hoc undecim visus est Christus post resurrectionem. Græc. *duodecim*: sic Syr. Id nomen retinuit id collegium, etiam Iuda sublato.

V. 7. Deinde Apostolis omnibus. Sic vocat discipulos 72. quia eis etiam commissa erat prædicatio Evangelii. Novissime mihi

V. 8. Tamquam abortivo. Sic de se loquitur ob modestiam: filii abortivi contemnuntur.

V. 10. Gratia Dei mecum. Græc. *gratia Dei quæ mecum*, scilicet laborat, non *quæ mecum est*, aut *mihi adest*: ut alii vertunt, ut tollant cooperationem nostram. Syr. *non ego, sed gratia illius qui mecum est*. Calvin. Lib. II. Instit. cap. III. §. 11. *Non ego, sed gratia Dei quæ in me est*. Perperam omnia; melius noster.

V. 17. Adhuc enim estis in peccatis vestris. Si sua morte & resurrectione Christus vos non redemit, peccata ve-

ſtra non ſunt vobis remiſſa: ſic Chriſtus non reſurrexit.

V. 19. MISERABILIORES SUMUS OMNIBUS HOMINIBUS, ſi reſurrectio non eſt, quia in hac vita pro fide multa patimur, in futurum nihil ſperantes.

V. 23. PRIMITIAE CHRISTUS, ſcilicet ſurrexit, quia primus ad immortalitatem revixit. QUI IN ADVENTU EIUS CREDIDERUNT, deinde reſurgent. Græc. *deinde qui ſunt Chriſti* (id eſt fideles, reſurgent ſcilicet) *in adventu eius*, id eſt cum venerit: ſic Syr. & Gotth. Vera eſt lectio Vulgatæ. ſententia in aliis verbis non alia.

V. 24. DEINDE FINIS, id eſt iudicii dies. CUM TRADIDERIT REGNUM Chriſtus Patri, ſcilicet electos liberos iam a ſervitute peccati, & diaboli tyrannide. CUM EVACUAVERIT OMNEM PRINCIPATUM, ſcilicet dæmonum, quos vocat *principatus*, *poteſtates* & *virtutes*, quia ex omnibus ordinibus Angelorum aliqui ceciderunt. Cyrillus IV Lib. contra Iulian. hoc de dæmonibus intelligit, quibus Chriſtus ſuo adventu aufert omnem nocendi poteſtatem.

V. 25. OPORTET AUTEM ILLUM, id eſt Chriſtum regnare in Eccleſia. DONEC: non tollit ulterius. *Donec* non ponitur pro termino temporis, ſed pro *ſemper*, ut aliis multis locis.

V. 29. ALIOQUIN QUID FACIENT, certe ſi non eſt reſurrectio. QUI BAPTIZANTUR PRO MORTUIS. Quidam putabant iam mortuis profuturum Baptiſma, quod ipſi ſumerent. Hoc fuiſſe in uſu Tertullianus ait V. contra Marcionem, & Epiphanius Hæreſi XXVIII. Alii pro *mortuis*, id eſt morituris baptizabantur, ut illo bono opere ægroto impetrarent ſanitatem, aut illi prodeſſet in alia vita. Hoc Epiphanius eo loco videtur etiam tangere. Tertio, per *mortuos* peccatores intelligunt; pro quorum pœnitentia quidam baptizabantur: ſed certe, quocumque modo id fieret, ſatis colligitur, quod Paulus ait, ob ſpem reſurrectionis illos baptizari. PRO ILLIS? Gr. & Syr. *pro mortuis*. Verum quidam codices Græci habent, ὑπὲρ αὐτῶν, id eſt *pro illis*.

V. 31. QUOTIDIE MORIOR PER VESTRAM GLORIAM. Græci codices, alii, Νὴ τὴν ὑμετέραν: alii, Διὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν. Si priori modo, vertendum, *Per veſtram gloriam*, eritque iurandi forma. Quo modo accipit Auguſt. Epiſt. LXXXIX. & Lib. I. de Serm. Dom. cap. XXV. Syr. vertit: *Iuro per veſtram gloriam*. Si poſteriori, verti poteſt, *Per veſtram*, ut ſit etiam forma iurandi. Verti etiam poteſt, *Propter veſtram gloriam morior*: quomodo Hieronymus in Epiſt. Marcellæ, ſicque Chryſoſtomus & Theophylactus hic accepiſſe videntur.

V. 32. AD BESTIAS PUGNAVI. De hac pugna Nicephorus Lib. II. cap. XXV. ubi ait, eam Lucam prætermiſiſſe, ut alii Evangeliſtæ præter Ioannem Lazari ſuſcitationem. Quidam per *beſtias* intelligunt aurifices, qui Act. XIX. 24. Epheſi in Paulum ſurrexere. Ergo SI SECUNDUM HOMINEM, id eſt humano reſpectu; cum iis beſtiis pugnavi, quæ utilitas, ſi reſurrectio non eſt.

V. 34. EVIGILATE IUSTI, ſcilicet ut iuſti ſitis. Græc. δικαίως, id eſt *iuſte*: ſic Syr. & Gotth. iuſta opera facite. AD REVERENTIAM, ſeu *verecundiam*. Syr. *ad verecundiam veſtram dico*. Quid dicit? quoſdam nempe ignorare Deum, eius myſteria non curare.

V. 36. NISI PRIUS MORIATUR; quaſi dicat: Si granum cum ſeminatur, prius putrefit, deinde germinat, ſic homo ut reviviſcat, mori debet.

V. 44. CORPUS ANIMALE, id eſt mortale: vel ſenſibus & alimento egens ſeminatur. CORPUS SPIRITALE, id eſt incorruptibile, non amplius egens alimento, id eſt quod ſeminatur & moritur, ſurgit ſpiritale. Hoc in Adam verificatur.

V. 45. FACTUS EST .... ADAM IN ANIMAM VIVENTEM. Alludit ad illud Geneſ. II. 7. *Inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Primam partem attribuit Chriſto, ſcilicet *inſpiravit*, Adamo ſecundam, ſcilicet *factus eſt in animam viventem*, id eſt animalis.

V. 47. PRIMUS HOMO DE TERRA, TERRENUS, id eſt Adam. SECUNDUS, id eſt Chriſtus. DE CAELO, CAELESTIS. Græce & Syr. *Dominus de cælo*. Verum Tertullianus V. contra Marc. Græcorum lectionem a Marcione excogitatam accuſat.

V. 49. PORTEMUS ET IMAGINEM CAELESTIS. Græc. *portabimus*. Verum ubi modo φορέσομεν, noſter legit φορέσωμεν. Idem Tertullianus eo Lib. V. contra Marc. hoc etiam

etiam loco Græcam lectionem quasi Marcionis reiicit. Ergo ut Adamo similes vitiis fuimus, sic simus Christo similes probitate.

V. 50. NEQUE CORRUPTIO INCORRUPTELAM, id est corpus animale, dum sic est, incorruptionem non potest habere.

V. 51. OMNES QUIDEM RESURGEMUS. Ergo in die iudicii, de quo agit, omnes morientur. SED NON OMNES IMMUTABIMUR, sed soli iusti. Græc. *non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur*. Hanc varietatem olim extitisse, ex Hieronymo epist. ad Minerium & Alexand. constat, & ex August. de Civit. cap. XX. Noster sic Græca legit, Πάντες γὰρ ἀναβιώσομεν, ἀλλ᾽ οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα: cui lectioni favet Græcus Cyrilli codex, ut Gagneius affert. Utra lectio sit verior, adhuc sub iudice lis est, Canus ait Lib. II. de Locis Theolog. cap. XIII. Hieronymus nostram præfert: nec verisimile est, mortem, quæ Christo non pepercit, iis omnibus qui tunc erunt vivi parcituram.

V. 52. TUBA. Vox Angeli.

V. 55. UBI EST MORS STIMULUS TUUS? Gotth. *aculeus*, scilicet si omnes resurgent nihil facis, victa manes.

V. 56. STIMULUS AUTEM MORTIS PECCATUM EST, id est causa mortis peccatum est. VIRTUS VERO PECCATI LEX, id est occasio, quia sine lege peccatum non est: & ex legis prohibitione provocati nitimur in vetita.

MENOCHII.

Vers. 1. NOTUM AUTEM VOBIS FACIO; id est, in memoriam vobis revoco Evangelium, quod vobis prædicavi, ne quispiam vestrum inani philosophorum argumentatione deceptus, de resurrectionis mysterio dubitet. IN QUO ET STATIS: quod constanter retinetis.

V. 2. QUA RATIONE PRAEDICAVERIM. Repete, *Notum facio*, vel refer hæc ad sequens, *si retinetis*, scilicet qua ratione prædicaverim. SI TENETIS: si memoria retinetis. Vel, si quæ vobis tradidi, & vos docui, retinetis. NISI FRUSTRA CREDIDISTIS: nisi forte inani tantum Christianorum nomine gloriamini, & frustra fidem per meam prædicationem concepistis.

V. 3. IN PRIMIS; hoc est, inter præcipua Christianæ religionis capita. QUOD ET ACCEPI: sic eadem hac Epistola supra cap. XI. 23. ait, *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*, significans non se alicubi legisse quæ doceret, sed divinitus accepisse. SECUNDUM SCRIPTURAS: in quibus de morte, & resurrectione Christi multa passim occurrunt.

V. 5. CEPHAE, id est Petro. ET POST HUNC UNDECIM, scilicet in octava Paschæ, Thoma præsente.

V. 6. VISUS EST PLUSQUAM QUINGENTIS FRATRIBUS. In monte Galilææ, de quo Matth. XXVIII. 7. & 10. *Nunciate fratribus meis ut eant in Galilæam: ibi me videbunt*. MULTI MANENT USQUE ADHUC: ita ut ab illis peti possit testimonium. DORMIERUNT: mortui sunt.

V. 7. VISUS EST IACOBO: Alphæi, qui frater Domini dicitur. Vide D. Hieronymum libro de scriptoribus Ecclesiasticis in Iacobo. APOSTOLIS OMNIBUS: in die Ascensionis.

V. 8. ABORTIVO: se vocat Paulus *abortivum*, quia fœtus abortivi imperfecti, tenuiores, graciliores sunt, & nulli usui futuri: sic se numero sequenti *minimum Apostolorum* appellat. VISUS EST ET MIHI: cum se eunti in Damascum Christus ostendit, Act. IX.

V. 10. SUM ID QUOD SUM: Christi Apostolus, & doctor Gentium. GRATIA EIUS IN ME VACUA NON FUIT, id est inanis, & otiosa, id est sine opere, & fructu, sed creditum talentum negotiatus sum. ABUNDANTIUS ILLIS OMNIBUS: non copiosius, quam omnes illi simul, sed quam singuli, id est unusquisque eorum. NON EGO: solus.

V. 11. SIVE ENIM EGO, SIVE ILLI, &c. quasi dicat: Tam ego, quam alii Apostoli idem prædicamus, scilicet Christum mortuum esse, & resurrexisse. ET SIC CREDIDISTIS: quam prædicationem vos etiam audistis, & complexi estis.

V. 12. SI AUTEM CHRISTUS PRAEDICATUR, &c. id est, si unum ex præcipuis fidei articulis, quem ego, & Apostoli prædicamus, est resurrectio Christi. QUIDAM DICUNT: Cerinthus cum suis, qui primus post Simonem Magum hæresiarcha tempore S. Pauli negavit resurrectionem.

V. 13. NEQUE CHRISTUS RESURREXIT: qui etiam Christus fuit unus ex mortuis,

tuis, itaque si penitus impossibilis est resurrectio mortuorum, falsum erit Christum resurrexisse.

V. 14. INANIS EST PRAEDICATIO NOSTRA: & falsa, cum mortui non resurgant.

V. 15. INVENIMUR: arguimur, deprehendimur. FALSI TESTES: dicimus enim Christum resurrexisse, quod falsum est, si resurrectio mortuorum omnino non est. QUONIAM TESTIMONIUM DIXIMUS ADVERSUM DEUM: quia quicumque falsum aliquid annunciat, tamquam Dei verbum, facit Deum mendacem.

V. 17. VANA EST FIDES VESTRA: inutilis, ac nullius fructus. ADHUC ESTIS IN PECCATIS VESTRIS: nam Christus *resurrexit propter iustificationem nostram:* ad Rom. IV. 25. Præterea, fides resurrectionis esset falsa, fides autem falsa iustificationis initium, & fundamentum esse non potest.

V. 18. QUI DORMIERUNT IN CHRISTO: qui, scilicet in spe, fide, gratia, & caritate Christi mortui sunt. PERIERUNT; quia si corpus non resurgit, sed plane in morte interit, interibit & anima, quæ in æternum sine corpore esse non potest, cum natura sua sit forma corporis, ut nisi violenter animæ suam quasi naturam, & naturalem statum adimat Deus, debeat ei suum corpus reddere.

V. 19 MISERABILIORES SUMMUS OMNIBUS HOMINIBUS: nos enim mundi, carnisque voluptates reiicimus, quas alii sectantur.

V. 20. NUNC AUTEM, &c. quasi dicat: At certum omnino esto Christum resurrexisse a mortuis. PRIMITIAE DORMIENTIUM, primus, qui ex morte resurrexerit, non amplius moriturus.

V. 21. PER HOMINEM: Adamum. MORS. scilicet inducta est in homines. ET PER HOMINEM, &c. Christum, inducta est mortuorum resurrectio ad vitam æternam.

V. 22. IN ADAM: propter Adamum. IN CHRISTO OMNES VIVIFICABUNTUR: per Christi enim merita, qui mortem abolevit, ad vitam æternam aditus patefactus est.

V. 23. UNUSQUISQUE AUTEM IN SUO ORDINE; hoc est, omnes in Christo vivificandi hoc ordine resurgent, ut scilicet Christus sit primus tum tempore, tum dignitate; secundo, iusti resurgant; tertio sequatur mundi consummatio. PRIMITIAE CHRISTUS: vide dicta proxime vers. 20. DEINDE II QUI SUNT CHRISTI: deinde electi resurgent. QUI IN ADVENTU EIUS CREDIDERUNT: qui crediderunt in illum venisse in hunc mundum, & tamquam Deum verum agnoverunt, & coluerunt.

V. 24. DEINDE FINIS: huius sæculi. CUM TRADIDERIT REGNUM, id est ecclesiam fidelium, & congregationem electorum. DEO, ET PATRI, id est Deo Patri. CUM EVACUAVERIT OMNEM PRINCIPATUM, &c. id est cum aboleverit Deus omnem principatum dæmonum. PRINCIPATUM, ET POTESTATEM, ET VIRTUTEM, sunt nomina trium chororum Angelicorum, ex quibus hinc patet, aliquos cecidisse, & factos esse dæmones, qui eadem nomina retinuerunt.

V. 25. ILLUM REGNARE; hoc est, Christum regere Ecclesiam. DONEC PONAT: Deus Pater. OMNES INIMICOS: dæmones, & omnes reprobos.

V. 26. NOVISSIMA AUTEM INIMICA DESTRUETUR MORS. In Græco est; ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος, *Ultimus inimicus qui destruetur, est mors*. Primus enim inimicus Christi, & Christianorum est diabolus, qui a Christo in cruce victus est. Secundus est peccatum, quod a Christianis per gratiam Christi in hac vita vincetur. Tertius est mors, quæ in resurrectione ultima vincetur. OMNIA ENIM SUBIECIT SUB PEDIBUS EIUS; quasi dicat: Omnes Angelos, & homines, bonos, & malos in resurrectione plane subiiciet Deus Christo. Dicit prophetice, *subiecit*, id est certissime subiiciet.

V. 27. CUM AUTEM DICAT: nempe Scriptura, sive Psalmista. SINE DUBIO: δῆλον ὅτι, palam est, perspicuum est. PRAETER EUM, &c. præter Deum Patrem: si ergo omnia præter Deum Patrem Christo subiecta sunt, bene concluditur Principatus, Potestates, Virtutes, mortem, & omnia reliqua illi subiecta esse.

V. 28. SUBIECTUS ERIT; quasi dicat: Nec tunc Patri desinet esse subiectus quatenus homo est. Vel, tum vero totum Christi corpus mysticum erit Deo plene subiectum, & per omnia obtemperans. UT SIT DEUS OMNIA IN OMNIBUS: loco omnium, quæ possunt optari ab homine.

V. 29. ALIOQUIN; id est, si omnino non est mortuorum resurrectio. QUID FACIENT:

CIENT: quem fructum reportabunt? QUI BAPTIZANTUR PRO MORTUIS; id est, qui purificantur ad sacrificia, quæ offeruntur pro mortuis; solebant enim Iudæi purificari ante sacrificia, preces, omnemque rem divinam. Vide Marc. VII. 9. Hebr. VI. 12. & cap. IX. 10. si corpora omnino moriuntur, nec est resurrectio, nec animæ superstites sunt, ut dicebatur supra vers. 18. frustra preces funduntur, & sacrificia offeruntur pro mortuis.

V. 30. UT QUID ET NOS PERICLITAMUR OMNI HORA? quasi dicat, Stulte nos obiicimus tot periculis, & persecutionibus ob spem resurrectionis, si non est resurrectio.

V. 31. QUOTIDIE MORIOR, id est mortis periculis me expono. PER VESTRAM GLORIAM FRATRES: est iuramentum; quasi dicat, Iuro per gloriam, seu gloriationem, qua de vobis glorior, tamquam meis in Christo filiis. Ex textu Græco patet esse iuramentum, νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν; particula enim νὴ, iuramentis servit. Ubi etiam notandum in Græco esse ἡμετέραν, *nostram*; vulgatus tamen interpres legit ὑμετέραν, *vestram*. QUAM HABAEOIN CHRISTO IESU, id est qua glorior per Christum Dominum, ex cuius merito, & passione mihi provenit omnis gloriandi materia, iuxta illud ad Galat. VI. 14. *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.*

V. 32. SECUNDUM HOMINEM: humano more, & ob finem aliquem temporalem. AD BESTIAS PUGNAVI EPHESI: ἐθηριομάχησα, *cum bestiis pugnavi*. Chrysostomus, Ambrosius, & alii Paulum Ephesi bestiis obiectum putant, & cum iis pugnasse. Alii per bestias feros homines intelligunt, qui illi adversati sunt Ephesi. MANDUCEMUS, ET BIBAMUS, &c. quasi dicat: Si non est futura mortuorum resurrectio, reliquum est, ut omnes vitam ducant Epicuream, & deliciis & voluptatibus indulgeant, & dicant, *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.*

V. 33. NOLITE SEDUCI: nolite decipi, ne sinatis vos adduci in errorem. CORRUMPUNT BONOS MORES COLLOQUIA PRAVA: est versus senarius Iambicus, Menandri, φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. COLLOQUIA PRAVA: cum atheis, & incredulis, qui negant resurrectionem.

V. 34. EVIGILATE IUSTI. Græce est, δικαίως, *iuste*. Syrus vertit: *excitate corda vestra iuste*: expergiscimini a peccatis, ut iusti sitis. IGNORANTIAM ENIM DEI QUIDAM HABENT: ita vivunt, ac si Deum ignorarent; nam se totos voluptatibus tradunt, ut ne cogitent quidem de Deo. AD REVERENTIAM VOBIS LOQUOR: πρὸς ἐντροπὴν, *ad pudorem*: pudor enim est Christianum de resurrectione dubitare.

V. 35. QUOMODO RESURGENT MORTUI, &c. quasi dicat: Qui fieri poterit ut mortui resurgant? Unde corpus sument, cum iam pridem corpora illorum computruerint, & in pulverem soluta sint.

V. 36 INSIPIENS es qui ita loqueris. QUOD SEMINAS NON VIVIFICATUR, &c. semina quæ terræ gremio creduntur non germinant nisi putrescant, & corrumpantur. Hoc est quod dicit Christus Ioan. XII. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*, &c.

V. 37. ET QUOD SEMINAS, &c. quasi dicat: Adde quod tu quidem semen iacis tritici, videlicet granum, aut hordei, aut aliud quidpiam simile, non tamen idem prorsus corpus, quod te messurum speras.

V. 38. DAT ILLI: semini, & grano. PROPRIUM CORPUS: suæ speciei congruens.

V. 39. NON OMNIS CARO EADEM CARO; quasi dicat: Sic & beatis in resurrectione proprium dabit Deus corpus, quale voluerit, & quale decet homines beatos, & gloriosos. SED ALIA QUIDEM HOMINUM, &c. est similitudo & analogia inter naturam, & meritum, quod sicut natura talis, verbi gratia, hominis, tale exigit corpus, scilicet humanum; ita tale meritum, tale exigat corpus gloriosum, ut quis minus meritus est, minus; qui magis, magis gloriosum corpus recipiat.

V. 40. ET CORPORA CAELESTIA, &c. id est, alia sunt corpora cælestia, alia terrestria.

V. 42. SIC ET RESURRECTIO MORTUORUM, scilicet sese habebit, ut quemadmodum una stella alteri, ita & unus Beatus alteri, ut gratia, & meritis, ita & gloria & præmio præfulgeat. SEMINATUR IN CORRUPTIONE: humanum corpus cum terra conditur post mortem.

V. 43. IN IGNOBILITATE: quia cadavera vilia sunt, & ignobilia.

V. 44. IN INFIRMITATE: nam corpora mortuorum infirma sunt, & invalida, cum ne

ne tantillum quidem se movere possint. In virtute: ἐν δυνάμει, *in potentia*], id est potens, celer, agile. Corpus animale: quod vixit vita vegetativa, & sensitiva, ut animalia, egens cibo, & potu. Corpus spirituale: spiritui subditum; cibo, & potu non egens, & subtilitatis dote ornatum. Si est corpus animale, est et spiritale, id est erit & spiritale; hoc enim ad universi complementum, & perfectionem pertinet, ut omnes rerum species, & gradus sibi invicem oppositos complectatur. Sicut scriptum est, id est sicut innuit Scriptura, Genes. II. 7.

V. 45. Factus est primus homo, &c. hoc est, Adam factus est *anima*, id est animal vivens vita sensitiva, & vegetativa. Novissimus Adam, id est Christus. In spiritum vivificantem; id est, factus est in spiritum vivificantem, ut scilicet haberet post resurrectionem animam gloriosam, quæ instar vivifici spiritus corpus plane vivificaret, illudque redderet spirituale, id est instar spiritus gloriosum, cibi expers, impassibile, & immortale, corpus, inquam, tum suum, tum nostrum.

V. 46. Sed non prius quod spiritale, &c. sed non prius factum est quod est spirituale, sed quod animale, cum in resurrectione succedit id quod est spirituale.

V. 47. Primus homo: Adamus. Secundus homo: Christus Dominus. De caelo caelestis, id est divinam habens originem, utpote natus ex Deo, per resurrectionem factus est etiam corpore cælestis, id est qualitates suæ dignitati congruentes etiam secundum corpus accepit, factus scilicet immortalis, impassibilis, & omni ex parte gloriosus.

V. 48. Qualis terrenus, tales et terreni; id est, sicut Adam e terra terrenus mortuus est, & in terram rediit; ita & omnes terreni ab eo nati in terram redibunt. Et qualis caelestis, &c. ut, sicut Christus per resurrectionem adeptus est corpus cæleste, id est immortale, & gloriosum: ita & ex eo renati sancti fiant cælestes, id est immortales, gloriosi.

V. 49. Sicut portavimus imaginem terreni. Transit Apostolus ab allegoria ad tropologiam; quasi dicat, Sicut aliquando viximus in infidelitate, & peccatis, quasi homines terreni, similes Adæ homini terreno, & peccatori. Portemus et imaginem caelestis: cælestem vitam agente per probatos, & sanctos mores.

V. 50. Hoc autem dico fratres: hoc est, inquit, quod volo dicere. Caro et sanguis: homo mortalis, & corruptibilis. Neque corruptio, id est caro animalis, & corruptibilis. Incorruptionem: vitam æternam, in qua corruptioni locus non est.

V. 51. Ecce mysterium vobis dico. His verbis Apostolus excitat attentionem legentium, atque insinuat se quid magnum, tremendum, secretum de resurrectione dicturum. Sed non omnes immutabimur, per gloriam scilicet.

V. 52. In momento: ἐν ἀτόμῳ, id est in indivisibili, ut est punctum temporis, vel in brevissimo tempore, quali tempore mensuratur ictus oculi. In novissima tuba: mortuos ad iudicium evocante. Mortui resurgent incorrupti. Omnes etiam reprobi *incorrupti resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum*, inquit Anselmus.

V. 53. Corruptibile hoc: corpus nostrum.

V. 54 Fiet sermo, implebitur sequens Scripturæ testimonium. Absorpta est mors in victoria. Hæc sumpta sunt non ad verbum, sed quoad sensum ex Osee XIII. 14. ubi dicitur: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos*; hoc enim in re idem est cum eo quod hic ait Apostolus: *Absorpta est mors in victoria*. In victoria, id est per victoriam, quæ superata est a Christo.

V. 55. Ubi est mors stimulus tuus? quo soles homines confodere, & necare? quasi dicat, Periit, confractus est a Christo.

V. 56. Stimulus autem mortis peccatum: per quem scilicet mors nobis præcipue nocet, & pungit, sicut scorpius per aculeum. Virtus vero peccati lex; quasi dicat: Peccatum maxime vires exerit per legem, id est per occasionem legis vetantis, semper enim nitimur in vetitum.

V. 57. Deo autem gratias: agimus. Victoriam: de peccato, & morte.

V. 58. Stabiles: in fide. Abundantes in opere Domini: multa bona opera exercentes. Non est inanis: sed illum sequetur præmium a Domino.

TIRINI.

Verf. 1. NOTUM FACIO; id eſt, in recentem notitiam & memoriam vobis revoco.

V. 4. QUIA RESURREXIT CHRISTUS TERTIA DIE SECUNDUM SCRIPTURAS, Geneſ. XXII. ubi Iſaac morti deſtinatus, tertia die quaſi reviviſcit: & Ionæ II. verſ. ult. ubi Propheta in typo Chriſti tertia die e ventre ceti educitur; ſed clariſſime & ad litteram Oſee VI. 3. ubi de Chriſto prædicitur, quod reſurrectione ſua *poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit & vivificabit* etiam *nos*, ut ibidem expoſui. Porro Chriſtus tertia die redivivus

V. 5. VISUS EST CEPHAE, id eſt Petro *a*. Et eodem die UNDECIM Apoſtolis ſuis *b*, & pluribus aliis, ut alibi *c* vidimus.

V. 6. DEINDE PLUSQUAM QUINGENTIS FRATRIBUS, ſeu Chriſtianis, SIMUL in monte Galilææ *d*, inquit S. Hieron. *e*

V. 7. APOSTOLIS iterum OMNIBUS, & pluribus adhuc aliis in die Aſcenſionis *f*.

V. 8. NOVISSIME OMNIUM Apoſtolorum etiam VISUS EST in proprio ſuo corpore MIHI TAMQUAM ABORTIVO, id eſt extra tempus, extra numerum, extra ordinem in collegium Apoſtolorum adſcripto: ita S. Chryſoſtomus, Ambroſius, & Baronius *g*. Sic, teſte Svetonio *h*, ſenatores, qui Romæ extra ordinem ex gratia in ſenatum adlegebantur, *abortivi* vocabantur.

V. 10. ABUNDANTIUS, ſeu amplius quam *omnes* Apoſtoli (ſed ſeorſim ſumpti) in Evangelio promulgando promovendo LABORAVI, ut alias vidimus *i*. NON EGO, ſupple, ſolus; vel, non tam ego k, quam GRATIA DEI quæ MECUM laboravit. Non ergo excludit hic Paulus propriam liberi arbitrii cooperationem (ut fingunt Lutherus & Calvinus,) ſed tantum gratiæ, ut digniori & principaliori operis cauſæ, laudem operis aſſeribit, inquit S. Chryſoſt. Hieron. Auguſt Theodor. Gregor. Anſelm. & Bernardus *l*.

V. 11. SIVE ENIM EGO, SIVE ILLI alii Apoſtoli ſpectentur, *ſicut* iam de Chriſto mortuo & reſurgente dixi, PRAEDICAMUS omnes conformiter & uniformiter.

V. 12. QUOMODO ergo QUIDAM IN VOBIS, ſecuti Cerinthum *m*, Hymenæum & Philetum *n*, DICUNT NON *eſſe reſurrectionem* MORTUORUM? Et hoc eſt Primum Pauli argumentum: Chriſtus reſurrexit: ergo & nos reſurgemus. Cauſa enim tam noſtri, quam ſui reſurrexit Chriſtus. Et quia alioqui non eſſet plena Chriſti victoria de morte, ſi illam in ſeipſo ſolo, & non in membris quoque ſuis, id eſt in nobis, devieiſſet. Atqui plene ipſam a Chriſto devictam eſſe teſtatur actus de illa triumphus in reſurrectione Chriſti; ergo.

V. 13. Quod SI (ut nugantur) RESURRECTIO NON EST ulla MORTUORUM, ergo NEQUE CHRISTUS (contra quam nunc tot teſtibus oculatis probavi) a mortuis RESURREXIT, quia conſtat etiam ipſum mortuum fuiſſe. Et hoc eſt ſecundum argumentum, ab abſurdo. Unde tertium argumentum ab alio abſurdo:

V. 14 Ergo INANIS & falſa eſt PRAEDICATIO NOSTRA. Et quartum: INANIS quoque & falſa EST FIDES VESTRA. Et quintum:

V. 15. INVENIMUR FALSI TESTES DEI: atqui certiſſimo probamus tot miraculis, tot prodigiis quaſi divinis ſigillis nos non eſſe falſos teſtes, ſed doctrinam quam tradimus, & fidem quam vos docemus, ſolidam eſſe ac ſinceram: ergo. Sequitur ſextum argumentum:

V. 17. Ergo ADHUC ESTIS IN PECCATIS VESTRIS: nam Chriſtus *reſurrexit propter iuſtificationem noſtram o*. Quod ſi ergo corruit cauſa, nempe reſurrectio Chriſti, corruet & effectus, nempe iuſtificatio noſtra. Vel ſic: Si Chriſtus non potuit reſurgere, hoc eſt mortem devincere; multo minus potuit devincere peccatum: ergo a peccato detinemini adhuc captivi]. Porro gravius eſſe, tollere *cauſam*, puta peccatum, quam *effectum* cauſæ, puta mortem, nemini dubium eſt. Quin immo nec poteſt plene tolli cauſa, quin & effectus tollatur: ita S. Chryſoſtomus. Septimum argumentum:

V. 18. ERGO ET QUI DORMIERUNT, id eſt mortui ſunt, IN CHRISTO, id eſt cum fide, ſpe, caritate & gratia Chriſti, PERIERUNT, id eſt damnati ſunt: quia fides eorum fuit falſa, & perverſa, iuſtitia nulla, &c. Sequitur octavum:

V. 19. SI IN HAC VITA TANTUM, id eſt huius ſolum vitæ bona SPERANTES SUMUS, ſine ſpe reſurrectionis & futuræ gloriæ,

tiæ, nos IN CHRISTO, ſeu Chriſtiani, *erimus* MISERABILIORES OMNIBUS HOMINIBUS: nos enim carnis & mundi voluptates illa ſpe reiicimus, quibus alii ſaltem hic ſeſe oblectant: ita Chryſoſtomus & Anſelmus.

V. 20. NUNC AUTEM certum omnino atque exploratum eſt, quod CHRISTUS RESURREXIT, & quidem PRIMITIAE DORMIENTIUM, id eſt primus *ex* MORTUIS reſurgentium ad vitam immortalem: primus, inquam, non tantum dignitatis ordine, ſed & temporis. Nam qui Chriſto moriente reſurrexiſſe dicuntur Matt XXVII. 52. non illa præciſe die, ſed tertia demum cum Chriſto, immo poſt Chriſtum reſurrexerunt, ut bene notat Franciſcus Suarez *p*.

V. 22. IN CHRISTO, id eſt merito Chriſti, qui mortem abolevit, OMNES *qui ſunt Chriſti* viva membra, etſi ſemel moriantur, rurſus] tamen VIVIFICABUNTUR, id eſt ad vitam reducentur glorioſam & immortalem.

V. 23. QUISQUE IN SUO ORDINE, tum dignitatis, tum temporis; nempe, PRIMITIAE, id eſt primo loco Chriſtus, utpote caput omnium & princeps: dein iuſti ſubſequentur: dum demum completa quoque impiorum reſurrectione,

V. 24. FINIS univerſæ Chriſti diſpenſationis fiet in terris: & conſequenter finis etiam erit ſæculi. CUM Chriſtus, peracto univerſo iudicio, TRADIDERIT DEO PATRI REGNUM ſuum, id eſt Eccleſiam electorum, in quibus tamquam in proprio regno ſuo regnat, hic per gratiam, in futura vita per gloriam, inquit Ambroſ. *Tradiderit*, inquam, id eſt obtulerit ſeu præſentarit, tamquam victoriæ ſuæ ſpolium ac trophæum. Et licet quotidie illud ipſi præſentet, non tamen præſentat plane liberum, & hoſti plene ereptum: cum in eo adhuc ex parte dominetur peccatum, graſſetur diabolus, ſæviat mors & mortalitatis miſeriæ. Tunc autem omni prorſus hoſte liberum offeret Deo, ut in eo plena gloria æternum regnet ac triumphet, CUM EVACUAVERIT & aboleverit OMNEM PRINCIPATUM & imperium dæmonum, qui nunc fideles laceſſunt. Dæmones enim, qui plurimi ex ſingulis ordinibus &] choris ceciderunt, retinent adhuc ſua nomina, vocantur aliqui *Principatus q*, alii *Poteſtates*, alii *Virtutes*, alii aliis nominibus aliorum officiorum.

V. 25. OPORTET ILLUM REGNARE ſ nempe Chriſtum in Eccleſia, & ut cœpit, ita continuare oportet imperium, blandum in ſuos, ferreum in hoſtes; continuare, inquam DONEC *r* PONAT cæleſtis Pater OMNES INIMICOS, dæmones & alios reprobos SUB PEDIBUS EIUS plane devictos ac proſtratos. Et quidem *diabolus*, qui primus eſt hoſtis, magna ex parte, merito crucis Chriſti, devictus iacet. Alter hoſtis, *peccatum*, paulatim a Chriſtianis, opitulante per gratiam Chriſto, vincitur & exſtirpatur. In reſurrectione vero univerſali

V.] 26. NOVISSIMA hominis INIMICA DESTRUETUR MORS. Ex his conficitur nonum argumentum pro reſurrectione: ſi enim mortui non reſurgunt, Pater non habebit plenum & perfectum regnum: nec Chriſtus plena ex hoſtibus ſuis victoriam retulerit; quia vigeret adhuc ſatanæ, peccati & mortis poteſtas in filios & in membra Filii Dei.

V. 28 TUNC ET IPSE FILIUS SUBIECTUS ERIT PATRI; quaſi dicat: Ne tunc quidem deſinet Filius eſſe Patri ſubiectus; nempe quatenus homo eſt. UT SIT DEUS OMNIA IN OMNIBUS, id eſt, ut plenum imperium & poteſtatem exerceat in omnia, etiam in unigenitum Filium ſuum, ut homo eſt: quanto magis in mortem, & in corpora mortua? Et hoc ſit decimum argum. Sequitur undecimum:

V. 29. SI MORTUI NON RESURGUNT OMNINO, UT QUID PRO ILLIS BAPTIZANTUR, tam Iudæi *ſ*, (qui, ut quotidie videmus, purificantur ad ſacrificia & preces pro mortuis offerenda:) quam Chriſtiani, qui metaphorico baptiſmo *t* pœnitentiæ, afflictionum, lacrymarum & orationum ſeſe immergunt, ut mortuis in Purgatorio detentis ſuffragentur & opitulentur? immo ſic baptizantur etiam ipſi reſurrectionis hoſtes Cerinthus & eius ſymmyſtæ.

Dices, Hoc ut ſummum probat animæ immortalitatem: ſed quomodo ex ſola animæ immortalitate ſequitur reſurrectio corporum? Reſpondeo, cum S. Thoma, Suarez & aliis Doctoribus, quia animæ immortalitas & corporum reſurrectio plane connexa ſunt, partim natura ſua: cum anima ſit forma corporis: (unde, niſi violente Deus adimat animæ ſuam quaſi naturam & naturalem ſtatum, debet ei

ſuum

suum corpus reddere.) Partim recepta hominum opinione: cum semper fuerit & etiamnum sit communis persuasio, si anima sit immortalis, resurrectionem corporis certo secuturam.

V. 30. UT QUID ET NOS Evangelii præcones ob spem resurrectionis PERICLITAMUR, seu periculis nos obiicimus, OMNI HORA, id est omni tempore? Est duodecimum argumentum.

V. 31. QUOTIDIE MORIOR; id est, varia mortis pericula subeo, & continuo morti me offero, idque ob hanc solam spem. PER GLORIAM VESTRAM, supple, id iuro: in Græco enim præponitur particula νὴ, quæ iuramentis servit. *Gloriam*, inquam, QUAM HABEO de vobis IN CHRISTO, seu ad Christum mea opera conversis.

V. 32. SI SECUNDUM HOMINEM, id est humano solum studio, spe & fine temporali, AD BESTIAS PUGNAVI EPHESI. Quod S. Chrysost. Ambros. & alii plerique proprie accipiunt, & Nicephorus *u* rem ut gesta est, enarrat; Theophyl. tamen, Anselmus & Primasius per *bestias*, Demetrium eiusque socios pro Diana sua ferino & barbaro modo pugnantes *x* intelligere malunt: quo simili tropo per *leonem* Nero alibi *y* intelligitur. Sed hoc QUID MIHI PRODEST, SI MORTUI NON RESURGUNT? Quin potius cum Epicuro, eiusque sequacibus dicere lubeat, *Ede bibe, lude, post mortem nulla voluptas?*

V. 33. NOLITE SEDUCI prava cum eiusmodi atheis & Epicureis conversatione: φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Iambicus senarius est Menandri, id est CORRUMPUNT MORES BONOS COLLOQUIA & commercia *prava*.

V. 34. AD REVERENTIAM, πρὸς ἐντροπὴν, id est ad pudorem, ad confusionem, VOBIS LOQUOR; quasi dicat: Pudere vos deberet eiusmodi errorum, quibus aliqui vestrum detinentur.

V. 35. SED DICET ALIQUIS: QUALI CORPORE VENIENT? & unde resumet corpus mortui redivivi, cum corpora illorum iam pridem computruerint? Respondet:

V 38. DEUS, SICUT .... UNICUIQUE SEMINUM DAT PROPRIUM & suæ speciei congruens CORPUS, bovino bovinum, aquilino aquilinum, triticeo triticeum, humano humanum; sic & resurrectione dabit cuique proprium suum corpus, & quale quemque decebit.

V. 40. ALIA atque alia est GLORIA *corporum cælestium*, seu stellarum.

V. 42. SIC ET RESURRECTIO alia erit atque alia diversorum MORTUORUM, etiam beatorum: unus enim alteri, ut gratia & meritis, ita præmio quoque & gloria tum corporis, tum animæ longe præcellet. Unicuique corpori commune erit: primo, quod SEMINATUR, id est in terra (ut solet semen) conditur, id est sepelitur, IN CORRUPTIONE, id est corruptum; in resurrectione SURGET *incorruptibile* & impassibile. Secundo, quod

V. 43. SEMINATUR IN IGNOBILITATE, id est ignobile, vile, spurcum; SURGET cum maxina GLORIA, splendore, claritate. Tertio, SEMINATUR IN INFIRMITATE, id est infirmum, invalidum, nec se vel tantillum movere potens; SURGET IN VIRTUTE, id est cum potentia & robore, celeberrimum & agillimum. Denique

V. 44. & 45. SEMINATUR CORPUS ANIMALE, seu quale habent omnia animalia, id est crassum, durum, impenetrabile, indigens cibo & potu; SURGET CORPUS SPIRITALE, id est spiritui simile & conforme, puta instar spiritus non egens cibo vel potu, subtile, leve, penetrabile: ita S. Epiphan. Damascenus *z* & alii Patres ac Doctores, qui ex his S. Pauli verbis colligunt quatuor dotes corporis gloriosi, primam, *impassibilitatem*; secundam, *claritatem*; tertiam, *agilitatem*, quartam, *subtilitatem*.

Porro ne mireris, me *corpus* vocare *spiritale*. Sicut enim est CORPUS ANIMALE, quod traximus ex Adamo; ita ET EST SPIRITUALE, quod in resurrectione habebimus a Christo & ex meritis Christi. SICUT SCRIPTUM EST *aa* de primo nostro parente Adamo, quod FACTUS sit IN ANIMAM VIVENTEM vita tantum animali, multis necessitatibus, passionibus, miseriis obnoxia; unde nec potuit filiis suis aliud corpus quam tali vivens vita subministrare. Sed NOVISSIMUS ADAM, & alter parens noster Christus, sicut factus est IN SPIRITUM VIVIFICANTEM, id est talis qui suo merito & potentia possit quævis mortua vivificare; ita etiam de facto subministrat nobis corpus resurrectione gloriosa vivificatum, spiritibus simile & conforme, ut iam dixi, agile, subtile, clarum & impassibile.

V. 47. PRIMUS HOMO Adam, quia DE TER-

TERRA factus, non nisi TERRENUS fuit, nec nisi terrenum plane corpus potuit nobis communicare. Sed SECUNDUS HOMO Christus, quia DE CAELO, de sinu Patris, Deus de Deo, est homo plane CAELESTIS, (unde & debebatur ei connaturaliter a primo conceptionis instanti corpus gloriosum cum omnibus dotibus ei annexis, sed noluit hæc admittere nisi in resurrectione.) Potest ergo virtute sua efficere, ut corpus quod ex se est animale, fiat cæleste & spirituale, sed spiritibus simile: & de facto tale fecit suum corpus quando illud a mortuis suscitavit: & faciet etiam nostra corpora, quando illa resuscitabit: ita fere S. Chrysost. Theophylactus, Theodoretus & Augustinus *bb*. Mox ab allegoria transit Apostolus ad tropologiam.

V. 49. SICUT ante conversionem PORTAVIMUS IMAGINEM TERRENI Adami, id est assimilati illi fuimus in peccatis; ita iam conversi PORTEMUS IMAGINEM CAELESTIS Adami, id est conformemur Christo per vitam spiritualem, per virtutes cælestes, per mores sanctos.

V. 50. CARO ET SANGUIS, seu physice, seu moraliter loquendo, REGNUM DEI gloriosum POSSIDERE NON POSSUNT: nam corpus mortale, infirmum, caducum (quale circumferimus in hac vita) non potest nisi deposita corruptione, cælum subire Et ita explicat Theodoretus, Theophylact. Ambrosius Nec cælo potiemur nisi desierimus vivere secundum desideria carnis & sanguinis, ut S. Augustinus *cc* exponit.

V. 51. OMNES RESURGEMUS, SED NON OMNES IMMUTABIMUR ad gloriam, seu non omnes pro animali corpore nanciscemur spirituale & cæleste, ut supra. Græci & Syri codices sensu plane contrario habent: *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur:* & ita legunt Origenes, Tertullian. *dd* Chrysost. Theodor. Theophyl. & fere Novantes. Quam lectionem & sententiam, etsi ob Auctorum gravitatem, nolim erroris damnare, (ut damnat Sotus & Catharinus) puto tamen minus probabilem esse, neque ad mentem S. Pauli facere, qui & hic *ee* & alibi diserte docet *ff*, *omnes semel morituros*, & solos *bonos* ad gloriam *immutandos gg*. Et pro Latina lectione facit S. Augustinus *hh* & alii Patres.

V. 52 IN MOMENTO; Græce, ἐν ἀτόμῳ, id est in indivisibili, seu puncto temporis, MORTUI RESURGENT omnes INCORRUPTI, id est immortales. Nam etiam *reprobi*, inquit Anselmus, *incorrupti resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum*.

V. 54. TUNC FIET SERMO QUI SCRIPTUS EST; id est, peracta resurrectione universali implebitur illa scriptura Osee XIII. 14. (secundum LXX.) ABSORPTA EST MORS IN, id est per *victoriam* Christi.

V. 55. UBI nunc *est*, *o* MORS, STIMULUS TUUS, nempe PECCATUM, quo tamquam venenato aculeo solebas instar scorpii configere nos & enecare? ita Theophylactus

V. 56. VIRTUS PECCATI; id est, id per quod peccatum vires suas maxime in nos exeruit, est LEX; nempe Mosaica. Occasione enim legis multa præcipientis, multa vetantis, sed gratiam ad ea complenda non præstantis, magis invaluit peccatum; ut alibi fusius ostendit Apostolus *ii*: ita Theodoretus, Ambrosius, Theophylactus, Anselmus.

(a) Lucæ xxiv. 34.
(b) Ibid. vers. 36.
(c) Chron. in fine cap. xlix.
(d) Matt. xxviii. 7. 10. & 16.
(e) Hieron. quæst. vii. ad Hedibiam.
(f) Act. i. 4 & seqq.
(g) Baron. anno Christi xliv. p. 377.
(h) Sveton. in Octavio cap. xxxv.
(i) Rom. xv. 23.
(k) II. Cor. iii. 7. Rom. ix. 13. Proleg. de Idiotismis. Hebr. num. 9.
(l) Hieron. Lib. II. cont. Pelagianos ante medium. August. Lib. de Lib. arbit cap. xvii. & Serm. XIII de verb. Apostoli. Greg. Lib. XVI. Moral. cap. x. Bern. Lib de Gratia & Lib. arb. sub finem.
(m) Euseb. Lib. VII. hist. cap. xxiii. Lib. III. cap. xviii.
(n) II. Tim. ii. 17.
(o) Rom. iv. 25.
(p) Suarez iii. p. quæst. liii. a. iii.
(q) Ephes. vi. 12.
(r) Matth. i. 25.
(s) Marc. vii. 8. & Hebr. vi. 12. & i. 10. & 11. Matth. xii. 43.
(t) Marc. x. 38. & Lucæ xii. 50. & Psal. xxxi. 6. &c.
(u) Nicephor. Lib. II. hist. cap. xxv.
(x) Actor. xix. 24.
(y) II. Tim. iv. 17.
(z) Epiph in hæres Origen. Damasc. Lib. IV. de Fide cap. xxviii.
(aa) Gen. ii. 7.
(bb) August. Lib. XIII. de Civit. cap. xxiii.
(cc) August. epist. cxlvi. ad Consentium.
(dd) Orig. Lib. II. contra Celsum. Tertull. de Resurr. cap. xli. & xlii.
(ee) Vers 22.
(ff) Hebr. ix. 27.
(gg) Hic vers. 52.
(hh) August. Lib. XX. de Civit. cap. xx.
(ii) Rom. vii. 7.

GOR-

GORDONI.

Vers. 1. HIs quatuor primis versibus (in quibus est aliqua verborum traiectio) reponit, & in mentem Corinthiis revocat, ut fundamentum huius discursus, doctrinam de Christo mortuo & resurgente tamquam a Deo revelatam, firmatam miraculis, & a Corinthiis solide creditam. Hic Paulus ait se hæc ipsa divinitus etiam accepisse. Ex scripturis vero est locus Oseæ VI. 3. de resurrectione, ubi de hac redixi satis prolixe. Idem ex Iona colligunt Chrysostomus & Theophylactus. Locus Oseæ dat sensum litteralem de Christo resurgente. Allegoricum est quod afferri solet ex Gen. XXII. de Isaaco, post triduum destinatæ immolationis, reddito matri.

V. 5. & 6. ET QUIA VISUS EST CEPHAE. De testibus resurrectionis agitur. Paulus non est solicitus de numero, aut etiam ordine apparitionum; de qua re dixi Ioan. cap. XX. & XXI. & in Chron. an. 34. Hæc apparitio facta undecim videtur illa facta in Galilæa, octavo die Paschæ, præsente Thoma: tamen August. Lib. I. qq. Evang. quæst. CXVII. legit cum Græco, *duodecim*. At quænam est hæc apparitio ἐπάνω PLUSQUAM QUINGENTIS FRATRIBUS. Certe quæcumque fuerit, debet contigisse ante Ascensionem: nam post illam nulla legitur facta apparitio publica. Facta porro est non in Ascensione (quæ peracta est in monte Oliveti) sed ante eam, & in Galilæa, & ad quam utpote prænunciatam confluxerunt multi. Postea Iacobo Episcopo Ierosolymorum, ac tandem Apostolis omnibus in Ascensione.

V. 8. NOVISSIME AUTEM. Mihi, inquit, ABORTIVO, abiecto, contempto, vel certe supra numerum duodecim Apostolorum per singularem gratiam vocato. Sic Romæ addebatur interdum Consul honorarius: immo & Senatores dicti abortivi, ex Svetonio in Octavio cap. XXXV. Ceterum hæc apparitio est illa quæ contigit in conversione Pauli. Act. IX. 3. Addit Paulus, qualis fuerit persecutor, & quid per Dei gratiam effecerit post conversionem. Recte expendunt Theologi ex versu 10. 20. GRATIA DEI MECUM. Cæci sunt Novatores, qui non vident Deum non operari omnia in nobis sine nostro libero arbitrio, liberaque cooperatione. Nec alium sensum habet Græcus textus, σὺν ἐμοί.

V. 11. & 12. SIVE ENIM EGO. Redit ad resurrectionem. Si, inquit, resurrectio revelata & credita est, me & aliis Apostolis ita prædicantibus, non sine signis, testimonio & virtutibus; qui fit ut iam de resurrectione dubitent? Multa insinuat hic argumenta, quibus reddit hoc mysterium credibile. Infidelitatis huius præco putatur Cherinthus cum Mago Simone.

V. 13. SI AUTEM RESURRECTIO. Docet (supposita fide) Christi resurrectionem fuisse abolitionem mortis: mortuus enim est & resurrexit, ut mortem aboleret. Et quidem si impossibilis est resurrectio mortuorum, sequitur nec Christum resurrexisse, cum ipse etiam sit unus mortuorum. Immo & inanis erit tota prædicatio nostra, & falsum nostrum quod protuli testimonium ex vers. 14. & 15. Sic ex uno fidei principio destructo (unde argumentatur Paulus) sequentur multa incommoda & absurda, quæ recenset belle Paulus usque ad versum 20. quale inter alia est illud, periisse iustificationem nostram, cum resurrectio Christi sit causa meritoria iustificationis nostræ. Sequetur porro non esse devictam mortem, utpote quam non potuisset Christus vincere. Ergo vos adhuc estis in peccatis. Ergo perierunt omnes qui hactenus inter vos mortui sunt. Denique tota fides vana est, & prædicando, Deum fecimus mendacem. Tandem MISERABILIORES sumus omnibus, si dum nos mundi huius gaudiis privamus, perit etiam nobis spes nostra; sed non ita est, uti iam dicet.

V. 20. NUNC AUTEM CHRISTUS RESURREXIT. Verum non ita est: non fallimur: surrexit, qui est dormientium primitiæ; & primus, non amplius moriturus: alii quidem in suo ordine sunt. Christus extra ordinem, & primus. Accedit & illa antithesis in Adamo, per illum mors, cum in eo omnes peccarunt ut in capite: in Christo vita & redemptio, salus & vita æterna. Proxime vero post eum resurgent ad eius adventum, qui ut par erat crediderunt; & tunc finis erit sæculi, cum tradet Patri regnum & congregationem fidelium, evacuato Dæmonum principatu. Utitur hic vers. 24. nominibus ordinum

Angelicorum, undè apparet ex tribus his choris cecidisse Angelos quosdam. Multa ad hæc addunt Theologi ex animæ immortalitate; appetitu eius naturali ad corpus; a definita lege divinæ providentiæ, & similia.

Certum est ex his Pauli verbis vers. 23. ubi Christus primus vocatur, neminem ante eum resurrexisse ad vitam immortalem, ut hinc statuas de his qui Matth. XXVII. 52. dicuntur resurrexisse cum Christo: certe nec tempore, nec natura ante Christi resurrectionem. Vide tamen citatum Matthæi locum, & plura apud Theologos, ubi de resurrectione. Porro mens Pauli est Christum per suam resurrectionem tantum bonis, & in iustitia morientibus meruisse resurrectionem. An vero eandem meruerit etiam damnatis, quod negant August. epist. XXVIII. & S. Thomas; affirmat Ambrosius de Resurrect. cap. XXI. ut sic resurgentes castigarentur; hoc, inquam, definitum non est. Nihil tamen vetat gloriam meriti Christi etiam ad inferos penetrasse, ut dixit Ambrosius.

V. 25. usque ad 29. OPORTET AUTEM ILLUM. Hæc etiam quæ sequuntur spectant ad excitandam resurrectionis fiduciam: quæ sunt de felici regno Christi in Ecclesia, victoria contra hostes, & debellata morte. Ita tamen de omnibus triumphabit vers. 28. ut non desinat, quatenus homo, esse patri subiectus. Immo & cum eo totum corpus mysticum, ut sit Deus omnia in omnibus, seu ita obiectum beatitudinis, ut sit loco omnium quæ optari possunt in homine. De hac plenitudine visionis beatorum, lumine gloriæ, & gaudio, multa suo loco Theologi.

V. 29. usque ad 35. ALIOQUI QUID FACIENT. Regredi videtur hic Paulus ad probationem resurrectionis ab incommodis petitam. Si, inquit, non est resurrectio mortuorum, quem ex suo labore sperabunt fructum, qui sacrificia offerunt & fundunt preces pro mortuis: si anima perit cum corpore, (ut putant qui hic refutantur) an non stulta est hæc species pietatis. BAPTIZANTUR, inquit Paulus: solebant enim Iudæi baptizari & purificari ante sacrificia & preces. Vel etiam baptizantur pro mortuis, qui pœnas & afflictionem in se suscipiunt, ut mortuis suffragentur. Aliquoties enim sic baptismi nomen accipitur. Frustra hæc, si totus homo perit in morte, nec spes est resurrectionis. Sequitur vers. 30. ut quid quotidie periclitamur, bestiis obiicimur, & alia multa sustinemus pro Christo & regno Dei, si locus est impio huic errori.

Sed quid illud vers. 31. PER VESTRAM GLORIAM MORIOR QUOTIDIE? Sensus optimus esse potest; obiicior periculis mortis propter gloriam vestram, quam expecto in cælo. Noster interpres legit ὑμετέραν, *vestram*. Alii ἡμετέραν, *nostram*. Altera interpretatio nec mala, putat esse Pauli iuramentum. Favet sane impense in Græco vox νὴ, quæ Græcis nota est iuramenti: τό, SECUNDUM HOMINEM, hoc est, ut humano modo loquar. Pugnatum vero esse a Paulo cum bestiis, vere & non metaphorice docet etiam Chrysostomus, cui favet proprietas vocis in textu Græco. Tandem vers. 3. concludit sapere oportere, ubi insinuat abstinendum esse a consuetudine cum his, qui hæc impia proferunt contra resurrectionem. Et hæc, inquit, ad REVERENTIAM, & pudorem vobis dico; quibus iam Christianis pudor est ita loqui.

V. 35. *Usquè ad vers.* 44. SED DICET ALIQUIS. Introducit insipientem sic interrogantem; qui fieri possit ut corruptum corpus iterum vivat? Hoc explicat Apostolus præclara similitudine petita a semine & grano, quod seminatur, corrumpitur, & postea quasi renascens dat amplam messem: & nisi corrumpatur granum, non exurgit in spicas; sic, inquit, Deus pro vita & meritis cuiusque, qua est fidelitate in promissis, & potentia in agendo, revocabit corpus ad unionem cum anima sua, quæ ut immortalis est, mansit superstes. Atque hoc est quo tendit similitudo. Vitandus hic est error dicentium resurrectionem futuram naturaliter ex vi quadam seminali latente in terra post corruptionem, ut videmus in grano corrupto. Non hoc vult Paulus; error est. Pro seminali virtute in resurrectione est divina omnipotentia, quæ quando vult, mirabiliter & supra naturam operatur. Deus, inquit versu 38. qui DAT ILLI CORPUS SICUT VULT.

V. 39 NON OMNIS CARO EADEM CARO. Hic & insequentibus versiculis etiam refutat errorem dubitantium, quomodo fiat

ut corpus animale resurgat spirituale, quale erit in beatis. Respondet, Deum hic esse opificem & daturem corporis gloriosi pro ratione meritorum cuiusque. Hinc subiicit analogiam de varietate corporum: sicut enim natura dat varietatem in corporibus magnam (in bestiis, hominibus & stellis,) sic Deus omnium opifex, dabit pro varietate meritorum corpora; & iustis quidem gloriosa & spiritualia; & ita ut in ipsis etiam gloriosis corporibus sit futura varietas.

V. 44. SEMINATUR. Corpus animale hic vocat, quod sensitivum est egens cibo quo alatur. Et quidem, inquit, si est corpus aliquod animale, cur non erit etiam spirituale? Si Deus ita vult purum, inquam, subtile, cibo non egens. Nam hoc etiam pertinet ad perfectionem universi. Et tale est quod insinuat Scriptura, Genes. II. 7. de Adamo, cuius corpus fuit animale, & Christo habente post resurrectionem corpus non egens cibo, impassibile & gloriosum. De formato corpore Adami dixi ad citatum locum Geneseos. Error fuit Origenis & Eutychetis Constantinopolitani Patriarchæ, corpus vertendum esse in spiritum, & sic fore spirituale. Error est quem idem Eutychius revocavit præsente Gregorio Magno, quod notavi ad annum 578. De dotibus corporis gloriosi disserunt suo loco Theologi.

V. 47. & 48. PRIMUS HOMO. De hac antithesi inter Christum & Adamum multa dici possunt; sed ad id quod ago, enucleandum minus necessaria. Sane Christus homo de cælo est, divinam habens originem, ut de conceptione & nativitate docent Scripturæ & Theologi in tota materia de Incarnatione. QUALIS TERRENUS, &c. ut ille moriens in terra rediit, ita & nos mortales & terreni. Et sicut resurgens evasit corpore gloriosus, ita & illi qui nati sunt ex Christo generatione spirituali, si perseverent.

V. 49. SICUT PORTAVIMUS. Transit Paulus a data antithesi ad exhortationem, quæ eo tendit, ut sicut ante in vita infidelium imitati sunt veterem hominem, ita nunc in vita fidelium imitentur Christum novum & cælestem hominem, gloriosum & incorruptibilem.

V. 50. CARO ET SANGUIS. Sensus est litteralis; Cælum non admittit animale corpus, sed spirituale iuxta datam explicationem. Immo nec opera carnis obtinebunt cælum, ut hoc explicant Ambrosius & Theophylactus. Designat interim Paulus nec vitam animalem aut carnalem fore in cælo: nec ad illud aperiri iter per carnalem vitam. Sed quod est hoc mysterium vers. 51.? Tremendum sane, resurgent quidem omnes, sed non omnes immutabuntur in corpus spirituale: nam soli iusti resurgent ad hanc gloriam, mali autem ad pœnam æternam. In momento & brevissimo tempore, & in illo extremo die resurgent homines incorrupti, seu membris integris: sed non omnes cum immutatione per gloriam. Tunc apparebit mortem esse absorptam, iuxta illud Oseæ XIII. 14. *De morte redimam eos*. Peribit & peccatum, quod erat stimulus, quo mors pungere solet, sicut lex est virtus peccati, scilicet ex occasione legis intrat peccatum. Et talis erit rerum status ille ultimus.

V. 51. & 52. OMNES QUIDEM RESURGEMUS: (varia lectio) ita noster. Et docent hæc verba, omnes morituros. Lectio vero illa Græcorum, *Non omnes dormiemus*, non est probanda: de qua Augustinus quæst. III. an Dulcitium, & XX. de Civitate, cap. XX.

Sed numquid sunt in instanti resurrecturi? Similis fere quæstio est de formatione corporis Christi, quam tractat Suarez III. p. quæst. XXXI. disp. XLIV. In præsentia quidem sive legas ἐν ῥιπῇ, *in ictu*, a ῥίπτω, *iacio*; sive ῥοπῇ (propensio est libræ) est insuper hic, ἐν ἀτόμῳ, vox designans indivisibile; & ita vult fieri resurrectionem. August. ep. XLIX. cap. I. & non in tempore, quod verum videri potest & admitti, si sermo sit de informatione, organizatione, & qua vis ibi productione non includente motum localem. Tota ergo reliqua difficultas erit de locali adductione corporum. Res philosophica est, an possit fieri in momento, ἐν ἀτόμῳ, *ille motus*, sive transeundo per omnia media in illo eodem momento (qui transitus localis ab extremo ad extremum in instanti facilior est) ut aliqui putant fieri in illuminatione solis: sive (quod difficilius est) transeundo ad extremum, & non per media: quod Dei virtute fieri posse putat Suarez citatus sect. IV. Illud quidem quod dictum est de lumine, neutris multum favet: nam illa diffusio luminis non est per idem lumen; sed

ſed aliud & aliud lumen diffunditur in aliud ſpatium. At in noſtra hypotheſi eſt idem corpus, quod oporteret ſimul eſſe, & non eſſe in eodem ſpatio, dum ſimul occupat, & non occupat illud.

CAPUT XVI.

Ubi de colligenda pro Chriſtianis qui Ieroſolymis agebant eleemoſyna hortatus eſſet, commendat eis Timotheum ac Stephanæ familiam: deinde ſalutationes ſubiungit.

1. DE collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Ec-
cleſiis Galatiæ, ita & vos facite. 2. Per unam ſabbati u-
nuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei
bene placuerit: ut non, cum venero, tunc collectæ fiant.
3. Cum autem præſens fuero: quos probaveritis per epiſto-
las, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalem. 4.
Quod ſi dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt. 5.
Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertranſiero:
nam Macedoniam pertranſibo. 6. Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam
hiemabo: ut vos me deducatis quocumque iero. 7. Nolo enim vos modo in tran-
ſitu videre, ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Domi-
nus permiſerit. 8. Permanebo autem Epheſi uſque ad Pentecoſten. 9. Oſtium
enim mihi apertum eſt magnum, & evidens: & adverſarii multi.
10. Si autem venerit Timotheus, videte ut ſine timore ſit apud vos: opus e-
nim Domini operatur, ſicut & ego. 11. Ne quis ergo illum ſpernat: deducite
autem illum in pace, ut veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus.
12. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum
ut veniret ad vos cum fratribus: * & utique non fuit voluntas ut nunc veniret:
veniet autem, cum ei vacuum fuerit. 13. Vigilate, ſtate in fide, viriliter a-
gite, & confortamini: 14. omnia veſtra in caritate fiant. 15. Obſecro autem
vos fratres, † noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam
ſunt primitiæ Achaiæ, & in miniſterium ſanctorum ordinaverunt ſeipſos: 16.
ut & vos ſubditi ſitis eiuſmodi, & omni cooperanti, & laboranti. 17. Gaudeo
autem in præſentia Stephanæ, & fortunati, & Achaici: quoniam id, quod vo-
bis deerat, ipſi ſuppleverunt: 18. refecerunt enim & meum ſpiritum, & ve-
ſtrum. Cognoſcite ergo qui huiuſmodi ſunt. 19. * Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ.
Salutant vos in Domino multum, Aquila & Priſcilla, cum domeſtica ſua Ec-
cleſia: † apud quos & hoſpitor. 20. Salutant vos omnes fratres. Salutate invi-
cem in oſculo ſancto. 21. Salutatio, mea manu Pauli. 22. Si quis non amat Do-
minum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema, Maran Atha. 23. Gratia Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. 24. Caritas mea cum omnibus vobis in
Chriſto Ieſu. Amen.

BRUGENSIS.

ROMANÆ CORRECTIONES.

Verſ. 12. Et utique non fuit voluntas ut nunc veniret. Non addas nomini *voluntas* pronomen *eius*.

Verſ. 19. Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ. ſubſtantivo Eccleſiæ non adiicias adiectivum *omnes*.

LE-

Lectionum Varietas.

Verſ. 15. *Noſtis domum Stephanæ & Fortunati, & Achaici*. Tollunt complures latini libri poſtremum nomen *& Achaici* cum Græcis & Syricis huc additum fortaſſis ex verſ. 17. ſubſequente.

V. 20. *Apud quos & hoſpitor*. Et hæc verba confodiuntur a Latinis, Græcis & Syriacis libris.

Notatio.

Verſ. 15. *Obſecro autem vos, fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati*. Multi libri addunt, multi tollunt *& Achaici*. *Stephanæ, & Fortunati, & Achaici*. Eis qui tollunt adſtipulatur inter Latinos enarratores diſerte Haymo; ad hæc Græci & codices & Interpretes, & Syriacus textus. Porro Græci plerique codices, ſuffragantibus pleriſque Græcorum Interpretum, & Syriaco textu, etiam *& Fortunati* tollunt. Videri certe poſſint *Fortunati & Achaici* nomen ex 17. verſu proximo, quo cum Stephanæ coniunguntur (*Gaudeo autem*, legitur ibi, *in præſentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici*) huic fuiſſe adiecta, quod ſequatur hic multitudinis numero: *Quoniam ſunt primitiæ Achaiæ & in miniſterium ſanctorum ordinaverunt ſeipſos;* id quod ad domum ſive familiam Stephanæ (quod eronee multi mulieris eſſe nomen exiſtimant) referendum ſit. Ceterum inter Græcos Pariſienſium codices undecimus, & Græca Colinæi editio conformiter Latinis libris, & enarratoribus, *& Fortunati* legunt, *τὴν οἰκίαν στεφανᾶ, καὶ φουρτουνάτου*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 2. Unam sabbati, id eſt primam hebdomadæ, id eſt diem dominicam, inquit Theophylactus, & Græca ſcholia.

V. 9. Ostium, id eſt occaſio.

V. 12. Vacuum, id eſt quum opportunitatem nactus erit.

V. 15. Primitiae: vel primi ex credentibus, vel præcipui inter credentes.

V. 16. Ut et vos, obſecro, ſcilicet ut subditi sitis illis, noſtis enim illos.

V. 22. Maran atha. Ambroſius dicit eſſe verbum partim Hebræum, partim Syrum, & ſignificare, *Dominus noſter venit*, & tunc ſenſus eſt: Si quis non amat dominum Ieſum, ſit anathema: venit enim dominus vindex illius.

SA.

Verſ. 1. Collectis, id eſt collectione eleemoſynarum.

V. 2. Unam, id eſt primam. Sabbati, id eſt hebdomadæ, ſcilicet Dominica die. Græc. *ſabbatorum*.

V. 3. Per epistolas: iunge cum ſequentibus. Gratiam, id eſt beneficium eleemoſynæ.

V. 4. Dignum, id eſt conveniens; quaſi dicat: Si res tanta erit, ut æquum ſit me etiam ire.

V. 6. Hiemabo, id eſt hiemem tranſigam.

V. 7. In transitu, id eſt tranſeundo iſtac, ſcilicet in Macedoniam. Vide ſeq. Epiſt. cap. 1. quaſi dicat, Tranſibo quidem per vos, ſed non immorabor. Manere; pro, manſurum.

V. 9. Ostium, &c. quaſi dicat, Multi ſunt parati fidem recipere. Evidens, id eſt unde aperte fructus ſperetur. Græc. *efficax*. Syr. *operoſum*. Et adversarii, pro, quamquam adverſarii.

V. 10. Venerit, ſcilicet ad vos. Timore; quaſi dicat, Facite ut poſſit inter vos agere confidenter.

V. 12. Utique. Græc. *omnino*. Syr. *nunc*. Vacuum. Græc. *opportunum*. Syr. *locus*.

V. 15. Domum, id eſt familiam. Stephanae. Virum quidam putant, alii feminam. Vide ſup. cap. 1. Primitiae, id eſt primi Chriſtiani. Ordinaverunt, id eſt exhibuerunt.

V. 16. Subditi, id eſt ſervientes, ſcilicet ſi quid opus habuerint.

V. 17. Vobis; pro, ex vobis. Deerat, ſcilicet præſentia veſtra, vel ſubſidium. Suppleverunt, ſcilicet ſuo adventu, vel miniſterio.

V. 18. VESTRUM, scilicet qui velut erat in ipsis. COGNOSCITE, id est agnoscite, seu honorate.

V. 19. SALUTANT VOS. Syr. *postulant pacem vestram*. ECCLESIA, id est congregatione, seu familia fideli.

V. 22. ANATHEMA, id est *excommunicatus;* quasi dicat, Dignus est qui excommunicetur, seu perdatur. MARAN, id est *Dominus noster*, Chald. est. ATHA, id est *venit*, Chald. est; quasi dicat: Iam venit propter homines, ideo amandus. Vel, *venit*, pro venit, scilicet ad iudicium, ideo timendus.

V. 24. CARITAS MEA, &c. quasi dicat, Amor quo in Christo diligo, vobis prosit. AMEN. Græc. additur: *Missa e Philippis per Stephanam, Fortunatum, Achaicum & Timotheum*. Syr. *Missa e Philippis Macedoniæ per Timotheum*.

MARIANAE.

Vers. 1. DE COLLECTIS, id est eleemosinis, quæ conferebantur pro cuiusque voluntate. IN SANCTOS id est fideles.

V. 2. PER UNAM SABBATI, id est die Dominico colligantur.

V. 3. PER EPISTOLAS, scilicet vestras, quos probaveritis, hos mittam ut eas ferant.

V. 9. OSTIUM, id est occasio magna se offert convertendi multos Ephesi.

V. 12. CUM EI VACUUM FUERIT, sive *opportunum*, ut Goth. εὐκαιρήσῃ, ibit ad vos Apollo.

V. 15. STEPHANAE, ET FORTUNATI, ET ACHAICI nostis domum. Græc. & Syr. tantum est *Stephanæ*, vitiose; nam quidam Græcorum codicum *Fortunatum* addit, ut Robertus affert, utrumque Velesius. Iis subditi estote.

V. 19. APUD QUOS ET HOSPITOR. Hoc Græce non est, nec Syr. nec in Vulg. Reg. & Lovan.

V. 22. ANATHEMA, MARAN ATHA, qui Iesum non amat. Utraque vox *excommunicatum* significat, prior *anathema* lingua Græca, posterior Chaldaica. Ex *Maran Atha*, facta est vox *Marranus*. Errant qui eius vocis alias origines & notationes afferunt. Garibai. Lib. II. cap. VII. affert Diploma regium, ubi sunt hæc verba: *Quicumque contradixerit, sit anathema, Marranus, excommunicatus*. Significat quidem *Maran Atha*, *Dominus noster venit*, aut *veniet*, ut Hieronymus & Augustinus epist. CLXXVIII. & alii dicunt, *venit*, scilicet ad puniendum, sed communi usu significat *excommunicatum*. Sic Repertorium Inquisit. Marianus Victorinus in Hieronymi epist. ad Marcellam CXXXVII. VVolfangus Lazius de Gentium migrat. Inde etiam vox *marrar* pro *errare*. Hispanis deduci videtur.

MENOCHII.

Vers. 1. DE COLLECTIS, eleemosynarum IN SANCTOS: in Christianos pauperes Ierosolymis agentes.

V. 2. PER UNAM SABBATI, id est primo die hebdomadæ, videlicet Dominica. APUD SE SEPONAT: quod mox veniens in Ecclesiam offerat in eleemosynam, & collectam. UT NON CUM VENERO TUNC COLLECTAE FIANT: sed iam sint paratæ, & summa ex iis conflata statim mitti possit Ierosolymam.

V. 3. QUOS PROBAVERITIS PER EPISTOLAS, HOS MITTAM, &c. τὸ *per epistolas*, Theophylactus, quem sequitur Iustinianus, putat non esse coniungendum, cum, *probaveritis*, sed cum sequenti, *mittam*, ut sensus sit; Quos vos ipsi delegeritis, eos ego mittam, non tamen absque epistola, qua vestra in pauperes liberalitas commendetur. GRATIAM: eleemosynam.

V. 4. QUOD SI DIGNUM FUERIT, &c. Hisce verbis tacite extimulat eos, ad largiorem collectam, videlicet tantam, quæ Apostoli proferentis ministerio non sit indigna.

V. 6. HIEMABO; totam hiemem apud vos peragam. UT VOS ME DEDUCATIS: fideles honorificum sibi ducebant, si suum Apostolum a se discedentem deducerent, illum comitantes & viæ subsidio iuvantes.

V. 9. OSTIUM ENIM MIHI APERTUM EST MAGNUM; id est, magna mihi Ephesi sese aperit occasio, & aditus Evangelii seminandi, & multos ad Christum convertendi.

V. 10. UT SINE TIMORE SIT APUD

VOS:

vos: secure apud vos agat, timoris nullam causam habeat, nemoque illi molestus sit. Timebat nimirum Apostolus, ut monet Chrysostomus, ne quis aut generis nobilitate elatus, aut opibus, aut externa sapientia tumens, Timothei adolescentiam contemneret, & eius consilia, & admonitiones flocci faceret. OPUS DOMINI OPERATUR: Domino famulatur in Evangelii propagatione.

V. 11. NEQUIS ERGO ILLUM SPERNAT: adolescentiæ causa. UT VENIAT AD ME, scilicet, Ephesum, ubi nunc ago. EXPECTO ILLUM CUM FRATRIBUS: dubium enim an Paulus simul cum fratribus, hoc est fidelibus Timotheum expectarent, an vero expectarent Timotheum aliquos fratres secum adducentem.

V. 12. MULTUM ROGAVI EUM: παρεκάλεσα, *hortatus sum*. CUM FRATRIBUS: aliquot fratribus comitatus. NON FUIT VOLUNTAS, &c. frustra eum hortatus sum ut ad vos veniret, nam certas ob causas non fuit illi animus nunc veniendi. VENIET AUTEM: Apollo ad vos. CUM EI VACUUM FUERIT: cum illi fuerit otium & opportunum.

V. 13. VIGILATE: salutis vestræ curam gerite, scilicet ab insidiis male suadentium caventes.

V. 14. IN CARITATE: non cum ambitione, & contentionibus, sed cum Christiana caritate.

V. 15. NOSTIS DOMUM STEPHANAE: de quo diximus supra cap. 1. 16. sensus est, Nostis quæ, & qualis sit Stephanæ familia. ET FORTUNATI: huius Fortunati non alibi mentio fit, quam hoc capite. PRIMITIAE SUNT ACHAIAE: scilicet, primi qui in Achaia crediderunt in Christum. ORDINAVERUNT SEIPSOS: addixerunt Sanctorum ministerio, ut scilicet exerceant hospitalitatem in Christianos egenos, & peregrinos, maxime qui laborant in Evangelio.

V. 16. ET UT VOS SUBDITI SITIS: nectendum cum *obsecro vos*. SUBDITI SITIS: nimirum honorando eos, eorum monita, & exempla sequendo. ET OMNI COOPERANTI, ET LABORANTI, id est non solum illis subditi sitis, sed omnibus quicumque vel cum illis, vel mecum rem evangelicam adiuvant. Tales enim præ aliis honore digni sunt.

V. 17. IN PRAESENTIA: propter præsentiam Stephanæ, Fortunati, & Achaici, qui mihi adsunt. ID QUOD VOBIS DEERAT; τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, *defectum vestrum*: id est præsentiæ vestræ. IPSI SUPPLEVERUNT; pro vobis mihi ministrantes.

V. 18. REFECERUNT MEUM SPIRITUM: me iuverunt, foverunt, recrearunt. ET VESTRUM; scilicet spiritum, quia mea refectio vestra quoque refectio, & recreatio est. COGNOSCITE QUI HUIUSMODI SUNT, id est reveremini, colite eos, honorifice habete.

V. 19. ECCLESIAE ASIAE: Asiæ minoris, in qua erat Ephesus, unde hanc mittit epistolam. AQUILA, ET PRISCILLA: de quibus vide dicta Act. XVIII. 2. CUM DOMESTICA SUA ECCLESIA: cum ea, quæ in domo eorum est Ecclesia ut est in Græco, id est cum ræliquis Christianis, qui in eadem familia vivunt.

V. 20. OMNES FRATRES, id est fideles, qui circa nos sunt. SALUTATE INVICEM IN OSCULO SANCTO: vide dicta ad Rom. XVI. 16.

V. 21. SALUTATIO MEA MANU PAULI: subaudi, scripta; hæc est quæ sequitur. Hæc verba cum iis quæ sequuntur usque ad finem, affirmat Paulus se sua manu scripsisse, loco salutationis, qua claudi solet epistola: reliquum enim Epistolæ Paulo dictante, ab amanuensi exceptum est.

V. 22. SI QUIS NON AMAT &c. Priusquam verba salutationis adscribat per hyperbaton interponit execrationem quandam in eos, qui salute sunt indigni. ANATHEMA: anathema est res quæ cum execratione separatur, abiicitur, & destinatur ad exitum. MARAN ATHA: est vox Hebræo-Syriaca significans, *Dominus noster venit*, aut potius, *Dominus noster veniat*; scilicet iudex, & vindex, ut eum qui Christum non amat anathemate feriat, damnet, & puniat.

V. 23. GRATIA DOMINI NOSTRI, &c. hæc est salutatio, quam dixit se manu sua scribere.

V. 24. CARITAS MEA: qua vos diligo. CUM OMNIBUS VOBIS: sit, ut simili caritate sincera vicissim me, & invicem diligatis. IN CHRISTO, & propter Christum.

TIRINI.

Verf. 1. **IN SANCTOS**, id eft adiuvandos Chriftianos pauperes, a Iudæis contribulibus fuis Ierofolymæ nuper bonis omnibus ob fidem Chrifti exutos *a*. Et S. Paulo commiferant ceteri Apoftoli in Concilio Ierofolymitano, ut ita Gentium curam fufciperet, ut tamen pauperum Iudæorum memor effet *b*. Quod & diligenter præftitit.

V. 2. PER UNAM SABBATI, id eft prima die hebdomadæ *c*; videlicet Dominica: per hebraifmum enim ponitur numerus cardinalis pro ordinali: nempe illa die conveniebant fideles in Ecclefia; & hac occafione iubentur tum fecum deferre quod in pauperes collatum vellent: ita S. Ambrof. Chryfoft. Theophyl. Oecumen. qui ex hoc & fimilibus locis *d* probant, iam tum ab Apoftolis mutatam fuiffe folemnitatem feptimæ diei, & translatam e fabbato in Dominicam: unde optime confequitur, non omnia fcripta effe quæ fervari iufferunt Apoftoli, fed quædam viva voce tradita, quæ iam traditiones Apoftolicæ vocantur, & æquales funt auctoritatis cum fcriptis legibus Apoftolorum, ut fufe demonftrat Bellarminus *e*.

V. 4. QUOD SI DIGNUM FUERIT UT ET EGO EAM; id eft, fi tam liberalem collectam feceritis, ut digna cenfeatur cui perferendæ Ierofolymam meummet minifterium impendam, iubebo collectores mecum proficifci. His verbis tacite extimulat Corinthios, plufculum tenaciores *f*, ut largius ac liberalius conferant.

V. 9. OSTIUM Ephefi MIHI APERTUM EST MAGNUM ET EVIDENS; id eft, occafiones & commoditates offeruntur mihi multæ & certæ, plurimos convertendi in nobili ifto emporio, ubi fapientia maxime viget, tefte Philoftrato *g*, & fedes eft Proconfulis Afiæ, & infinitam numerat multitudinem incolarum: unde etiam non deerunt qui mihi modis omnibus adverfabuntur.

V. 11. NE QUIS Timotheum SPERNAT propter adolefcentiam, confilia eius aut monita parvi pendens: unde iuftam ipfe occafionem habeat *timendi* manere *apud vos h*, DEDUCITE abeuntem ILLUM IN PACE. Moris enim erat ut fideles primarii Apoftolum, feu præconem Evangelicum, fi quapiam alio demigraret, honorifice deducerent, & lauto viatico profequerentur.

V. 14. OMNIA VESTRA FIANT non ex ambitione, vel prava æmulatione, rixa *i* &c. fed IN & cum CARITATE fraterna & Chriftiana.

V. 15. NOSTIS DOMUM STEPHANAE *k* nempe quæ, & qualis, & quanti meriti fit. PRIMITIAE, id eft primi qui ex Achæis crediderunt in Chriftum: ET IN MINISTERIUM SANCTORUM SEIPSOS ORDINAVERUNT, id eft addixerunt, puta ut hofpitalitatem exerceant in Chriftianos egenos & peregrinos, & maxime in præcones Evangelii. OBSECRO igitur

V. 16. UT ET VOS SUBDITI, id eft obtemperantes, SITIS EIUSMODI patronis & capitibus Ecclefiæ, debito honore ac reverentia illos profequamini, facta illorum laudetis, illis cedatis, & ab iis libenter finatis vos regi, utpote qui fe fuaque omnia vobis iuvandis confecrarint.

V. 17. GAUDEO AUTEM IN PRAESENTIA STEPHANAE ET FORTUNATI (huius nufquam nifi hoc cap. fit mentio) ET ACHAICI; quafi dicat: Magno mihi folatio eft quod tales ac tanti viri vobis præfentes adhuc, me abfente: ita Anfelmus.

V. 18. REFECERUNT MEUM SPIRITUM quando de vobis tam bene meriti funt: veftra enim refectio, mea eft recreatio.

V. 19. HOSPITOR Ephefi APUD *Aquilam & Prifcillam*, de quibus alibi *m*; ut & de *ofculo fancto l*.

V. 21. SALUTATIO MEA PAULI MANU fcripta hæc eft quæ fequitur verf 23. & 24. Reliquum enim epiftolæ, dictante Paulo, confcripferat Amanuenfis. Sed antequam verba folutionis exprimat, interponit execrationem in eos qui falute funt indigni.

V. 22. QUISQUIS NON AMAT IESUM, SIT ANATHEMA; quafi dicat: Cum execratione feparetur a cœtu electorum, abiiciatur & exitio deftinetur. MARAN-ATHA vox eft Hebræo-Syriaca, fignificans, *Dominus nofter venit*, fupple, iudex & vindex ut talem puniat. Hebræi enim dum aliquem condemnarent, id facere fub conteftatione inftantis iudicii & vindictæ divinæ, ut patet ex pluribus aliis Scripturæ locis *n*, inquit Baronius. Poffet etiam dici, talem, ut deploratæ inter homines fpei,

ver-

verbis repelli a cura Ecclesiæ, & divino iudicio ac vindictæ relinqui.

V. 24. CARITAS MEA, qua vos tenerrime diligo, sit CUM OMNIBUS VOBIS, ut vicissim me, & vos invicem, pari teneritudine ac sinceritate diligatis: ita Ambros. & Ansel.

(a) Hebr. x. 34.
(b) Galat. II. 10.
(c) Chronici cap. III. & Lucæ ult. 1.
(d) Actor. xx. 7. & Apoc. I. 10. &c.
(e) Bellar. de verbo Dei non scripto.
(f) I. Cor. IX. 15.
(g) Philost. Lib. VIII. Vitæ Apollonii.
(h) Hic vers. 10.
(i) I. Cor. I. 12.
(k) Ibid. vers. 12.
(l) Actor. XVIII. 2.
(m) Rom. ult. XVI.
(n) Daniel. XIII. 55. & 59. Psal. 1. 20. &c.

GORDONI.

Vers. 1. DE COLLECTIS AUTEM. A Christi hostibus Christiani Ierosolymis gravem patiebantur persecutionem. Et bonis exutis opem ferebant in aliis provinciis Christiani. In hunc finem fiebant collectæ. Vide Galat. II. 10. Fiebant, ut hic apparet, collectæ, una sabbati, seu prima die post sabbatum, qui dies nobis est Dominicus. Et cum nullibi iubeat Scriptura pro sabbato coli ut Dominicum, diem insequentem: discant Novatores in Ecclesia Dei studiose servari traditiones. Hanc eleemosynam vers. 3. vocat gratiam. QUOD SI DIGNUM FUERIT, vers. 4. si eleemosyna tam ampla fuerit, ut expediat me ire, &c. Stimulus tacitus est ad largam collectam. Reliqua sunt de itinere, & clara.

V. 10. Commendat illis Timotheum, & rogat, ne quia adhuc adolescens est, spernatur. Veniebat ille Ephesum, ubi nunc erat Paulus.

V. 13. VIGILATE. Hortatio est ad curam salutis: memores sint fidei & caritatis. Synopsis est eorum quæ hactenus protulit.

V. 15. Commendat & laudat Stephanum, Fortunatum & Achaicum, strenuos & primos ex Achaia fideles. Ordinaverunt se, seu addixerunt sanctorum ministerio, & hospitalitati in egenos & peregrinos. Hinc vers. 16. UT SUBDITI SITIS, nempe honore eos prosequendo, & imitando quæ fecerunt.

V. 19. ECCLESIAE: nimirum per Asiam minorem, in qua iam & Ephesi erat Paulus. De similibus salutationibus est caput decimum sextum ad Romanos. SALUTANT TE APUD QUOS HOSPITOR, &c.

V. 21. SALUTATIO MEA. Quod hactenus continebat Epistola, exceptum fuit ab Amanuensi: quæ sequuntur usque ad finem scripta sunt manu Pauli; in quibus est *Anathema*, designans rem exitio destinatam. *Maran atha*, Syriacum est, comminationem habens; ac si dicas: Dominus noster. De his dixi Num. XVIII. & c. XXI.

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS SECUNDA.

HÆC Epistola videtur multis eodem anno scripta quo prior, nempe anno 58. æræ communis. In Græco textu data est Philippis in Macedonia: ubi Titum expectavit, qui brevi post tempore eo venit: Timotheus enim ante adventum Stephanæ & sociorum, qui priorem Epistolam detulerunt, Corintho discesserat. Paulus vero Titum miserat, qui de huius Ecclesiæ, & aliarum statu, nec non de Timotheo certiorem se faceret. Troadem profectus, Titum ibi, ut speraverat, non invenit; nec diu in ea urbe commoratus, ac de Epistolæ quam miserat, solicitus eventu, in Macedonia se conferre statuit, atque inde Corinthum proficisci. Titus Philippis eum convenit, quid Corinthi ageretur, quæ perversi doctores adversus Paulum garrirent, eum edocuit. Ægre id ferebant, se in ea Epistola magna libertate fuisse reprehensos: Apostolum quasi morosiorem, & ambitiosum, laudum avidum calumniabantur, eum quoque levitatis & incostantiæ insimulabant. Itaque veritus ne exacerbati præsentia sua adversariorum animi hinc occasionem sumerent alienandi a se fidelium animos, hanc secundam ad eos scripsit Epistolam, ut qui calumniis adversariorum erant occupati, in viam redirent.

Hanc Epistolam Titus cum duobus aliis discipulis ad Corinthios detulit, in qua apologiam suam primum sic exequitur, ut ministerium suum potius & collegas, quam seipsum extollat; tum ad collectas faciendas eos adhortatur; tamdem pseudo-apostolos libertate apostolica sic refellit, ut apertam sui defensionem prosequatur: ita fere de huius Epistolæ argumento vir doctus sæpe a nobis citatus.

CAPUT PRIMUM.

Ostendit Apostolus ex quantis in Asia ortis adversitatibus eripuerit eum Dominus, ut & ipse alios consolaretur; deinde manifestans cordis sui ac doctrinæ sinceritatem, ostendit quod licet iuxta id quod proposuerat, ad eos non venerit, nulla ipsius id actum esse levitate, asserens firmam esse suæ prædicationis veritatem.

1. PAULUS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Ti-
motheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum om-
nibus sanctis, qui sunt in universa Achaia. 2. Gratia vobis
& pax a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 3.
(*a*) Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi,
Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, 4.
qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus
& ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhor-
tationem, qua exhortamur & ipsi a Deo. 5. Quoniam sicut abundant passiones
Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra. 6. Sive autem
tribulamur pro vestra exhortatione & salute, † sive consolamur pro vestra con-
solatione, * sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur to-
lerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur: 7. * ut spes nostra fir-
ma sit pro vobis: scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis & con-
solationis. 8. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra,
quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem,
ita ut tæderet nos etiam vivere. 9. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis
habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos:
10. qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus quoniam &
adhuc eripiet, 11. adiuvantibus & vobis in oratione pro nobis: * ut ex mul-
torum personis, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur
pro nobis. 12. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, *
quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed
in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo: abundantius autem ad vos.
13. Non enim alia scribimus vobis, * quam quæ legistis, & cognovistis. Spe-
ro autem quod usque in finem cognoscetis: 14. sicut & cognovistis nos ex
parte, quod gloria vestra sumus, sicut & vos nostra, in die Domini nostri Ie-
su Christi. 15. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut secundam
gratiam haberetis: 16. & per vos transire in Macedoniam, & iterum a Ma-
cedonia venire ad vos, & a vobis deduci in Iudæam. 17. Cum ergo hoc vo-
luissem, numquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem co-
gito, ut sit apud me EST & NON? 18. Fidelis autem Deus, * quia sermo no-
ster, qui fuit apud vos, non est in illo EST & NON. 19. Dei enim filius Ie-
sus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Silvanum, &
Timotheum, non fuit EST & NON, sed EST in illo fuit. 20. Quotquot enim
promissiones Dei sunt, in illo EST: ideo & per ipsum Amen Deo ad gloriam
nostram. 21. * Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit
nos Deus: 22. qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus no-
stris. 23. Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens
vobis,

vobis, non veni ultra Corinthum: non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudii vestri: nam fide statis.

(a) Eph. 1. 3. I. Petr. 1. 2.

B R U G E N S I S.

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 6. Sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute. Non omittas *τὸ & salute*.

Sequitur: *Quæ operatur tolerantiam*. Non interponas *in vobis*, multoque minus *in nobis* primæ personæ.

Vers. 7. Ut spes nostra firma sit pro vobis. Alii legunt modo indicativo *& spes nostra firma est pro vobis*.

Vers. 11. Ut ex multorum personis. Insignis correctio, qua *multorum personis*, restitutum est, loco eius quod vulgo legitur *multarum personis facierum*, confusis interpretationibus duabus vocis *προσώπων*.

Ibidem: *Per multos gratiæ agantur pro nobis*. Non substituas *vobis* secundæ personæ pro *nobis* primæ.

Vers. 12. Quod in simplicitate cordis. Non est omittendum *cordis*, quod Patres addiderunt.

Vers. 13. Quam quæ legistis & cognovistis. Patres servandum censuerunt duplex præteritum.

Vers. 18. Quia sermo noster qui fuit apud vos. Pro præterito *fuit* non scribas præsens *fit*.

Vers. 21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo. Non præponas secundæ personæ pronomen, inverso ordine legens, *vos nobiscum*.

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 6. Sive *consolamur pro vestra consolatione*. Multa manuscripta, nominatim ea quæ iam vidimus unum S. Audomari, duo Clarimarisci omittunt hæc verba tamquam alteram interpretationem eius quod sequitur *sive exhortamur pro vestra exhortatione* ex eodem uno Græco *εἴτε παρακαλούμεθα ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως*: vide Notationes in varias lectiones Bibliorum.

NOTATIONES.

Vers. 6. Sive *autem tribulamur pro vestra exhortatione* (*tribulatione* o.) *& salute*: *sive exhortamur pro vestra exhortatione, & (in o.) salute quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur: & (ut o.) spes nostra firma est (sit o.) pro vobis scientes &c.* Multi codices ante *sive exhortamur* tertium addunt membrum: *sive consolamur pro vestra consolatione*, Auctore Glossæ cum schola sua suffragante. Ceterum antiqui libri Pav. Const. Di. o. l. Ge. o. l. Brug. Mal. ma. mi. Leod. Lob. O. G. id non agnoscunt; duo solum membra scribunt: quibus vetustus Auctor commentariorum quæ Ambrosio adscribuntur Græci Tractatores, Græci, & Syrici codices suffragantur. Quare id Hentenius, & Zegerus Castigatores textu expulerunt. Adiectum fuisse videtur ex altera interpretatione, primum forte ab aliquibus margini adscripta, quod vulgata translatio, quæ exhortari pro consolationem accipere utitur, minus conveniens iudicaretur, & tandem ab aliis in textum relata. Græcis enim unica sententia est: *εἴτε παρακαλούμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως*, quæ & *Sive consolamur pro vestra consolatione*; & *Sive exhortamur pro vestra exhortatione* verti potest. Ipse noster Interpres eodem quarto versu proxime præcedenti *παρακαλεῖν* nunc *consolari*, nunc *exhortari* vertit: ita ut ambiguum hoc loco esset utra eius esset conversio, nisi veterum manuscriptorum fide doceretur. Nam quod quidam impressi codices illud legant solum, *Sive consolamur pro vestra consolatione*, pro eorum qui ediderunt arbitrio factum esse, est manifestum. Duo scripta T. & So. la. utrumque vertendi modum miscuerunt: habent enim, *Sive exhortamur pro vestra consolatione*. Auctor commentariorum quæ in Ambrosii sunt operibus legit: *Sive exhortationem consequimur pro vestra exhortatione*. Is qui Græca Syriace reddidit, & plurimi eorum qui eadem Latine reddiderunt interpretati sunt: *sive consolationem accipimus pro vestri consolatione*.

Ex posteriori hoc membro emendatiores nostri codices (Brug. Lob. Mal. mi. So. la. T. O. E. Pl. m. G.) novem numero cum sex Hentenii auferunt *& salute*, Ambrosiano textui, & Syricis editionibus conformiter, legunt id porro utroque membro cum aliis Latinis libris, & Auctore Glossæ, eiusque schola Græca exemplaria, Græco Interprete Oecumenio manifeste consentiente. Quin tam-

tertium addunt membrum secundo loco, *Sive consolamur pro vestra consolatione*, Latinorum sive codicum, sive Interpretum quidam, sed pauci & huic *salute* adiiciunt.

Quod sequitur, *quæ operatur tolerantiam*, Græci τῆς ἐνεργούσης aut ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ scribunt, *operante in tolerantia*. Ita vero & Latinum Malmundarii maius exemplar habet *in tolerantia*; minus *in tolerantiam* legit, quo modo est & in Lob. Brug. O. G. Ge. o. l. ac duobus Hentenii. Societatis latum utram notat lectionem. Quædam antigrapha habent: *Quæ operatur in vobis tolerantiam*, quibus adiectum est a sciolis *vobis*; pro quo alias legitur *nobis*; ut salva maneret præpositio, quam alii similiter non intellectam audacius abstulerunt. Commentator apud Ambrosium: *Quæ operatur per patientiam* legit. Syrorum sententia sed plenior hæc est: *Ut vos consolationem accipiatis, & sit in vos sedula operatio, seu perseverantia, qua sustineatis eas passiones, quas & nos patimur*. Hic quoque notandum, alium esse textus ordinem in Græcis codicibus, alium in Græcis Interpretibus, alium denique in Latinis codicibus atque Interpretibus. Græci codices plerumque hoc ordine legunt: *Sive autem tribulamur pro vestri consolatione, & salute, quæ operatur in tolerantia earum passionum quas & nos patimur. Sive consolationem accipimus pro vestri consolatione & salute & spes nostra firma pro vobis scientes*. Græci interpretes (Chryf. Theod. Theoph. Oecum.) isto: *Sive autem tribulamur pro vestra consolatione & salute quæ operatur in tolerantiam earum passionum quas & nos patimur: & spes nostra firma pro vobis. Sive consolationem accipimus pro vestra consolatione & salute scientes*. Latini codices atque Interpretes eo ordine legunt, quem initio præposuimus. Et his quidem Syri consentiunt. Græcis autem Interpretibus Græce Aldi & Colinæi editiones & sex Parisiensium antigrapha consonant (A. δ. ζ. ι. ια. ιγ.) Inter Parisiensium antigrapha Complutense est, cui Regia respondent.

V. 11. *Ut ex multarum personis facierum, eius* (*multorum facie*. Mal. ma. Const. Am.) *quæ in nobis* (vobis 3. MS.) *est donationis per multos* (*participes* o.) *gratiæ agantur* (Deo o.) *pro nobis*. Quatuor nostra Latina exemplaria So. la. Pl. m. Atr. Pl. par. & quinque Parisiensium Græca (A. δ. ζ. ι. ιγ.) 1. 4. 7. 10. 13., cum Græca Aldi editione *pro vobis* legunt, Græco enarratore Oecumenio adstipulante. *Pro nobis* autem habent & Latina exemplaria pleraque, consentientibus Latinis commentatoribus, & Græca complura, Græcis tractatoribus Theodoreto, & Theophylacto concinentibus. Syri ab hac parte stant. Ceterum quamquam hoc, *pro nobis* inquam, similius vero, præsertim nostræ editioni, verum est utrumque: agantur gratiæ pro vobis, quorum præcibus & quorum bono servatus sum; & pro nobis, qui sumus servati.

V. 13. *Non enim alia scribimus* (*scripsimus* o.) *vobis, quam quæ legistis & cognoscitis*. Hæc Hentenii est emendatio. Quamvis enim vulgaris lectio sit *legistis & cognovistis*: optimi libri, nec ii pauci præsenti tempore *cognoscitis* habent. Lobiense vero manuscriptum, præstantissimum illud, & Plantini angustum, ac Nicolai Zegeri editio utrumque præsenti tempore scribunt: *Quam quæ legitis & cognoscitis*: atque ita est Græce: ἀλλ' ἢ ἃ ἀναγινώσκετε, ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε. Quam quæ legistis, aut & cognoscitis. Syri transtulerunt: *Quam ea quæ cognoscitis, & vobis persuasa habetis*. In hunc modum præter Græcorum exegeses, commentaria in Ambrosii operibus interpretari videntur, his verbis: „ Ea se dicit scribere, quæ non solum litteris cernerent, sed & operibus eius manifesta haberent. „ Ita & Primasii „ scholia: „ Hæc legentes in epistola quæ „ cognoscatis in conscientia. "

V. 21. *Qui autem* (*dico* o.) *confirmat nos* (*est* o.) *vobiscum in Christo, & qui unxit nos, Deus*. Nonnulli libri *vos nobiscum* legunt; tres nostri So. ru. Pl. par. R. quibus Græca Complutensis editio [ὑμᾶς σὺν ἡμῖν.] cum filiabus adstipulatur. Videtur & Ambrosiaster adstipulari: ait enim: „ Christum „ dicit confirmare gentes in fide promissa „ Iudæis. „ Porro *nos vobiscum* habent plerique omnes & Latini, & Græci codices, (ἡμᾶς σὺν ὑμῖν) consentientibus Syris, & tractatoribus Chrysostomo, Haymone, Theophylacto, Lombardo, Anselmo, Oecumenio, Gorrano. Quamvis autem convenientius dictum videri possit: *Qui confirmat vos nobiscum*, quam *qui confirmat nos vobiscum*, quia Paulus Corinthiis in Christo fuerat prior, non tempore solum, verum & merito ac dignitate, atque adeo Apostolus eorum: tamen quia suam hic asserit firmitudinem, atque constantiam, quæ quodam modo in dubium vocata erat, ideo eos sibi præposuisse videtur dicens: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo*. Manuscriptum Germani latum, & Quenteliana Biblia *in Christum* legunt, Græco, [εἰς χριστόν] ut suspicor accommodata. Ambrosiaster, illum volumus quem Ambrosium plerique nominant, Ambrosii operibus coniunctum, *Christus Dominus*

nus habet : quo & Malmundarii exemplar maius veterum lectioni sæpe conforme habuisse mihi sane videtur : *Qui autem confirmat nos vobiscum, Christus Dominus.* T. littera notatum manuscriptum huc accedens *in Christo Domino* legit.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Vers. 4. EXHORTATIONEM. Græc. παρακλήσεως, id est *consolationem*, & EXHORTAMUR : Græce παρακαλέμεθα, id est *consolamur* passive, nam Græcum anceps est, ad exhortationem, & consolationem.

V. 5. PASSIONES CHRISTI, id est quas pro Christo ferimus: quas ut suas reputat Christus, dicens: *Quæcumque feceritis uni ex minimis istis, mihi fecistis*, & ita Græca scholia.

V. 6. ET SALUTE; sub. tam Græce quam Latine, *tribulamur*, ut sit sensus, sive tribulamur, sive affligimur, sive a Deo consolamur, cedunt omnia ad vestram consolationem & salutem : quæ quidem consolatio vestra & spes salutis operatur tolerantiam, &c. id est, quæ vos animat ad afflictiones nobiscum ferendas.

V. 7. UT SPES NOSTRA, id est adeo ut spem firmam de vobis conceperimus. Græci legunt *& spes nostra firma est*, deinde, subdunt id quod in nostra versione præcessit, *Sive consolamur*, &c.

V. 9. RESPONSUM MORTIS. Græce ἀπόκριμα τῦ θανάτυ, usque adeo inquit, ac supra vires afflicti sumus, ut tæderet vivere, ac de vita desperaremus : utrunque enim hoc loco significat Græcum ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς ἢ τῦ ζῆν, quinimmo RESPONSUM MORTIS HABUIMUS, id est, eramus perinde atque infirmi, qui desperantur a medicis, & morti adiudicantur. Neque tantum, inquit Photius, aliorum opinione, sed nostro etiam iudicio desperati fuimus, ac pro mortuis habiti : sed hoc in nobisipsis mortis responsum ἀπόκριμα, & sicut ipse interpretatur κρίσιν, habuimus : interpretatur enim Photius ἀπόκριμα, κρίσιν medicorum; quasi diceret, Usque ad hanc afflictionum extremitatem devenimus, ut quum plane & nostra & aliorum opinione morti adiudicati essemus, ac tandem Deo nos eripiente exsuscitati doceremus confidere non in nobis, sed in Deo: vel responsum mortis habuimus, intellige quod tam graves erant afflictiones & molestiæ, ut nihil aliud portendere ac loqui viderentur, quam instantem mortem; sic enim inquit Chrysostomus : τῦτο ἡμῖν τὰ πράγματα ἀπεκρίνατο, id est hoc nobis molestiæ illæ respondebant.

V. 10. UT EX MULTORUM, locus est subobscurus, nec multominus Græcis, hoc modo, ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν. Gr. exponunt πολλῶν προσώπων, *a multis personis:* & τὸ διὰ πολλῶν, *multis modis*, atque hoc modo sensus est, speramus quod nos Deus eripiet, si nos vestris adiuveritis orationibus ut per multos de dono in nos collato multimodæ nostra causa Deo gratiæ agantur.

V. 12. GRATIA DEI : NON IN SAPIENTIA, inquit, CARNALI, SED IN GRATIA DEI, id est vel in sapientia, vel in virtute signorum & miraculorum, qua etsi ubique usi sumus, abundantius tamen apud vos.

V. 13. NON ENIM ALIA : dixerat se in simplicitate cordis & non subdole ambulasse, ad quæ subdit : *Non enim alia scribimus vobis, quam quæ audistis & legistis.* SPERO AUTEM; id est, ut Photius inquit, quamquam nunc ex parte, id est in parte noveritis, quod gloria vestra sumus, & vos nostra, id est ego de vobis, vos de me gloriari possitis, spero tamen quod illud cognoscetis usque in finem. Græce εἰς τέλος, id est τελείως, hoc est perfecte cognoscetis in die Domini nostri.

V. 15. SECUNDUM GRATIAM, id est duplex & iteratum beneficium, inquit Photius, alterum ex priori epistola, alterum ex mea præsentia; pro χάριν autem, id est *gratiam*, χαρὰν, id est *gaudium*, quidam legunt.

V. 17. QUAE COGITO. Græc. ἃ βυλεύομαι; id est, quæ delibero ac statuo, numquid secundum carnem, id est secundum homines qui leves & instabiles sunt, in levitate & instabilitate hæc decerno, ut sit apud

me,

me, *est & non*, id est inconstantia promissionis. Nam sequentibus locis τὸ pro asseveratione sumitur; τὸ *non est*, pro negatione. Nam Græci pro *est*, habent ναὶ, particulam affirmantis & pro *non est*, οὐ negantis: verum τὸ *est & non*, incertitudinem significat modo affirmantis, modo negantis.

V. 18. Fidelis Deus: particula obtestantis, id est Deum veracem testor.

V. 19. Est in illo fuit, id est constans asseveratio, & ut inquit Photius, ἀμετάπτωτος ὁ περὶ χριστοῦ λόγος, id est fixa & inconcussa fuit de Christo prædicatio. In illo est; sub. sunt, id est promissiones Dei constantes sunt & veraces.

V. 20. Dicimus amen Deo. Interpres explicandi gratia addidit, *dicimus*. Est autem sensus: Et ideo per ipsum Christum omnes Dei promissiones confirmamus ac veras declaramus: nam *Amen* Hebræis confirmandi particula est, a verbo *Amen* quod significat firmum esse.

V. 21. Deus: sub. est qui confirmat & qui dedit, &c.

V. 23. Parcens vobis, ne scilicet cum animadversione ad vos venirem & vos contristarem, id est ideo hoc verens. Non ultra: Græce οὐκέτι, id est nondum veni Corinthum; quia vero usus erat verbo parcendi, ne videretur imperiosus esse, subdidit, Non quia dominamur fidei vestrae; id est, non quod fidei vestræ imperitare velim, quæ voluntaria esse debet; sed quia magis cooperari gaudio vestro volumus, quippe qui statis in fide ac firmi estis. Photius interpretatur οὐ χ' ὅτι κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως, *non quod dominemur vobis fide*, id est propter fidem vestram; quod enim (inquit Photius) dixit parcens vobis, non ita dictum est quasi vestræ fidei causa, quam accepistis a nobis, potestatem, auctoritatemque mihi velim tribuere in vos animadvertendi, ac rursum vobis parcendi.

S A.

Reddit causam cur ad eos non venerit, ut promiserat, vultque ignosci illi fornicario pœnitenti. Differit de statu legis Evangelicæ, officiique Christiani; laudat illos; monet de collecta; & de suo munere, Deique in se beneficiis aliqua adiungit.

V. 1. Sanctis, id est Christianis; sic dicuntur, quod sint ad sanctitatem vocati, seu per Christum sanctificati.

V. 2. Gratia, scilicet multiplicetur. Vide I. Petri 1.

V. 3. Totius, id est omnis, seu perfectæ. Consolationis, scilicet dator.

V. 4. Omni; pro, quavis. Exhortationem. Syr. *consolationem*. Verbum Græcum utrumque significat.

V. 5. Passiones, id est afflictiones. Christi, id est ob Christum illatæ, vel toleratæ.

V. 6. Exhortatione. Syr. *consolatione*. Sive consolamur, &c. Hæc usque ad *salute* non sunt Græc. hoc loco, sed infra, non tamen omnia. Videntur conflata ex duabus versionibus. Sive exhortamur, &c. Hæc usque ad *salute* non sunt Syr. Et salute, scilicet fit. Operatur, &c. Græc. *efficitur*, seu *exercetur*, *in tolerantia*, &c. Passionum, id est afflictionum.

V. 7. Ut. Græc. & Sit. Græc. *est*. Pro vobis, id est quam de vobis habemus.

V. 8. In Asia, scilicet Ephesi. Virtutem, id est vires nostras.

V. 9. Responsum, id est certam expectationem, seu iudicium, quod esset secutura.

V. 10 Eruit, id est eripit.

V. 11. Ex multorum, &c. Græc. *ex multis personis*. Eius, &c. id est pro dono nobis a Deo collato.

V. 12. Nam; pro, & quidem. Gloria. Græc. καύχημα, id est *gloriatio*. Dei, id est ex Deo; quasi dicat, Sancta. Ad; pro, erga.

V. 13. Non enim, &c. quasi dicat: Id vero quod scribo nunc, & in superiori Epistola legistis; & alioqui ex factis meis iamdudum cognoscitis.

V. 14. Vestra, scilicet gloriabantur quod Paulum habuissent præceptorem. Nostra, scilicet eritis. Die, scilicet iudicii.

V. 15. Prius; pro, pridem. Secundam, scilicet secundo meo ad vos adventu. Gratiam, id est beneficium spirituale.

V. 17. Usus sum, scilicet non veniens ad vos. Carnem, id est sensum carnis. Est. Græc. *etiam*; sic & infra; quasi dicat,

eat, Mutatio, seu aliud in dictis, aliud in factis; quamquam Græce nunc aliud quiddam significatur.

V. 18. FIDELIS; quasi dicat, Benedictus sit, seu laudetur de fidelitate, quam & mihi præstitit. SERMO, id est prædicatio. NON EST; pro, non fuit.

V. 19. SED EST; pro, sed fuit. IN ILLO FUIT; pro, in illo etiam, id est constans affirmatio. *In illo*, pro, in illa prædicatione.

V. 20. IN ILLO; pro, in illis; quasi dicat, Veræ fuere, & impletæ suo tempore. AMEN, id est veritas; pro, veræ promissiones. DEO AD GLORIAM; pro, ad gloriam Dei. NOSTRAM. Græc. *per nos*.

V. 22. SIGNAVIT, scilicet velut impresso signo. ET DEDIT, &c. Explicatio præcedentis. PIGNUS, scilicet velut arrham.

V. 23. INVOCO, id est cito. IN; pro, contra, scilicet si mentior. Syr. *testor Deum per animam meam*. PARCENS VOBIS, id est vestri causa, quibus scilicet expediebat ne venirem. Vide cap. seq. ULTRA, id est adhuc.

V. 24. NON QUIA; pro, nec enim. DOMINAMUR, &c. quasi dicat, Nec enim gerimus nos ut dominos vestros, ob fidem quam vobis prædicavimus, sed consulimus vestræ saluti. GAUDII, id est consolationis. STATIS, scilicet in eaque operam damus ut perseveretis.

MARIANAE.

Vers. 1. TIMOTHEUS FRATER. In Epistola ad ipsum vocat eum *filium*, hic *fratrem*, ut apud Corinthios auctoritatem illi conciliet. IN UNIVERSA ACHAIA. *Corinthus* Pomponio Melæ & Apuleio Achaiæ urbs est, sita in medio Isthmi Peloponnesiaci, ideo ab aliis Peloponnesso tribuitur, ab aliis Achaiæ. Hodie vetus nomen retinet.

V. 4. UT POSSIMUS ET IPSI. Docet nos Deus in nostra afflictione, & consolatur iis documentis, quæ aliis in sua dicamus. PER EXHORTATIONEM, sive *consolationem*, ut Syr. παρακλήσεως utrumque significat: sic & quod sequitur παρακαλούμεθα *exhortamur*, sive *consolamur* (passive) *& ipsi a Deo*.

V. 5. PASSIONES CHRISTI abundant in nobis, id est quas pro Christo patimur. Et quia ipse in suis membris patitur, ideo nostræ Christi passiones vocantur.

V. 6. SIVE CONSOLAMUR PRO VESTRA CONSOLATIONE. Græce non est, nec Syr. SIVE EXHORTAMUR PRO VESTRA EXHORTATIONE ET SALUTE. Hoc Græc. etiam non est Syr. habet mutatis, *exhortamur*, & *exhortatione*, in *consolamur*, & *consolatione*. In tanta varietate iudicet Lector. ET SALUTE: supple, tribulamur pro ea. QUAE OPERATUR: *quæ*, scilicet exhortatio seu consolatio facit ut mala toleretis.

V. 9. SED IPSI; pro, quin ipsi. RESPONSUM MORTIS, sive *iudicium*: ἀπόκριμα utrumque significat, sive instantis mortis indicationem, hoc est, putabamus nos mori, ut illi, qui salute desperata decumbunt. UT NON SIMUS FIDENTES; quasi dicat, Evasimus tamen, ut sciamus in Deo fidere.

V. 11. UT EX MULTORUM PERSONIS. Græc. *ut ex multis personis*, id est multæ personæ pro donatione & beneficio nobis collato gratias agant. Constructio implicita, hic tamen sensus. AGANTUR PRO NOBIS. Multi codices Græci, in his Regius, habent, *pro vobis*, vitiose haud dubium, quia sententia non constat, nisi dicamus *pro nobis*.

V. 12. NON IN SAPIENTIA CARNALI, SED IN GRATIA DEI CONVERSATI SUMUS .... ABUNDANTIUS, id est maxime apud vos ea gratia usi sumus.

V. 13. NON ENIM ALIA SCRIBIMUS. Dixerat se in simplicitate ambulare id: scribo quod facio. USQUE IN FINEM, id est semper aut perfecte cognoscetis, scilicet in die Domini.

V. 14. QUOD GLORIA VESTRA SUMUS, magnum erat habuisse Paulum doctorem. SICUT ET VOS NOSTRA, quia eos converterat, gloria hæc & fiducia illi erat coram Deo & in die iudicii.

V. 15. UT SECUNDAM GRATIAM HABERETIS. Prima gratia fuit Epistola superior; secunda, præsentia. Aliqui pro χάριν, id est *gratiam*, χάραν, id est *gaudium* legunt. Num quæ cogito,

V. 17. SECUNDUM CARNEM COGITO, id est temere & inconstanter ad vos ire cogitabam. Removet suspicionem levitatis. EST ET NON, id est varietas, inconstantia num est apud me?

V. 18. FIDELIS AUTEM DEUS; pro, Deum

Deum testor. Non est in illo Est et Non. Quidam Latini codices habent, in his Goth. *sed est in illo Est*. Verum Græce non est, solum in Velesii margine id invenio, credo ex vers. sequenti huc migrasse.

V. 19. Et Silvanum. Hunc esse qui *Silas* in Actis sæpe vocatur, Hieronymus ait epist. cxliii. extrema; putant alii. Sed Est in illo fuit, scilicet in sermone nostro de Christo constantia fuit.

V. 20. In illo Est, id est promissiones Dei constantes sunt. Ideo et per ipsum, scilicet Christum dicimus Amen. Vox confirmantis vera esse quæ dicta sunt. Alludit ad finem quo utimur in Precibus Ecclesiasticis, *Per Christum Dominum nostrum, Amen*. Quorsum hæc? Nempe quæ scripsit quam quæ prædicavit de Christo tam certa quam eius promissiones esse.

V. 20. Qui unxit nos Deus. Per *unctionem* dona Spiritus intelligit. Dedit pignus: ἀῤῥαβῶνα Græce, qui est non solum pignus ad firmandum emptionem, sed & pars pretii: sic Deus in præsenti non solum præbet spem, sed & partem futuræ retributionis. Qui hæc facit, Deus est, qui non fallet.

V. 23. In animam meam, id est per animam meam testor Deum, modus iurantis. Parcens, id est ne severe agerem, ideo non veni ad vos. Non quia dominamur. Non nos exhibemus ut dominos, sed ut socios gaudii. *Principem te constituerunt in populo, esto in illis sicut unus ex illis* Eccli. xxxii. 1. Fidei vestrae, id est conscientiæ vestræ: vestri non dominamur, sed adiuvamus & promovemus gaudium vestrum, quod scilicet in fide habetis.

MENOCHII.

Vers. 1. Per voluntatem Dei: divino consilio, & voluntate ad Apostolatum vocatus. Et Timotheus frater, id est coapostolus. Sanctis, id est Christianis, qui sic dicuntur quod sint ad sanctitatem vocati, seu per Christum sanctificati.

V. 2. Gratia vobis, &c. subaudi, multiplicetur.

V. 3. Benedictus sit Deus, &c. id est laudetur a nobis Deus propter opera suæ bonitatis erga nos exhibita. Pater misericordiarum: misericordissimus. Totius consolationis: omnis consolationis.

V. 4. Ut possimus et ipsi consolari eos: nam qui res adversas experti sunt, optime possunt alios consolari, sic illa apud Poetam, AEneid. 1.

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo: διὰ τῆς παρακλήσεως ἧς παρακαλούμεθα αὐτοὶ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, *Per consolationem, qua consolamur & ipsi a Deo:* nos enim divinas experti consolationes, aptiores sumus ad illas aliis exhibendas. Vox παράκλησις, *exhortationem*, & *consolationem* significat, hinc factum ut vulgatus verterit exhortationem; nec male, quia, ut indicat Ansel. divina consolatio exhortatio quædam est, qua Deus animos, & vires iustis sufficit.

V. 5. Passiones Christi: ea, quæ pro Christo patimur. Per Christum: ipsius Christi beneficio.

V. 6. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione, et salute]; id est, si tribulationes patimur libenter eas sustinemus, ut vobis salutem afferamus, & consolationem. Est enim etiam hic vox παρακλήσεως, quam interpres *exhortationem* vertit, ut vers. 4. cum tamen sensus clarior sit si vertamus, *pro vestra consolatione*, &c. Sive consolamur pro vestra consolatione: sive consolationis aliquid sentimus, propterea quod vos alacres videamus, & eiusdem divinæ consolationis participes id totum ad bonum vestrum referimus, cuius gratia gaudemus. Sive exhortamur pro vestra exhortatione, et salute. Est repetitio eiusdem membri, *exhortatio* enim semper ponitur pro *consolatione*, cum semper subsit eadem vox παρακλήσεως. Emanuel Sa suspicatur alterum ex his membris ex alia versione in textum irrepsisse, cum hæc repetitio non sit in Græco. Quae operatur tolerantiam. In Græco est, τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ, *quæ*, *salus*, *perficitur per tolerantiam*. Noster interpres videtur legisse, τῆς ἐνεργούσης ὑπομονήν.

V. 7. Ut spes nostra firma sit pro vobis. In Græco est, ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν, *& spes nostra firma est pro vobis*; quasi dicat: Atque adeo spes quam de vobis,

bis, & vestra in Christiana fide, ac pietate constantia iam pridem concepimus firma perseverat, & immobilis; cum certo sciamus, quemadmodum perpessionum socii estis, ita etiam fore vos aliquando iucunditatis, consolationisque participes.

V. 8. QUAE FACTA EST IN ASIA: Ephesi a Demetrio argentario Dianæ, qui seditionem populi contra Paulum excitavit, qua pene oppressus est, Act. XIX. SUPRA VIRTUTEM: supra vires naturæ, & corporis, non gratiæ, & animi; nam ope gratiæ invicto animo tribulationem hanc Paulus pertulit, & superavit. ITA UT TAEDERET NOS VIVERE: non absurde potest intelligi tædium vitæ passus Apostolus ob gravitatem afflictionis, nam & beatus Iob inter adversa dixit: *Tadet animam meam vitæ meæ*, cap. X. I.

V. 9. IN NOBIS IPSIS RESPONSUM MORTIS HABUIMUS; id est, animus, & interior cogitatio nihil aliud expectabat, & præsagiebat quam mortem. UT NON SIMUS FIDENTES IN NOBIS: ut tantis erepti periculis discamus collocare fidem in Deo, non autem in nostris viribus.

V. 11. UT EX MULTORUM PERSONIS, &c. Velim vos pro me rogare, & gratias agere Deo, ut pro acceptis beneficiis non solus, sed multi mecum, debitas bonorum omnium largitori gratias referant. DONATIONIS: beneficii.

V. 12. NAM GLORIA NOSTRA HAEC EST, &c. sensus est: Id de quo glorior, & in quo confido coram Deo, testimonium est conscientiæ meæ; quasi dicat: Propterea spero me liberandum a Deo a calamitatibus, & pressuris, quæ mihi adhuc instant, quia bene mihi conscius sum, ac de eo gloriari possum apud vos. QUOD IN SIMPLICITATE CORDIS, &c. Dicit suam conscientiam sibi testari, quod simplici, recto & sincero animo conversatus sit, & in omnibus se gesserit. SINCERITATE DEI, QUALEM DEUS RECIPIT, inquit Theophilactus. NON IN SAPIENTIA CARNALI: non humana philosophia, aut eloquentia fretus, sed instructus gratia, zelo, efficacia, & Spiritu divino. CONVERSATI SUMUS: concionando, & Evangelium prædicando. AD VOS: apud vos.

V. 13. NON ENIM ALIA SCRIBIMUS, &c. quasi dicat: Non sunt vana quæ scribo de recta, & sincera mea apud vos conversatione; vos ipsi mihi testes estis. SPERO AUTEM QUOD USQUE IN FINEM COGNOSCETIS, id est spero me eundem vitæ tenorem ad extremum usque spiritum servaturum.

V. 14. EX PARTE. Dicit ex parte, modestiæ causa. Vel etiam perstringit Corinthios, quod plus satis auscultantes æmulis & obtrectatoribus Pauli, minus adhuc bene, & honorifice de suo Apostolatu sentirent. QUOD GLORIA VESTRA SUMUS: quod talem Apostolum nacti sitis. SICUT ET VOS NOSTRA: sicut & nos gloriamur quod vos Christo lucrati simus. IN DIE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI: in die iudicii. Itaque significat Apostolus non sibi vulgi iudicio causam esse gloriandi de Corinthiis, aut illis de se; sed iudicio tantum Christi utrisque de alteris gloriandum esse. ET HAC CONFIDENTIA; id est, hac spe fretus, quod melius cogni turi sitis quo zelo, & sinceritate vobiscum agam, & semper in melius profecturi in constantia fidei, & Christianis virtutibus. PRIUS; pro, *pridem*. UT SECUNDUM GRATIAM HABERETIS. Primum beneficium, & primam gratiam acceperant cum fidem per Pauli prædicationem acceperunt; secundum vero beneficium erat secundus eiusdem Pauli adventus Corinthum.

V. 16. PER VOS TRANSIRE IN MACEDONIAM; scilicet, obiter, ut iterum ex Macedonia venirem ad vos, diutius vobiscum mansurus, & omnia visitaturus: & hoc est quod ait superiori epistola cap XVI. 5. se venturum ad eos, postquam Macedoniam pertransisset; hic vero ulterius addit se etiam in transitu ad Macedoniam voluisse eos salutare. DEDUCI IN IUDAEAM: vide dicta I. Cor. XVI. 6.

V. 17. CUM ERGO HOC VOLUISSEM, scilicet venire ad vos, nec tamen id præstiterim. NUMQUID LEVITATE USUS SUM? numquid fui levis, & inconstans? AUT QUAE COGITO: βουλεύομαι, delibero, statuo. SECUNDUM CARNEM STATUI: secundum carnem cogitare, est cogitare more hominum carnalium, id est in cogitationibus suis, ac studiis obsequi carnali cuipiam affectui, velut avaritiæ, ambitionis, aut consequendi cuiuscumque commodi temporalis. UT SIT APUD ME, EST ET NON: ut in promissis instabilis sim, & van us, ut

ut

ut modo affirmem me aliquid facturum, modo negem.

V. 18. FIDELIS AUTEM DEUS, &c. quasi dicat: Deum veracem testor. Vel novit Deus, qui fidelis, & verax est testis, me non voluisse fallere. NON EST IN ILLO: sermone qui præcessit. EST, ET NON, id est affirmatio, & negatio, ut scilicet mutem, & quod promisi negem.

V. 19 DEI ENIM FILIUS, id est doctrina, & prædicatio mea de Christo Dei Filio. NON FUIT EST, ET NON, id est varia, inconstans, & sibi contraria. SED EST IN ILLO FUIT; quasi dicat, Fuit constans asseveratio, quia idem semper de Christo affirmavi, & docui.

V. 20. QUOTQUOT ENIM PROMISSIONES DEI SUNT: omnes Dei promissiones, quascumque vobis annunciavimus. IN ILLO EST: ἐν αὐτῷ τὸ ναί, *in ipso*, Christo, *sunt*, *Est*, scilicet sunt ratæ, validæ, immutabiles, & in ipso complentur. PER IPSUM AMEN: per ipsum *veritas*, sive veræ promissiones sunt. DEO AD GLORIAM; pro, ad gloriam Dei. NOSTRAM: in Græco est, δι' ἡμῶν, *per nos*, per ministerium nostrum, qui dum Evangelium prædicamus mendacii, aut falsitatis argui non possumus.

V. 21. QUI AUTEM CONFIRMAT NOS, &c. qui nos facit stabiles in promissis, ille est qui etiam confirmat nos, & roborat, per sacramentum Confirmationis. ET QUI UNXIT NOS: unctione chrismatis in eodem Sacramento. SIGNAVIT NOS: signo crucis in fronte per manum Episcopi. ET DEDIT PIGNUS SPIRITUS SANCTI: & dedit Spiritum sanctum, quem qui accipiunt habent pignus vitæ æternæ.

V. 22. TESTEM DEUM INVOCO: per Deum iuro. IN ANIMAM MEAM; quasi dicat: Perdat me Deus si mentior. QUOD PARCENS VOBIS NON VENI ULTRA CORINTHUM, id est me idcirco Corinthum non venisse, ut vobis parcerem; venissem enim tamquam ultor, ac vindex eorum facinorum, quibus multi inter vos tenebantur obstricti.

V. 24. NON QUIA DOMINAMUR FIDEI VESTRAE. Non dixi, *Parcens vobis*, quod dominemur vobis fide, id est propter fidem vestram, quam nostro magisterio didicistis, quasi propter eam ius aliquod, atque potestatem, qualis est dominorum, ego & consortes mei in vos usurpare velimus. Accipit *dominari* pro, præesse cum ostentatione potestatis, eaque abusi ad privata commoda. SED AUDITORES SUMUS GAUDII VESTRI: συνεργοί χαρᾶς ὑμῶν, *cooperatores gaudii vestri*: sed quod una procurare studeamus gaudium, & consolationem vestram. NAM FIDE STATIS; quasi dicat: In fide vestra non habeo quod corrigam, sed tantum in moribus, quos, quia fideles estis, non imperiose redarguam, sed leni monitione hac epistola reformabo.

TIRINI.

Vers. 1. PAULUS APOSTOLUS PER VOLUNTATEM & decretum *Dei* ad eam dignitatem evectus, ET TIMOTHEUS *confrater* Pauli in munere Apostolico, salutem dicunt & hanc epistolam destinant SANCTIS, id est Christianis, QUI SUNT IN UNIVERSA ACHAIA, cuius metropolis est Corinthus *a*.

V. 3. DEUS TOTIUS, id est omnis, CONSOLATIONIS auctor & donator. PATER MISERICORDIARUM, id est misericordissimus *b*.

V. 4. CONSOLATUR nos de cælo, UT POSSIMUS vicissim CONSOLARI alios, PER EXHORTATIONEM, seu consolationem, QUA consolamur ET IPSI nos A DEO: nam Græcum παράκλησις etiam *consolationem* significat. Sed divina *consolatio* ut plurimum est *exhortatio*, inquit S. Anselmus.

V. 5 SICUT PASSIONES CHRISTI, id est pro Christo susceptæ & toleratæ, ABUNDANT, exuberant & multiplicantur IN NOBIS, ET PER CHRISTUM, id est Christi beneficio, multiplicatur CONSOLATIO NOSTRA; inquit S. Ambrosius & Theophil.

V. 6. SIVE AUTEM TRIBULAMUR, SIVE EXHORTAMUR, SIVE CONSOLAMUR (hæc olim passive usurpabantur) omnia in bonum & usum vestrum referimus, nempe ad *consolationem* inde hauriendam & *salutem*, QUAE OPERATUR (in genere causæ finalis) patientem TOLERANTIAM in vobis similium PASSIONUM

V. 7. UT iam non valde anxii simus PRO VOBIS in fide, pietate & constantia detinendis, sed *prima* SIT SPES NOSTRA quam pridem de vobis concepimus.

V. 8. IN ASIA, Ephesi per seditionem a Demetrio argentario Dianæ contra nos excitatam, GRAVATI SUMUS SUPRA VIRTU-

TUTEM, id est supra vires naturæ vel corporis, sed non gratiæ vel animi: nam ope gratiæ, invicto animo tribulationem hanc omnem Paulus pertulit & superavit: ut & *pugnam cum bestiis c*, & alia mala ibidem exantlata.

V. 9. RESPONSUM MORTIS HABUIMUS IN NOBIS, natura & animo nihil aliud nobis præsagiente & exspectante quam mortem certam ac præsentem; inquit Ambros. & Oecumen. UT tantis erepti periculis, discamus *fidere* NON IN nostris *viribus*, SED IN solo DEO.

V. 12. GLORIA NOSTRA HAEC EST, seu in hoc gloriamur, QUOD *teste conscientia nostra* non dederimus iustam tantis turbationibus occasionem superbe quampiam provocantes vel irritantes, sed IN, seu cum, SIMPLICITATE CORDIS ET SINCERITATE DEI, vel perfecta sinceritate qualem Deus requirit, ut inquit Theophyl. NON item instructis SAPIENTIA CARNALI, vel humana eloquentia, SED sola GRATIA DEI, & zelo ac spiritu divino, CONVERSATI SUMUS IN HOC MUNDO; nempe non tantum Ephesi, sed & in omnibus aliis locis; ABUNDANTIUS AUTEM AD VOS, seu inter vos.

V. 13. NON ENIM ALIA SCRIBIMUS VOBIS de conversatione nostra, seu Ephesi, seu alibi, QUAM QUAE ex aliorum fide dignorum scriptis LEGISTIS, ET ex oculatorum testium relatu COGNOVISTIS: nempe qualia, cum apud vos essemus, coram nobis vidistis & experti estis: semper enim & ubique eumdem simplicitatis & sinceritatis tenorem servamus. SPERO AUTEM QUOD USQUE IN FINEM vitæ nostræ numquam alia de nobis audietis vel COGNOSCETIS.

V. 14. SICUT ET de facto iam COGNOVISTIS NOS; græce, *agnovistis* seu persuasum habetis, saltem EX PARTE, nos tales esse quales dixi: eo QUOD GLORIA VESTRA SUMUS, id est quia gloriamini de vobis, nempe quod talem tantumque Apostolum nacti sitis SICUT vicissim ET iam VOS NOSTRA, id est nos de vobis gloriamur, quod nobis obtigeritis tam alacres, tam fidi, tam docti discipuli; ut manifestabitur IN DIE DOMINI quo iudex sedebit.

V. 15. HAC CONFIDENTIA de vestro erga me affectu, & in virtute proficiendi desiderio, statueram PRIUS quam in Macedoniam excurrerem, VENIRE Corinthum, UT SECUNDAM GRATIAM, id est duplex seu geminatum beneficium, HABERETIS, unum per primum adventum meum ad vos; alterum per secundum.

V. 17. CUM ERGO HOC *voluerim* & addixerim, nec tamen præstiterim, NUMQUID LEVITATE USUS SUM? id est, an tui levis, mendax aut inconstans? AUT QUAE COGITO, delibero, statuo, SECUNDUM CARNEM, id est carnali aut mundano more COGITO, seu statuo facere? UT SIT APUD ME, EST (Græce, ναί, id est, etiam) ET NON. Hebraismo, id est ut sim instabilis ac vanus, & modo affirmem, mox revocem, ut solent pueri: vel aliud dictis, aliud factis præ me feram, ut solent mendaces: ita S. Chrysost. Theophil. Ansel.

V. 18. FIDELIS DEUS; id est, veracem Deum testor, me vos docendo non fefellisse, & ideo nec iam quoque fallere voluisse. NON EST IN ILLO meo sermone, seu prædicatione de Christo, EST ET NON, sed semper

V. 19. FUIT IN ILLO EST, id est constans affirmatio & asseveratio & uniformis doctrina.

V. 20. QUOTQUOT ENIM PROMISSIONES DEI in veteri testamento de Christo factæ SUNT; hæ omnes sunt IN ILLO EST, id est omnes fuerunt constantes, veraces, ratæ, & impletæ in Christo. IDEO ET PER IPSUM Christum dicimus, seu tribuimus, DEO AMEN, id est veritatem, fidelitatem, constantiam: nam omnia quæ Deus de Christo promisit, dicimus esse verissima, verissimeque completa, ita Chrysost. Ambros. Ansel.

V. 21. QUI AUTEM CONFIRMAT NOS tam in promissis nostris fideliter complendis, quam in fide Christi fortiter profitenda ac propugnanda, est DEUS, QUI ET UNXIT NOS una VOBISCUM IN CHRISTO: nempe per Sacramentum *Confirmationis*, de quo S. Ambrosius & alii apud Suarez *d.* hunc locum exponunt: & inde quatuor nobilissimos effectus colligunt huius Sacramenti. Primus est, *robur* fidei, quo interius in animo roboramur & firmamur, ad fidem Christi constanter profitendam. Secundus est, *unctio* per infusionem copiosæ gratiæ. Tertius:

V. 22.

V. 22. SIGNAVIT, Græce, *sigillavit*, seu sigillo suo obsignavit, NOS, nempe signo crucis in fronte, & in anima charactere indelebili, quo nos quasi milites & pugiles suos obsignat. Quartus est, PIGNUS SPIRITUS, id est ipse *Spiritus sanctus*, simul & testimonium bonæ conscientiæ, suggestum a *Spiritu sancto*. Quod est quasi arrha futuræ gloriæ; in se quidem absolute certa atque infallibilis, sed in ordine ad nos non nisi moraliter infallibilis, ut alibi dixi *e*.

V. 23. TESTEM DEUM INVOCO IN ANIMAM MEAM, volens ut me perdat, si mentior, QUOD PARCENS VOBIS, NON VENI CORINTHUM, nempe ne cogerer apud vos uti auctoritate & rigore Apostolico, ad castiganda facinora quibus multi vestrum tenebantur adstricti. NON QUIA DOMINAMUR FIDEI VESTRAE; id est, non quasi ob fidem Christi vobis prædicatam per nos & a vobis susceptam, velimus nos gerere ut dominos vestros, & potestate nostra abuti ad privata commoda nostra, inquit Anselmus. SED quod ADIUTORES esse velimus GAUDII VESTRI; id est, quod procurare velimus solidum vobis gaudium & consolationem, corrigendo vel castigando eos qui sua exorbitante malitia vos offendunt & contristant. NAM FIDE STATIS, & in ea sufficienter instructi estis: nec habeo quod circa illam velim aut debeam reprehendere. Soli mores paucorum corrigendi, & tunc plenum erit gaudium vestrum: ita Anselmus.

(a) Præfat. in I. epist. ad Corint.
(b) Proleg. de Idiotismis. Hebr. n. 40.
(c) I. Cor. xv. 32.
(d) Ambrof. Lib. de his qui Mysteriis initiantur cap. VII. Suarez III. p quæst. lxIII. a I. & 4.
(e) Rom. I. I. & VIII. 38. Ephes. I. 14.

GORDONI.

Vers. I. INscriptio Epistolæ est cum mentione Timothei Coapostoli: ambo per voluntatem Dei tales sunt. SANCTIS, ad sanctificationem vocatis: his gratiam precatur.

V. 3. BENEDICTUS. Orditur a laude Dei, quem profitetur auctorem omnis misericordiæ erga peccatores, quos vocat: & consolationis erga suos afflictos, immo & Paulum, ut possit & discat consolari alios: παράκλησιν, noster vertit *exhortationem*: consolatio enim Dei optima est exhortatio; nec deest nobis Deus: nam abundant quidem quas pro ipso sustinemus passiones: sed etiam abundat ab eo consolatio, παράκλησις.

V. 6. SIVE AUTEM TRIBULAMUR. Hic & versu 12. manifestat, quo sit affectu, & quam benevolo erga Corinthios. Tribulor, inquit, libenter pro vestra salute; & si quid in me sentio consolationis, est quod videam vos in Domino alacres, & divinæ consolationis participes. In Græco non est tertium illud, EXHORTAMUR, quod habet Latina editio: exhortatione ad alios utimur, id quoque vestræ subservit saluti. Ceterum salus sperata ut finis operatur patientiam, quæ est medium: & vicissim patientia ut meritoria efficienter operatur salutem.

V. 7. UT SPES NOSTRA FIRMA SIT. Spes quam de vobis concepi, firma manet; quando socii passionis Christi evadunt socii veræ consolationis in Christo.

V. 8. *usque ad* 12. NON ENIM VOLUMUS. Narrat se pro Christo in Asia passum gravissima supra naturæ vires, adeo ut consilii inops manserit; non tamen supra vires gratiæ: nam hac ope pertulit omnia. Tædium vitæ afferre potuit tanta malorum moles: vide Iob x. I. *Tædet animam*, ubi de hoc tædio dictum est & fastidio; TAEDERET NOS, Ergo in Græco lege ἡμᾶς, non vero ὑμᾶς, *vos*. Sed quomodo inops consilii? Certe cum omnia mortem portendebant, & ubi humana consilia deficere solent. Sic vers. 9. *in nobis ipsis*, seu in persuasione & mente mors destinata obversabatur. Restat ergo vers. II. ut vestris precibus postea ex similibus eripiar, & gratiæ agantur a multis pro munere mihi collato.

V. 12. NAM GLORIA NOSTRA HAEC EST. Habet etiam unde bene speret hoc divinum auxilium, & se liberandum deinceps ab insequentibus pressuris. Ob TESTIMONIUM, inquit, CONSCIENTIAE, & vitam quam degimus inter mortales; syncero corde apud vos: nec aliud vobis scribo aut dico, quam quod syncera mente gero. Sic apologiam instituit tacite contra obtrectatores suos, & simul se insinuat Corinthiis: de quibus gloriari se dicit, ut morigeris discipulis, non secus ac vos gloriari soletis ut de bono magistro.

V. 15. 16. & 17. ITAQUE HAC SPE

Hac

Hac fretus confidentia volui venire ad vos, ut ex secundo adventu secundam haberetis gratiam, seu quasi secundum beneficium, quod vos in hoc itinere bis salutassem, nempe eundo in Macedoniam, & inde redeundo ad vos, ut denique a vobis in Iudæam proficiscerer: ab hoc autem consilio non me avocavit ulla animi levitas: nec sum qui modo affirmo, modo nego. Idem iam dicet de doctrina.

V. 18. FIDELIS DEUS. Testatur Deum, seu Deus fidelis testis est, eandem me veritatem constanter prædicasse; nec umquam inficiaturum, nec apud me, Silvanum aut Timotheum (qui vobis prædicavimus) fuit, est & non, sed, est, constanter. Rationem addit vers. 19. DEI ENIM FILIUS, hoc est, doctrina de Dei filio non est varia, aut sibi contraria: idemque de Christo semper affirmavi. Ex Hebræo petitus est loquendi modus. Latine, EST, Græce, ναὶ Matth. v. 37. duplicatur, sic *non, non*, לא לא.

V. 20. QUOTQUOT ENIM. Idem quod dixit, amplius declarat. Omnes quippe Dei promissiones, quas vobis annunciavimus, sunt divinæ; ac proinde ratæ, & immutabiles, PER IPSUM AMEN: per ipsum (Deum.) Veritas hæc est in promissis annunciatis, idque ad gloriam Dei, & nostri ministerii.

V. 21. QUI AUTEM CONFIRMAT NOS. Addit sibi propterea non deesse fiduciam in Deo: nam nos facit stabiles in hac veritate Deus: idemque est qui nos confirmat & unxit sua gratia, per quam obsignat corda nostra. Ita Chrisostomus, Oecumenius, Theophylactus, & alii: nec ab hoc absunt, qui ista referunt ad baptismum: alii etiam ad sacramentum confirmationis. Nihil non turbat Calvinus: Hoc signaculum, inquit, est fides specialis; qua quilibet certo scit se esse prædestinatum: sed hæresis est & millies confutata; immo & damnata ab Ecclesia hæc inanis & mendax præsumptio, nec fundamentum habet, nisi quia ita vult Calvinista. Annon Paulus I. Cor. IX. 27. timet reprobari? vide quæ ibi dicta sunt. Et quid dicet Calvinus de tot suis ministris ad fidem Catholicam conversis, qui se certam habere fidem dicebaut de prædestinatione sua sub Calvino.

V. 23. TESTEM DEUM INVOCO. Licet sane iurare, si adsint quæ adesse debent: sic honor Deo defertur: assertio vero hæc habet, non venisse se Corinthum (quod promisit) ut parceret illis: nam venisset ut ultor facinorum, quæ multa erant; nec tamen hæc dico, inquit, quasi dominium habens in vestram fidem, aut ut potens mutare, quam accepistis doctrinam; sed ut morum corrector venissem, qui Dei minister sum: melius quidem quorundam (præsertim qui boni sunt) vitia dissimulatione aliqua curantur, quam gravi & aperta reprehensione. Greg. III. p. pastor. cap. VIII. & IX.

CA

CAPUT II.

Ostendit quod ad ipsos non venerit ne maioris esset causa tristitia, exhortans ut fornicarium illum recipiant in gratiam: simul iudicans quod magno quidem labore, magno tamen etiam fructu prædicaverit, licet prædicationis suæ fragrantia quibusdam mortis occasio fuerit.

1. STatui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia
venirem ad vos. 2. Si enim ego contristo vos: & quis est,
qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? 3. Et hoc
ipsum scripsi vobis, ut non cum venero, tristitiam super
tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium
vestrum est. 4. Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas: non ut contristemini: sed ut sciatis, quam caritatem habeam abundantius in vobis. 5. Si
quis autem contristavit, non me contristavit: sed ex parte, ut non onerem
omnes vos. 6. Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit a pluribus: 7. ut ita e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est. 8. Propter quod obsecro vos,
ut confirmetis in illum caritatem. 9. Ideo enim & scripsi, ut cognoscant
experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. 10. Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos
in persona Christi, 11. ut non circumveniamur a satana: non enim ignoramus cogitationes eius. 12. Cum venissem autem Troadem propter Evangelium
Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, 13. non habui requiem
spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens
eis, profectus sum in Macedoniam. 14. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni
loco: 15. quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, & in
iis qui pereunt: 16. aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor
vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? 17. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram
Deo, in Christo loquimur.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. & 2. STATUI AUTEM. Causam dicit retardati itineris, quia decreverat non venire ad eos in tristitia: quod necessum erat contristatis suo adventu his ipsis, ac nondum emendatis, per quos lætificandus veniat. Hoc autem loco, ET QUIS EST, &c. superfluit; τὸ & similiter Græcum καὶ

V. 5. NON ME CONTRISTAVIT; sub. solum, SED EX PARTE, sub. vos contristavit? sic enim Theodorus Græcus οὐ ἐμὲ λελύπηκε μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑμᾶς ἐν μέρει τοῦτο γὰρ τὸ ἀπὸ μέρους; id est, *non me contristavit: sed & vos in parte*; hoc enim indicat ἀπὸ μέρους, id est ex parte. Sed vos ergo, inquit, non omnes, sex ex parte, UT TOT ONEREM VOS OMNES, quasi fornicarii illius delicto consentientes. Nam

priore epistola videbatur omnes taxasse indifferenter dicens, *& vos inflati estis, ac non magis luctum habuistis*.

V. 6. SUFFICIT ILLI. Recipi vult fornicarium pœnitentem.

V. 10. CUI AUTEM ALIQUID DONASTIS; id est, si & eam pœnitenti culpam condonaveritis, & ego condonabo: damnaverat enim illum Corinthiorum Ecclesia, Si vestro & meo spiritu iudicavi huiusmodi hominem tradere satanæ, ideo vult istum pariter ab illis absolvi; unde & prædixit, ut e contrario magis donetis: & nunc cui aliquid donastis, ET EGO IN PERSONA CHRISTI, id est ob gloriam Christi vel Christi nomine, cuius auctoritate id facimus: ubi non otiosum est donandi verbum, quod annotans Theophylactus, inquit: donetis præterea dixit, ne fornicarius ille, & quia fatebatur peccatum, & satis iam pœnituerat, solutum se iam & liberum esse a scelere existimaret. Videant igitur qui excommunicationem negligunt, antiquissimam Ecclesiæ disciplinam, non satis esse excommunicato, si ad meliorem frugem redideri, nisi in Ecclesiæ consortium receptus, & ab illa absolutus declaretur.

V. 12. OSTIUM, id est occasio sese offert Christum prædicandi.

V. 14. TRIUMPHAT, id est triumphare nos facit per Christum. ODOREM NOTITIAE SUAE, id est bene fragrantem sui cognitionem.

V. 15. BONUS ODOR; prædicatio nostra illi placet & accepta est, sive credulis sive infidelibus prædicamus: quia quod ad nos attinet, salvari omnes cupimus: licet aliquibus est odor mortis in mortem, id est grave illis olet & displicet: unde & mortem æternam incurrent; aliis autem odor vitæ.

V. 16. QUIS TAM IDONEUS; id est, quis tam capax est horum intelligendorum ut nos? Græci non legunt, tam; & tunc sensus esset, quis idoneus, id est nullus.

V. 17. ADULTERANTES: id est falsificantes. Græcum καπηλεύοντες, id est cauponantes, & ad quæstum verbo Dei abutentes. Greci interpretantur, *Non adulteramus verbum Dei*, id est neque gratiam eius extinguimus, afferentes nos ad illam prædicandam idoneos esse.

S A.

Vers. 1. IN TRISTITIA, id est contristatus castigationibus.

V. 3. HOC IPSUM, id est de hac re, scilicet ut prius emendaretis errata, quam ego venirem. SCRIPSI, scilicet priori Epistola. CONFIDENS, scilicet vos facturos. IN; pro, de.

V. 4. ANGUSTIA, id est anxietate. PER MULTAS; pro, cum multis. IN VOBIS: Græc. *in vos*.

V. 5. NON ME, scilicet solum. EX PARTE. Iunge cum, *omnes vos*. UT NON ONEREM, id est ne quid gravius dicam.

V. 6. FIT; pro, facta est.

V. 7. DONETIS, id est debeatis condonare. ABUNDANTIORI, id est graviori. ABSORBEATUR, id est opprimatur.

V. 9. EXPERIMENTUM VESTRUM, id est periculo de vobis facto.

V. 10. DONASTIS. Græc. *donatis*; pro, donabitis. ET EGO, scilicet dono. IN PERSONA, id est vice, seu auctoritate.

V. 11. CIRCUMVENIAMUR, scilicet si nobis illum eripiat per desperationem. COGITATIONES, id est astutias, seu machinationes.

V. 12. TROADEM: quæ prius *Troia* vocabatur: Hieronym. epist. CL. quæst. XI. IN DOMINO, id est in Christi negotio, scilicet Evangelica prædicatione; vel, per Dei gratiam.

V. 13. SPIRITUI; pro, in spiritu, TITUM. Hoc Paulus interprete utebatur, ut Petrus Marco, quia divinorum sensuum maiestatem, digno non poterat Græci eloquii explicare Sermone: Hieron. epist. CL. MACEDONIAM, scilicet ut ibi Titum inveniret: Hieron. epist. CL.

V. 14. TRIUMPHAT, id est facit triumphare, seu vincere. IN CHRISTO, id est per Christum, seu in rebus Christi. ODOREM, id est suavitatem.

V. 15. BONUS ODOR; quasi dicat, Per nos se prodit, ut res odorata per odorem. DEO, id est ad Dei gloriam. IN IIS; pro, iis, seu, apud eos.

V. 16. MORTIS, id est afferens mortem scilicet quia non creditur quod prædicamus. IN MORTEM, id est moriendo, seu dum moriuntur tales. Sic Christus dicitur positus in ruinam, &c. VITAE, id est

est vitam afferens, scilicet credentibus. In vitam, id est vivendo, seu dum vivunt, scilicet per fidem Haec, scilicet præstanda. Tam, scilicet ut par est: quamquam Græc. non est.

V. 17. Adulterantes, id est vitiantes. Græc. *cauponantes*, scilicet ut caupones, qui vina corrumpunt; vel quasi dicat, Ad quæstum abutentes. Ex Deo, scilicet acceptum. In; pro, de, vel per.

MARIANAE.

Vers. 1. In tristitia venirem, id est ne molestiam vobis afferrem: retardati itineris hæc causa fuit.

V. 3. Meum gaudium, omnium. Si gaudium & tristitia communia sunt, aufeRetis mihi tristitiæ occasionem.

V. 4. Nam; pro, etenim. Magna afflictio, quam ex illo incestuoso concepi, compulit me ut durius scriberem. Non ut contristemini, scilicet hæc dico.

V. 5. Sed ex parte, nam multos alios contristavit, partim ego, partim alii, ob id sunt contristati. Ut non onerem omnes vos, hac scilicet infamia, quod non sitis mecum contristati. Dixerat enim: *Et vos inflantis estis*.

V. 6. Sufficit illi. Vult absolvere incestuosum.

V. 9. Ut cognoscam experimentum, *experimento*, an in omnibus obediatis: sic Syr. ideo scripsi.

V. 10. Cui autem aliquid donastis, seu *donastis*, ut Græc. Syr. & Goth. Et ego, scilicet dono. Rogarant pro illo, eius pœnitentia provocati: sic illum absolvit. In persona Christi, id est potestate ab eo data, ut eius vicarius, ei noxam condono.

V. 12. Et ostium, id est occasio daretur prædicandi Evangelium. *Troas*, quæ & *Troia*, Phrygiæ urbs est in Asia minori. Cum Troadem veni, ea occasio est oblata.

V. 14. Triumphat nos, id est triumphare nos facit, victoriam dat. In Christo, id est per Christum, virtute eius; ei gratias ago.

V. 15. Christi bonus odor; id est, prædicatio nostra Deo placet, sive fidelibus, sive incredulis prædicemus.

V. 16. Ad haec quis tam idoneus? *Tam* Græce non est, nec refert; quasi dicat, Non nostra virtute id facimus, sed Dei.

V. 17. Adulterantes, &c. Græc. *cauponantes verbum Dei*, id est non sectamur lucrum, vel non miscemus aliena, ut faciunt caupones captantes lucrum, vinum miscentes aqua: id est *adulterari*, sed sincere; nempe verbum ex Deo acceptum, & coram Deo dictum. In Christo, ut ministri Christi loquimur.

MENOCHII.

Vers. 1. In tristitia, id est contristaturus castigationibus.

V. 2. Si enim ego contristo vos, &c. nam si ego vos mœrore afficiam, quis mihi lætitiam afferet, & consolationem? sane nulli alii sunt, qui mihi gaudii causa sint præter eos quos in Christo genui. Curandum ergo mihi est ut illi gaudeant, ut ego etiam illis possim congaudere. Qui contristantur ex me: vos o Corinthii, quos priori epistola contristavi.

V. 3. Et hoc ipsum scripsi vobis: &c. quasi dicat: Volui per epistolam illam vos obiurgare, & corripere, ne coram cogerer vos reprehendere quod mihi triste admodum fuisset. Confidens in omnibus vobis, &c. omnino confisus sum fore, ut quod mihi displicere intelligeretis, statim tolleretis, quia mea gaudia existimatis vobis esse communia, & consequenter dolores meos æstimatis esse vestros, ut quod mihi displicet, & vobis displiceat.

V. 4. Ex multa tribulatione, &c. ex multa oppressione, & animi angore. Quam caritatem habeam abundantius in vobis: ut cognoscatis caritatem, qua vos arctissime amplector. In vobis: εἰς ὑμᾶς, *erga vos*.

V. 5. Si quis autem contristavit, &c. si quis aliquid perpetravit quod mœrorem mihi posset afferre, is profecto non mihi soli tristitiam attulit. Intelligit fornicarium de quo ep. 1. cap. v. Sed ex parte: quia mecum multos alios contristavit. Ut non onerem omnes vos: hac infamia, & suspicione, quasi putem non fuisse multos, qui dolerent propter illum incestum. Priori enim epistola cap. v. 2. videbatur omnes culpasse, quasi consentientes, vel dissimulantes illum incestum.

Et vos, ait, *inflati estis*, *& non magis luctum habuistis*.

V. 6. SUFFICIT ILLI QUI HUIUSMODI EST: illi qui Ecclesiam contristavit, scilicet incestuoso. OBIURGATIO HAEC, QUAE FIT A PLURIBUS: publica illa separatio ab Ecclesia ex qua a pluribus, id est a vobis omnibus, cum detestatione sceleris illius, eiectus est, sufficit pro satisfactione delicti. Hinc paret eum post excommunicationem pœnituisse.

V. 7. ITA UT E CONTRARIO: pro eodem quod antea illum severe ulti estis. MAGIS DONETIS: condoneris, & remittatis debitam pœnam, quam adhuc ab illo propter scelus admissum exigere iure possitis. ET CONSOLEMINI: lenitate, & indulgentia. NE FORTE ABUNDANTIORI TRISTITIA, &c. ne forte immodico mœrore obruatur, & desperet. QUI EIUSMODI EST: incestuosus, qui sui peccati pœnas luit.

V. 8. CONFIRMETIS IN ILLUM CARITATEM: *κυρῶσαι εἰς αὐτὸν ἀγάπην*. Græcum *κυρῶσαι* significat ratum faciatis, & decernatis, quasi publicis Ecclesiæ comitiis illius restitutionem, ut publico Ecclesiæ consensu declaretis vos denuo illum pro fratre complecti.

V. 9. IDEO ENIM SCRIPSI: hanc Epistolam. UT COGNOSCAM EXPERIMENTUM VESTRUM: ut de vobis experimentum capiam.

V. 10. CUI AUTEM ALIQUID DONASTIS: *χαρίζεσθε*, *donabitis*; quasi dicat, Sicut congregatis vobis, & meo Spiritu illum excommunicavi Epistolæ I. cap. v. sic nunc me vobis adiungo, ut quod me hortante ei condonabitis, & ego condonem. NAM ET EGO QUOD DONAVI, &c. quasi dicat: Etenim si ego cuipiam remisi, id profecto vestra causa factum esse vere possum vobis affirmare. IN PERSONA CHRISTI: condonavi, & condono vice, & auctoritate Christi, cuius personam gero, qui dixit: *Quidquid solveritis super terram*, &c.

V. 11. UT NON CIRCUMVENIAMUR A SATANA: ne decipiamur, ut scilicet fornicarius ille ob nimiam severitatem a satana in desperationem impellatur. COGITATIONES EIUS: eius dolos, & fraudes.

V. 12. PROPTER EVANGELIUM CHRISTI: prædicandi Evangelii causa. OSTIUM: aditus patens, & magnus. IN DOMINO: in negotio Domini, scilicet, propagationis Evangelii.

V. 13. SPIRITUI MEO: in spiritu, id est in animo meo. EO QUOD NON INVENERIM TITUM: interpretem meum, ut Hieronymus ad Hedibiam, qui divinorum sensuum meorum maiestatem Græci eloquii digno explicaret sermone. Vel propterea doluit, quod non invenerit Titum, quem Corintho expectabat, & a quo sperabat se cognoscere statum Ecclesiæ Corinthiorum, & an se ii, quos reprehenderat, emendassent. Hæc autem scribit, ut ostendat se illos magna caritate complecti. FRATREM MEUM: in evangelio prædicando adiutorem, & socium. VALEFACIENS EIS: christianis, qui erant Troade. PROFECTUS SUM IN MACEDONIAM, scilicet, Titum illic expectaturus, & ex eo de vobis aliquid certi cogniturus.

V. 14. TRIUMPHAT NOS: triumphare facit, victoriam concedens. IN CHRISTO: sive per Christum, & divinam eius gratiam, sive in negotio fidei, & religionis Christi. ODOREM NOTITIAE SUAE MANIFESTAT: famam, & cognitionem sui Evangelii spargit per nos.

V. 15. CHRISTI BONUS ODOR SUMUS: per prædicationis, doctrinæ, & vitæ inculpatæ fragrantiam. IN IIS QUI SALVI FIUNT, &c. non iis tantum qui salutarem veritatis doctrinam amplectuntur, sed aliis etiam qui in sua infidelitate, & peccatis pereunt.

V. 16. ALIIS QUIDEM ODOR MORTIS IN MORTEM; quasi dicat, Quamquam aliqui adeo male dispositi sunt, ut hæc fragrantia illis noxia sit, & mortalis, non culpa nostra, sed ipsorum vitio, inquit, *Sic fragrantia unguenti columbam vegetat, scarabeum necat*: Oecumen. ex Nysseno. ODOR VITAE IN VITAM: odor gratus, salutaris, vitalis, qui beatam pariat immortalitatem. ET AD HAEC QUIS TAM IDONEUS? quasi dicat: Quam pauci reperiuntur adeo idonei ministri Evangelii, ut ubique sint Christi bonus odor?

V. 17. ADULTERANTES VERBUM DEI: verbum Dei sincerum corrumpentes, & veritati falsitatem admiscentes. In Græco est *καπηλεύοντες*, *cauponantes*: optime tamen vulgatus vertit *adulterantes*; quia sicut caupones quos Græci *καπήλους* vocant, sæpe vina, & alia quæ vendunt aliis rebus

bus commiscent, vitiant, & adulterant, ut quæstum faciant; sic avari, & falsi præcones Evangelii, ipsum Evangelium, & sanam doctrinam vitiant, & contaminant, dum ea ad quæstum abutuntur. SICUT EX DEO: inspectore Deo, cui nihil placere potest quod vitiatum sit, & fraudulenter corruptum.

TIRINI.

Vers. 1. STATUI APUD ME, id est decrevi, HOC IPSUM, nempe, *non* ITERUM vos revisere IN TRISTITIA, seu contristare vos novis inflictis castigationibus.

V. 2. SI ENIM EGO CONTRISTO VOS: etiam ipsum contristo: ET QUIS EST QUI ME LAETIFICET? sane nemo NISI QUI correptus, & reprehensus a me, CONTRISTATUR EX ME, & ad obiurgationem meam dolet, pœnitet, resipiscit. *Gaudium* enim *est* etiam *angelis super peccatore pœnitentiam agente a*: ita Ambros.

V. 3. ET ob HOC IPSUM SCRIPSI vobis priorem meam Epistolam, & per illam vos obiurgavi, ne, CUM ad vos VENERO, si cogerer vos coram reprehendere & castigare, TRISTITIAM, id est geminatam, seu nimiam tristitiam haurirem ex iis DE QUIBUS OPORTUERAT ME GAUDERE, nempe occasione vestri, quos, utpote charissimos mihi filios, docet probis sanctisque moribus suis parentem exhilarare. CONFIDENS IN OMNIBUS VOBIS, quod quæcumque sciretis mihi displicere, statim tolleretis, QUIA *mea gaudia*, meosque dolores, existimatis vobis esse communia.

V. 4. UT SCIATIS QUAM CARITATEM HABEAM ABUNDANTIUS IN VOBIS; id est, ut constet vobis quam arcta & eximia caritate vos prosequar & complectar, nempe qua conor reddere vos omnino puros, irreprehensibiles & perfectos.

V. 5. SI QUIS AUTEM CONTRISTAVIT, id est aliquid patravit quod mœrorem mihi possit afferre, nempe incestuosus ille de quo nuper scripsi *b*; is sane NON ME solum CONTRISTAVIT, SED EX PARTE, id est mecum multos alios ex vobis, immo totam Ecclesiam, cuius ego non nisi pars sum, contristavit; adeo UT NON ONEREM, neque accusem OMNES vos, quasi conscios & participes criminis ipsius, ita Ansel.

V. 7. ET CONTRARIO velim UT ipsi iam pœnitenti DONETIS; Græce, *condonetis*, seu ignoscatis, & pœnam impositam remittatis.

V. 10. CUI AUTEM ALIQUID DONASTIS; Græce, χαρίζεσθε, id est *donatis*, seu condonari & remitti a me petitis per Titum (ut infra sequitur *c*) ET iam EGO condono; quasi dicat: Sicut congregatis vobis & meo spiritu iussi illum excommunicari *d*, ita nunc me vobis adiungo, ut, quod vos in persona mea illi condonatis, ego condonem, absolvendo illum ab omni vinculo excommunicationis, omnique reliqua pœna quam adhuc subire merito deberet pro tam enormi scelere: ita S. Chrys. Ambros. Ansel. S. Thomas: qui cum aliis Theologis ex hoc loco recte docent, Apostolum pœnitenti huic dare Indulgentiam, id est remissionem pœnæ temporariæ adhuc restantis, quæ necdum fuerat ei remissa, etsi pœniteret, ut hic passim *e* insinuatur. Quod enim Calvinus hic fingit, solum in foro exteriori coram Ecclesia pœnam ipsi remitti, refellit ipsemet S. Paulus, dum ait, se quod illi condonavit, condonasse IN PERSONA CHRISTI; Græce, ἐν προσώπῳ, id est in facie, seu coram Christo, nempe revera, & in foro conscientiæ. Item vice & auctoritate Christi cuius personam gero, qui dixit, *Quæcumque solveretis super terram, erunt soluta & in cælo f*: ita S. Ambros. Theodor. Theophyl. Anselm. Idque propter vos, id est in gratiam vestri pro pœnitente rogantium, & veniam indulgentiamque petentium. Et simili modo solitos olim Martyres, seu Confessores, cum in carcere detinerentur, supplicare Episcopis pro pœna lapsis pœnitentibus relaxanda, testes certissimi sunt Tertull. Cyprianus & Patres Concilii Niceni, & alii apud Baronium *g* & Bellarminum. Sed præter vestras, o Corinthii, preces, etiam me movet periculum rei, nempe,

V. 11. UT NON CIRCUMVENIAMUR seu decipiamur A SATANA, qui prætextu iustæ iræ & indignationis adversus hunc incestuosum, ut qui primus nitorem Ecclesiæ tam fœda macula conspurcarit, vellet nos in eius causa summo rigore uti, & inexorabiles nos præbere; ut pœnitens omni solatio ac spe destitutus animum despondeat, & abiecta fide totum se peccatis immergat. SED NON IGNORAMUS COGITA-

TIO-

TIONES, intentiones, machinationes callidi serpentis: unde & obviam imus, pœnitenti veniam & indulgentiam toto affectu impertientes.

V. 12. TROADE *h* etsi OSTIUM MIHI APERTUM *esset* IN DOMINO, id est aditus magnus pateret ad Evangelium istic propagandum; tamen

V. 13. NON HABUI REQUIEM SPIRITUI MEO, seu in animo meo, EO QUOD NON INVENERIM istic TITUM quem Corintho exspectabam, nempe ut ex eo rescisceerem, quo loco res essent apud vos, & an ii quos reprehenderam se emendassent.

V. 14. SEMPER TRIUMPHAT NOS Deus, id est triumphare facit, victoriam concedens: ita S. Ambros. & Anselmus. Vel proprie, de nobis, seu per nos, triumphat de dæmone & mundo.

V. 15. CHRISTI BONUS ODOR SUMUS, id est bonam famam Christi, eiusque Evangelii, quasi suavissimam fragrantiam, tum verbo, tum exemplo spargimus DEO, id est in honorem & gloriam Dei: sicut res odorifera spargit quaquaversum fragrantiam suam. Sed sicut fragrantia unguenti columbam vegetat, scarabeum necat: sol oculos sanos recreat, debiles offendit: sic fama sparsa de Christo, IIS QUI SALVI FIUNT, id est bonis & electis, est odor vivificus, spiritualem vitam illis impertiens: IIS vero QUI PEREUNT, id est malis ac reprobis, odor est mortiferus, mortem animæ illis causans, licet occasionaliter, nec suo, sed illorum vitio: ita S. Ambros. Oecumen. Bernardus. Sic Apostolus diluit obiectionem, qua quidam criminabantur præcones Evangelii, quasi pluribus locis exosos ac despectos.

V. 16. AD HAEC QUIS TAM IDONEUS? quasi dicat: Quam pauci per orbem repeririuntur adeo idonei ministri Evangelii, ut ubique sint bonus odor Deo? inquit Ambrosius. Quin potius,

V. 7. PLURIMI sunt ADULTERANTES VERBUM DEI, veris falsa immiscentes, ut caupones (in Græco enim est καπηλεύοντες, id est *cauponantes*) solent vina adulterare, ut quæstum maiorem faciant.

(a) Lucæ xvi. 9.
(b) I. Cor. iv. 1.
(c) Hic cap. vii. 7.
(d) I. Cor. ii. 4.
(e) Hic vers. 6. & vii. 11. &c.

(f) Matt. xviii. 18.
(g) Tertull. ad Martyres cap. 1. Cyprian. ep. xi. xxi. x ii. Conc. Nic. canon. 1. & 12. Baron. tom. 2. pag. 193. Bellarm. de Indulgentia.
(h) Actor. xx. 1.

GORDONI.

Vers. 1. TRistitia de qua hic præfatur Apostolus, est illa quæ obveniebat Paulo ex peccatis Corinthiorum; & ipsis Corinthiis excitata ex reprehensione Pauli, quæ ipsos attingebat, quod talia paterentur mala in nascente adhuc Ecclesia, primoque fidei flore. Et hinc indicat alteram excusationem, cur ad eos non venerit, ne scilicet si ante peractam pœnitentiam venisset, cogeretur in castigatione simili, novam sibi & Corinthiis creare tristitiam.

V. 2. & 3. SI ENIM EGO. Dat rationem; nam si ego vos contristo, & proinde etiam meipsum, non erit a quo gaudium expectem, cum a vobis in Domino gaudentibus, & sancte viventibus meum maximum gaudium proveniat. Immo (vers. 3.) & ego vobiscum, per epistolam ut coram aspiciens morum emendationem, impense gaudeam: spero enim quod Deo & Paulo displicet; a vobis (quæ vestra est bona voluntas) tollendum e medio: huc spectat versus 4.

V. 5. SI QUIS AUTEM CONTRISTAVIT. Fornicarium intelligit, de quo cap. v. citato. Si quis, inquit, aliquid perpetravit, unde secuta est tristitia, is non me solum, sed vos omnes affecit tristitia, quibus displicuit malum: non enim illa suspicione & infamia omnes vos onero.

V. 6. & 7. Redit ad fornicarium: Non vobis, sed illi erat obiurgatio: & nunc quidem quando pœnitens est, sufficiat quæ a pluribus publica excommunicatio indicta fuit in detestationem sceleris: & (quod Christianæ pietatis est & mansuetudinis) vos contenti hac satisfactione, reliquam pœnam condonate, ne mœrore pressus animo desperet. Et hanc, inquit, vers. 8. & 9. ideo scripsi epistolam, ut communi cum caritate excipiatis, & capiam obedientiæ vestræ experimentum.

V. 10. CUI ALIQUID DONASTIS. In Græco est, *condonatis*, & *ego*. Sermo adhuc est de condonatione facienda huic excommunicato: sensus hic est, Sicut Epist. I.

cap.

cap. v. illum excommunicari iussi, vobis congregatis: ita nunc me vobis iterum adiungo, ut me hortante, mecum illi condonetis.

Paulus hic absolutionem committit pastoribus Ecclesiæ, quam in persona Christi loquens fieri decernit: quamvis accedere expediat etiam populi vota & desiderium. Vident hic Novatores vel inviti absolutionem a reliqua pœna, & eam dari a pastoribus in persona Christi, hoc est, vice & auctoritate Christi, cuius personam gerunt. Sic solet prorex in persona regis multa præstare. Hanc pœnæ remissionem passim agnoscunt Patres, iuxta illud, *Quicquid solveritis*, &c.

V. 2. CUM VENISSEM TROADEM. Hanc partem peregrinationis Pauli attigit Lucas Act. cap. xx. ubi de Troade; olim Troia. Eo cum venisset, Paulus prædicationis causa, & non invento ibi Tito, qui Græce exprimebat sensa Pauli, venit in Macedoniam, ubi a Tito multa intellexit de Corinthiis. Agit vers. 14. magnas Deo gratias de ostio aperto ad fidem, de victoria in causa Christi, qui Paulum facit triumphantem, & de bono per Evangelium odore, qui spargitur, iustis quidem ad vitam; licet impiis fit odor mortis. ET AD HAEC (vers. 16.) QUIS TAM IDONEUS; ac si diceret, messis magna, sed ad quam pauci idonei ministri, & qui syncere prædicent verbum Dei; nulla ex parte illud adulterantes. Falsa & inutilia miscent multi, fere ut cauponantes illi, qui vinum adulterant, ut quæstum faciant.

CAPUT III.

Non eget Apostolus hominum commendatione, cum fructus suæ prædicationis eum commendet: multo enim maiori in honore esse debent ministri novi Testamenti ac spiritus, quam veteris Testamenti ac litteræ: & quod Iudæi velamen adhuc habebant super cor suum in lectione Scripturarum, quod fide in Christum aufertur.

1. INcipimus iterum nosmetipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? 2. Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus: 3. manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. 4. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: 5. non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: 6. qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti; non littera, sed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. 7. Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria; ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ evacuatur: 8. quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? 9. * Nam si ministratio damnationis gloria est: multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. 10. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. 11. Si enim quod evacuatur, per gloriam est: multo magis quod manet, in gloria est. 12. * Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur: 13. (*a*) & non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem eius, quod evacuatur, 14. sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernam enim diem idipsum velamen in lectio-

ctione veteris testamenti manet non revelatum, (quoniam in Christo evacuatur) 15. sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. 16. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. 17. (*b*) Dominus autem Spiritus est: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. 18. Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.

(a) Exod. xxxiv. 33. (b) Joan. iv. 24.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 9. Nam si ministratio damnationis gloria est. Non addas præpositionem *in* ante *gloria*.

Vers. 12. Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur. Non est mutandus indicativus *utimur* in imperativum *utamur*.

C O M M E N T A R I A

G A G N A E I.

Vers. 1. INCIPIMUS, &c. Quia ad finem præcedentis capitis visus erat se laudare, atque de eo suspicari poterant commendandi sui gratia, seque in illorum benevolentiam insinuandi, ea dixisse, tollit hanc suspicionem, *Incipimus iterum*, inquit, *nos ipsos commendare* aut benevolentiæ vestræ insinuari quærimus? *Numquid egemus aliorum commendatitiis Epistolis ad vos*, aut ex *vobis* ad alios?

V. 2. EPISTOLA NOSTRA, id est estis mihi vice Epistolæ commendatitiæ, quorum virtutes in nostri commendationem omnibus proferimus. *Epistola*, inquit, *scripta in cordibus nostris*, id est vos estis indelebiliter animo meo inscripti & infixi, *quæ scitur & legitur ab omnibus*. Dum enim vestrarum virtutum mentionem ubique facio, hinc legitur & intelligitur quod estis nobis vice commendatitiæ epist. *manifestati*, inquit, quod *estis Epistola Christi*, id est dum manifestum est, quod mentí vestræ Christus inscriptus est, cuius leges & mandata in corde scripta habetis, & hoc modo Epistola estis, *ministrata a nobis*, qui per prædicationem nostram Christo vos præparavimus & ministravimus: scripta, inquam, Epistola a nobis spiritu Dei vivi, quem in vobis illo largiente inscripsimus, non in lapideis, quomodo olim lex, sed in carneis mentis vestræ tabulis.

V. 4. FIDUCIAM AUTEM HABEMUS, scilicet quod Epistola nostra estis, ministrata a nobis, Deique spiritu scripta, non nostro merito, qui nos idoneos ministros agnoscimus, sed Dei gratia, qui nos idoneos fecit ministros novi testamenti, *non littera, sed spiritu*, id est non secundum litteram, sed spiritum. Græci habent litteræ & spiritus ut intelligas Apostolos ministros spiritus non litteræ. Litteram autem hoc loco legem intelligit Mosaicam, quæ occidit, dum sui transgressores capitaliter punit. *Spiritum* autem legem Evangelicam, quæ vivificat, vitam æternam largiendo.

V. 7. QUOD SI MINISTRATIO. Contendit hoc loco legem Evangelicam cum lege Mosaica, administrationemque unius cum administratione alterius: *quod si*, inquit, *ministratio mortis*, id est lex suis transgressoribus mortem afferens, *deformata*, id est, insculpta & descripta in lapidibus adeo gloriosa fuit ut in faciem Moysi intueri non possent e monte descendentis, legemque adferentis, ob inumbrantem eum Domini gloriam: quæ tamen, inquit, *evacuatur*, id est evanescit ac perit (neque enim perpetuo resplenduit facies Moysi) quanto magis *ministratio spiritus*, id est lex Evangelica gloriosa, quæ spiritum largitur, erit? si enim *ministratio damnationis*, id est lex damnationis administra, quia suos prævaricatores morte damnabat, glo-

riosiorem oportet esse legem Evangelicam; *iustitiae*, id est iustificationis administratricem: quamquam, inquit, *quod claruit*, id est lex quae glorificata est in legislatore Moyse, non vere glorificata est *in hac parte*, id est ad comparationem legis Evangelicae, propter excellentem eius gloriam; sic enim Graeci interpretantur ἐν τῷ μέρει; & referunt, ad glorificatum est, non ad claruit.

V. 11. QUOD EVACUATUR, id est lex quae antiquatur: Evangelium enim manet, & in finem usque perdurat.

V. 12. & 13. HABENTES IGITUR SPEM de permanente gloria Evangelii, MULTA FIDUCIA UTIMUR. Graece παῤῥησίᾳ, aperta scilicet loquendi libertate, id est plane & aperte Evangelium praedicamus, ET NON SICUT MOYSES. Hic eclipsis est, & ideo supplendum, facimus, aut quid simile; ut sit sensus, apertos nos Evangelii praecones ostendimus, neque facimus sicut Moyses, qui legem adferens Iudaeis velabat faciem suam ne intenderent ac prospicerent in faciem eius: descendentis enim de monte Moysi cum splendentem faciem ferre non possent Iudaei, faciem suam velabant: hanc vero Moysi historiam mystice Paulus accipit. *Velamen* enim quo splendentem faciem velabat Moyses carnalium caeremoniarum observantiam, aut rerum temporalium promissiones significabat, quae non sinebant Iudaeos carni inhaerentes *in faciem Moysi* prospicere, id est claram ac lucidam & spiritualem legis intelligentiam habere, obtusam mentem habentes: quod carnalium caeremoniarum & intelligentiarum velamen adhuc Pauli tempore faciem illos Moysi, id est claram legis ac veteris testamenti cognitionem intueri ac nosse non sinebat: quod tamen velamen EVACUATUR, inquit, & tollitur a Christo docente nos legis in se completae cognitionem spiritualem: quippe quod auferetur ab eis quoties *conversi ad dominum fuerint*, in spiritu, quoties scilicet relicta littera, Spiritui sancto spiritualem sensum docenti adhaeserint. IN FACIEM, &c. id est claram legis evacuandae & abolendae cognitionem. Quidam Graeci legunt pro in faciem εἰς τέλος, id est *in finem eius*, QUOD EVACUATUR, scilicet legis, quae abrogatur; & ita sensus est, quod velamen carnalium caeremoniarum & terrenarum promissionum, quas tantum Iudaei spectabant, in finem legis, id est in Christum intendere non sinebant: *Finis enim legis Christus est ad salutem omni credenti*: vel *in faciem*, id est spiritualem legis cognitionem.

V. 15. MOYSES, id est lex, ut scriptum est, *habent Moysen & prophetas*.

V. 18. NOS VERO. Christianos cum Iudaeis comparat. Moysi gloriam non poterant videre Iudaei, quod eius velata esset facies; nos vero non sic: quia REVELATA *Moysi* FACIE, id est spirituali legis cognitione intellecta, quae nos Christum venisse docuit, GLORIAM DOMINI SPECULANTES, id est nunc per fidem velut in speculo cognoscentes IN EANDEM *cum illo* IMAGINEM TRANSFORMAMUR: dum illi quotidie per fidei & virtutum incrementa incorporamur: transformamur autem a claritate in claritatem sive a gloria in gloriam, id est dum gloriosiores ab eo efficimur, clarioremque subinde patris cognitionem nanciscimur. Pro eo autem quod est speculantes; Graece est κατοπτριζόμενοι, quod magis officium Apostolorum exprimit. Est enim κατοπτρίζεσθαι, susceptam in se imaginem tamquam speculum repraesentare, & hoc modo sensus est: Nos vero gloriam domini tamquam speculum recipientes, receptamque aliis videndam exhibentes, non instar Moysi faciem velantes A CLARITATE IN CLARITATEM, sive a gloria in gloriam (utrumque enim significat Graecum δόξα) id est, per abundantem Dei gloriam in nos transfusam transformamur in eandem cum illo imaginem, id est ad eius imaginem & similitudinem accedimus: quia sicut Ioannes ait: *Quum apparuerit, tunc similes ei erimus*; transformamur autem TAMQUAM A DOMINI SPIRITU, id est Domini spiritu sic nos transformante.

S A.

Vers. 1. ITERUM; quasi dicat, Post tot nostra de vobis merita.

V. 2. EPISTOLA, scilicet commendatitia; quasi dicat, Abunde nos commendat vita vestra, quos sic instituimus. SCRIPTA, &c. quasi dicat, Quos etiam in corde habemus, velut impressos.

V. 3. MANIFESTATI, id est dum apparet. CHRISTI, id est in qua Christus descriptus. CARNALIBUS, id est carneis, scilicet

licet vivis & sentientibus, secundum August. vide de Spir. & lit. cap. XVII, & XV. cont. Faust.

V. 4. TALEM, scilicet quod sitis epistola nostra, &c. AD; pro, apud.

V. 5. SED; pro, nam.

V. 6. LITTERA, &c. Græc. *littera, sed Spiritus*, id est non Legis veteris, sed novæ; vel, non Scripturæ solius, sed etiam gratiæ, scilicet qua intelligitur, & servatur. OCCIDIT, scilicet sine spiritu: auget enim concupiscentiam præceptum dum prohibet malum, graviusque peccatur, si desit gratia. Vide August. de Spir. & lit. cap. IV.

V. 7. MINISTRATIO MORTIS, id est lex afferens mortem, modo proxime dicto. DEFORMATA, id est descripta, seu insculpta. GLORIA, id est claritate, seu splendore: sic infra. QUAE, scilicet ministratio, seu lex, vel potius gloria, ut apparet ex Græco. EVACUATUR, id est aboletur.

V. 9. DAMNATIONIS: quam sup. vocavit *mortem*, scilicet animæ. ABUNDAT, id est excellit. IUSTITIAE, id est per quod confertur iustitia.

V. 10. GLORIFICATUM EST, id est dicendum fuisse gloriosum. CLARUIT. Græc. *glorificatum est*. IN HAC PARTE, id est si conferatur cum gloria Evangelica. GLORIAM, scilicet Evangelicam.

V. 11. PER GLORIAM, id est gloriosum. MANET, scilicet perpetuo.

V. 12. TALEM, id est tantarum rerum.

V. 13. ET NON, scilicet oportet nos facere. INTENDERENT, scilicet oculos, quia ferre splendorem non poterant. QUOD EVACUATUR, id est quæ res, seu gloria, tandem abolenda erat.

V. 14. OBTUSI, id est obcæcati. IN LECTIONE, id est dum legitur. QUONIAM, &c. quasi dicat, Quia cum per Christum solum tollatur, illi Christum non recipiunt.

V. 17. SPIRITUS EST, scilicet datque Spiritum intelligendi legem.

V. 18. NOS, scilicet Christiani. REVELATA FACIE, id est sine velamine impediente aspectum, seu fidei considerationem. *Faciem*, vero intellige vel legis Evangelicæ, vel nostram. SPECULANTES, id est velut per speculum aspicientes. IN EAMDEM, &c. id est ad similitudinem divinæ gloriæ. A CLARITATE, &c. Græc. *a gloria in gloriam*, scilicet procedentis. TAMQUAM, &c. quasi dicat, Nempe faciente id Spiritu Dei in nobis.

MARIANAE.

Vers. 1. INCIPIMUS. Se videbatur laudasse; sine superioris capitis, nunc removet iactantiæ suspicionem.

V. 2. EPISTOLA NOSTRA VOS ESTIS. Quia vos me amatis, amor & opinio de nobis instar epistolæ commendatitiæ est. SCRIPTA IN CORDIBUS NOSTRIS. Is amor vester nobis satis est notus, sed omnibus, tum ex se, tum nostra prædicatione. Ita apud vos nec nostra commendatione est opus, nec aliena.

V. 3. MANIFESTATI, scilicet estis; pro, manifestum est. QUOD EPISTOLA ESTIS CHRISTI; id est, iste amor & opinio de nobis a Christo, nostraque opera est ministrata. NON ATRAMENTO, non humana industria id fecimus, sed spiritu Dei. NON IN TABULIS LAPIDEIS: ut Moysis lex, sed in corde molli & humano erga nos.

V. 4. FIDUCIAM AUTEM TALEM HABEMUS, scilicet confidimus, quod epistola nostra estis Dei spiritu ministrata.

V. 5. NON QUOD SUFFICIENTES, sive *idonei*, ἱκανοί, quam vocem cap. sup. vers. 16. sic Noster vertit: sed perinde est. SED SUFFICIENTIA: ἱκανότης. Cassian. Collat. III. cap. XV. *idoneitas nostra*. Significat autem, quæ apud illos fecit, non sua, sed Dei virtute fecisse.

V. 6. NON LITTERA, SED SPIRITU. Alii, *non littera, sed Spiritus*; ut est Græce, id est non legis ministrum me fecit, sed gratiæ per Christum. LITTERA ENIM OCCIDIT, propter supplicia quæ inferebat, aut quia damnantur, qui eam post Christum servant. Augustinus tripliciter explicat Epist. LXXXIX. *Occidit, quia præcepta nostris viribus servare non possumus. Quia in cortice aliquando præcipit absurda, quæ necessario ad altiorem sensum sunt revocanda*. Denique Lib. de Spiritu & littera: *Quia lex præcipiebat, non dabat vires, sic magis erat occasio peccati*.

V. 7. MINISTRATIO MORTIS, id est Lex. LITTERIS DEFORMATA, seu *figurata*, scripta. QUAE EVACUATUR, id est abrogatur per Christum. Quod si Lex in gloria

gloria fuit, magis erit MINISTRATIO SPIRITUS, id est Evangelium.

V. 10. NEC GLORIFICATUM EST, id est lex Moysi obscuratur, si cum gloria excellenti Evangelii conferatur. Oratio defectiva: hic sensus. IN HAC PARTE, id est parum claruit comparatione Evangelii: sic Syr.

V. 2. HABENTES IGITUR TALEM SPEM, quod scilicet gloria Evangelii permaneat, aperte loquimur, neque velamus faciem, ut Moyses.

V. 13. UT NON INTENDERENT, aspicerent, non possent aspicere. IN FACIEM EIUS, id est Moysis, & per *Moysem* legem intelligit, ut illis verbis: *Habent Moysem & Prophetas*. Nam sequitur; QUOD EVACUATUR, id est cessat. Græce, *in finem*, pro, *in faciem*; eritque sensus: Eo velamine impediebantur, ne Christum viderent, qui est finis legis. Allegoria, sed cum iis quæ sequuntur, consentiens.

V. 14. USQUE IN HODIERNUM. Contendit eo velamine impediri Iudæos ne Christum videant. IN CHRISTO EVACUATUR, scilicet lex.

V. 15. CUM LEGITUR MOYSES, id est lex Moysis, ut vers. 13. velamen habent, sed ubi spiritus,

V. 17. IBI LIBERTAS, scilicet a lege nos spiritus & gratia Christi liberavit.

V. 18. REVELATA FACIE, sublato Moysis velamine, videmus gloriam Christi quasi in speculo. Id significat κατοπτριζόμενοι. IN EAMDEM IMAGINEM, similes illi per virtutes evadimus. A CLARITATE, sive *a gloria in gloriam*, id est novis subinde gloriæ & virtutis incrementis. TAMQUAM A DOMINI SPIRITU; quasi dicat, Nempe hoc fit per Spiritum sanctum.

MENOCHII.

Vers. 1. INCIPIMUS ITERUM NOSMETIPSOS COMMENDARE? Numquid hæc dicimus tamquam volentes nos vobis, & aliis commendare? ITERUM: dicit, *iterum*, quia de sua docendi ratione in priori epistola nonnulla dixerat, & paulo ante quædam de se visus erat attingere. SICUT QUIDAM: innuit hoc facere consuevisse pseudoapostolos. AUT EX VOBIS, id est a vobis scriptis epistolis, quibus apud alios commendet.

V. 2. EPISTOLA NOSTRA VOS ESTIS: vos estis mihi instar epistolæ commendatitiæ, satis me commendat conversio, & conversatio vestra. SCRIPTA IN CORDIBUS NOSTRIS; quasi dicat: Eam epistolam, quæ vos estis, cordi meo inscriptam, & impressam ubique circumfero. Inscriptionem intellige per memoriam, & amorem. QUAE SCITUR, ET LEGITUR AB OMNIBUS HOMINIBUS: quam epistolam omnibus in promptu est inspicere, & legere, perinde ut litteras patentes, & omnium oculis expositas.

V. 3. MANIFESTATI, id est de quibus manifestum est. MINISTRATA A NOBIS, id est nostro ministerio conscripta. Christus huius epistolæ præcipuus est auctor, qui nobis ministris usus est ad illam scribendam. SPIRITU DEI VIVI, id est Spiritu sancto, eiusque afflatu. NON IN TABULIS LAPIDEIS; ut olim lex Moysis. IN TABULIS CORDIS CARNALIBUS, id est carneis, hoc est, in corde molli, ductili, docili: significat hac metaphora facilitatem, & promptitudinem ab obediendum.

V. 4. FIDUCIAM: πεποίθησιν, persuasionem cum animi confidentia. AD DEUM: in Deum sperantes, per gratiam Christi. Sensus versiculi est: Ita Christi beneficio mihi persuadeo, vos esse commendatitiam epistolam, qua vobis primum, deinde etiam cunctis mortalibus commendamur.

V. 5. NON QUOD SUFFICIENTES SIMUS, &c. id est non perinde quasi nos digni simus, qui nobis quidquam veluti a nobis profectum tribuamus. SED SUFFICIENTIA NOSTRA, &c. qua idonei sumus ad aliquid boni vel cogitandum, vel agendum, ex Deo est.

V. 6. QUI ET IDONEOS NOS FECIT, &c. qui inter alia bona, quæ ex illo habemus, etiam hoc tribuit, ut idonei essemus ministri novi Testamenti, id est ad prædicandum Evangelium, & Ecclesias Christi fundandas per orbem. NON LITTERA, SED SPIRITU: non lege, sed gratia; quasi dicat: Fecit nos idoneos ministros novi Testamenti, non, inquam, ministros litteræ, id est legis scriptæ, & datæ per Moysem, quæ est lex vetus; sed ministros spiritus, hoc est ministros legis novæ, qua Spiritus sanctus datur ad legem implendam. LITTERA ENIM; hoc est, lex vetus. OCCIDIT: gratiæ enim præsidio destituta,

tuta, dum multitudine præceptorum urget, ac præmit, eis quibus data eſt, facta eſt illis æternæ mortis occaſio. SPIRITUS VERO VIVIFICAT, id eſt gratiæ beneficium, ſalutem, & vitam affert ſempiternam.

V. 7. MINISTRATIO MORTIS: promulgatio legis veteris, quæ occaſio fuit mortis. LITTERIS DEFORMATA IN LAPIDIBUS: tabulis marmoreis inſcripta. FUIT IN GLORIA: fuit valde glorioſa, cum tonitru, tuba cæleſti, terræmotu montis Sina, ſplendore vultus Moſis, glorioſe, & magnifice promulgata. GLORIAM VULTUS: ſplendorem faciei. QUAE EVACUATUR: quæ ſcilicet gloria auferenda erat a Moyſe; hi enim radii, & hic ſplendor, uti & vita, Moyſen morientem deſeruerunt.

V. 8. MINISTRATIO SPIRITUS: lex novi Teſtamenti, quæ vivificantem ſpiritum ſubminiſtrat. ERIT IN GLORIA: maiorem, præſtantiorem, ſolidiorem, & diuturniorem gloriam habebit.

V. 9. MINISTRATIO DAMNATIONIS: eſt repetitio eiuſdem ſententiæ, idem enim eſt, *miniſtratio damnationis*, quod verſ. 7. dixerat, *miniſtratio mortis*. Promulgatio legis, quæ Iudæis occaſio fuit mortis æternæ, non legis, ſed ipſorum Iudæorum vitio. GLORIA EST: fuit res glorioſa. ABUNDAT, &c. excellit; ſenſus eſt, Multo maior, & excellentior debetur gloria novæ legi, quæ iuſtitiam confert, qua damnatio mortis evaditur, & vita acquiritur.

V. 10. NAM NEC GLORIFICATUM EST, &c. ſenſus eſt, quaſi dicat: Atque adeo gloria Moyſis in Sina non eſt dicenda gloria hac in parte, ſi videlicet comparetur cum Apoſtolici muneris gloria, nam hoc longe præcellit. PROPTER: ἕνεκεν, quæ vox hoc loco ſignificat *reſpectu*, ut etiam Italice dicimus, *Riſpetto d'eſſa gloria, a paragone della gloria*.

V. 11. QUOD EVACUATUR: Moyſes ſcilicet & lex evacuanda, & abolenda per Chriſtum. PER GLORIAM EST: in gloria eſt, glorioſa eſt. QUOD MANET, ſcilicet lex nova Chriſti, quæ durabit uſque ad mundi finem.

V. 12. TALEM SPEM: quod Dominus per nos Apoſtolos Spiritum gratiæ diffundet, noſque ita glorificabit deinceps præ Moyſe, ut fecit hactenus. MULTA FIDUCIA UTIMUR: confidenter evangelizamus, cum libertate, ingenue, aperte, hæc enim ſignificat vox Græca παῤῥησία.

V. 13. ET NON SICUT MOYSES, &c. quaſi dicat: Moyſes velabat faciem ſuam, nos contra non velata facie, ſed magna libertate Chriſti Evangelium proponimus. QUOD EVACUATUR: vide dicta verſ. 7. Faciem intelligit Moſis morituri.

V. 14. SED OBTUSI SUNT SENSUS EORUM: quaſi dicat: Aperte proponimus Evangelium, ſed Iudæi ad hanc lucem cæcutiunt, & quaſi velamen oppoſitum haberent, eam non vident. IDIPSUM VELAMEN: habent ante oculos velamen legis veteris, in cuius cortice hærentes ad myſteria in illa latentia non perveniunt. IN LECTIONE VETERIS TESTAMENTI: dum legitur vetus Teſtamentum in eorum ſynagogis. NON REVELATUM: non ablatum a cordibus eorum. QUONIAM IN CHRISTO EVACUATUR: nec intelligunt per Evangelium evacuari, id eſt tolli legem veterem.

V. 15. CUM LEGITUR: in ſynagogis. MOYSES: lex, & vetus Teſtamentum. VELAMEN POSITUM EST, &c. laborant hac cæcitate, quam dixi, & pertinaci ſua, craſſaque inhæſione legis Moſis.

V. 16. CUM AUTEM CONVERSUS FUERIT AD DOMINUM: cum divino lumine illuſtrati Evangelii claritatem admiſerint Iudæi, a littera ad Spiritum converſi. AUFERETUR VELAMEN: remoto velamine cuncta perſpicue cernent, quibus ad vitam æternam perducantur.

V. 17. DOMINUS AUTEM SPIRITUS EST: Dominus, ad quem relicta littera convertentur Iudæi, Spiritus eſt. UBI AUTEM SPIRITUS DOMINI IBI LIBERTAS: lex autem Evangelica quam comitatur Spiritus Domini, libertatem affert filiorum Dei, ut ſcilicet non habeamur ut mancipia, & regamur timore, ſed amore, ut filii.

V. 18. NOS VERO REVELATA FACIE: adempto velo, & tenebris Iudaicis. GLORIAM DOMINI, divinam claritatem. SPECULANTES: κατοπτριζόμενοι, quaſi ſpecula recipientes. IN EAMDEM IMAGINEM TRASFORMAMUR: participes efficimur eiuſdem claritatis, ſicuti ſpeculum claritatem ſolis refert. A CLARITATE IN CLARITATEM: a claritate Chriſti in claritatem noſtram, ut fiamus clari, & lucidi ſapientia, & gratia ad inſtar Chriſti. TAMQUAM A

Do-

Domini Spiritu: sicut decet Spiritum Dei nos transformare. Vel, faciente id Spiritu Dei in nobis.

TIRINI.

Vers. 2. Vos estis Epistola nostra commendatitia; id est, vos nostra opera instructi & conversi satis superque nos instar epistolæ commendatitiæ commendatos redditis tum hominibus, tum Deo: ideoque hanc Epistolam iam in corde meo, quasi in intimo sinu, altissime defixam gesto.

V. 3. Estis & epistola Christi, a nobis ministrata, id est ministerio nostro conscripta. Spiritu Dei, id est afflatu Spiritus sancti, in tabulis non lapideis, ut olim lex Moysis, sed carnalibus, id est carneis, mollibus, vivis & sentientibus, nempe in cordibus vestris vivacibus, & docilibus & ad omnia promptis: ita S. August. & Ansel.

V. 4. Fiduciam talem: seu quod talis Epistola nostra commendatitia vos sitis, habemus beneficio & merito *Christi* apud Deum.

V. 5. Non a nobis, quasi ex nobis, seu quasi ex nostra virtute vel viribus naturalibus profectum: nam sic ne quidem sufficientes sumus cogitare aliquid eo conducens, nempe quod vere bonum vel virtuosum sit, quodque de condigno, vel de congruo iuvet ad fidem, gratiam, conversionem vel salutem. Agit enim hic Apostolus de iis quæ necessaria sunt ut quis idoneus sit minister novi testamenti, ut sequitur. Sed non negat Apostolus (ut fingit Calvinus,) liberum arbitrium nostrum cooperari gratiæ Dei; sed solum, ex se esse insufficiens ad bona & supernaturalia opera, seu exercenda, seu tentanda, ut explicat Concilium Arausicanum *b* & S. Augustinus cum aliis Patribus: qui hinc docent contra Semipelagianos, omne fidei salutisque initium ac desiderium non esse ex libero arbitrio, sed ex gratia præveniente: qua excitatum, roboratum & adiutum liberum arbitrium cooperatur, si vult, eidem gratiæ, eiusque influxui supernaturali in opus supernaturale concursum suum præbet, sibi suæque naturæ viribus commensuratum. Sufficientia ergo liberi arbitrii, id est potentia ac vires ad opus supernaturale producendum, non est ex libero arbitrio, sed *ex Deo*.

V. 6. Qui inter alia bona, etiam hoc nobis tribuit, ut *idonei* simus *ministri* novi testamenti, id est ad prædicandum Evangelium, Ecclesias fundandas, Sacramenta administranda. *Ministri*, inquam, non littera sola vobis communicanda, sed & spiritu impertiendo; id est, non eo modo ministri sumus quo in lege Moysis, ut scilicet nudam litteram legis vobis proponamus, sed insuper etiam spiritum, id est Dei gratiam, afferamus: nam Deus ad verba nostra immittit vobis copiosam gratiam, sanctasque inspirationes & impulsus: ita S. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus *c* & Anselmus. Littera enim, seu lex sola, si gratiæ præsidio destituatur (ut in veteri testamento,) nocet potius quam prosit: nam occidit animam, (licet occasionaliter,) dum multitudine & difficultate præceptorum urget ac premit, nec tamen vires subministrat ad ea omnia complenda ut oportet *d*. Solus enim spiritus, id est gratia spiritualis, vivificat animam, vitam ei supernaturalem afferens, qua potens redditur ad opera æternæ saluti paranda necessaria.

V. 7. & 8. Quod si ministratio mortis et damnationis, id est promulgatio legis Mosaicæ, quæ mortem & damnationem plerisque causabat (ut iam dixi) & deformata erat; Græce, ἐντετυπωμένη, id est impressa, inscripta, in lapidibus, id est tabulis marmoreis, fuit in gloria, id est fuit valde gloriose facta, nempe cum tonitru, fulmine, tuba cælesti, terræmotu, splendore vultus Mosaici *e*, qui tamen cito *evacuatus* & ablatus fuit *f*; quomodo non magis ministratio spiritus & *iustitiæ* (id est, promulgatio legis Evangelicæ, quæ spiritum, id est copiosam gratiam, & veram iustitiam affert) gloriosa esse debuit? Et vero fuit etiam gloriosissima tum in Pentecoste *g*, tum deinceps per signa, miracula & prodigia longe plura ac præstantiora Mosaicis, solidioraque ac diuturniora: ita Chrysost. Ambrosius & Anselmus.

V. 10. Nam nec glorificatum quidem dicendum est, quod claruit in promulgatione legis Mosaicæ; quasi dicat: Gloria Moysis in Sinai, ne quidem appellanda est gloria in hac parte, id est si com-

comparetur cum splendore muneris Apostolici, PROPTER EXCELLENTEM huius GLORIAM præ illa Mosaica, quæ

V. 11. EVACUATUR, id est cito sublata & exstincta fuit: nam & radii splendor, quin & ipsa vita Moysen morientem deseruerunt, ut significarent, legem Mosaicam desituram, eiusque GLORIAM, adventante nova lege Christi, emorituram: cum lex Christi *maneat*, duratura usque ad finem mundi.

V. 12. HABENTES TALEM SPEM; scilicet, quod Deus per nos novi testamenti ministros spiritum gratiæ diffundet in animos auditorum, atque ita nos deinceps glorificabit præ Moyse, ut fecit hactenus; hinc MULTA FIDUCIA UTIMUR, id est admodum confidenter, libere & aperte evangelizamus.

V. 13. NON VELATA FACIE, SICUT MOYSES, sed nuda ac detecta, sine umbrarum vel figurarum velamine, sine obscuris ambagibus, sine timore aut terrore; sed ingenue, libere, clare & aperte: ita Ambros. Theodor. Theophyl. Anselmus. Hanc tamen tam apertam, tam claram Evangelii lucem non capiunt Iudæi:

V. 14. SED OBTUSI & occlusi SUNT oculi, aures & reliqui SENSUS EORUM: nam IDIPSUM VELAMEN umbrarum & figurarum, VETERIS TESTAMENTI MANET in ipsis NON REVELATUM, id est a vultu vel animo illorum non deductum, non depositum: neque enim capiunt, intelligunt aut credunt, QUONIAM velamen hoc *per Christum* EVACUATUR, & iam pridem ablatum est, veritate figuras complente, & luce Evangelii veteres umbras pellente.

V. 17. DOMINUS AUTEM SPIRITUS EST, supple, & Spiritum sanctum nobis dat, cuius dono possumus legem intelligere & complere, non secundum nudam litteram, seu corticem verborum, sed secundum spiritualem, genuinum & verum sensum, a Spiritu sancto intentum. UBI AUTEM SPIRITUS DOMINI est, puta in lege Evangelica, quam indivulse comitatur; IBI est etiam LIBERTAS a velamine, ab umbris, a timore servili, &c. ut scilicet ablato legis Mosaicæ velamento, clara luce & ultronea voluntate ambulemus, secundum legem Dei, inquit Theoph. Libertas ergo Christiana non abolet leges humanas aut divinas (ut spargunt Suencfeldiani & Libertini) sed ad eas implendas tanta impertit auxilia, ut sponte, generose ac libere eas omnes impleamus, non formidine pœnæ, ut servi ac mancipia solent, sed amore virtutis ac Dei, quod filiorum est ac *liberorum*: ita S. Chrysost. & Aug. & alii Patres citati a Bellarmino *h* & Bellilolano, qui totos 15. libros de hac Christiana Libertate conscripsit.

V. 18. Nos VERO Christiani OMNES, REVELATA FACIE, ac directo vultu, sine velamine aut tenebris Iudaicis, GLORIAM DOMINI, id est excellentia beneficia divinitus humano generi exhibita, in quibus maxime elucet gloria Dei, puta opus incarnationis Filii Dei, redemptionis & sanctificationis nostræ, &c. SPECULANTES; Græc. κατοπτριζόμενοι, id est *in speculo* (scilicet Verbo incarnato) *intuentes*, TRANSFORMAMUR IN EAMDEM IMAGINEM; id est, participes reddimur eiusdem claritatis, quia per reflexionem radiorum ab hoc lucidissimo speculo in nos, nos etiam lucidi efficimur luce fidei & gratiæ Christi, immo fimus quasi specula, iubar divinum in alios quoque emittentes, & quasi soles mundum illuminantes: idque A CLARITATE IN CLARITATEM *i*, id est clarius in dies & clarius; TAMQUAM DOMINI SPIRITU sic transformari, cui id proprium & solemne est: ita S. Chrysost. & Theophyl.

(a) Aug. de Spiritu & littera cap. XVII.
(b) Conc. Arauf. can. VII. Aug. de prædest. Sanct. cap. II.
(c) August. de Spiritu & littera cap. 1. & seqq. & de Natura ac gratia cap. LVII.
(d) Rom. VII. 6.
(e) Exod. XIX. & XXXIV.
(f) Exod. XXXIV. 29.
(g) Act. II. I. &c.
(h) August. Lib. de Continentia cap. III. & de Spiritu, &c. supra. Bellarm. Lib. IV. de Iustific. cap. III. & 4.
(i) Rom. I. 17.

GORDONI.

Vers. 1. 2. & 3. IN fine secundi capitis viderat potuit commendare seipsum Corinthiis, dum fructum laboris sui uberem narrabat Corinthiis. Hanc suspicionem propulsat: Non, inquit, conor me vobis commendare: non egeo vestris commendatitiis litteris. Contentus sum ea sola epistola commendatitia quæ vos estis: hæc me satis commendat, vestra nempe fides, conversio & conversatio, quæ mihi cordi est, & fcri-

& scitur ab omnibus : mox vers. 3. quomodo sint epistola Christi scripta Spiritu Dei.

V. 4. FIDUCIAM AUTEM. Fiducia mihi est in Deo per gratiam Christi, & mihi persuadeo vos esse per quos vobis & omnibus aliis commendor. Et hanc fiduciam habemus ad Deum, qua confidenter gloriamur in Deo de vobis, & de ministerio nostro in hac parte, & scripta Dei epistola.

V. 5. NON QUOD SUFFICIENTES: Accedit ad comparationem dignitatis inter ministeria utriusque Testamenti; sufficientia, dignitas, & fructus ministerii a Deo est: nec nobis tribuimus profectum: si idonei sumus ministri, a Deo est. Damnantur hoc versu quinto Pelagiani. Sane initium salutis a Deo est, ut hic Paulus, & Augustinus de prædest. Sanct. cap. II. & Concilium Arausicanum can. VII. Si vero ne cogitare quidem possumus aliquid dignum Deo & vita æterna, quanto minus possumus operari digne, ut par est; & solis viribus liberi arbitrii? Sed prodit inscitiam suam Calvinus, & abutitur hic verbis Pauli, dum vult hinc omnes sufficientiam ita esse a Deo, ut nihil conferat liberum arbitrium: nec advertit liberum arbitrium ex se gratiam. Docet satis non esse sufficiens: posse tamen & esse sufficiens per naturam, quod ex se infirmum est ad opus, posse per aliud iuvari. Quomodo vero ad eandem actionem Deus & creatura concurrant, sciunt satis Philosophi. Interim sufficientia nostra a Deo est, qui sic promovet & perficit opera nostra.

V. 6. & 7. QUI ET IDONEOS. Hoc etiam præstat Deus, ut simus Evangelii ministri: non qualescumque, sed idonei, & supra quam sub Mose: nam non littera, sed spiritu, seu non ex lege, sed ex gratia: & ex gratia legis nostræ, nempe per Christum: nec mirum; nota enim est infirmitas legis. Immo littera illa occidit, in se non habens gratiæ præsidium: premit præceptorum multitudine, & mortis præbet occasionem. Gratia vero & spiritus novæ legis bona ad vitam confert immortalem. Hinc vers. 7. argumentatur a minori, ut loquuntur Philosophi; si qua fuit gloria in ministris legis (quod ostendit in Mose) quanto magis erit in ministris Evangelicæ legis. Quod argumentum explicat & illustrat varia antithesi usque ad vers. 12. & docet excellentiorem esse novæ legis gloriam, quæ efficax est & permanet. Quid ergo de ministris, qui non proferunt cum Mose tabulas lapideas & litteram occidentem, sed gratiam & spiritum vivificantem. Quod est hic versu 7. de gloria vultus Mosis, lege cap. XXXIV. Exodi.

V. 12. HABENTES IGITUR TALEM SPEM. Ergo confidenter, inquit, evangelizamus habentes hanc prærogativam supra Mosen: nec est propterea quod velata facie loquamur verbum Dei & responsa, ut faciebat Moses Exod. XXXIV. 33. magna libertate & aperta facie promulgamus nostra: abstulit Christus velamen veteris legis, reservata virtute quæ latebat in figuris: mansit hoc velamen (vers. 14.) in cordibus Iudæorum, in quibus obtusi sunt sensus cum legunt Mosen in Synagogis; sed evacuatum in Christo & Christianis est velamen. Et ipsi Iudæi (vers. 16.) cum admiserint lumen, convertentur a littera ad spiritum. Habet quidem lex vetus in sua obscuritate proprium sibi velamen: sed velamen Iudæorum est pertinax mentis adhæsio, quia velut obstricti tenentur in crassa vel ignorantia, vel malitia.

V. 17. DOMINUS AUTEM SPIRITUS EST. Lex Mosaica timorem afferebat & servitutem: Deus autem Spiritus est residens in lege Evangelica; ubi autem est Spiritus Dei, ibi est libertas, ut non sint sub illa Christiani velut mancipia; sed qui a timore servili liberi, per amorem ducantur. Atque ita fit ut Dei caritatem serio imitantes provehantur ad maiorem indies claritatem, & ampliora bona, ut decet eos, qui spiritu Dei reguntur.

UBI SPIRITUS DOMINI, IBI LIBERTAS: ἐλευθερία. Dixi intelligi de libertate ingenua & spontanea, nempe quæ opponitur servili coactioni legis, timori & torpori. Itaque libertas hæc & ἐλευθερία, nullo modo opponitur obligationi legis humanæ vel divinæ, ut sibi persuadent libertini Novatores, qui statim atque finxerint sibi se esse prædestinatos, volunt se nullis subditos esse legibus. Sed hæc libertas hæretica est, & quam non dat spiritus Dei. Quæ hic a Paulo proponitur libertas, est legem complere non ex formidine pœnæ, sed amore

virtutis. Damnati sunt ab Ecclesia Begardi, qui ante multos annos repellebant omne verbum Dei scriptum, vana libertate spiritus contenti.

CAPUT VI.

Quod sincera Apostolorum prædicatione verbum Dei omnibus manifestatum est, præterquam iis quorum mentes excæcatæ sunt: quod multa adversa patiantur Apostoli, numquam tamen succumbant: momentanea autem tribulatio parit magnam æternamque gloriam.

1. IDeo * habentes administrationem, iuxta quod misericordiam
consecuti sumus non deficimus, 2. sed abdicamus occulta dede-
coris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum
Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosme-
tipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. 3.
Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum; in iis,
qui pereunt, est opertum; 4. in quibus Deus huius sæcu-
li excæcavit mentes infidelium, * ut non fulgeat illis il-
luminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.
5. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum no-
strum; nos autem servos vestros per Iesum: 6. quoniam Deus, qui dixit de tenebris
lucem splendescere, * ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scien-
tiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. 7. Habemus autem thesaurum istum in
vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. 8. In omni-
bus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destitui-
mur: 9. * persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non
perimus: 10. semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes,
ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. 11. Semper enim nos, qui
vivimus, in mortem tradimur propter Iesum: ut & vita Iesu manifestetur in
carne nostra mortali. 12. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.
13. Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: (a) Credidi,
propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur: 14.
scientes quoniam qui suscitavit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & consti-
tuet vobiscum. 15. Omnia enim propter vos: ut gratia abundans, per multos
in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. 16. Propter quod non deficimus:
sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est,
renovatur de die in diem. 17 Id enim, quod in præsenti est momentaneum &
leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus
operatur in nobis, 18. non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non
videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur,
æterna sunt.

(a) Psal. cxv. 1.

ERU-

BRUGENSIS

ROMANE CORRECTIONES.

Verſ. 1. *Ideo habentes adminiſtrationem*. Verbum unum *adminiſtrationem* non mutes in duo *hanc miniſtrationem*.

Verſ. 4. *Ut non fulgeat illis illuminatio*. Non auferas pronomen *illis*.

Verſ. 6. *Ipſe illuxit in cordibus noſtris*. Nec omittas *ipſe*, nec mutes cum *qui*.

Verſ. 9. *Perſecutionem patimur ſed non relinquimur*. Quod ſubiiciunt quidam libri, *humiliamur ſed non confundimus* Correctores prætereundum cenſuerunt.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. NON DEFICIMUS, ἐκκακοῦμεν; id eſt, nullis malis & afflictionibus ſuccumbimus in hac noſtra adminiſtratione. IUXTA QUOD. Græce καθὼς ἠλεήθημεν, id eſt prout miſericordiam conſecuti ſumus.

V. 2. ABDICAMUS OCCULTA DEDECORIS, id eſt occulta & ſimulata facinora; quæ manifeſta quum fiunt, ignominiam adferunt perpetranti. Arguit enim pſeudoapoſtolos, qui quum pietatis ac ſanctitatis umbram quandam præ ſe ferrent & externam ſpeciem, intus tamen eſſent impuri. ADULTERANTES. Græce eſt δολοῦντες, id eſt doloſe tractantes, ſive adulterantes, hoc eſt; falſificantes. SED IN MANIFESTATIONE VERITATIS, &c. id eſt in aperta Evangelii prædicatione COMMENDANTES. Græc. συνιστῶντες, id eſt non per hypocriſim religionem ſimulantes, ſed quales ſumus & coram Deo, & coram hominibus noſmetipſos prodentes & manifeſtantes: eſt enim συνίστημι, *notum facio ac manifeſto*. Vult enim Paulus his verbis quod non religionem palam ſimulet, clam autem mundo & carni ſerviat more pſeudoapoſtolorum: ſed qualis eſt, talis Deo & hominibus apparere velit.

V. 3. & 4. QUOD SI ETIAM. Quia prædixerat omnes revelata facie domini gloriam contemplari, præoccupat id quod ſibi opponi poſſet, dicens, ſi aliquibus incognitum eſt evangelium per eorum infidelitatem ſtare, ob quam ne agnoſcerent, illorum mentes excæcavit DEUS HUIUS SAECULI; quem hoc loco Cyrillus diabolum vocat, & Chriſtus principem mundi appellat. Chryſoſt. refert τὸ *huius ſæculi* ad τὸ *infidelium*; ut ſit ſenſus, quod Deus infidelium huius ſæculi mentes excæcavit, deferendo, ſcilicet ut non fulgeat illis, &c. ubi τὸ ut, eventum rei dicit, non cauſam.

V. 5. NON ENIM. Refertur ad id quod præceſſit, *commendantes noſmetipſos*: *non enim*, inquit, PRAEDICAMUS NOSMETIPSOS, id eſt ad gloriam & quæſtum noſtrum, ſed Chriſtum, id eſt ad Chriſti gloriam.

V. 6. DIXIT, id eſt iuſſit. AD ILLUMINATIONEM, &c. Illuxit Deus nobis, ut luceremus aliis, claramque & glorioſam ipſius cognitionem (hoc eſt enim quod vocat ſcientiam claritatis Dei) illuceſcere aliis faceremus IN FACIE CHRISTI, id eſt cognitione Chriſti, quia ipſe teſtatur, *Qui videt me, videt & patrem*: pro eo autem quod eſt *in facie Chriſti*, Græci habent ἐν προσώπῳ, id eſt *in perſona*: & hoc modo ſenſus eſſe poteſt, Illuxit Deus nobis, ut aliis cognitionem eius prædicaremus in perſona Chriſti, id eſt vice Chriſti: ſicut alibi ait: *Legatione pro Chriſto fungimur*. Græci explicant, *illuxit nobis in perſona Chriſti*, id eſt per Chriſtum, per quem nobis cognitus eſt pater: ſicut ipſe ait, *Ego te pater clarificavi ſuper terram, & manifeſtavi nomen tuum hominibus*.

V. 7. HABEMUS THESAURUM, id eſt auguſtum illud evangelicæ prædicationis munus, IN VASIS FICTILIBUS, id eſt fragili hoc corpore, UT SUBLIMITAS SIT VIRTUTIS DEI, ET NON EX NOBIS; id eſt, ne noſtris meritis tantam dignitatem tribueremus, ſed ſublimi Dei potentiæ ac virtuti, qui fictilibus vaſis tantum divinæ ſapientiæ theſaurum credere dignatus eſt.

V. 8. APORIAMUR. Græce iucunda alluſio

lusio ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι: ἀπορεῖσθαι autem significat *multa*, ut puta, dubius sum animi, consilii inops, ac perplexus sum, indigeo: ἐξαπορεῖσθαι autem ingenti rerum necessariarum inopia usque ad languorem & extremam debilitatem opprimi. Est ergo, ut allusio reddatur, Græcorum hic sensus, Rerum omnium penuria premimur, sed non opprimimur, vel laboramus egentes, non autem egestate afflicti, aut egestati succumbentes.

V. 10. & 11. MORTIFICATIONEM. Græce νέκρωσιν, quod Ambrosius interpretatur mortem. Circumferre autem mortem Iesu, est similitudine quadam mortem Christi exprimere: quod faciebat Paulus tot afflictionibus, & ut ita dicam, mortibus propter evangelium quotidie obnoxius. Circumferimus autem, inquit, UT VITA IESU MANIFESTETUR IN CORPORIBUS NOSTRIS: id est, ut dum corpora nostra ad extremam redacta internecionem & afflictionem, statim propter spem & fidem, quam in Christum habemus, vegetiora fiunt; manifestetur Christus resurrexisse & vivere, qui nos quotidie ab his periculis & mortibus eripiet. Locus sequens, SEMPER ENIM, hunc explicat; & ad eundem modum exponendus est.

V. 12. MORS IN NOBIS OPERATUR, id est vim suam exercet: ET VITA IN VOBIS, &c. Photius interpretatur vitam, fidem, & religionem, quæ in illis per apostolorum afflictiones augebatur; alii Græci interpretantur: nos morimur ob Evangelium, ut vos per illud memoriam & æternam vitam vivatis.

V. 13. & 14. EUNDEM SPIRITUM. Photius interpretatur, *habentes eundem spiritum fidei cum David de quo scriptum est Credidi*, &c. *&* *nos credimus cum illo*; in Christum scilicet & resurrectionem propter quod & loquimur & confidenter prædicamus, scientes nos fore resurrectionis illius participes.

V. 15. OMNIA ENIM; scilicet toleramus; vel omnia bona, quin & ipsa resurrectio propter vos, id est vestri ob gratiam & utilitatem fit, UT GRATIA ABUNDANS, id est exuberans Dei in vos gratia, exuberet etiam in gloriam Dei. PER MULTOS IN GRATIARUM ACTIONEM, id est multis gratias agentibus, id est, ut dum intelligitis tot vobis a Deo collata dona, pro tot exuberantibus donis in commune gratias agentes abunde Deum glorificetis.

V. 16 QUI FORIS EST; id est, etsi externus homo noster quotidie affligitur, & intermoritur in dies, tamen internus homo noster, qui spiritu constat, & renovatur & reflorescit in dies: quinimmo temporariæ & momentaneæ afflictiones quæ noxiæ a nobis plerisque existimantur, excellentissimam æternamque ac solidam gloriam nobis pariunt, qui non ad hæc visibilia, & transitoria, sed æterna, & invisibilia, mentis oculos dirigimus. PONDUS autem GLORIAE, soliditatem gloriæ indicat, ut a vana gloria distinguat: pro eo quoque quod est SUPRA MODUM ET IN SUBLIMITATE, Græc. est καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν. Epitasis est Hebræorum, quibus conduplicatio vehementiam indicat.

S A.

Verf. 1. MISERICORDIAM, scilicet electionem ad id munus DEFICIMUS, id est negligentes sumus.

V. 2. ABDICAMUS, id est reiicimus. OCCULTA DEDECORIS, id est dedecorosa, quæ solent a peccantibus occultari. ADULTERANTES. Græc. *dolose tractantes*. COMMENDANTES, id est probantes. AD; pro, apud. CONSCIENTIAM, id est iudicium. CORAM DEO, scilicet approbante.

V. 3. IN IIS; pro iis.

V. 4. DEUS: de quo Ioan. XIV. *Princeps huius mundi*, scilicet colebatur ab infidelibus diabolus pro Deo. Potest & de Deo vero intelligi, & tunc *huius sæculi* cum sequentibus iungendum: & sic intelligit Irenæus Lib. III. cap. VII. GLORIAE CHRISTI, id est quo apparet Christi gloria, seu per quod Christus glorificatur.

V. 5. SERVOS, scilicet nos exhibemus, seu fatemur. PER, id est propter.

V. 6. DIXIT, id est *iussit*, Hebr. SPLENDESCERE, scilicet cum mundi lucem creavit. SCIENTIAE, id est cognitionis. CLARITATIS, Græc. *gloriæ*. IN FACIE, scilicet relucentis. Alludit ad faciem Moysis, *Faciem* vero vocat præsentiam, seu opera.

V. 7. ISTUM, scilicet illuminationis. VASIS, &c. scilicet intra corpora fragilia. SUBLIMITAS, scilicet status nostri.

VIRTUTIS, id est potentiæ. EX NOBIS, id est nobis adscribatur.

V. 8 ANGUSTIAMUR, scilicet animo. APORIAMUR, id est periclitamur. DESTITUIMUR, scilicet a Deo.

V. 10. IESU, scilicet patientis exemplo. MANIFESTETUR, id est appareat.

V. 11. QUI; pro, dum. MORTEM, id est mortis periculum.

V. 12. OPERATUR, id est exercetur; quasi dicat, Obiicimur sæpe mortis periculis, VITA, &c quasi dicat, Vos vero Dei beneficio prospere agitis.

V. 13. EUMDEM, scilicet eum antiquis Patribus. SICUT, &c. iunge cum sequentibus. LOQUIMUR, id est confitemur quod credimus.

V. 14. NOS, id est me meosque socios. CONSTITUET, scilicet apud se.

V. 15. OMNIA, scilicet a nobis fiunt, seu a Deo. PER MULTOS, &c. pro, per multorum gratiarum actionem.

V. 16. DE DIE IN DIEM, id est in dies.

V. 17. IN SUBLIMITATE, id est excellenter. OPERATUR, id est parit.

V. 18. TEMPORALIA, id est ad tempus durantia.

MARIANAE.

Vers. 1. IUXTA QUOD MISERICORDIAM, id est pro data nobis gratia, & credita administratione. NON DEFICIMUS; id est, non cessamus laborare ob quamcumque afflictionem. Hoc agit toto hoc capite.

V. 2. OCCULTA DEDECORIS, id est occulta facinora, quæ si manifestantur, afferunt ignominiam, ea abdicamus. Pseudoapostolos taxat. NEQUE ADULTERANTES, δολοῦντες, *dolose tractantes* verbum Dei. SED IN MANIFESTATIONE, id est sincere & aperte veritatem manifestamus. ET in eo COMMENDANTES, id est probantes nos hominibus. CORAM DEO, id est vere; quasi dicat, Eam laudem habere volumus, quod sine fuco procedamus.

V. 3. QUOD SI ETIAM OPERTUM; id est, si quidam quod nos aperte tradimus, obscurum putant; ii sunt infideles huius sæculi. Non iungunt illud *huius sæculi*, cum *Deus*, sed cum *infidelium*, quod nos sequimur: sequuntur Chrysostomus & Theophylactus. Alii per *Deum huius sæculi* intelligunt diabulum, qui mentes infidelium excæcavit. Irenæus Lib. III. cap. VII. sic ordinat: *Deus excæcavit infidelium huius sæculi mentes*: & Paulum multis hyperbatis usum: ait sic non fulget in illis gloria Christi.

V. 4 QUI EST IMAGO DEI, per quem ut per suam imaginem agnoscitur Deus.

V. 5. NON ENIM NOSMETIPSOS PRAEDICAMUS, ut pseudoapostoli. SED IESUM CHRISTUM: supple, esse, DOMINUM NOSTRUM. NOS AUTEM, scilicet esse servos vestros.

V. 6. DE TENEBRIS, id est de aqua tenebrosa & turbida, ex chao, ut explicuimus Genes. 1. vers. 2. in ea verba: *Tenebræ erant super faciem abyssi*. Ergo ut Deus ex illis tenebris lucem eduxit, sic corda nostra, quæ ex se tenebrosa sunt, illustravit. IN FACIE Christi, id est vere.

V. 7. IN VASIS FICTILIBUS thesaurum habemus, id est hoc fragili corpore, ut quæ operamur, non nobis tribuantur, sed Deo.

V. 8. IN OMNIBUS. Declarat quæ sint illæ tenebræ, e quibus lucem eduxit; nempe, variæ afflictiones, quas commemorat. APORIAMUR, SED NON DESTITUIMUR, id est indigemus, *sed non opprimimur*. Gr. est paronomasia, quæ Latine explicari non potest: sed *aporiamur*, verbum Græcum est.

V. 10. MORTIFICATIONEM, seu *mortem*. Superiores afflictiones mortem seu mortificationem Christi, id est imaginem eorum quæ passus est, vocat. Porro in liberatione ab illis VITA, id est virtus Christi ostenditur. IN CORPORIBUS NOSTRIS, id est in nobis.

V. 11. IN MORTEM TRADIMUR, id est in mortis periculo versamur.

V. 12. VITA AUTEM IN VOBIS, id est quæ patimur, in vestrum commodum cedunt, ut vos vivatis.

V. 13. EUMDEM SPIRITUM FIDEI, habentes scilicet vobiscum loquimur vobis. Quid?

V. 14. QUI SUSCITAVIT IESUM. Ea est spes nostra. ET CONSTITUET VOBISCUM, scilicet in gloria nos.

V. 15. OMNIA ENIM PROPTER VOS, sci-

scilicet quæ patimur. UT .... PER MULTOS. Sic opus est ut multi gratias Deo agentes augeatis gloriam Dei.

V. 16. PROPTER QUOD: ideo ob vestrum commodum, vel ut maior sit Dei gloria, non cessamus laborare. Nam etsi corpus sit debile, interior homo, id est animus maiorem in dies concipit vigorem.

V. 17. GLORIAE PONDUS, id est solidam gloriam, non inanem operatur. IN NOBIS, seu *vobis*, ut est Græce. Quid? afflictio quam in præsenti patimur.

MENOCHII.

Vers. 1. HANC MINISTRATIONEM: tale ministerium, scilicet Apostolatus novi Testamenti, de cuius excellentia superiori capite dictum est. NON DEFICIMUS: non succumbimus; nec cedimus malis, & adversis, quæ nobis accidunt huius ministerii causa.

V. 2. SED ABDICAMUS: ἀπειπάμεθα, abnegamus, renunciamus, reiicimus. OCCULTA DEDECORA: clandestinas, & occultas fraudes, vel latebras, & elancularias artes, quibus probra sua, & flagitia obtegunt scelerati homines. Videtur nota re libidines pseudo-apostolorum, & eorum occultas voluptates, nam ut ait ad Ephes. v. 12. *Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere*. NON AMBULANTES IN ASTUTIA: ut aliud palam ostendamus, aliud occulte faciamus. NEQUE ADULTERANTES VERBUM DEI: vide dicta cap. II. 17. SED IN MANIFESTATIONE VERITATIS COMMENDANTES NOSMETIPSOS; id est, damus operam, ut non vultu, & ostentatione, sed ipsa rerum evidentia, morumque integritate omnibus probemur. AD OMNEM CONSCIENTIAM. Hoc dicit Apostolus significans se non modo fidelium, sed etiam infidelium iudicio, atque sententiæ mores, vitamque suam excutiendam relinquere, idque *coram Deo*, ipso videlicet inspectante Deo, quem nihil latet, & quem iudicem habere non recuset.

V. 3. QUOD SI ETIAM OPERTUM EST EVANGELIUM. Respicit Apostolus tum ea, quæ proxime dicta sunt, tum ea quæ habentur in fine capitis superioris: *Nos vero omnes revelata facie, gloriam Domini speculantes*; quasi dicat: Si adhuc velatum, & occultum est quibusdam Evangelium quod prædicamus, iis dumtaxat qui pereunt, id est reprobis, occultum, & velatum est.

V. 4. IN QUIBUS, id est quorum infidelium. DEUS HUIUS SAECULI: dæmon, qui etiam princeps huius mundi appellatur in Scripturis. EXCAECAVIT MENTES: tenebris infidelitatis, & vitiorum. EVANGELII GLORIAE CHRISTI: Evangelium, quod est gloria Christi, quo Christi gloria manifestatur. QUI EST IMAGO DEI; Filius enim procedit a Patre, ut imago Patris, cui simillimus est, & quem perfectissime repræsentat.

V. 5. NOSMETIPSOS: nostram gloriam quærentes. NOS AUTEM SERVOS VESTROS; scilicet profitemur. PER IESUM: propter Iesum, a quo ministerium hoc nobis iniunctum est.

V. 6. QUI DIXIT: qui iussit. LUCEM SPLENDESCERE: cum scilicet mundum creavit. ILLUXIT IN CORDIBUS NOSTRIS: lumine fidei, & cognitione mysteriorum Evangelii. AD ILLUMINATIONEM SCIENTIAE, &c. ut scilicet illuminemur a Deo, & vicissim alios illuminemus, scientia, & cognitione claritatis Dei, id est clara, & gloriosa Dei cognitione. IN FACIE CHRISTI IESU, id est in clara, vel per claram cognitionem Christi, & redemptionis eius; vulgo enim clare cognoscitur quisque per faciem. Hinc cognoscere in facie significat cognoscere clare, & aperte. THESAURUM ISTUM: ministerii Evangelii, & prædicationis mihi a Deo creditæ. IN VASIS FICTILIBUS: ὀστρακίνοις, *testaceis*, id est in corpore luteo, fragili, & caduco. UT SUBLIMITAS: ὑπερβολὴ, eminentia, quæ est in me. SIT VIRTUTIS, id est potentiæ, & virtuti Dei tribuatur, non mihi, qui nihil aliud sum, quam vas quoddam vile, & luteum.

V. 8. IN OMNIBUS TRIBULATIONEM PATIMUR; quasi dicat: Licet undique premamur rebus adversis, tamen divina potentia, & virtute nos protegente non succumbimus, nec cedimus malis. NON ANGUSTIAMUR: οὐ στενοχωρούμενοι, *non coarctati, non anxii redditi*. Syrus vertit, *premimur, sed non suffocamur*. Apostolo enim in rebus angustiis erat mens lata, ampla, & excelsa. APORIAMUR: ἀπορούμενοι, ad cuius vocis imitationem Latinus interpres dixit, *aporiamur*. Est autem ἀπορία, *inopia*, non tam rerum ad corpus spectantium, quam ani-

animi, qualem ii experiuntur, qui perplexi sunt, & ignorant in rebus difficilibus, quid consilii capere debeant. SED NON DESTITUIMUR: Deus enim nobis in hac aporia constitutis viam suggerit, & aperit, qua evadamus.

V. 9. NON DERELINQUIMUR: non destituimur divino auxilio. DEJICIMUR, SED NON PERIMUS: alludit ad vasa fictilia, de quibus dixit vers. 7. quæ si ex edito loco deiiciantur, mirum est ni in multa fragmenta dissiliant, & pereant.

V. 10. MORTIFICATIONEM IESU, &c. Sensus est: Quotidianis periculis, & ut ita dicam, mortibus expositi sumus, & per hoc passionem, & mortem Domini Iesu nos illius ministri, atque vicarii repræsentatione quadam gestamus, & circumferimus in corporibus nostris. UT ET VITA IESU, &c. nam cum Deus suos eripit e periculis, & ex ipsis quodammodo faucibus mortis, quamdam redivivi, & a mortuis resurgentis Christi speciem exhibet.

V. 11. SEMPER ENIM NOS QUI VIVIMUS, &c. quasi dicat: In media hacqualicumque vita perpetuis mortis periculis, & ærumnis exponimur Christi, & Evangelii causa. UT ET VITA IESU, &c. vide dicta vers. 10. est enim eiusdem sententiæ repetitio.

V. 12. ERGO MORS IN NOBIS OPERATUR: itaque nos periculis mortis urgemur, & exercemur. VITA AUTEM IN VOBIS: vos autem tranquilli, quieti, & securi vivitis. Vel sensus est: Vestra autem spiritualis vita per fidem, & gratiam, id est salus animæ vestræ, nostræ corporalis vitæ periculo procuratur.

V. 13. HABENTES AUTEM EUMDEM SPIRITUM, &c. quasi dicat: Sicut David tentationibus pressus, & a solo Deo ereptus dixit, *Credidi*, &c. ita & ego mihi videor posse idem Psalmistæ testimonium usurpare, cum ducar eodem spiritu, qui est auctor, & donator fidei. Vel certe *spiritus fidei* idem est ac fides, quemadmodum spiritus mansuetudinis, aut pietatis, mansuetudinem significat, & pietatem. CREDIDI; quasi dicat; Ego David cum in mediis versarer periculis, & malis, credidi tamen Deo salutem mihi promittenti; quare hoc ipsum intrepide locutus sum, me scilicet credere, nec dubitare quin ab hisce omnibus malis me Dominus eriperet. ET NOS CREDIMUS, &c. liberandos nos a malis, quemadmodum David liberatus est.

V. 14. CONSTITUET VOBISCUM: in cælesti gloria. Modestiæ causa dicit potius, Nos vobiscum, quam vos nobiscum. OMNIA ENIM PROPTER VOS: significat ad communem Corinthiorum utilitatem', non ad privatum commodum referre se labores suos, atque ideo æquum esse, ut particeps sit salutis, & gloriæ ipsorum. UT GRATIA ABUNDANS, &c. hoc est, ut in multos effusa gratia, per multas itidem personas gratiarum actionem pariat, atque diffundat, qua Deus glorificetur.

V. 16. PROPTER QUOD NON DEFICIMUS, &c. quasi dicat: Propter spem illius gloriæ, quam ex resurrectione expectamus, non succumbimus malis, quæ nobis Evangelii ministris plurima superveniunt. QUI FORIS EST NOSTER HOMO, id est corpus nostrum. CORRUMPATUR: pressuris, plagis, fame, siti, frigore, nuditate, flagellis, morbis, &c. IS QUIS INTUS EST: anima scilicet, & spiritus. RENOVATUR DE DIE IN DIEM: in dies magis proficit fide, spe, caritate, & animi alacritate ad superanda adversa.

V. 17. ID ENIM QUOD IN PRAESENTI EST MOMENTANEUM, &c. quasi dicat: Omnis nostra tribulatio momentanea est, & levis, si cum æterno illo, & gravissimo gloriæ pondere conferatur; perinde ac si pluma aliqua levissima, cum ingenti plumbi massa componatur. SUPRA MODUM IN SUBLIMITATE. In Græco est, καθ' ὑπερβολὴν, εἰς ὑπερβολὴν, quod aliqui vertunt, *secundum excellentiam*, *ad excellentiam*. Ital. diceremus, *Maggiore*, *maggiore assai*. GLORIAE PONDUS: maximam gloriam, quæ si eius naturæ esset, ut posset appendi in statera, multum illam deprimeret.

V. 18. NON CONTEMPLANTIBUS VOBIS, &c. dum scilicet non spectamus huius vitæ bona temporalia, quibus ad breve tempus frui licet in hac vita, sed ad ea cognitionem, & desiderium erigimus, quæ æternum mansura sunt.

TIRINI.

Vers. 1. IDEO, id est ob tantam (quantam præced. cap. vidimus,) ex

excellentiam muneris Apostolici, nobis misericorditer ac gratiose collati, NON DEFICIMUS in illo excollendo, socordiæ indulgentes non cessamus illud exequi, malis & calamitatibus fracti non cedimus impedire illud volentibus.

V. 2. SED palam, aperte, libere fungimur nostro munere, & ABDICAMUS; Græce, *abnegamus*, reiicimus a nobis, etiam OCCULTA DEDECORIS, id est primo, crimina seu peccata; quasi dicat: Nihil admittimus, ne occulte quidem, quod merito culpari possit. Secundo, fraudes, latebras, ambages & claneularias artes, quibus solent pseudoapostoli probra & flagitia sua obtegere: nam ut alibi *a* ait, *quæ in occulto ab ipsis fiunt, turpe est dicere*. Sed nos operam damus, ut clara & aperta VERITATIS tum doctrinæ, tum morum, MANIFESTATIONE, atque ipsa rerum evidentia omnibus probemur, etiam infidelibus, si secundum CONSCIENTIAM, & pro ut recta ratio dictar, CORAM DEO iudicare voluerint.

V. 3. QUOD si post tam claram prædicationem nostram, quibusdam ETIAM *num* OPERTUM, seu velatum, EST EVANGELIUM NOSTRUM, id non nobis, sed vitio illorum debet imputari: nullis enim OPERTUM manet, nisi IIS QUI PEREUNT *b* spon. te sua, nempe qui audire, credere, salvari nolunt.

V. 4. QUIBUS MENTES EXCAECAVIT tenebris infidelitatis & vitiorum, DEUS HUIUS SAECULI, id est diabolus, qui passim ab infidelibus pro Deo colitur: unde & *princeps huius mundi* vocatur ab ipsomet Christo *c*: ita Oecumen. & S. Thomas. Adeo autem excæcantur, ut clarissima lux & *gloriosus* splendor EVANGELII CHRISTI, (QUI EST IMAGO DEI: Filius enim a Patre ab æterno procedit ut imago ipsi simillima, ac perfectissime ipsum repræsentans; etiam in identitate eiusdem cum ipso naturæ: & consequenter Deus verus de Deo vero progenitus) cum irradiet totum orbem, & *illuminet omnem hominem d*, tamen ILLIS NON FULGEAT: quare? quia noctius, & lucem fugientibus.

V. 6. DEUS QUI DIXIT, id est iussit *e*, *depulsis* TENEBRIS LUCEM SPLENDESCERE, tum corporalem, tum spiritualem; tum in creatione ac decursu mundi, tum in quotidiana mentium nostrarum per cælestes gratias illuminatione; IPSE, neglectis iilis noctuis, ILLUXIT clarissimo lumine fidei IN CORDIBUS NOSTRIS, AD ILLUMINATIONEM SCIENTIAE, id est ut illuminemur, & vicissim alios illuminemus *scientia* CLARITATIS DEI; id est certa cognitione clarissimorum mysteriorum & perfectionum veri, unius & solius Dei, IN FACIE CHRISTI, id est per certam solidamque cognitionem Christi, eiusque conversationis, vitæ ac doctrinæ. Quod enim *in facie* cognoscitur, certo, clare, solide cognoscitur. Vita autem ac doctrina Christi deducit nos in solidam certamque notitiam Dei, divinorumque attributorum, mysteriorum & operationum: ita S. Chrysostomus cum suis. Porro

V. 7. THESAURUM ISTUM cælestis scientiæ HABEMUS IN VASIS FICTILIBUS, id est in anima quidem immortali, sed circumdata corpore luteo, fragili, caduco; UT toti orbi constet, quod SUBLIMITAS, id est excellentia quæcumque in nobis est, non nobis adscribenda sit, sed *virtuti*, id est potentiæ, sapientiæ ac bonitati DEI, inquit S. Chrysostomus. Cui etiam adscribendum, quod

V. 8. IN mediis tribulationibus NON ANGUSTIAMUR; Græce, *non coarctamur*; Syrus, *non suffocamur*. Apostolis enim etiam in arcto positis, erat mens libera, lata & excelsa. APORIAMUR; Græce, ἀπορούμενοι, id est *pressi inopia*: tum rerum externarum, tum animi & consilii: nempe caremus omni humano consilio ac solatio, SED divino NON DESTITUIMUR; Deus enim per gratiam & providentiam suam modum suggerit & viam aperit qua evadamus, inquit Ambros. & Theophyl.

V. 9. DEIICIMUR ex edito loco vasa (ut sumus) fictilia, SED, Deo manum subiiciente, non conterimur, non dissilimus in frusta, NON PERIMUS.

V. 10. MORTIFICATIONEM IESU; Gr. νέκρωσιν, id est passionem mortis, seu perpessionem extremarum miseriarum ducentium recta ad mortem, CIRCUMFERENTES IN CORPORE NOSTRO, quasi in publico theatro, similem passioni Christi, cuius nos, (utpote eius ministri ac vicarii,) ut vitam, ita & mortem lubentissime in nobis exprimimus ac repræsentamus in hoc mundi theatro: UT IN iisdem NOSTRIS CORPORIBUS, cum a mortuis rediviva re-

sur-

ſurgent, etiam ſimili modo repræſentetur in longe nobiliori theatro, VITA nuper reddita corpori IESU a mortuis reſurgenti.

V. 12. MORS IN NOBIS OPERATUR, & per continuas ærumnas ac miſerias nos depaſcitur, ſed in bonum veſtrum; nam hac via procuratur VOBIS VITA ſpiritualis, nempe ſalus animarum veſtrarum. *Sanguis* enim *Martyrum ſemen eſt Chriſtianorm*, inquit Tertull. & Ambroſ.

V. 13. HABENTES EUMDEM cum Davide SPIRITUM FIDEI, id eſt eamdem fidem ex eiuſdem ſpiritus afflatu; quaſi dicat, Sicut David multis tribulationibus immerſus dixit, CREDIDI ſemper, & adhuc credere pergo, quod Deus iuxta promiſſa ſua me ex omnibus malis liberabit; unde & illlud ipſum audacter ubique proloquor: ita ET NOS CREDIMUS, ſperamus ac confidimus; ideoque etiam animoſe atque intrepide profitemur ſpem liberationis & reſurrectionis noſtræ: ita S. Chryſoſt. Theophyl. Oecumen..

V. 14. CONSTITUET NOS Deus VOBISCUM in cæleſti gloria.

V. 15. PROPTER vos ENIM veſtramque ſalutem OMNIA quæ patienda occurrunt, libenter patimur, & quæ agenda, ſtudioſe agimus, non noſtra privata commoda, ſed commune ſemper bonum ſpectantes. Unde etiam æquum eſt, nos eiuſdem vobiſcum ſalutis ac gloriæ participes reddi. UT GRATIA ABUNDANS & in multos effuſa, PER MULTOS etiam pariat GRATIARUM *actionem* DEO.

V. 16. QUI FORIS EST NOSTER HOMO, id eſt corpus noſtrum, CORRUMPITUR fame, ſiti, frigore, nuditate, morbis, flagellis, aliiſque ærumnis: SED IS QUI INTUS EST, id eſt ſpiritus, RENOVATUR & proficit per hæc continuo in virtutibus, interno robore & alacritate, ad plura in dies ferenda ac ſuperanda. Scit enim

V. 17. QUOD MOMENTANEUM ET LEVE TRIBULATIONIS NOSTRAE inſtar plumæ *ſit* reſpectu immenſi *ponderis* GLORIAE, quod SUPRA MODUM IN SUBLIMITATE; Græce, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, id eſt *ſecundum excellentiam in excellentiam*, id eſt excellenter excellentem, & ſublimiſſimam gloriam OPERATUR moraliter & meritorie, id eſt cauſat IN NOBIS, non ad unum alterumve ſæculum, ſed in AETERNUM.

V. 18. NON CONTEMPLANTIBUS, id eſt non ſpectantibus, non curantibus, NOBIS bona ſeu mala huius vitæ QUAE VIDENTUR, & non niſi breviſſimo durant tempore: SED animum attollentibus ad ea QUAE *necdum* VIDENTUR, ſed certo obventura, & AETERNUM nobiſcum manſura ſunt; ita S. Chryſoſt. & Theodoret.

(a) Epheſ. v. 12.
(b) Hic cap. II. 15.
(c) Ioan. XIV. 30.
(d) Ioan. I. 9.
(e) Gen. I. 3.

GORDONI.

Verſ. 1. IDEO HABENTES ADMINISTRATIONEM. Talem ſe vitam agere profitetur, qualis decet Apoſtolum: non ſuccumbit adverſis, *non deficit*; fraudes, occultas artes & flagitia ſecreta deteſtatur, (mores pſeudoapoſtolorum taxat) non aliud occulte, aliud publice gerimus, ſynceri miniſtri. Quod ſi (verſ. 3.) adhuc eſt poſt hanc noſtram diligentiam occultum Evangelium, hoc illis obvenit, qui pereunt, & velatum cor habent: quorum mentem Dæmon (vocat Deum huius ſæculi] excæcavit, ne luceat illis Evangelium Chriſti, qui eſt IMAGO DEI, (verſ. 4.) & filius ab æterno procedens. Hic locus eſt Theologicus ad probandam filii divinitatem, & pulcherrimum ordinem divinæ providentiæ oſtendit: mundus illuminationem accipit ab Apoſtolis, & veram lucem: hi a Chriſto, Chriſtus a Deo, ut homo quidem in tempore; & ut Dei filius per æternam generationem. Quomodo filius ſit imago patris, vide ad Hebr. cap. I. 5.

V. 5. & 6. NON ENIM NOSMETIPSOS: Ac ſi diceret: Hoc ſane agimus in hoc munere, non ut noſtram quæramus gloriam; ſed Chriſtum prædicamus, & hunc a vobis eſſe colendum: nos vero eſſe ſervos veſtros ut ſalvemini. SERVOS PER IESUM, hoc eſt, propter eum: nam διὰ cum accuſativo ſic communiter accipi ſolet, quicquid ſit de atticiſmo. *Lumen* SPLENDESCERE. Reſpicit ad locum Gen. I. 2. *Fiat lux:* ſic ipſe, ILLUXIT IN CORDIBUS, per lumen fidei, gratiam iuſtificantem & myſteriorum cognitionem.

V. 7. 8. &c. HABEMUS AUTEM THESAU-

SAURUM. Hac quasi altera parte cap tis dicere incipit Apostolos multa se pro E. vangelio pati adversa, nec succumbere. Habemus quidem thesaurum istum, & creditum nobis Evangelii ministerium in vasis fictilibus, & corpore caduco, ubi tamen si qua in nobis est excellentia, hoc totum a Deo est; qui etiam nos tuetur. Hinc est quod subdit vers. 8. TRIBULATIONEM PATIMUR, SED NON ANGUSTIAMUR; non ita premimur angustiis, ut non remaneat mens excelsa pro Christo: *non* DESTITUIMUR a Deo: *non* APORIAMUR: ἀπορία, *inopia* est ἀπρούμενοι. Noster inde ducere voluit τὸ aporiamur: & proprie ad consilii inopiam spectat. Sic etiam vers. 10. mortificationem Christi circumferentes passionem & adversa quæ pertulit, imitatione gestamus, quod est manifestare vitam Christi perferendo hæc mala.

V. 12. ERGO MORS IN NOBIS OPERATUR; quasi diceret, Hæc patimur, ut vestram procuramus salutem: hanc vim habet hæc antithesis: nos mortis periculis obiicimur, dum vestra & aliorum salus procuratur, & securi vivitis, quod magis explicant 15. & 16. versiculi.

V. 13. HABENTES AUTEM EUNDEM SPIRITUM. Credimus, & aperte loquimur fore ut Deus nos protegat & salvet. Si enim David Psal. cxv. credidit Deo in mediis periculis, & ereptus locutus est agnoscendo acceptam gratiam, cur non etiam nos eodem spiritu, & gratia fidei repleti, intrepide profitebimur nos hactenus liberatos, & deinceps liberandos a Deo, qui (ex vers. 14.) nos vobiscum constituet in gloria.

V. 15. & 16. OMNIA ENIM PROPTER vos. Et cur non optabo vobiscum gloriam, qui omnia persero libenter vestra causa, ut tandem his malis ereptus vobis restituar, & abundante in vobis Dei gratia, gratias illi referamus ad maiorem Dei gloriam.

V. 16. 17. & 18. PROPTER QUOD. Spes gloriæ futuræ ex resurrectione concepta ita nos tenet erectos, ut nullis succumbamus tentationibus; & quamvis secundum exteriorem hominem, & corpus adsint plagæ, fames, nuditas & flagella, tamen interior homo, & spiritus renovatur quotidie. Et quidem causa nulla est, cur non sic stemus: cum tota hæc tribulatio sit momentanea, & plane levis, si cum æterno gloriæ pondere comparetur: momentum est, & unde pendet æternitas: hæc meditantibus tribulatio externi hominis est consolatio hominis interioris.

Æternum gloriæ pondus operatur. Operatur, & non quidem physice: moraliter vero in genere efficientis operamur gloriam operatione meritoria. Ergo corrumpit textum Beza, cum vult hic tantum designari itineris ordinem; dum itur, inquam, ad gloriam per tribulationes. Inepte: quis enim usquam dixit ordinem itineris, aut viam operari terminum, profectio quidem seu operatio qua tendimus, assequitur, & operatur suo modo terminum. Ordo vero vitæ nil operatur, non efficit, non κατεργάζεται: accedit porro dignitas operis: (quæ nulla est in illo ordine) quamvis enim passiones nostræ ut sunt naturales vim non habeant merendi, tamen ut sunt a gratia dignitatem habent supernaturalem.

CAPUT V.

Ex certa spe suonra gloriæ desiderant Apostoli absolvi a corpore, cum aliter ea frui non possint: semper autem cupientes Christo omnium iusto iudici placere; dant suis discipulis occasionem de ipsis gloriandi coram adversariis: & legatione pro Christo fungentes, ne ipsum quidem Christum, quem prædicant, & cuius morte reconciliatus est Deo mundus, iam secundum carnem noverant.

1. SCimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius ha-
bitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habe-
mus, domum non manufactam, æternam in cælis. 2. Nam
& in hoc ingemiscimus, (*a*) habitationem nostram, quæ
de cælo est, superindui cupientes: 3. si tamen vestiti, non
nudi inveniamur. 4. Nam & qui sumus in hoc tabernacu-
lo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus expoliari, sed su-
pervestiri; ut absorbeatur quod mortale est, a vita. 5. Qui
autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. 6. Audentes
igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domi-
no: (7. per fidem enim ambulamus, & non per speciem) 8. audemus autem, &
bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad
Dominum. 9. Et ideo contendimus, sive absentes, sive præsentes, placere illi. 10.
(*b*) Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unus-
quisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 11. Scientes er-
go timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spe-
ro autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse. 12. Non iterum com-
mendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut ha-
beatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde. 13. * Sive enim
mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis. 14. Caritas enim Christi
urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo
omnes mortui sunt: 15. & pro omnibus mortuus est Christus: ut, & qui vi-
vunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.
16. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovi-
mus secundum carnem Christum: sed nunc iam non novimus. 17. Si qua er-
go in Christo nova creatura, vetera transierunt: (*c*) ecce facta sunt omnia
nova. 18. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum: &
dedit nobis ministerium reconciliationis: 19. quoniam quidem Deus erat in
Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & po-
suit in nobis verbum reconciliationis. 20. Pro Christo ergo legatione fungi-
mur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconci-
liamini Deo. 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fe-
cit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

(a) Apoc. xvi. 13. (b) Rom. xiv. 10. (c) Isaiæ xliii. 16. Apoc. xxi. 5.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIO.

Verf. 13. *Sive enim mente excedimus, Deo.*

In quibusdam libris pro *excedimus*, a cedo, est *excidimus*, a cado, id est vocalis tertia pro secunda.

C O M M E N T A R I A

GAGNAEI.

Verf. 1. TERRESTRIS DOMUS; id est, si terrenum hoc opus dissolvatur, id est intereat, habemus in spe ædificationem aliam, ET DOMUM IN CAELIS NON MANUFACTAM; quam domum quidam glorificatum corpus, quidam vitam æternam intelligunt.

V. 2. & 3. NAM ET IN HOC. Græc. ἐν τούτῳ, id est vel in hoc corpore, vel propter hoc, quia speramus æternam domum, INGEMISCIMUS CUPIENTES HABITATIONEM NOSTRAM, QUAE DE CAELO EST, id est animam nostram, quæ ad imaginem Dei creata est, & tota cælestis", gloria æterna superindui; si tamen vestiti fide ac bonis operibus & non nudi inveniamur: vel intellige habitationem nostram cælestem, corpus gloriosum quod tale de cælo futurum est.

V. 4. IN HOC TABERNACULO, id est in hoc corpore caduco & fragili. EO QUOD NOLUMUS; hoc est, non quod velimus spoliari, & hoc corpore in perpetuum privari; sed illud magis immortali gloria supervestiri; ut per apprehensionem vitæ æternæ absorbeatur ipsius corruptio & mortalitas.

V. 5. EFFICIT. Vel ut Græci legunt *effecit* IN HOC IPSUM; id est, in hunc finem creavit, ut immortales & incorruptibiles essemus, & gloriæ ipsius participes. DEUS; sub. est qui nos in hoc ipsum effecit. PIGNUS, id est gratiam suam, quæ est pignus & arrabo futuræ immortalitatis & gloriæ, modo eam sollicite custodierimus.

V. 6. 7. & 8. AUDENTES IGITUR; id est, quapropter de hac immortali gloria confidentes, nec ignari quod quamdiu in hoc corpore sumus PEREGRINAMUR, id est longe absumus a Domino, quippe qui PER FIDEM AMBULAMUS, ET NON PER SPECIEM, id est ænigmaticam tantum in fide, & non claram in sua specie & essentia Dei cognitionem habemus, confidenter optamus peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum: hoc est, quod alibi dicit, *Cupio dissolvi & esse cum Christo:* hoc vero loco: AUDEMUS AUTEM: τὸ autem, similiter & Græcum δ παρέλκει superfluit, ut plerunque solet.

V. 10. PROPRIA CORPORIS, id est ea quæ in corpore vivens egit.

V. 11. HOMINIBUS SUADEMUS, sub. hunc timorem. Theophyl. interpretatur suademus, id est servimus, atque illis nos accommodamus, ne quem offendamus. DEO AUTEM: id est, quales sumus, Deus novit: spero autem quod in conscientiis vestris manifesti sumus, id est quod plane nos ipsi nostis.

V. 12. NON ITERUM, id est non gloriam a vobis quærimus, sed occasionem damus vobis nostro nomine gloriandi adversus pseudoapostolos; ut habeatis sub. occasionem gloriandi adversus eos, QUI IN FACIE GLORIANTUR, ET NON IN CORDE, id est qui externam tantum & fallacem non veram cordis gloriam quærunt: in facie enim idem sonat, quod in speciem.

V. 13. MENTE EXCEDIMUS. Græc. ἐξέστημεν, id est, si rationis limites egressi magnificentius aliquid ac divinius loquimur; vel etiam de nobis magnifice sentiamus, DEO, id est ad Dei honorem, sub. id facimus, id est ne de doctrina ipsius nobisque ministris abiectius sentiatis: SIVE SOBRII SUMUS. Græce σωφρονοῦμεν, id est modesti sumus, ac modum servantes ad mediocria nos & humilia dimittimus. VOBIS, id est propter vos id facimus, ut vos modestos esse doceamus.

V. 16. NEMINEM NOVIMUS SECUNDUM CARNEM; id est, nullius affinitatem spectamus, nullius carnalem præsentiam vereremur, aut reveremur; qui omnibus ex æquo prodesse cupimus; & si novimus ali-

quando

quando Christum *secundum carnem*, id est carnalem ipsius viventis præsentiam reveriti simus, sed iam nunc non novimus, id est non ea ratione eum veneramur, qui visibili corpore præsens esse desierit; in persona autem Apostolorum magis quam sua loquitur. Græca scholia explicant, *non novimus ipsum secundum carnem*, id est naturalibus carnis affectionibus obnoxium, ut fatigationi, esuriei, siti, non qualis ante resurrectionem erat. Vult ergo Paulus, quod quemadmodum Christus resurgens non iam secundum carnem vivit, id est carnis naturalibus affectionibus obnoxius, ita neque nos postquam cum eo ad vitæ novitatem per baptismum resurreximus, voluntariis & perversis carnis affectionibus vivere oportet, neque in eiusmodi ambulantes nosse & approbare.

V. 17. SI QUA ERGO. Græce εἴτις ἐν χριςῷ καινὴ κτίσις, & potest duplex esse sensus; primus, si qua est in Christo nova creatura; id est, si quis in Christo per baptismum renovatus est, quantum ad illum attinet vetera transierunt, ut neque iam vetera delicta sequi, neque vetustæ legi parere debeat: vel si quis in Christo est, id est qui in Christum credit, nova creatura est: illi vetera transierunt.

V. 18. REPUTANS, id est imputans.

V. 19. POSUIT IN NOBIS; id est, Evangelium remissionis peccatorum & reconciliationis nobis prædicandum commisit.

V. 21. PECCATUM FECIT, id est peccati nostri expiatricem victimam, & piacularem hostiam fecit, ut nos essemus iustitia Dei & iustificatio, hoc est, iustificati a Deo in ipso, id est per ipsum.

S. A.

Verf. 1. DOMUS, scilicet corpus. HABITATIONIS. Græc. *tabernaculi*. AEDIFICATIONEM; pro, ædificium.

V. 2. IN HOC, scilicet tabernaculo. HABITATIONEM, scilicet gloriam cælestem. DE CAELO, id est cælestis.

V. 3. SI TAMEN, &c. quasi dicat, Si tamen nobis tantum bonum contigerit.

V. 4. GRAVATI, scilicet mundi miseriis. EO QUOD NOLUMUS; pro, nec vellemus, scilicet si fieri posset. EXPOLIARI, scilicet corpore. UT ABSORBEATUR, &c. id est sic ut mortalitas per immortalitatem auferretur non morientibus.

V. 5. EFFICIT. Græc. *effecit*, id est paravit; seu destinavit. IN HOC, scilicet ut faciat immortales. DEUS, scilicet est. PIGNUS, scilicet arrham.

V. 6. AUDENTES, id est confidentes. PEREGRINAMUR A DOMINO, id est longe agimus a Dei visione & felicitate.

V. 7. SPECIEM, id est visionem speciei, seu faciei.

V. 8. AUTEM; pro, inquam. BONAM VOLUNTATEM HABEMUS; quasi dicat, Optamus.

V. 9. ABSENTES, scilicet ab eius visione. PRAESENTES, id est cum ei sistemur.

V. 10. PROPRIA CORPORIS, id est acta, dum viveret in corpore.

V. 11. SCIENTES, &c. id est Deum timentes. SUADEMUS, id est probari studemus. Vide Gal. 1. IN CONSCIENTIIS VESTRIS, id est apud vos.

V. 12. PRO NOBIS, id est nostri causa. HABEATIS, scilicet quid dicatis, vel unde gloriemini. AD EOS, id est apud eos. IN FACIE, id est exterius. IN CORDE; quasi dicat, Cum tamen in conscientia sua non habeant unde glorientur.

V. 13. DEO, id est ad Deum. SOBRII SUMUS, id est nos demittimus, seu attemperamus. VOBIS, scilicet ex caritate facimus.

V. 14 CHRISTI, id est in Christum. URGET, id est compellit, scilicet ita facere. AESTIMANTES, id est animo reputantes. MORTUI SUNT, scilicet peccato & velut mortuos vivere oportet ceteris rebus, solique Christo vivere.

V. 15. ET; pro, *pro*. Nam *pro*, Hebr.

V. 16. EX HOC, scilicet tempore. NOVIMUS, &c. id est cogitamus ut mortalem, sed immortalem.

V. 17. SI QUA; pro, si quis est. VETERA, id est quæ veteris hominis.

V. 18. NOBIS, scilicet Apostolis. RECONCILIATIONIS, scilicet prædicandæ, & quodammodo perficiendæ.

V. 19. REPUTANS, id est imputans. VERBUM, id est prædicationem, seu negotium.

V. 20. PRO CHRISTO, id est loco Christi. EXHORTANTE. Verti poterat *consolante*.

V. 21. NOVERAT, id est fecerat. PEC-

catum fecit, id est hostiam pro peccato: Aug. ep cxx. Iustitia Dei, id est iusti coram Deo, seu, per Dei iustitiam. In ipso, id est per ipsum.

MARIANAE.

Vers. 1. Si terrestris domus, id est corpus. Dixerat se ad superna contendere; id prosequitur. Aedificationem, id est domum habemus in caelis.

V. 2. Nam et in hoc, scilicet *tabernaculo qui sumus*, ut supplet Gotth. ingemiscimus aliud sperantes.

V. 3. Si tamen, supple, quod contingit, si vestiti, scilicet bonis operibus inveniamur.

V. 4. Eo quod nolumus expoliari, scilicet corpore. Haec pugna causat gemitum, mori nolumus, gloriam cupimus, & gloria sine morte non contingat.

V. 5. Qui autem efficit, aut *effecit*, ut est Graece, id est, nobis id praemium proposuit. Deus scilicet est, nec solum id proposuit, sed dedit Pignus. Gr. ἀῤῥαβῶνα, id est gratiam quae simul est pignus & pars futurae retributionis.

V. 6. Audentes, id est hac fiducia, quia dum hic sumus, peregrinamur, cupimus peregrinari, id est relinquere corpus, ut Deo assistamus.

V. 8. Audemus autem. *Autem* redundat.

V. 9. Sive absentes, sive praesentes. Quomodo *praesentes* qui sumus peregrini? Syr. vertit, *sive peregrini, sive incolae*, id est in omni statu cupimus placere Deo.

V. 10. Propria corporis. Τὰ ἴδια σώματος: sic Regia. Plerique alii codices Graece, διὰ σώματος, *per corpus*. Sensus idem, recepturum quemque speramus quae in corpore vivens fecit. Omnes nostrae actiones corpore egent.

V. 11. Timorem Domini, id est quam timendus sit Deus. Hominibus suademus, scilicet ut illum timeant: πείθομεν, quod *suadere* significat & *obedire*. Ergo ob timorem Dei servimus hominibus: sic Theophylactus. Deo autem, id est quales sumus Deus novit. In conscientiis vestris; id est, scire vos quo animo operemur & scribamus spero & confido.

V. 12. Gloriandi pro nobis, id est haec dicimus ut habeatis quod pseudoapostolis obiiciatis. Qui in facie gloriantur, id est ficte, non vere.

V. 13. Sive enim mente excedimus, id est ad sublimia mente rapimur contemplatione, id fit in honorem Dei sive ad humana verba & actiones nos dimittimus, vestrum commodum spectamus.

V. 14. Ergo omnes mortui sunt, id est sibi mori debent, ut Christo vivant, non sua quaerere.

V. 16. Neminem novimus; id est, nullius affinitate movemur, non ducimur carnis affectu etiam erga Christum, ut ante faciebamus, & ut alii faciunt. Nudam Dei gloriam quaerimus. Et si cognovimus secundum carnem Christum. Cassianus III. de Incarnatione id dicit, quia iam non tantum hominem, sed Deum esse cognovit.

V. 17. Si qua ergo. Si quis per Baptismum est innovatus, veteri relicta vita novam sequatur. Omnia quae dixi ex Deo sunt, qui mihi dedit

V. 18. Ministerium reconciliationis, scilicet ut per nostram praedicationem homines Deo conciliarentur.

V. 19. Non reputans; pro, imputans delicta, condonans.

V. 20. Tamquam Deo exhortante per nos, obsecramus. Hadrianus I. contra librum Caroli Magni de Imag. ex his verbis probat, recte dici: *rogamus vos, & rogat Deus*.

V. 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Augustinus in Enchir. cap. xv. ait legendum, *pro nobis peccatum fecit Deus*. Ego eius lectionis vestigium non invenio: sed bene suppletur vox *Deus*. Ut non efficeremur iustitia Dei, id est ut per Christum consequamur iustitiam erga Deum.

MENOCHII.

Vers. 1. Si terrena domus nostra, &c. si corpus hoc nostrum per mortem dissolvatur. Habitationis: τῆς σκήνης, *tabernaculi*, ad breve enim tempus sumus in hac vita, quasi in tabernaculo, more eorum qui fixam domum non habent,

bent, sed Nomadum more vivunt in tabernaculis. DOMUM NON MANUFACTAM: corpus resurrectione glorificatum. HABEMUS: habebimus.

V. 2. IN HOC INGEMISCIMUS: quod scilicet exuendi simus hoc tabernaculo per mortem, quæ naturæ molesta est, & acerba. HABITATIONEM NOSTRAM, QUAE DE CAELO EST, &c. optaremur enim superindui gloria, non spoliari vita.

V. 3. SI TAMEN VESTITI, NON NUDI INVENIAMUR; sensus est: Nobis continget non dissolvi, non mori, quod naturaliter abhorremus, & propter quod gemimus, sed gloria superindui, quod tantopere cupimus, si inveniamur in fine mundi residui, nondumque mortui, sed vestiti corpore, non eo nudati; tunc enim vel non moriemur, vel non nisi ad breve tempus, statimque corpus resumemus.

V. 4. QUI SUMUS IN HOC TABERNACULO]; scilicet corporis. INGEMISCIMUS GRAVATI: ob sarcinam huius corporis. EO QUOD NOLUMUS EXPOLIARI: eam enim ferre porro volumus, & licet pondus sentiamus, tamen levari hoc pondere nolumus, sed potius sub illo genere sustinemus. SED SUPERVESTIRI: gloria. UT ABSORBEATUR QUOD MORTALE EST A VITA: & cupimus retinere corpus hoc nostrum mortale; ita tamen ut in æternam illam gloriam translatum, mortalitatem amittat.

V. 5. EFFICIT NOS: qui nos ad hunc ipsum finem condidit, ut beata, & sempiterna vita perfruamur: qui nos format, componit, & facit ita vivere, ut digni simus qui ad immortalitatem transferamur. QUI DEDIT NOBIS PIGNUS SPIRITUS, id est Spiritum, qui est pignus, & arrha futuræ gloriæ.

V. 6. AUDENTES IGITUR SEMPER; scilicet, sumus. Audemus, confidimus, pericula, & mortem non reformidamus. PEREGRINAMUR A DOMINO: itaque dura toleramus, nec huius sæculi voluptatibus capimur, quia ad cælestem patriam festinamus.

V. 7. AMBULAMUS: ad cælestem patriam fide duce. ET NON PER SPECIEM: quia scilicet nec dum ipsam speciem, id est naturam, & pulchritudinem Dei in se contemplamur facie ad faciem.

V. 8. BONAM VOLUNTATEM HABEMUS: εὐδοκοῦμεν, libenter amplectimur, & bene nobiscum agi putamus, si a corpore migremus ad Dominum.

V. 9. SIVE ABSENTES, SIVE PRAESENTES, id est ut & in vita, & in morte illi placeamus.

V. 10. PROPRIA CORPORIS: mercedem eorum, quæ gessit in corpore.

V. 11. SCIENTES ERGO TIMOREM DOMINI, &c. id est, quia scimus timendum esse Dominum iudicem, & vindicem, ideo hunc ipsum timorem hominibus suademus. DEO AUTEM MANIFESTI SUMUS; quasi dicat: Deus scit me sincere ipsum timere, & timorem hunc aliis suadere. SPERO AUTEM, &c. id est, spero etiam vos de nobis in animo vestro bene sentire.

V. 12. NON IGITUR COMMENDAMUS NOS VOBIS: idcoque non hæc scribo, ut me, aut mea commendem, aut laudem. GLORIANDI PRO NOBIS: ut qui ab eo in fide, & doctrina Christiana instituti sitis, in quem nulla merito cadat reprehensio. UT HABEATIS; scilicet occasionem gloriandi. AD EOS: contra eos. QUI IN FACIE GLORIANTUR: ἐν προσώπῳ, in iis quæ sub aspectum cadunt, non in veris, solidisque virtutibus. ET NON IN CORDE: & non ita sentiunt in corde, ut foris de se prædicant; non tales interius se vident, quales foris videri volunt.

V. 13. SIVE ENIM MENTE EXCEDIMUS, DEO: sive de nobis ita magnifice loquimur, ut quodammodo insanire videamur, id Dei causa facimus. In Græco est, ἐξέστημεν, quod bene verti posset, *mente excidimus*. SIVE SOBRII SUMUS: in sermone scilicet & laudibus nostris. VOBIS: id fit vestri causa, ut vobis modestiæ exemplo simus, vel ne vos offendamus, & obtrectandi materiam, & ansam præbeamus.

V. 14. CARITAS ENIM CHRISTI URGET NOS: ut omnia in honorem Dei, & commodum vestrum faciamus. AESTIMANTES HOC, &c. κρίναντες, *iudicantes*, *statuentes*. Sensus est: Qui statuimus, ac pro certo ponimus Christum pro omnibus mortuum esse, atque adeo omnes homines morti æternæ obnoxios fuisse. ET PRO OMNIBUS MORTUUS EST CHRISTUS, &c. quasi dicat: Consequens igitur est, ut qui hanc vitam a Christo hauserunt, illam ei acceptam referant, & iam non sibi, non suæ gloriæ, aut voluntati vi-

vivant, sed eius, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

V. 16. Ex hoc; scilicet tempore; in Græco enim est, ἀπὸ τοῦ νῦν, *ex nunc*, ex hoc tempore. Neminem novimus secundum carnem, id est, speciem externam, scilicet quod nobis cognatus sit, amicus, Iudæus, nobilis, doctus, &c. His affectibus naturalibus mortuus sum, quia in Christo regeneratus, illi soli vivo, & omnes in ipso secundum caritatis spiritum amo, non secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum &c. id est, si aliquando magnum, & gloriosum putavimus, quod Christus secundum carnem gentilis noster esset, & quod essem Iudæus, ut ille; iam illis terrestribus affectibus mortui sumus, & de Christo augustius sentimus, & eum tantum novimus secundum spiritum, id est ut hominem divinum, orbis redemptorem, auctorem gratiæ, & salutis, atque ut tali vivimus, & servimus, talemque orbe toto prædicamus.

V. 17. Si qua ergo in Christo nova creatura: quare si quis mecum est in Christo regeneratus, & quasi in alium hominem, & novam creaturam recreatus, & transmutatus. Vetera transierunt: Hic veteres affectus, & vetera iudicia exuit, simul cum veteribus ritibus, & omnis vetustas in novitatem commutata est.

V. 18. Omnia autem: nova iam dicta. Ex Deo: ex Dei donatione, & gratia facta, & data sunt. Ministerium reconciliationis: ut, scilicet per nostram prædicationem persuadeamus hominibus Christi fidem, & pœnitentiam novam, & Christianam vitam, & ita ipsos Deo reconciliemus. Deus erat in Christo: Christus enim erat homo, & Deus. Mundum: genus humanum. Non reputans illis delicta ipsorum, id est per Christum remittens. Et posuit in nobis verbum reconciliationis: prædicationem, scilicet verbi Dei: quo Deo hominem reconciliemus. Vel, *verbum*, idem significat ac rem, ut non aliud sit verbum reconciliationis, quam ipsa reconciliatio, sive potestas, & ministerium homines Deo reconciliandi.

V. 20. Pro Christo, id est vice, & loco Christi, & ut alibi loquitur, *in persona Christi*, cuius Apostoli sumus. Quasi Deo exhortante per nos: ita enim dixerat Matth. x. 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Obsecramus pro Christo; quasi dicat: Obsecramus vice Christi, & quasi eius legati vos rogamus, ut velitis Deo reconciliari.

V. 21. Eum qui non noverat peccatum; quasi dicat, Tanta enim Dei benignitas, & misericordia fuit in nos, ut filium suum, qui nullum umquam peccatum admiserat, pro nobis traderet. Pro nobis peccatum fecit, id est hostiam pro peccato. Iustitia Dei: iusti coram Deo, seu, per Dei iustitiam. In ipso: per ipsum.

TIRINI.

Vers. 1. Si quando terrestris domus nostra, id est mortale corpus nostrum, morte *dissolvitur* ac destruitur, habemus ex Deo aliam aedificationem, id est ædificium, seu domum animæ nostræ præparatam non manu humana, sed divina; non caducam, sed æternam, non in terris, sed in caelis, scilicet gloriam cælestem, quam velut splendidissimum palatium *a* statim a morte, si nil purgandum supersit, ingrediemur, iuxta illud, *Intra in gaudium Domini tui*: ita Photius, Oecumen. Anselmus, S. Thomas & Lyranus. Ex quo loco, ut & ex vers. 8 contra Tertullian. Græcos, Armenos, Lutherum & Calvinum, patet, animas sanctas pleneque purgatas statim a morte frui gloria cælesti.

V. 3. Si tamen vestiti in altera vita, & non nudi inveniamur; quasi dicat: Certum est, Sanctos, postquam demigrarint ex hac vita, etsi corpore spolientur ad tempus, non tamen ideo omni veste carituros: nam vestientur cælesti gloria: quam ut ante comparavit palatio, nunc comparat vesti: ita Tertull. Sed Chrysost. cum suis, Ambros. & Theodoretus per vestem intelligunt caritatem, gratiam iustificantem & bona opera.

V. 4. Gravati miseriis huius vitæ ingemiscimus sub sarcina: eo quod; Græce, ἐφ' ᾧ, id est *in quo* statu, etsi miserrimo constituti, nolumus exspoliari corpore, sed vellemus, si fieri posset, supervestiri, id est sine media mortis corru-

pus indui gloria & dotibus *b* gloriosis, UT QUOD MORTALE EST, id est mortalitas & imperfectio corporis, ABSORBEATUR A VITA & gloria immortali: ita S. Chrysost. & Anselmus.

V. 5. QUI AUTEM EFFICIT: Græce, *effecit*, condidit, destinavit, NOS IN HOC IPSUM, ut simus aliquando gloriosi & immortales, est DEUS; quasi dicat: Ergo voluntate & decreto Dei debemus esse contenti, qui non vult immortalitatem & gloriam cælestem nobis nisi mediante morte conferre; sed DEDIT NOBIS PIGNUS SPIRITUS; id est, dedit nobis in iustificatione Spiritum sanctum, qui est pignus & arrha obventuræ nobis olim gloriæ & immortalitatis: quod pignus si ad finem usque vitæ couservemus, certo nobis illæ obvenient: ita Ambrosius. Unde &

V. 6. AUDENTES sumus; id est, audacter confidimus nos accepturos aliquando illam gloriam, ideoque pericula & molestias omnes, & mortem libenter subimus, immo optamus, inquit Theophyl. Neque enim sumus hic in patria, sed in exilio, & PEREGRINAMUR, id est instar peregrinorum longe agimus A DOMINO, id est procul absumus a visione & fruitione Dei, veraque felicitate.

V. 7. Solum ENIM AMBULAMUS hic PER FIDEM, seu per obscuram & abstractivam cognitionem, ET NON PER SPECIEM, seu intuitionm ipsiusmet Dei rerumque divinarum ut in se sunt. Unde &

V. 8. AUDEMUS, id est audacter inhiamus & BONAM VOLUNTATEM HABEMUS; Græce, εὐδοκοῦμεν, id est pro grato, charo & accepto habemus, si ex loco & e CORPORE migremus in patriam, & PRAESENTES ibi sistamur *Domino*. Audin, *præsentes Domino?* ergo a morte & plena purgatione non recluduntur animæ in nescio quibus cavernis, quas fingunt supracitati *c* sed *præsentes* sunt *Domino* & fruuntur gloria cælesti.

V. 9. IDEO CONTENDIMUS PLACERE Domino, non solum quando illi PRAESENTES erimus *& incolæ cæli*, ut est in Syro: sed etiam nunc quando ABSENTES adhuc sumus, &, ut Syrus vertit, *peregrini*, & incolæ terræ.

V. 10. PROPRIA CORPORIS vocat mercedem errorum quæ quisque gessit in corpore mortali: nam agit de solis adultis.

V. 11. SCIENTES ERGO ad prædictam æternæ gloriæ mercedem obtinendam necessarium esse ante omnia TIMOREM DOMINI iusti iudicis & vindicis futuri, ideo etiam hunc ipsum timorem ante omnia SUADEMUS HOMINIBUS; DEO AUTEM MANIFESTI SUMUS; id est, Deus quem nil potest latere, scit me sincere & candide agere, etsi non laudem.

V. 12. UT HABEATIS OCCASIONEM GLORIANDI PRO, seu de, NOBIS *apud* pseudoapostolos aliosque hypocritas, QUI solum IN FACIE, id est exterius, quædam laudanda faciunt, & inde GLORIANTUR, cum IN CORDE, id est in conscientia sua nil habeant unde gloriari possint, propter *occulta dedecora*, de quibus supra *d*.

V. 13. SIVE ENIM MENTE EXCEDIMUS, Græce, ἐξέστημεν, id est quasi extatici & mente alienati abripimur, nempe multum laudando nos ipsos, & nostra iactando (quod insanorum esse videtur;) DEO, id est ad Dei honorem id facimus, scilicet, ut nos nostraque monita vobis probemus, & sic vos Christo lucremur. SIVE SOBRII SUMUS in sermone & laudibus propriis, VOBIS, id est in vestri quoque gratiam id facimus, ut nempe modestiam & humilitatem vos doceamus, inquit S. Chrysost. Ambros. Anselmus.

V. 14. CARITAS ENIM CHRISTI URGET NOS, ut nostra omnia in honorem Dei & commodum vestrum referamus.

V. 16. EX HOC nunc, (ut est in Græco,) id est exinceps, NEMINEM NOVIMUS SECUNDUM CARNEM; id est, nihili æstimamus mortales omnes & quæcumque mortalem hanc vitam spectant, puta famam, honores, voluptates, valetudinem, nobilitatem, & maxime humanas amicitias, cognitiones, favores. Quin & ipsum CHRISTUM, licet aliquando viderimus & æstimaverimus SECUNDUM CARNEM, id est nobis similem & cognatum, beneficiis corporalibus nos prosequentem; vel, si mavis, mortalem, infirmum, passioni & dolori obnoxium: NUNC tamen NON NOVIMUS nisi impassibilem & immortalem, & beneficiis spiritualibus nos prosequentem: ita fere S. Chrysost. Theodor Ambros. quasi dicat: Magnum olim & gloriosum nobis putabamus, quod Christus *secundum carnem* gentilis noster esset & cognatus: quod infirmos nostros sanaret, mortuos suscita-

scitaret, &c. Iam terrenis illis affectibus mortui sumus, & augustius de Christo sentimus, nec novimus, nec æstimamus ipsum nisi *secundum spiritum*, id est ut hominem spiritu Dei plenum, auctorem omnis gratiæ & salutis: atque ut tali, vivimus, servimus, gloriamur, & ut talem toto orbe prædicamus.

V. 17. SI QUA ERGO NOVA CREATURA; id est, si quis ergo mecum IN CHRISTO noviter recreatus seu regeneratus, atque in novum hominem transmutatus est; is nosse debet quod VETERA TRANSIERUNT, id est quæ veteris & corrupti hominis sunt, carnales affectus, mundana iudicia, &c. Non amplius in animo dominari possint, sed NOVA debeant esse OMNIA, non nostris viribus, sed

V. 17. EX DEO, id est Dei gratia, beneficio ac donatione: QUI NOBIS Apostolis DEDIT MINISTERIUM, id est commisit officium (v. seq. *verbum*, id est negotium) RECONCILIATIONIS hominum cum Deo, verbo primum promulgandæ, dein Sacramentorum impertitione etiam procurandæ.

V. 19. NON REPUTANS, id est non imputans hominibus DELICTA IPSORUM, sed gratis & plene omnia remittens; (de quo alibi *e*) IN CHRISTO, id est per & propter merita Christi, seu per infusionem gratiæ iustificantis, quam nobis promeritus est Christus.

V. 20. OBSECRAMUS PRO CHRISTO, id est vice & nomine Christi, utpote legati ipsius & vicarii, ut velitis plene *reconciliari* DEO; qui tanto vos dignatus est amote, ut

V. 21. EUM QUI NON NOVERAT PECCATUM, id est Filium suum Christum, nulli umquam peccato obnoxium, PRO NOBIS PECCATUM *f fecerit*, id est constituerit hostiam, seu victimam pro expiandis peccatis nostris, UT IN IPSO, id est ipsius merito, NOS EFFICEREMUR IUSTITIA DEI, id est iusti coram Deo, per gratiam iustificantem nobis infusam a Deo: ita S. Chrysost. Ambros. August. Theophyl. Anselmus.

(a) Apoc. xxi. iii. Matt. xiv. 21.
(b) I. Cor. xv. 44.
(c) Hic vers. 1. in fine.
(d) Hic cap. iv. 3.
(e) Psal. xxxi. 2. Rom. iv. 7.
(f) Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 29.

GORDONI.

Vers. 1. SCIMUS ENIM. Hæret in argumento prioris capitis. Terrena domus nostra morte dissolvitur, corpus est in quo peregrinamur a Domino: confertur cum domo non manufacta; corpus est post resurrectionem ædificium suis dotibus, & gloria illustratum. HABEMUS, in expectatione habebimus.

V. 2. & 3. IN HOC INGEMISCIMUS. Sistit in comparatione inchoata. Et vero, quid est hoc corpus terrenum, nisi ergastulum, in quo multa toleramus, & ingemiscimus, expectantes beatam habitationem, ubi vestiemur gloria. SI TAMEN VESTITI. Placet interpretatio Ambrosii, Chrysostomi, Theophylacti, & Theodoreti. Obvenient, inquiunt, nobis ita vestiri, si in digressu ab hac vita mortali non inveniamur nudi, & sine gratia Dei, ac bonis operibus.

V. 4. NAM ET QUI SUMUS. Recte habitationem terrenam exprimit per habitationem peregrinantium, & habitantium Nomadum more in tabernaculis. Qui autem sint Nomades dixi Cant. cap. 1. Quod dicit Paulus hoc versu quarto explicatio est illius quod dixit versu secundo: & quod interiicitur versu tertio, est velut per parenthesin inserta conditio requisita ad gloriam. Ergo hoc versu quarto ait nos ita ingemiscere, ut non tam optemus hoc corpore per mortem liberari, quam ut illud sine mortalitate iudueatur gloria.

V. 5. QUI AUTEM. Ac si diceret: Ita quidem de nostro desiderio est. Ceterum Deus qui nos ex nihilo fecit, ad hunc ipsum finem nos condidit, ut beata vita fruamur: & dum eam expectamus, dedit nobis spiritum, & dona gratiæ, velut gloriæ illius pignus: sed ut iam dicet pati oportet.

V. 6. 7. & 8. AUDENTES IGITUR: seu quia speramus hanc gloriam, audemus multa pati dum peregrinamur a Domino: (*Audentes* Hebraice participium pro indicativo) ubi per fidem ambulamus, & nondum præsentem pulchritudinem contemplantes. Et quidem (vers. 8.) ita audemus dum peregrinamur a Domino, licet magis & ardenter vellemus (εὐδοκοῦμεν) peregrinari a corpore, & esse cum Christo,

Et

Et quorundam Theologorum sententia, Deum videri a beatis, aut saltem posse videri per speciem. Verum nihil tale ex his Pauli verbis colligi potest: hic enim Apostolus speciem opponit fidei, vers. 7. Et ut fides circa obscura & absentia, ita species hæc est de re præsente & clara.

V. 9. Et ideo contendimus. Ceterum, inquit, sive absentes, sive præsentes simus, damus operam ut placeamus Christo. Rationem dat versu 10. quia quisque rationem Deo reddet; & retribuetur unicuique prout gessit, merces ante tribunal Dei. Hinc aliqua subnectit de Dei timore. Sed quomodo propria corporis recipiet? Certe illam & animæ mercedem: non enim operatur corpus sine anima: & quæ sunt corporis, sunt etiam animæ opera bona vel mala. In Græco est, *secundum ea quæ fecit*. Adde pro disparitate meritorum. En merita ut mala, ita & bona, designata per mercedem, pœnam & præmium.

Dicet aliquis, quid ergo de parvulis, qui non habent peccata propria? Non ergo egent baptismo? quod dicebat Pelagius. Verum verba & exhortatio ad bene operandum, referuntur ad adultos, qui operari possunt bene vel male; non autem ad perpetuo amentes aut infantes. Vide Augustinum tom. 1. Serm. de omnibus Sanctis: quamvis ipse Epist. CVII. includat etiam infantes propter originale peccatum propagatum ad singulos moraliter, ob illud quod erat physice in Adamo.

V. 11. & 12. Scientes ergo. Cum ergo compertum sit Deum & terribile illud iudicium esse timendum, studeo; inquit, hanc fidem omnibus persuadere. Et Deo quidem manifestum est me hoc ipsum agere animi synceritate. Et spero etiam vobis notum esse meam hac in parte sinceritate, vosque de me bene sentire. Neque hæc scribo (vers. 12.) ut me vobis commendem, aut res meas; sed ut vos quos docui fidem Christi, habeatis occasionem gloriandi sincere, & ex animo, non autem foris tantum & minus sincere, ut quidam faciunt. Et demum ut habeatis occasionem gloriandi adversus eos qui tantum in facie gloriantur, seu exterius, & non solida pietate.

V. 13. & 14. Sive enim mente excedimus: sive certe excedimus, ἐξέστημεν, in sermone dum nos commendamus; sive in sermone sobrii simus; totum id Dei causa fit & vestra: caritas enim me ad utrumque urget quippe qui certo statuimus Christum pro omnibus mortuum, ut omnes redimeret: ac proinde non iam amplius sibi & peccato vivere debent, sed Christo qui pro omnibus mortuus est. Quomodo etiam pro Beata Virgine docent Theologi in quæstionibus de peccato originali: vere certe redempta est ex Paulo: non potest autem dici redempta, si non habuit debitum peccati ex decreto Zosimi Papæ.

V. 16. Itaque nos ex hoc: ἀπὸ τοῦ νῦν. Ab hoc ergo tempore Christum induere oportet, & exuere terrenos affectus, mori oportet his affectibus, & neminem sub carnalibus his titulis agnoscimus, aut æstimamus. Immo qui Christum aliquando secundum carnem cognovimus, gaudentes quod esset ex gente nostra, & vir hominum opinione magnus; nunc tamen aliter cognoscimus, & secundum spiritum, ut Deum hominem redemptorem, auctorem gratiæ, & salutis æternæ.

V. 17. Si quia ergo in Christo nova creatura. Si quis ergo in Christo regeneratus est, & veterem hominem in novum mutavit, sic vivat oportet: omnia nova sint, & hæc omnia ex Deo, qui dedit nobis reconciliationis ministerium. Pro Christo legatione fungimur, obsecrantes vos, &c. qui nullum umquam peccatum fecit, se hostiam pro peccatis posuit, ut nos sine peccato disceremus ambulare in vitæ novitate.

V. 21. Ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Hoc est ut iusti essemus coram Deo, aut ut in Christo iusti efficeremur, & vere essemus iusti, sicut ipse vere efficiebatur hostia. Atque hic locus destruit Novatorum imputatam iustitiam, & probat inhærentem.

C A P U T VI.

Exhortatur ne acceptam negligant gratiam, ostendens quantum laboraverit ut probatum se Dei ministrum exhiberet, & admonens ut a convictu & consortio infidelium separentur.

1. ADiuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei
recipiatis. 2. Ait enim: (*a*) Tempore accepto exaudivi
te, & in die salutis adiuvi te. Ecce nunc tempus acce-
ptabile, ecce nunc dies salutis: 3. (*b*) nemini dantes ul-
lam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum:
4. sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos (*c*) sicut Dei
ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in ne-
cessitatibus, in angustiis, 5. in plagis, in carceribus, in
seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, 6. in castitate, in scientia,
in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, 7.
in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ a dextris, & a sinistris;
8. per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam: ut sedu-
ctores, & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti: 9. quasi morientes, & ecce
vivimus: & castigati, & non mortificati: 10. quasi tristes, semper autem gau-
dentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes,
& omnia possidentes. 11. Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum
dilatatum est: 12. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visce-
ribus vestris: 13. eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filiis
dico, dilatamini & vos. 14. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim
participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? 15 Quæ
autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? 16. Qui
autem consensus templo Dei cum idolis? (*d*) Vos enim estis templum Dei
vivi, sicut dicit Deus: (*e*) Quoniam inhabitabo in illis, * & inambulabo in-
ter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. 17. Propter quod
exite de medio eorum & separamini, dicit Dominus, & immundum ne teti-
geritis: 18. & ego recipiam vos: (*f*) & ero vobis in patrem, & vos eritis
mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

(a) Isa. xlix. 8. (b) I. Cor. iv. 12. (c) I. Cor. iv. 1. (d) I. Cor. iii. 17. & vi. 19.
(e) Lev. xxvi. 12. (f) Ier. xxxi. 9.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 16. Et inambulabo inter eos. Correctores addiderunt *inter eos.*

COM-

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verʃ. 3. DANTES: iʃtud referendum eʃt ad τὸ recipiatis, & quæ intercedunt, per parentheʃim legenda.

V. 7. A DEXTRIS, id eʃt ʃive in proʃperitate, ʃive in adverʃitate.

V. 8. UT SEDUCTORES; id eʃt, ʃive fallaces exiʃtimamur, ʃive veraces, exhibeamus nos ʃicut Dei miniʃtros.

V. 9. QUASI MORIENTES; id eʃt, etʃi quotidie ob innumeras aﬄictiones pro mortuis habemur, caʃtigamur tamen a domino, & non occidimur.

V. 11. & 12. OS NOSTRUM PATET AD VOS; id eʃt, non poʃʃum ʃilere, & vos de neceʃʃariis non commonefacere. Photius obiurgandi modo interpretatur; quaʃi diceret: Vos ego convenio, o Corinthii, COR NOSTRUM DILATATUM EST; id eʃt, amor noʃter plane in vos omnes diffuʃus eʃt. NON ANGUSTIAMINI IN NOBIS; id eʃt, cum in corde noʃtro per meam amicitiam ʃitis, non anguʃto ibi loco ʃedetis, ʃed plene in toto corde noʃtro habitatis. ANGUSTIAMINI AUTEM IN VISCERIBUS VESTRIS, id eʃt caritatis veʃtræ viʃcera uʃque adeo anguʃta ʃunt ut me in mutuam benevolentiam recipere non poʃʃitis.

V. 13. EANDEM AUTEM. Græc. deeʃt habentes, & pro eo ʃupplendum eʃt, vel habentes, vel (quod magis hoc loco quadraret) afferentes; ʃic enim Photius ʃupplet, id eʃt vos mihi parem gratiam referentes, meamque erga vos benevolentiam remunerantes, *dilatemini in vobis*, *ut me totum in amicitiam recipiatis*; hoc eʃt, effuʃe me diligite, ʃicut ego vos.

V. 14. NOLITE IUGUM DUCERE CUM INFIDELIBUS. Græci putant non modo de matrimoniis contrahendis loqui Paulum, ʃed inhibere ne qua nobis cum infidelibus neceʃʃitudo ʃit & familiaritas.

V. 16. QUONIAM INHABITABO. Probat ex hoc loco fideles eʃʃe templum Dei.

V. 17. PROPTER QUOD: & hoc loco conʃuetudinem fidelium cum infidelibus inhibet, multoque magis mutua inter illos connubia.

SA.

Ver. 1. ADIUVANTES. Græc. *cooperantes*, ʃcilicet Deo. RECIPIATIS; pro, receperitis.

V. 2. AIT, ʃcilicet Deus. Iʃa. XLIX. ACCEPTO, id eʃt mihi placito. DIE SALUTIS, id eʃt tempore gratiæ.

V. 3. OFFENSIONEM; quaʃi dicat, Neminem offendentes, vel ʃcandalizantes. MINISTERIUM, &c. id eʃt prædicatio Evangelica, ʃcilicet quaʃi non reddat bonos qui eam ʃequuntur. Vel de ʃe loquitur; quaʃi dicat, Curo ʃedulo, ne miniʃterium meum quiʃquam poʃʃit merito reprehendere.

V. 4. EXHIBEAMUS. Græc. *exhibentes*: quod poteʃt ad Paulum referri, & quidem id magis volunt ʃequentia. NECESSITATIBUS, id eʃt indigentiis.

V. 6. CASTITATE. Græc. *puritate*. SCIENTIA, id eʃt prudentia. SUAVITATE, id eʃt benignitate. Syr. *lenitate*. IN SPIRITU SANCTO, id eʃt per Spiritum ʃanctum. Iungi poteʃt cum præcedentibus, & ʃequentibus.

V. 7. VERITATIS, id eʃt veraci. VIRTUTE DEI, id eʃt operibus, Dei virtutem demonʃtrantibus. ARMA, id eʃt opera. A DEXTRIS, &c. quaʃi dicat, Undique, vel in proʃperis & adverʃis.

V. 8. IGNOBILITATEM, id eʃt ignominiam. PER INFAMIAM, &c. quaʃi dicat, Per convitia, & laudes. COGNITI, ʃcilicet Deo, & probis.

V. 9. CASTIGATI, id eʃt correpti, ʃcilicet a Deo. MORTIFICATI, id eʃt interfecti.

V. 11. AD VOS, ʃcilicet ad libere vobiʃcum loquendum, ʃeu vos plene inʃtituendos. DILATATUM, ʃcilicet caritate erga vos.

V. 12. NON ANGUSTIAMINI, id eʃt non locum anguʃtum habetis. ANGUSTIAMINI AUTEM, &c. quaʃi dicat, At minus latum habetis cor, quam opto.

V. 13. EAMDEM, ʃcilicet quam ego. REMUNERATIONEM, ʃcilicet a Deo. DILATAMINI, ʃcilicet caritate.

V. 14. IUGUM DUCERE, id eʃt commercium habere, vel coniugia inire. PARTICIPATIO, id eʃt conʃortium. SOCIETAS. Græc. *communio*.

℣. 15. CONVENTIO, id est concordia. AD BELIAL, id est cum diabolo. PARS, id est participatio.

℣. 16. IDOLIS. Syr. *templo dæmoniorum*.

MARIANAE.

Verſ. 1. ADIUVANTES, id eſt collaborantes Chriſto, a quo accepimus miniſterium reconciliationis. EXHORTAMUR, ſcilicet vos, ne gratiam Dei inanem eſſe ſinatis.

℣. 3. NEMINI DANTES. Iungi hoc debet cum fine verſ. primi, ſecundus per parentheſim. MINISTERIUM NOSTRUM; ne vituperentur, ſi videant parum vos noſtra inſtitutione profeciſſe.

℣. 4. SICUT DEI MINISTROS exhibeamus nos, id eſt ſervos. Loquitur omnibus, iis etiam qui non erant miniſtri Evangelii.

℣. 6. IN CARITATE , ad quam ut ad finem cetera referuntur.

℣. 7. A DEXTRIS, ET A SINISTRIS, id eſt in proſperis & adverſis virtutes ſectamur.

℣. 8. UT SEDUCTORES, ET VERACES, id eſt ſive exiſtimemur hoc vel illud, exhibeamus nos ut Dei ſervos. Aut ſic: Ut ſeductores habiti, & nihilominus veraces. SICUT QUI IGNOTI, id eſt ſive ut ignobiles habiti, & obſcuri ſicut ut clari.

℣. 9. QUASI MORIENTES, ob continuas afflictiones, ſed nihilominus evadimus. ET NON MORTIFICATI, ſive *mortui*, ut eſt Græc. & Syr. quaſi dicat, Quaſi caſtigati, & tamen non mortui, ſemper in bono præſtamus.

℣. 11 OS NOSTRUM PATET. Non poſſum vos non admonere. COR NOSTRUM, id eſt amo vos vehementer.

℣. 12. ANGUSTIAMINI AUTEM, IN VISCERIBUS VESTRIS; ac ſi dicat, Si aliter vobis videtur, non ob anguſtiam mei amoris, ſed veſtri contingit.

℣. 13. EAMDEM AUTEM HABENTES. Græc. non eſt *habentes*, ſed hoc, *eamdem remunerationem*, ſcilicet compenſantes, ſeu referentes, amoris nempe, dilatamini. Ad hunc ſenſum vox *habentes* referatur.

℣. 14. NOLITE IUGUM DUCERE. Connubia ſeu familiaritatem cum infidelibus vitate.

℣. 15. CHRISTI AD BELIAL? non *Beliar*, ut quidam Græci codices vitioſe habent. Syr. *cum ſatana*. Hoc loco *Belial* haud dubium ſumitur pro diabolo. Quid aliis locis ſignificet, Deut. XIII. 13. dictum eſt. Porro *Belial* Hieronymo *ſine iugo* ſignificat, Kimhi *ſine utilitate*.

℣. 16. INHABITABO IN ILLIS; quaſi dicat: Eſtis Dei templum, ne illud contaminate infidelium convictu. Hic locus ſumptus eſt ex Ezechielis cap. XXXVII. 27.

℣. 17. EXITE DE MEDIO EORUM, ſcilicet infidelium. ET IMMUNDUM NE TETIGERITIS: quia ſancti, & templum Dei, ne attactu fœdo polluatur.

MENOCHII.

Verſ. 1. ADIUVANTES AUTEM: *συνεργοῦντες*, *cooperantes*; quaſi dicat, Quin etiam nos (ſi fas eſt dicere) ipſius Chriſti ſocii, & adminiſtri. NE IN VACUUM GRATIAM DEI RECIPIATIS: ne fruſtra, & abſque fructu Dei gratiam, & cæleſtem vocationem ad fidem percepiſſe videamini.

℣. 2. AIT ENIM: Deus per Iſaiam cap. XLIX. 8. Probat Apoſtolus nunc eſſe tempus gratiæ, & reconciliationis, ut gratiam non in vacuum recipiamus. TEMPORE ACCEPTO, id eſt placito, vel placabili, ut habet Iſaias. Hoc tempus eſt legis gratiæ, ſeu præſens vita, in qua bene operandi, & merendi opportunitatem habemus. EXAUDIVI TE: ſunt hæc verba Patris ad Filium; quaſi dicat, *Exaudivi*, id eſt exaudiam; ponitur enim præteritum pro futuro, ut ſæpe apud prophetas. Exaudiam te, fili mi, pro membris tuis, & in membris infidelibus deprecantem, opem, gratiam, & ſalutem poſtulantem. IN DIE SALUTIS: in tempore gratiæ. ADIUVI TE; id eſt, adiuvabo te, ut in tuis membris, ſcilicet, Chriſtianis, ſalutem eis a te propoſitam aſſequaris.

℣. 3. NEMINI DANTES ULLAM OFFENSIONEM; id eſt, officium noſtræ legationis exercemus, ſedulo caventes ne cuiquam in ulla re ſimus offendiculo, ne quem verbo, aut facto ſcandalizemus. UT NON VITUPERETUR MINISTERIUM NOSTRUM: ne miniſterium Evangelicæ prædicationis reprehendatur, infametur, & male audiat apud homines.

℣. 4 EXHIBEAMUS NOS: in Græco eſt, *συνιστῶντες ἑαυτοὺς*, *commendantes nosmetipſos*. SICUT DEI MINISTROS: tales exhibe-

bentes, quales par est esse Dei ministros. IN MULTA PATIENTIA: multum patientes.

V. IN PLAGIS, id est in verberibus. IN SEDITIONIBUS, id est in sustinendis tumultibus populi adversum nos seditiose concitatis. IN LABORIBUS, &c. scilicet, Evangelii causa toleratis.

V. 6. IN CASTITATE: ἐν ἁγνότητι, *in puritate*, scilicet morum integritate, & præsertim castitate. IN SCIENTIA: rerum ad fidem pertinentium, ad docendum imperitos. IN LONGANIMITATE: tolerantia, animi lenitate. IN SUAVITATE: χρηστότητι, id est benignitate, bonitate, comitate, quæ opponitur supercilio, & morum asperitati. IN SPIRITU SANCTO: ita agendo, ut appareat nos divino spiritu regi, & glutino caritatis coniungi.

V. 7. IN VERBO VERITATIS: nihil mentientes, nec in quotidianis negotiis, & multo minus in rebus ad fidem pertinentibus. IN VIRTUTE DEI: qua impios, & refractarios cohibeamus, & coerceamus. PER ARMA IUSTITIAE A DEXTRIS, ET A SINISTRIS: hoc est, tam in prosperis, quam in adversis, ubique iustitiæ, & sanctæ vitæ, virtutumque actionibus, tamquam armis utamur, ut nec prosperis elevemur, nec adversis turbemur aut desperemur.

V. 8. PER GLORIAM, ET IGNOBILITATEM; quasi dicat: Sive honoremur, & laudemur, sive inhonoremur, & vituperemur. PER INFAMIAM ET BONAM FAMAM: sive bene audiamus, sive male. UT SEDUCTORES: existimati. ET VERACES: cum tamen veraces simus. SICUT QUI IGNOTI: habiti tamquam peregrini, ignoti, & ignobiles, & plane obscuri. ET COGNITI: cum tamen splendore miraculorum, & doctrinæ excellentia simus inclyti.

V. 9. QUASI MORIENTES: habiti, propter quotidiana mortis pericula, quæ adimus. ET ECCE VIVIMUS: Deo nos illæsos, & vegetos conservante. UT CASTIGATI: a magistratibus Gentilium, aut Hebræorum, illos coercere volentium, ne prædicarent Evangelium. ET NON MORTIFICATI: non tamen morti traditi, Deo nos eripiente.

V. 10. QUASI TRISTES: propter mala quæ patimur, re tamen vera gaudentes, quod digni habeamur pro Christo contumelias pati, & dolores. EGENTES: victu, vestitu, aliisque rebus ad vitam necessariis. MULTOS AUTEM LOCUPLETANTES: cælestibus bonis. TAMQUAM NIHIL HABENTES: propter Evangelicam paupertatem, quam profitemur. ET OMNIA POSSIDENTES: quia patent nobis ædes omnium fidelium, qui libenter nobiscum bona sua communicant, nec patiuntur quicquam nobis deesse.

V. 11. OS NOSTRUM PATET AD VOS; scilicet, ad loquendum libere vobiscum, & plene vos instituendos; quasi dicat, Non possum silere, & vos pro salute vestra non commonefacere. COR NOSTRUM DILATATUM EST: amoris calore incensum; quasi dicat, Vos vehementer amo.

V. 12. NON ANGUSTIAMINI IN VOBIS: spatiose in corde meo habitatis; latissima vos cordis caritate complector. SED ANGUSTIAMINI IN CORDIBUS VESTRIS, id est, præcordia vestra angusta sunt, ut parum in eis loci habeam; quasi dicat, In amore, & benevolentia mihi non respondetis.

V. 13. EAMDEM AUTEM HABENTES REMUNERATIONEM, id est parem amorem rependentes mihi. DILATAMINI ET VOS: cor, & caritatem vestram dilatate.

V. 14. IUGUM DUCERE: participationem, & commercium habere. IUSTITIAE CUM INIQUITATE: iustis, cum iniquis; fidelibus, cum infidelibus. LUCI AD TENEBRAS: lucem vocat fideles, tenebras, infideles.

V. 15. AD BELIAL: cum diabolo, & eius asseclis. PARS: participatio, communicatio.

V. 16. TEMPLO DEI: ita vocat fideles, qui sunt templum Spiritus sancti. CUM IDOLIS: & eorum cultoribus. SICUT DICIT DEUS: Levit. XXVI. 12. INHABITABO IN ILLIS: per gratiam. AMBULABO IN EIS: adero illis præsens.

V. 17. EXITE DE MEDIO EORUM: sumptum est hoc testimonium ex cap. LII. 11. Isaiæ, ubi propheta iubet fideles exire e Babylone, ut aliqui volunt, vel ut alii, ex Ierusalem per Titum vastanda, & ab infidelium consortio cavere, quibus immineret exitium.

TIRINI.

Vers. 1. ADIUVANTES; Græce, συνεργοῦντες, id est *cooperantes* Deo,

ut propositam *a* reconciliationem & iustitiam assequamini, (inquit Anselmus :) EXHORTAMUR VOS, NE per desidiam vel neglectum RECIPIATIS GRATIAM DEI IN VACUUM, cum ea non collaborantes, nec eam operi applicantes, inquit S. Chrysost. & Theophyl.

V. 2. AIT ENIM per Isaiam XLIX. 8. Deus: TEMPORE ACCEPTO, vel *acceptabili*, id est *tempore* mihi *placito*, (ut vertit Interpres Isaiæ,) seu tempore quo decreveram eximie benefacere orbi propter te Christe, id est tempore legis novæ, vel, si mavis, tempore præsentis vitæ; EXAUDIVI TE, pro membris & filiis tuis mihi supplicantem *b*, ipsisque gratiam, opem & salutem postulantem. ET IN DIE SALUTIS, id est tempore quo omnes homines per te, o Christe, vocare statui ad æternam salutem, ADIUVI TE, ut quod intendis & agis plane assequaris, nempe copiosam gratiam hominibus impertior, qua excitentur, animentur, roborentur ad ea quæ salutis suæ sunt amplexanda. Cumque *iam* adsit illud *tempus*, ille *dies* toties exoptatus, ne sinamus frustra elabi, vel infructuose transire, sive quoad nostrum profectum, sive quoad proximorum promotionem.

V. 6. IN SPIRITU SANCTO: nempe ut omnibus pateat, nos non a spiritu vanitatis, superbiæ, avaritiæ vel curiositatis, sed revera a *Spiritu sancto* agi & impelli; ita S. Chrysost. Theophyl. Anselm.

V. 7. IN VIRTUTE, seu per potentiam, DEI, qua impios, refractarios, dyscolos fortiter cohibeamus & compescamus. PER ARMA non cacozeliæ, sed IUSTITIAE & sanctitatis, quibus tam A DEXTRIS quam A SINISTIS cingamur, æque in adversis, atque in prosperis, ut nec his extollamur, nec illis perturbemur.

V. 8. PER GLORIAM ET IGNOBILITATEM, id est sive honoremur, sive despiciamur. PER INFAMIAM ET BONAM FAMAM; id est, sive bene, sive male audiamus: SEDUCTORES existimati, cum simus VERACES, & veritatis præcones. Habiti SICUT IGNOTI, id est obscuri & terræ filii, cum passim splendore miraculorum, & doctrinæ excellentia simus maxime cogniti & inclyti.

V. 9. QUASI MORIENTES propter quotidiana quæ adimus mortis pericula. UT CASTIGATI crudelibus magistratuum tum Gentilium, tum Iudæorum edictis; sed Deo præpediente necdum MORTIFICATI, seu occisi.

V. 10. QUASI TRISTES & melancholici ob adversa quibus premimur: sed revera SEMPER GAUDENTES, quod *digni* habeamur *pro nomine Iesu contumelias pati c*. EGENTES victu, amictu, aliisque corpori necessariis: interim MULTOS cælestibus bonis LOCUPLETANTES. NIHIL proprii HABENTES amore Evangelicæ paupertatis quam profitemur: ET tamen OMNIA POSSIDENTES; id est, perinde contenti sumus, immo perinde nobis prospicitur de omnibus necessariis, ac si omnia mundi bona, ut propria possideremus.

V. 11. OS NOSTRUM PATET AD VOS O CORINTHII; id est, libere & aperte vobis loquor, neque loquendo exsatior, quia *corde dilatato* per caritatem, id est vehementissime vos amo.

V. 12. NON enim *angustiamini in vobis*, id est non obtinetis angustum seu arctum locum in corde nostro, sed admodum spatiosum. ANGUSTIAMINI AUTEM IN VISCERIBUS VESTRIS; id est, angustam & exiguam caritatem nobis vos rependitis, ita ut nos non possimus vicissim in vestris cordibus spatiose habitare. Quare adhortor vos tamquam *filios* meos, ut

V. 13. DILATEMINI ET VOS, atque ita EAMDEM, seu parem, amoris REMUNERATIONEM nobis vicissim rependatis: ita S. Chrysost. cum suis.

V. 14. NOLITE IUGUM DUCERE, id est matrimonio iungi, inquit S. Hieron. *d* vel (ut Chrysost. Ambros. Theophyl.) nolite commercium in iis quæ religionem spectant, habere CUM INFIDELIBUS, aut cum hæreticis; cum fere par sit ratio: sed de his alibi *e*, ut &

V. 15. De *Belial*, id est diabolo *f*.

V. 16. QUIS CONSENSUS TEMPLO DEI, id est vobis Christianis, (qui, SICUT DICIT DEUS *g*, templum estis Spiritus sancti) CUM IDOLIS & idololatris?

V. 17. EXITE DE MEDIO EORUM, ut suadet Deus apud Isaiam *h*: ne *immundo*, id est immunditiis & sordibus illorum, puta luxuria, crapula, fastu, idololatria, aliisque sceleribus & scelerata doctrina inquinemini: ita S. Hieron. Cyrillus *i*, Chrysost. Ambros. Anselmus. Quod enim apud

Isa-

Isaiam monentur Iudæi ad litteram egredi de Babylone, maxime spirituali, ut ibidem exposui; illud idem in sensu tropologico, vel a pari, monet hic Apostolus omnes fideles, ut omnium infidelium commercia devitent.

(a) Hic cap. v. 18. & seq.
(b) Psal. lxviii. 14. & 15.
(z) Act. v. 41.
(d) Hieron. Lib. I. cont. Iovinianum.
(e) I. Cor. vii. 12.
(f) Deut. xiii. 13.
(g) I. Cor. vi. 19. Levit. xxvi. 12.
(h) Isai. lii. 11.
(i) Hieron. & Cyrill. in illud Isaiæ.

GORDONI.

Vers. 1. & 2. ADIUVANTES EXHORTAMUR. Sensus est: Nos cooperatores in hac Evangelii annunciatione post Christum hortamur impense ne sine fructu sit vestra ad fidem vocatio: nam, quod prænunciatum est Isa. XLIX. 8. vobis offertur; tempus acceptabile, tempus gratiæ, & salutis, quale ante non fuit. In Isaia EXAUDIVI, pro exaudiam, præteritum pro futuro: frequens hoc in Prophetis: sic *adiuvi*, adiuvabo.

V. 3. *usque ad* 10. NEMINI DANTES. Hæc sunt iam quæ Evangelii ministros respiciunt, quorum imprimis illud est ad ædificationem, ut neminem exemplo, verbo aut opere offendant; ne in officio nostræ legationis vituperetur ministerium nostrum. Exhibet hic & versu quarto Evangelici doctoris imaginem, & deinceps usque ad versum undecimum: omnia præsertim si conferantur cum Græco textu, clara sunt. Hæc, inquit (vers. 8.) sunt arma nostra in prosperis & adversis; sive bene, sive male audiamus: sive habeamur ut ignoti & ignobiles, sive cogniti gloria miraculorum, ut castigati a gentilibus, non tamen mortificati, sed Dei virtute liberati a morte. Addit vers. 10. OMNIA POSSIDENTES, vel quia nostra paupertate ita contenti sumus, ac si omnia haberemus: vel quia caritas Christianorum facit, ut nihil nobis desit. Sed cur, QUASI TRISTES? Certe quia Sanctorum tristitia est velut umbra (nempe cui subest solidum cum Deo gaudium) & momentanea.

V. 11. OS NOSTRUM. Conversio sermonis est ad Corinthios ad excitandam eorum benevolentiam. Os meum, inquit, & syncerus sermo meus vobis aperitur; quos syncere moneo, & dilatione cordis diligo, ita ut in sinu meo vos habeam. Vos autem nolite cor angustum erga me habere. Sane (vers. 12.) NON ANGUSTIAMINI IN NOBIS, & corde meo, quod late vos complectitur; sed angustiamini ut apparet in vobis; apud vos non videtur relictus mihi locus. Apparet ex hoc loco per pseudoapostolorum artes imminutam fuisse Corinthiorum benevolentiam erga Paulum.

V. 13. EAMDEM AUTEM. Reposco vicissim a vobis similem benevolentiæ & amoris vicem, velut remunerationem ἀντιμισθίαν: hanc habentes vicissitudinem, dilatate cor & caritatem. Aliqui de præmio cælesti hoc explicant; quasi diceret: Dilatate, quando communis stat remuneratio cælestis. Longe petitum est, & non cohærens.

V. 14. NOLITE IUGUM DUCERE. Transit ad aliud Apostolus, & vetat societatem & consortium cum infidelibus. Hanc conventionem non competere Christianis docet ex varia antithesi sanctitatis Christianæ & infidelitatis. *Vos*, inquit, *estis templum Dei* Levit. XXVI. 12. *Exite de medio eorum*, Isa. LII. 11. quæ verba ibidem retuli ad tempora Apostolorum. τὸ BELIAL, vers. 15. quid sit dixi Proverb. VI. & Iud. XIX.

Vetat sane hic Apostolus arctas familiaritates cum infidelibus, in templis, sacrificiis, coniugiis & omni commercio iniusto, periculoso vel scandaloso. Et quamvis iure naturæ & divino non esset absolute prohibitum fidelibus ducere infideles coniuges; prohibetur tamen hic ab Apostolo, quia erat indecens & periculosum.

CA-

CAPUT VII.

Ostendit Apostolus quanto amore Corinthios prosequatur, & quantum de correcta ipsorum vita in magnis suis tribulationibus gaudium acceperit, quantumve bonum pepererit tristitia, quam ex sua acceperant epistola.

1. HAs ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos
ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes
sanctificationem in timore Dei. 2. Capite nos. Neminem
læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.
3. * Non ad condemnationem vestram dico: prædiximus
enim quod in cordibus nostris estis, ad commoriendum,
& ad convivendum. 4. Multa mihi fiducia est apud vos,
multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione,
& superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 5. Nam & cum venissemus
in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem
passi sumus: foris pugnæ, intus timores. 6. Sed qui consolatur
humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. 7. Non solum autem in
adventu eius, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens
nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me *,
ita ut magis gauderem. 8. Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me
pœnitet: etsi pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit;
9. nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis
ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum
patiamini ex nobis. 10. (a) Quæ enim secundum Deum tristitia est,
pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.
11. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam
in vobis operatur solicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem;
sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam: in omnibus exhibuistis
vos, incontaminatos esse negotio. 12. Igitur, etsi scripsi vobis, non propter
eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est: sed ad manifestandam
solicitudinem nostram, quam habemus pro vobis 13. coram Deo: ideó
consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantius magis gavisi
sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis:
14. & si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sæd sicut
omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra quæ fuit ad
Titum, veritas facta est, 15. & viscera eius abundantius in vobis sunt: reminiscentis
omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis
illum. 16. Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

(a) I. Pet. II. 19.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 3. *Non ad condemnationem vestram dico.* Non facile omittas pronomen *veſtram*. *Verſ.* 7. *Ita ut magis gauderem*. Non præponas adverbium *magis* coniunctioni ut.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. HAS ERGO HABENTES PROMISSIONES, ſcilicet quod templum Dei ſumus, & quod habitavit Deus in nobis.

V. 2. CAPITE NOS. Græc. χωρήσατε, id eſt amplexamini nos, capaces eſtote noſtri: alludit enim ad id quod ante dixit: *dilatemini & vos*; quaſi diceret: Facite ne anguſta ſint caritatis veſtræ viſcera, ſed adeo capacia, ut totos nos in amicitia continere poſſint. NEMINEM CIRCUMVENIMUS, Græc. ἐπλεονεκτήσαμεν, quod etiam ſignificat cupide aliquid ab alio extorquere, quod hoc loco magis quadrat; quaſi diceret: Neminem fraudavimus, nihil a quoquam avaritiæ ſtudio exegimus.

V. 3. NON AD CONDEMNATIONEM, id eſt non hæc dico quod vos arguam; ESTIS ENIM IN CORDIBUS NOSTRIS, id eſt mihi chari & dilecti AD COMMORIENDUM ET CONVIVENDUM, id eſt in adverſis, ſive in proſperis; ut neque in his vobis invideam, uec in illis vos deſeram.

V. 4. MULTA MIHI FIDUCIA, id eſt multum de veſtra fide & amicitia erga me confido gloriorque de vobis.

V. 7. QUA CONSOLATUS EST, id eſt per quam conſolatus eſt de vobis: ob veſtri emendationem, & ferventem veſtrum erga me amorem, hoc enim ſiguificat τὸ æmulationem.

V. 10. SALUTEM STABILEM: ἀμετακίνητον, id eſt fixam & immobilem: quidam legunt ἀμεταμέλητον, *impœnitibilem*, hoc eſt non pœnitendam.

V. 11. SECUNDUM DEUM, id eſt quod ſecundum Deum contriſtati eſtis ob fornicatorem, quantam in vobis peperit ſolicitudinem, id eſt qnam diligentes ac ſolicitos vos fecit? SED DEFENSIONEM, &c. Hoc toto loco docet Photius τὸ ἀλλὰ, id eſt *ſed*, ſumi pro, & INDIGNATIONEM: adverſus peccatorem, AEMULATIONEM Dei & mei: VINDICTAM, in ſceleratum. INCONTAMINATOS ESSE NEGOTIO; id eſt, per omnia oſtendiſtis vos a fornicarii delicto puros & immunes, de quo tantopere doluiſtis: eſſe autem hoc loco, ſicut ἶναι, Græcis παρέλκει, & ſuperfluit.

V. 12. NEC PROPTER EUM QUI PASSUS EST, id eſt non propter eum qui patri iniuriam fecerat, noverca utendo, neque propter patrem qui paſſus eſt & accepit hac iniuriam ſcripſi vobis, ſed ut oſtenderem ſolicitudinem quam de vobis habeo.

V. 14. & 15. NON SUM CONFUSUS; id eſt, non pudet me huius gloriationis, qua de vobis gloriatus ſum apud Titum, ſed ſicut omnia in veritate illi locuti ſumus, ita gloriatio noſtra quæ fuit ad Titum, id eſt gloriatio noſtra de vobis qua gloriati ſumus apud Titum, VERITAS FACTA EST, id eſt vera inventa eſt; VISCERA ENIM EIUS, id eſt caritas eius in vos multa eſt

S A.

Verſ. 1. SPIRITUS, id eſt mentis, ſeu voluntatis. PERFICIENTES. Nota, perfici ab homine ſuam ſantificationem, ſcilicet per opera bona.

V. 2. CAPITE NOS, id eſt excipite caritatem meam in vos. CIRCUMVENIMUS. id eſt ſeduximus, ſeu per iniuriam quidquam eius occupavimus, nam Græc. ἐπλεονεκτήσαμεν.

V. 3. DICO, ſcilicet hæc; quaſi dicat, Non id dico, quod in hac parte velim vos obiurgare. ESTIS, ſcilicet ſic dilecti, ſeu fixi. AD COMMORIENDUM, &c. id eſt ut vobiſcum parati ſimus & mori, & vivere.

V. 4. PRO, id eſt de.

V. 5. CARO, id eſt corpus. OMNEM, id eſt maximam.

V. 7. IN VOBIS, id eſt ex vobis. AEMULATIONEM, id eſt ſtudium.

V. 8. POENITERET; pro, pœnituerit, scilicet antea aliquantum. AD HORAM, id est breve tempus.

V. 9. PATIAMINI EX NOBIS, id est passi sitis ob ea quæ scripsi.

V. 10. SAECULI, id est mundanorum, seu de rebus mundanis. MORTEM, scilicet animæ sæpe.

V. 11. SED; pro, immo. DEFENSIONEM, id est satisfactionem (hæc enim peccatorem defendit) vel cautionem in posterum. INDIGNATIONEM, scilicet contra peccatum. AEMULATIONEM, id est zelum, seu studium boni. VINDICTAM, scilicet peccati. INCONTAMINATOS ESSE NEGOTIO, id est sic ut appareret, vos in eo negotio inculpate, seu bene gessisse.

V. 12. NON; pro, non solum. PASSUS, scilicet pater eius qui incestum commiserat. SED; pro, sed etiam.

V. 13. ABUNDANTIUS, id est multo. SUPER, id est de. REFECTUS, id est refocillatus.

V. 14. SUM CONFUSUS, id est erubui. VERITAS FACTA EST, id est vera esse comperta est.

V. 15 IN VOBIS; pro, erga vos, quasi dicat, Plurimum vos amat.

MARIANAE.

Vers. 1. MUNDEMUS NOS AB OMNI INQUINAMENTO CARNIS ET SPIRITUS. Non sufficit altera parte esse mundos.

V. 2. CAPITE NOS, id est advertite quæ dicimus. Syr. *sustinete nos*: id forsan hoc loco χωρέω significat; quasi dicat, Si videor me laudare, ferte id.

V. 3. NON AD CONDEMNATIONEM, id est ut vobis iniuriam faciam, scilicet hoc dico. AD COMMORIENDUM, id est in prosperis & adversis vos in corde habeo.

V. 4. MULTA MIHI FIDUCIA EST. Multum fido de vestra fide & amicitia; tantum abest ut vos velim condemnare. SUPERABUNDO GAUDIO. Hæc de vobis fiducia facit, ut afflictionem non sentiam, quam in Macedonia patior.

V. 5. FORIS PUGNAE, a Iudæis & Gentibus. INTUS TIMORES, propter falsos fratres.

V. 7. VESTRUM DESIDERIUM, scilicet videndi me. VESTRAM AEMULATIONEM, id est amorem erga me, seu iram contra incestuosum. Id a Tito audiens gavisus sum.

V. 8. ETSI AD HORAM, id est ad breve tempus vos contristavit epistola mea,

V. 9. NUNC GAUDEO: Constructio est inversa: sic ordina: *Nunc gaudeo (videns quod epistola illa, etsi ad horam vos contristavit) non quia contristati estis, sed quia*,

V. 11. EXHIBUISTIS VOS, id est ostendistis. Verbi συνίσταμαι variæ sunt significationes. INCONTAMINATOS, id est non fuisse participes in negotio incestuosi. Accusarat illos quasi crimini faverent; nunc illud corrigit. ESSE NEGOTIO Syr. *in negotio illo*. Græce, ἐν τῷ πράγματι, *in illo negotio*, certe incestuosi.

V. 12. NON PROPTER EUM QUI FECIT INIURIAM, scilicet non tantum propter incestuosum, nec tantum propter eius patrem, qui eam passus est, SED AD MANIFESTANDAM, iunge illud *coram Deo*. SOLLICITUDINEM NOSTRAM QUAM HABEMUS PRO VOBIS. Græc. additur, *ad vos*, ὑπὲρ ὑμῶν, πρὸς ὑμᾶς, sic Gotth. sed redundare id videtur. In Rob. est inversum; *sollicitudinem vestram pro nobis ad vos*: sed vitiose.

V. 13. QUIA REFECTUS EST SPIRITUS EIUS, Titi, cum scilicet videret vestram obedientiam.

V. 14. VERITAS, id est vera apparuit laus, qua vos laudaram.

V. 15. ET VISCERA EIUS, id est amor quo vos complectitur, crevit.

V. 16. CONFIDO IN VOBIS, id est possum de vobis mihi omnia polliceri.

MENOCHII.

Vers. 1. HAS HABENTES PROMISSIONES: nimirum Christianos fore templum Dei, eiusque filios & filias, &c. MUNDEMUS NOS: per pœnitentiam. AB OMNI INQUINAMENTO CARNIS, ET SPIRITUS: ab omnibus peccatis tam carnalibus, qualis est gula, ebrietas, luxuria; quam spiritualibus, qualis est superbia, ira, ambitio, invidia. PERFICIENTES SANCTIFICATIONEM: proficientes in sanctitate. IN TIMORE DEI: per Dei timorem.

V. 2. CAPITE NOS: sinite ut locum apud vos inveniamus; amplectemini nos visceribus caritatis. NEMINEM CORRUPIMUS, aut malo exemplo, aut falsa doctrina.

na. NEMINEM CIRCUMVENIMUS: ἐπλεονεκτήσαμεν, decepimus, fraudavimus, ut plus emungeremus; quam par esset nos habere.

V. 3. NON AD CONDEMNATIONEM VESTRAM DICO: quasi damnem, culpem, & arguam vos talia de me suspicari. PRAEDIXIMUS, id est supra diximus: iam diximus. IN CORDIBUS NOSTRIS ESTIS, &c. quasi dicat: Ita vos amo, ut vobiscum, & pro vobis mori, & vivere paratus sim.

V. 4. MULTA MIHI FIDUCIA EST APUD VOS; id est, ita bene de vobis sentio, ut cum magna fiducia, & sermonis libertate vobiscum agam. MULTA MIHI GLORIATIO PRO VOBIS, id est de vobis; quasi dicat: Multum, ac sæpe apud alios de vobis glorior, prædicans obedientiam vestram erga me Apostolum, & patrem vestrum. REPLETUS SUM CONSOLATIONE: audita vestra pœnitentia, & emendatione, quam Titus annunciavit mihi. SUPERABUNDO GAUDIO IN OMNI TRIBULATIONE NOSTRA, id est in omnibus afflictionibus, & pressuris, quæ mihi tristitiam afferunt, tam exuberanti gaudio a vobis profecto perfusus sum, ut omnem tristitiam extinxerit.

V. 5. NULLAM REQUIEM HABUIT CARO NOSTRA: nulla requies fuit corpori nostro, tam multa mala nos invaserunt. FORIS PUGNAE: cum hostibus Evangelii. INTUS TIMORES: novarum persecutionum.

V. 6. IN ADVENTU TITI: qui Corintho reversus leta de vobis nunciavit.

V. 7. NON SOLUM AUTEM IN ADVENTU EIUS: vestram correctionem annunciantis. CONSOLATIONE, QUA CONSOLATUS EST IN VOBIS: quam accepit a vobis. Græcum enim παρεκλήθη, passivum est. VESTRUM DESIDERIUM: emendationis. VESTRUM FLETUM: pœnitentiam, & dolorem pro peccatis. VESTRAM AEMULATIONEM PRO ME: studium vestrum erga me, *&* *zelum* tuendi me, & Apostolos contra obtrectatores. Vel zelum intelligit contra peccatores, ac præsertim contra incestuosum illum fornicarium. ITA UT MAGIS GAUDEREM: maius gaudium ex auditis perciperem, quam fuisset dolor, quem senseram ex eo quod vos mea epistola contristassem.

V. 8. NON ME POENITET: quia ut muneri meo satisfacerem, ita ad vos scripsi. AD HORAM: ad breve tempus. VOS CONTRISTAVIT: est eclipsis, supplendum enim est, Tamen profuit vobis, vosque commovit ad agendam pœnitentiam, quæ vobis iugem conscientiæ pacem, & lætitiam conciliavit.

V. 9. SED QUIA CONTRISTATI ESTIS AD POENITENTIAM: non gaudeo de tristitia vestra, sed de fructu tristitiæ, qui est pœnitentia, seu correctio vestra. CONTRISTATI ESTIS SECUNDUM DEUM, id est propter Deum offensum. UT IN NULLO DETRIMENTUM PATIAMINI IN VOBIS: ut non modo nullum epistola nostra detrimentum, sed ingens potius commodum vobis attulerit.

V. 10. POENITENTIAM IN SALUTEM STABILEM: μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον, *pœnitentiam*, *non pœnitentem*, vel *non pœnitendam*, *in salutem operatur*, quod idem est quod dixit vulgatus interpres, *Pœnitentiam stabilem*, quem enim non pœnitet, is in proposito stabilis est. Quod si vocem ἀμεταμέλητον iungamus cum σωτηρίαν, dicemus eam esse salutem ἀμεταμέλητον, cuius neminem pœnitet, sed potius mirum quantum gaudet se illam esse consecutum. SAECULI AUTEM TRISTITIA: cum scilicet quis dolet non propter Deum offensum; sed ex amissione, vel impedita perceptione eorum, quæ quis carnaliter, & secundum sæculi desideria optavit. MORTEM OPERATUR: mortem æternam.

V. 11. HOC IPSUM CONTRISTARI: hæc ipsa tristitia. SOLLICITUDINEM: placandi Dei, & ea diligenter curandi, quæ ad salutem pertinent. SED DEFENSIONEM: sed, ponitur pro, *immo*. DEFENSIONEM, ἀπολογίαν, *excusationem*, *refutationem obiecti criminis*: significat Corinthios Paulum contra pseudo-Apostolos obtrectatores defendisse, vel quod verisimilius puto, Corinthios suam negligentiam agnovisse, quod immane facinus incestuosi illius dissimulassent, & excusassent. INDIGNATIONEM: contra seipsos, quod ita se gesserint, ut ab Apostolo fuerint reprehensi. Vel indignationem contra incestuosum, qui peccarat. TIMOREM: Dei. DESIDERIUM: Deo satisfaciendi, & vitæ in posterum melius transigendæ. AEMULATIONEM: vide dicta vers. 7. VINDICTAM: contra fornicarium violatorem divinæ legis, & contra seipsos, nam per pœnitentiam præterita peccata sua in seipsis ulti sunt. IN OMNIBUS EXHIBUISTIS VOS INCONTAMINATOS

ESSE NEGOTIO. Syrus, *ostendistis quod puri sitis in illo negotio*, id est a fornicarii peccato alieni, & immunes; licet enim id initio punire neglexeritis; iam tamen eam negligentiam purgastis, peccatum illud vindicando, & de vestra negligentia pœnitentiam agendo.

V. 12. NON PROPTER EUM QUI FECIT INIURIAM; id est, non scripsi tantum, ut ei consulerem, qui fecit iniuriam, scilicet fornicario. NEC PROPTER EUM QUI PASSUS EST: nec ut parentis iniurias persequerer. SED AD MANIFESTANDAM SOLLICITUDINEM NOSTRAM: sed ut ostenderem solicitudinem, quam pro communi Ecclesiæ vestræ salute gero, ut scilicet ab ea commune hoc scandalum, & publicam infamiam depellerem. CORAM DEO: significat solicitudinem suam fuisse sinceram, & ex caritate profectam, qualem velit probari coram Deo iudice.

V. 13. IDEO CONSOLATI SUMUS, id est consolationem accepimus. ABUNDANTIUS GAVISI SUMUS SUPER GAUDIO TITI: uberius gavisi sumus ob gaudium Titi, quod recreatus sit spiritus illius ab omnibus vobis, vestra correctione, fletu, & zelo.

V. 14. DE VOBIS: vos laudans. NON SUM CONFUSUS: tamquam inaniter, & falso gloriatus. VERITAS FACTA EST: compertum est me ipsissimam veritatem de vobis locutum esse.

V. 15. VISCERA EIUS; affectus est. ABUNDANTIUS IN VOBIS SUNT; magis iam in vos propendet quam antea. CUM TIMORE ET TREMORE; cum reverentia, & metuentes ne quid in vobis esset, quod ilum offenderet.

V. 16. GAUDEO QUOD IN OMNIBUS CONFIDO IN VOBIS: gaudeo in tantum fiduciæ invenisse apud vos, ut absque periculo offensionis possim libere vobiscum agere, monendo, corripiendo, increpando, atque etiam petendo quippiam a vobis.

T I R I N I.

Vers. 1. HABENTES HAS PROMISSIONES, nempe, nos fore Dei filios, MUNDEMUS NOS per seriam pœnitentiam AB OMNI INQUINAMENTO, seu CARNIS, seu SPIRITUS, id est ab omni sorde & scelere, seu *carnali*, qualis est gula, ebrietas, luxuria: seu *spirituali*, qualis est superbia, ambitio, invidia, ira, &c. PERFICIENTES SANCTIFICATIONEM, id est proficientes continuo in sanctitate, per DEI *timorem*, cultum & amorem. Timor enim Dei filialis non solum inchoatio est, sed & perfectio veræ sanctitatis, ut alibi *a* vidimus.

V. 2. CAPITE NOS. Græce, χωρήσατε, id est *locate* nos, concedite nobis locum apud vos, non arctum *b*, sed amplum, ut excipiamur lato sinu caritatis vestræ.

V. 3. Non hæc DICO AD VESTRAM CONDEMNATIONEM, quasi velim vos hac in parte culpare vel arguere: iam ENIM PRAEDIXIMUS, id est ante, seu supra diximus *c*, QUOD IN CORDIBUS NOSTRIS ESTIS AD COMMORIENDUM ET CONVIVENDUM; id est, adeo nobis dilecti & animo infixi, ut una vobiscum, & pro vobis, mori æque ac vivere parati sumus. Alludit ad arctissimam amicitiam *Nisi & Euryali d*, & similium amantium & amasiorum.

V. 6. CONSOLATUS EST NOS DEUS IN, seu per ADVENTUM TITI, qui Corintho reversus *e* læta de vobis nuntiavit.

V. 7. CONSOLATUS, inquam, IN VOBIS, id est in virtute vestra: REFERENS NOBIS VESTRUM seriæ emendationis DESIDERIUM & sollicitudinem, FLETUM etiam ac luctum pro peccatis, denique & AEMULATIONEM PRO ME, id est zelum tuendi me, meumque honorem contra obtrectatores: ITA UT his auditis, MAGIS *gavisus sim*, quam ante contristatus ob vestra schismata & alia delicta.

V. 9. CONTRISTATI ESTIS SECUNDUM DEUM, vel secundum desiderium Dei: adeo UT IN NULLO prorsus DETRIMENTUM PATIAMINI EX NOBIS, id est ex epistola nostra, nempe propter ea quæ forsan acerbius in priore mea epistola vobis perscripseram, v. g. de schismate vestro, de incestuoso, de aliis vitiis quæ carpseram.

V. 10. TRISTITIA SECUNDUM DEUM, id est divina, seu Deo placens, est illa quæ propter Deum offensum concipitur: non vero quæ propter opes, honores, voluptates amissas, aut homines offensos. Hæc est enim SAECULI, seu mundi, TRISTITIA, & sæpe causat MORTEM tum corporis, tum animæ, inquit S. Chrysostomus. Divina autem tristitia

V. 11. OPERATUR SOLLICITUDINEM placandi Dei: SED & DEFENSIONEM, id est

etiam

etiam efficit ut me defendatis contra obtrectantium, calumnias : SED ET DESIDERIUM Deo satisfaciendi, & mores emendandi. IN OMNIBUS EXHIBUISTIS, seu præbuistis; Syrus, *ostendistis*, VOS INCONTAMINATOS ESSE NEGOTIO, id est omnino alienos & immunes esse a peccato isto incestuosi, inquit Theophyl. & Anselmus. Reprehendi tamen vos,

V. 12. NON tantum ut saluti eius consulerem QUI FECIT alteri INIURIAM; scilicet saluti adulteri & incestuosi: NEC solum ut persequerer iniuriam marito illatam, cuius uxorem sibi concubinam fecit iste incestuosus: SED etiam, ut ostenderem SOLICITUDINEM, quam pro communi Ecclesiæ vestræ bono & salute gero, scilicet ut infame scandalum & publicum probrum ab ea depellerem.

V. 14. GLORIATIO NOSTRA, VERITAS FACTA EST; id est, compertum est me ipsissimam veritatem dixisse, quando de vestra probitate gloriatus sum.

V. 15. VISCERA EIUS, id est affectus Titi magis iam in vos propendet, quam ante. CUM TIMORE ET TREMORE, id est cum reverentia & metu displicendi.

V. 16. GAUDEO QUOD IN OMNIBUS CONFIDO, seu confidere possim, IN VOBIS, id est, quod absque offensionis periculo possim libere vobiscum agere, monendo, corripiendo, poscendo, præscribendo: ita S. Chrysost. Ambrosius, & Theophyl.

Ubi Notat Anselmus prudentiam S. Pauli quasi optimi medici, qui iam pene sanata vulnera lenissimis medicamentis consolationis & laudis curat, ut prioris obiurgationis ustura sanetur.

(a) Eccli. I. 20. & XIX. 18.
(b) Hic cap. VI. 12.
(c) Ibid.
(d) Virgil. IX. AEneid.
(e) II. Cor. 11. 12.

GORDONI.

Vers. I. HAS HABENTES. Multa promittit Deus vere pœnitentibus ex fine præcedentis capitis. Hinc initio hortatur Apostolus ad pœnitentiam & satisfactionem, IN TIMORE DEI. Sunt certe, ut hic insinuat, peccata, alia carnis, ut luxuria; alia spiritus, ut superbia, ambitio: de quibus & aliis peccatorum divisionibus multa suo loco Theologi.

V. 2. & 3. CAPITE NOS. Amplexamini nos in caritate χωρήσατε; nec est cur ullus inter vos me putet indignum vestra dilectione? nam neminem læsi, &c. Nec ego hæc commemoro, quasi vos culpans, aut arguens. Multa prædixi de meo erga vos amore, & quomodo cupiam mori pro vobis. Multa mihi apud vos fiducia, & gloriatio de vobis.

V. 5. & 6. NAM CUM. Argumentum est, quo suam benevolentiam declarat erga Corinthios. Cum veni in Macedoniam adversis rebus & malis premebar supra modum: tamen ex iis quæ Titus mihi de vobis in optimam partem narravit, tanto gaudio sum affectus, ut pene deleret recordationem etiam præsentium malorum. Audiens enim [vers. 8. & 9.) vestram emendatione pœnitentiam, & desiderium de me vestrum; habui unde gauderem, quod epistola vos contristaverit secundum Deum.

V. 10. 11. & 12. QUAE ENIM SECUNDUM DEUM. Occasionem accipit ex Corinthiorum emendatione, docendi eos in quo sit vera pœnitentia. Initio duplicem distinguit tristitiam. Illa sæculi est, quæ ob iacturam bonorum huius mundi obtingit, sæpe mortem affert & morbos. Altera secundum Deum sancta est, & concepta ob Deum offensum, dicitur contritio, quæ parit castigationem sui in salutem firmam, non pœnitendam ἀμεταμέλητον; sic apud Paulum se habent contritio & castigatio, ut causa & effectus.

Hæc cum ita se habeant, aperta res est errare Novatores: nam Apostolos explicans quid sit pœnitentia; OPERATUR, inquit, SOLICITUDINEM, INDIGNATIONEM, vindictam, seu desiderium reconciliandi se Deo, & satisfaciendi. Unde demum manifestum. veram pœnitentiam & solidam includere contritionem, agnitionem culpæ (ut fit in confessione) & satisfactionem. Ex quibus duo sequuntur, non sola fide, sed etiam pœnitentia iustificari peccatorem: & (quod alterum est) pœnitentiam non esse novam resipiscentiam, & novam vitam. Vide Trident. sess. XIV. cap. VIII. & Tertullianum de pœnitentia, cap. IX. Ceterum hac emendatione ostendistis vos INCONTAMINATOS ESSE NEGOTIO, & nullo modo participes peccati commissi a fornicario. De quo scripsi vobis ad manifestandam solicitudinem nostram.

V. 13.

V. 13. Coram Deo. Concludit hoc caput renuncians gaudium magnum, quo non solum ipse, sed & Titus repletus est, spectator caritatis & emendationis inter Corinthios.

CAPUT VIII.

Hortatur eos ad eleemosynam pauperibus qui Ierosolymis agebant prompto animo tribuendam, tum Macedonum commendatione, tum Christi exemplo; admonens ut quod iamdudum facere proposuerant, id nunc pro cuiusque facultate præstent; & ministros collaudat quos ad eam mittit colligendam.

1. NOtam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ: 2. quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipsorum fuit; & altissima paupertas eorum, abundavit in divitias simplicitatis eorum: 3. quia secundum virtutem testimonium illis reddo, & supra virtutem voluntarii fuerunt, 4. cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerii, quod fit in Sanctos. 5. Et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei; 6. ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam. 7. Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni solicitudine, insuper & caritate vestra in nos, ut & in hac gratia abundetis. 8. Non quasi imperans dico: sed per aliorum solicitudinem, etiam vestræ caritatis ingenium bonum comprobans. 9. Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. 10. Et consilium in hoc do: hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore: 11. nunc vero & facto perficite: ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. 12. Si enim voluntas prompta est; secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet. 13. Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. 14. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: 15. (*a*) * Qui multum, non abundavit: & qui modicum, non minoravit. 16. Gratias autem Deo, qui dedit eamdem solicitudinem pro vobis in corde Titi, & 17. quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cum solicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. 18. Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias: 19. non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram: 20. devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis. 21. (*b*) Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. 22. Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe solicitum esse: nunc autem multo solicitiorem, confidentia multa in vos, 23. sive pro Tito, qui est socius meus *, & in vos adiutor, sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi. 24. Ostensionem ergo, quæ

est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite * in faciem Ecclesiarum.

(a) Exod. xv. 18. (b) Rom. xii. 5.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 15. *Qui multum, non abundavit*. Nomini *multum* non addas verbum *habuit*.

Vers. 23. *Et in vos adiutor*. Retinendus est accusativus *vos*, non substituendus ablativus *vobis*.

Ibidem: *Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi*. Hic retinendus est nominativus *gloria*, non surrogandus, qui vulgo legitur, gentivus *gloriæ*.

Vers. 24. *In faciem Ecclesiarum*. Non mutes accusativum in ablativum *facie*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. GRATIAM DEI QUAE DATA EST; gratiam quam habuerunt Macedones, tum in conferendis eleemosynis, tum in afflictionibus ferendis.

V. 2. MULTO EXPERIMENTO, id est quo magis affligebantur, eo gaudebant magis: & quo pauperiores erant, eo largiebantur amplius & candidius. Id enim significat DIVITIAS SIMPLICITATIS, id est a simplici & candido animo profectas.

V. 3. SECUNDUM VIRTUTEM, id est pro viribus ac supra vires voluntarii fuerunt. Græce αὐθαίρετοι, id est spontanei, & ultronei in largiendo.

V. 4. OBSECRANTES NOS: sub. ut acciperemus; nam Theophylactus hic indicat aliquid deesse. GRATIAM, scilicet eleemosynas colligendi ET COMMUNICATIONEM MINISTERII QUOD FIT IN SANCTOS; id est participaremus in ministerio, quod erga sanctos impenditur in colligenda & accipienda pro illis eleemosyna.

V. 5. ET NON SICUT SPERAVIMUS, id est contra quam sperabamus. Quis enim sperasset ab egenis & afflictis munificentiam? sed, inquit, præter spem nostram; non sua modo, verum se quoque ipsos Deo & nobis obtulerunt.

V. 6. ITA UT ROGAREMUS, &c. Macedonum, inquit, beneficentia adducti, Titum rogavimus ad vos proficisci; UT QUEMADMODUM COEPIT, id est iam in animum induxit facere, PERFICIAT IN VOBIS GRATIAM ISTAM, id est ad imitandum gratuitam Macedonum benevolentiam vos hortetur.

V. 7. & 8. UT IN HAC. Eclipsis est hoc loco, & ideo ante hæc verba supplendum: obsecramus, vel facite, aut quid simile; ut sit sensus; sicut in illis abundatis, ita obsecramus; vel, vos facite ut in hoc quoque abundetis. PER ALIORUM SOLICITUDINEM; id est nequaquam Macedonum vobis beneficentiam repeto, quasi ex imperio ad eos imitanpos vos velim cogere, sed ut per aliorum solicitudinem, Gr. διὰ τῆς σπουδῆς, id est per studium affectumque aliorum; hoc est, intellecto vehementi Macedonum in erogandis eleemosynis studio, VESTRAE CARITATIS INGENIUM BONUM, id est ingenuam ac bonam caritatem vestram comprobem, & ut Græc. explicant, ut proposita vobis Macedonum imitatione caritatem vestram incendam, ac commendabiliorem reddam.

V. 10. & 11. QUI NON SOLUM, id est solum eleemosynas facere cœpistis; SED VELLE; ubi Græci interpretantur τὸ θέλειν, id est velle voluntarie facere, ac nullo exhortante, UT QUEMADMODUM PROMPTUS EST ANIMUS VOLUNTATIS; id est, ut quemadmodum iam ab anno priore promptam sanctis benefaciendi voluntatem habuistis, ITA SIT ET PERFICIENDI; id est, sic vos promptos ad conferendas eleemosynas ostendatis EX EO QUOD HABETIS.

V. 12. SI ENIM VOLUNTAS; id est, prout cuiusque sunt facultates, sic dantis vo-

voluntas Deo est accepta: ut non minus accepta sit voluntas pauperis modicum dantis, quam divitis multum.

V. 13. 14. & 15. NON ENIM UT ALIIS: & hic est eclipsis, supplendumque non enim exigo, ut præterquam facultates vestræ ferunt, dilargiamini: *ita ut aliis remissio sit* nihil conferentibus; vobis autem supra quam potestis dantibus, tribulatio sit & angustia rei familiaris: vel ut aliis sit remissio, id est ut alii vestra beneficentia ditati remissius vivant & delicatius in otio, vobis autem sit rei familiaris angustia. SED EX AEQUALITATE, id est sed volo, ut in præsenti tempore ex æqualitate, id est per quandam æqualitatem vestra abundantia, id est opulentia, illorum inopiam suppleat; illis enim indigentibus ac vobis abundantibus multa est inæqualitas. Quod si vestris facultatibus illorum indigentiam sustuleritis, iam fiet quædam æqualitas, dum ipsi ex eo quod satis est, contenti, tantumdem habebunt quantum & ditissimi, nimirum quantum volent: volo ergo vos illis subvenire, *ut fiat æqualitas*, id est ut æqualiter omnibus necessaria sufficiant: SICUT SCRIPTUM EST, QUI MULTUM; scilicet collegit, NON ABUNDAVIT: ET QUI MODICUM collegit, NON MINORAVIT, id est nihil minus habuit. Adaptat autem hoc loco Paulus historiam sumpta Exod. XVI. ubi dicitur quod iussis filiis Israel manna colligere quantum cuique satis esset ad vescendum, quum alius plus, alius minus collegisset; qui plusquam par erat sibi collegerat, non plus reperit quam illi opus erat, neque qui minus eo collegerat, minus quam sibi opus erat reperit. Quia ergo licet alii plus, alii minus collegerant, ex quo quantum cuique satis erat tantundem reperit, in hoc inventa est æqualitas. Similiter si divites de superfluo sanctis necessaria suppeditarent, tunc fiet æqualitas: quia utrisque forte sua contentis satis erit: sic mihi videtur intelligendus locus. Quod vero intercedit, UT ET ILLORUM ABUNDANTIA VESTRAE INOPIAE SIT SUPPLEMENTUM, id est ut ipsi de spiritualibus bonis quibus abundant, vestram penuriam suppleant, per parenthesim est legendum. Quod vero quidam interpretantur æqualitatem, compensationem bonorum spiritualium quæ a sanctis accipiunt, non videtur mihi quadrare cum loco allegato, *qui multum, non abundavit:* præsertim quum verbum Græc. ἰσότης, id est *æqualitas*, non sumatur pro remuneratione.

V. 17. EXHORTATIONEM SUSCEPIT; id est, etsi ad hoc exhortati illum sumus, sua tamen voluntate, id est alioqui volens & lubens est profectus, QUUM *de vobis* SOLLICITIOR ESSET, id est magno vestri studio ac zelo teneretur.

V. 18. & 19. FRATREM NOSTRUM. Quidam Lucam hunc putant, quidam Barnabam propter id quod sequitur, ORDINATUS EST COMES PEREGRINATIONIS NOSTRAE IN HANC GRATIAM QUAE MINISTRATUR A NOBIS, id est ad colligendam fidelium eleemosynam, quæ confertur in sanctos QUAE ILLIS A NOBIS ADMINISTRATUR AD DEI GLORIAM, ET DESTINATAM VOLUNTATEM NOSTRAM. Græc. προθυμίαν, id est iuxta promptam animi nostri voluntatem.

V. 20. DEVITANTES, id est imprimis caventes: & refertur ad misimus. PLENITUDINE, id est eleemosynarum abundantia.

V. 21. PROVIDEMUS, id est enitimur ut bene audiamus Deo & hominibus, & recte ac probe non coram Deo tantum versemur, SED ETIAM CORAM HOMINIBUS, ne quem offendamus. Sic Græca scholia.

V. 22. SOLICITUM, id est studiosum misimus, inquit, & alium fratrem quem sæpe experti sumus solicitum esse: NUNC AUTEM MULTO SOLICITIOREM, id est studiosiorem vestri, MULTA CONFIDENTIA IN VOS, id est multam confidentiam quam de vobis habet.

V. 23. SIVE PRO TITO, Græc. εἴτε ὑπὲρ Τίτου κοινωνὸς ἐμὸς εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν: vel hic unus locus arguit Paulum, quod ipse fatetur imperitum fuisse sermone; est enim hoc loco solœcismus ὑπὲρ Τίτου κοινωνὸς ἐμός, id est *pro Tito socius meus*; similiter, εἴτε ἀδελφοὶ ἀδελφῶν: unde sermonis incommodum vitans Ambr. ita legit, *sive per Titum qui est socius meus, sive per fratres nostros Apostolos*. Est autem sensus, misimus alium fratrem studiosum vestri & confidentem de vobis. Alii τὸ confidentiam referunt ad τὸ misimus, intelligentes de Paulo, ut sit sensus, misimus & alium fratrem multum confidentes de vobis sive pro Tito, sive ob Titum, qui hanc mihi aut illi confidentiam peperit: sive, sub. hanc mihi

mihi confidentiam pepererunt fratres nostri Apostoli Ecclesiarum.

V. 24. OSTENSIONEM. Græc. ἔνδειξιν ἐνδείξασθε, id est specimen exhibete VESTRAE CARITATIS, ET NOSTRAE GLORIAE: καυχήσεως, id est gloriationis PRO VOBIS; id est, ostendite quod & me amatis, & ego iure de vobis glorior: OSTENDITE autem IN FACIE ECCLESIARUM, id est ita ut Ecclesiæ, unde ad vos missi sunt, cognoscant ex vestra in illos nostro nomine benevolentia, quod nos amatis, neque iniuria de vobis glorior. Pro eo autem quod est *in facie*, Græci habent, εἰς πρόσωπον, id est *in personam Ecclesiarum*; quasi dicat: Caritatem quam in illos impenditis, in ecclesias impenderitis.

S A.

Vers. 1. GRATIAM DEI, scilicet ad faciendam eleemosynam, & libenter patiendum.

V. 2. IN MULTO, &c. quasi dicat, Experti multas tribulationes, valde sunt lætati. ALTISSIMA, id est maxima. Græc. *profunda*. IN DIVITIAS, &c. quasi dicat, Ad largiendum cum magna animi sinceritate.

V. 3. VIRTUTEM, id est facultatem. ET; pro, immo vero. VOLUNTARII, id est spontanei largitores.

V. 4. CUM MULTA, &c. quasi dicat, Valde instanter. NOS, scilicet, ut acciperemus. GRATIAM, id est eleemosynæ beneficium. ET; pro, id est. MINISTERII, id est subsidii.

V. 5. ET NON; pro, & non solum. SED; pro, sed etiam. PER VOLUNTATEM DEI, id est Deo volente, eosque ad id movente; vel, ad Dei voluntatem faciendam, scilicet per nos eis indicatam.

V. 6. ITA, &c. quasi dicat, Quod nobis animum dedit, ut, &c. GRATIAM, id est eleemosynam.

V. 7. SERMONE, id est exhortatione. SCIENTIA, scilicet rerum divinarum, seu, prudentia. ABUNDETIS, scilicet hortamur.

V. 8. ALIORUM, scilicet Macedonum. SOLICITUDINEM*, scilicet in danda eleemosyna. INGENIUM, id est animum, seu affectum. Græc. *ingenuitatem*. COMPROBANS, id est probans, seu explorans, vel provocans.

V. 10. HOC, id est re hac. NON SOLUM FACERE, scilicet nunc: vel sunt verba transposita. Syr. *non solum velle, sed etiam facere*, &c. Vide cap. sequens. PRIORE, id est superiore.

V. 11. VOLUNTATIS; pro, volendo. PERFICIENDI; pro, perficiendo.

V. 12. SECUNDUM ID, &c. Hinc forte illud sumptum: Voluntas pro facto reputatur.

V. 13. REMISSIO, id est relaxatio. TRIBULATIO, scilicet volumus. EX AEQUALITATE, id est pro cuiusque viribus: vel, iuxta id quod statim sequitur.

V. 14. ILLORUM, scilicet Macedonum. ILLORUM ABUNDANTIA, scilicet cum erit, & vos indigebitis. SCRIPTUM, scilicet de manna.

V. 15. MULTUM, scilicet collegit. ABUNDAVIT, id est plus habuit. scilicet quam ceteri, MINORAVIT, id est minus habuit, scilicet certa quædam singulis mensura præscripta erat ad cibum.

V. 17. EXHORTATIONEM, scilicet meam. SOLICITIOR; pro, valde solicitus. VOLUNTATE, id est sponte. forte fuerat prius profectus, quam ei a Paulo præscriptum erat.

V. 18. FRATREM, scilicet Lucam, vel Barnabam, vel Apollo. EVANGELIO, scilicet scripto (si Lucas intelligatur) vel prædicato.

V. 19. AUTEM, scilicet id. GRATIAM, id est eleemosynam colligendam. Forte alludit ad illud, quod dicit Gal. II. DESTINATAM, id est promptam. NOSTRAM. Græc. *vestram*, scilicet implendam.

V. 20. DEVITANTES, id est caventes. PLENITUDINE, id est copia, scilicet pecuniæ.

V. 22. FRATREM. Incertum quem dicat. IN VOS; pro, de vobis.

V. 23. PRO TITO, id est causa Titi, scilicet facite. FRATRES NOSTRI, id est pro reliquis fratribus nostris. GLORIA; pro, ad gloriam.

V. 24. GLORIAE PRO VOBIS, id est gloriationis de vobis; quasi dicat, Exhibete vos ut postulat caritas vestra, & nostra gloriatio. FACIEM, id est conspectum.

MARIANAE.

Verf. 1. GRATIAM DEI nuntio vobis. Eleemofynæ largitio, gratia Dei eft: ob id Macedones laudat.

V. 2. IN MULTO EXPERIMENTO TRIBULATIONIS; id eft, quamvis multa egeftate præmerentur, cum gaudio contulerunt eleemofynam. IN DIVITIAS SIMPLICITATIS EORUM, id eft promptitudinis, abundavit eorum paupertas: fignificat non coacte, fed fponte erogaffe; nihil impediente eorum paupertate.

V. 4. OBSECRANTES NOS: fupple, ut acciperemus: δέξασθαι ἡμᾶς. GRATIAM, id eft eleemofynam, quam offerebant. ET COMMUNICATIONEM, id eft ut participarent minifterio, id eft erogatione, quæ fit in Sanctos, id eft fideles. Macedoniæ exemplo excitat Corinthios.

V. 5. ET NON SICUT SPERAVIMUS. Maior fpe fuit liberalitas, qua incitati fumus.

V. 6. ITA UT ROGAREMUS TITUM, ut vos ad imitationem excitet, ut iam cœpit.

V. 7. SED; pro, omnino, fupple, rogamus, ut ficut in aliis excellitis virtutibus, ita in hoc. INSUPER ET CARITATE. Vox *infuper* Græce non eft, nec Gotth. nec in aliis Latinis codicibus quibufdam.

V. 8. SED PER ALIORUM SOLICITUDINEM, feu *affectum*, σπουδῆς. INGENIUM BONUM, γνήσιον, *ingenuitatem* veftræ caritatis COMPROBANS, feu *probans*, explorans, δοκιμάζων, Syr. *conftantiam caritatis veftræ experior*, id eft fociorum exemplo vos excito.

V. 10. NON SOLUM FACERE, SED ET VELLE, id eft ultro, nemine impellente cepifti facere, & libenter. Aut *velle* fit, ulterius progredi voluiftis; nam fequitur,

V. 11. NUNC VERO ET FACTO PERFICITE, fcilicet voluntatem eam.

V. 12. VOLUNTAS .... SECUNDUM ID QUOD HABET ACCEPTA EST, id eft placet. Date quod poteftis. Non plus pauperes, minus divites.

V. 13. SED EX AEQUALITATE, id eft quifque eroget pro ratione eius quod habet; plura divites, pauperes pauciora. Alioqui aliis effet remiffio, nempe divitibus; aliis tribulatio, inopibus. Eft & alia æqualitas.

V. 14. IN PRAESENTI, vos fuppletis eorum qui in Iudæa funt, inopiam. Illi cum abundabunt, tantumdem erga vos facient.

V. 15. QUI MULTUM, NON ABUNDAVIT. Exemplo manna, ubi qui multum collegit, non plus habuit quam qui parum: æqualitatem in hac erogatione effe vult.

V. 17. EXHORTATIONEM; id eft, ego Titum hortatus fum, ut ad vos iret; fed & ipfe fua fponte ivit.

V. 18. FRATREM. Aut Barnabam, aut Lucam, qui fcripfit Evangelium: id fignificat, CUIUS LAUS EST IN EVANGELIO, qui fcripfi, aut qui prædicat Evangelium.

V. 20. DEVITANTES HOC; fcilicet ne quis fufpicetur malum, voluimus in hoc minifterio & erogatione habere comitem: fratrem quem Ecclefiæ voluerunt, eum ad vos mitto.

V. 22. MISIMUS AUTEM CUM ILLIS ET FRATREM NOSTRUM. Quis hic? quidam Apollo fufpicantur. CONFIDENTIA MULTA IN VOS, fcilicet eos mifimus, qui de vobis multum confidunt.

V. 23. SIVE PRO TITO; quafi dicat: Sufcipite illos five propter Titum, five propter ipfos, qui funt fratres noftri & Apoftoli. Oratio ecliptica: multa fupplenda. GLORIA CHRISTI: fic lege, non *gloria*. Sunt Apoftoli gloria Chrifti, quia per eos glorificatur.

V. 24. OSTENSIONEM ERGO, id eft fpecimen, *mueftra* oftendite. IN FACIEM. Sic etiam lege, non *in facie*. Significat autem & vult, ut publice & coram omnibus oftendat in illos caritatem, ut aliæ Ecclefiæ ædificentur id intelligentes.

MENOCHII.

Verf. 1. GRATIAM DEI, &c. id eft patientiam, liberalitatem, mifericordiam, quam Deus dedit Chriftianis Macedoniæ.

V. 2. QUOD IN MULTO EXPERIMENTO, &c. quafi dicat: Cum in variis tribulationibus quafi experimentis probarentur, erant in magno gaudio, eoque abundabant. ET ALTISSIMA, ἡ κατὰ βάθους, id eft profundiffima, & quafi ad fundum ufque exhaufta paupertas. ABUNDAVIT IN DIVITIAS SIMPLICITATIS EORUM, hoc eft, in copiam, & abundantiam benignitatis, & eleemofy-

mosynæ eorum; quasi dicat: Macedones copiosissime, & benignissime sua largiti sunt, cum essent pauperes. SIMPLICITATIS EORUM. Simplicitas hic significat candidam, liberalem, & alacrem elargiendi voluntatem.

V. 3. SECUNDUM VIRTUTEM: secundum vires, & opes suas. TESTIMONIUM ILLIS REDDO: ut ego testis sum. VOLUNTARII FUERUNT; non rogati, non provocati, sponte, & ultro tam liberales fuerunt, ut supra vires facultates contribuerent.

V. 4. EXHORTATIONE: instantia, & precibus. OBSECRANTES NOS: ut oblata acciperemus. GRATIAM: gratuita dona. ET COMMUNICATIONEM MINISTERII: ea quæ ipsi ministrabant, & donabant, bona sua cum pauperibus communicantes. IN SANCTOS: ad sublevandam inopiam pauperum Ierosolymitanorum.

V. 5. ET NON SICUT SPERAVIMUS; scilicet, fecerunt; quasi dicat: Multo amplius dederunt, quam speraveramus: sua largitate spem nostram superaverunt. DEINDE NOBIS: parati facere, & dare quicquid voluissemus. PER VOLUNTATEM DEI: Deo illis hanc mentem inspirante, ut liberales essent cum pauperibus Ierosolymitanis.

V. 6. ITA UT ROGAREMUS TITUM, &c. quasi dicat: Rogavimus Titum, ut sicut nos in Macedonia, ita ipse colligeret Corinthi eleemosynas. Stimulat exemplo Macedonum Corinthios, ut largi sint in contribuendo. PERFICIAT IN VOBIS GRATIAM ISTAM: ne vos quid minus Macedonibus habeatis, promoveat, & perficiat in vobis gratiam, donum & studium hoc liberalitatis in pauperes.

V. 7. ET SERMONE: hoc est, dicendi facultate, sive interpretatione sermonis, sive, ut ait Anselmus, facultate linguarum, sive denique sermone sapientiæ. ET SCIENTIA: cognitione divinorum mysteriorum. SOLICITUDINE: σπουδῇ, diligentia, & solicitudine, quam habebant pro salute fratrum. CARITATE VESTRA IN NOS. Amore, quo nos complectimini. IN HAC GRATIA ABUNDETIS: in hac gratia eleemosynas largiendi excellatis.

V. 8. PER ALIENAM SOLICITUDINEM; scilicet, per exemplum Macedonum, qui tam soliciti fuerunt subvenire pauperibus. VESTRAE CARITATIS INGENIUM BONUM: ὑμετέρας ἀγάπης γνήσιον, *vestræ caritatis sinceritatem:* veram, sinceram, & minime fucatam caritatem. γνησίαν ἀγάπην. COMPROBANS: δοκιμάζων, explorans, & probans.

V. 9. GRATIAM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI: beneficium, quod gratuito nobis contulit Christus. EGENUS FACTUS EST: indigens rerum temporalium, scilicet, in natura assumpta. In Græco est, ἐπτώχευσε *mendicus factus est*. CUM DIVES ESSET: intellige in divina natura. In Græco est, πλούσιος ὤν, *dives existens*, neque dives esse desiit quando pauper factus est, quia non desiit esse Deus, quando factus est homo. UT ILLIUS INOPIA VOS DIVITES ESSETIS: ut illius paupertate in temporalibus, vos efficeremini divites in spiritualibus; quasi dicat: Ergo & vos Corinthii eleemosynis vestris pauperes ditate.

V. 10. IN HOC: in hac re. HOC ENIM UTILE EST VOBIS: multa enim bona spiritualia vobis conciliat hæc largitio temporalis. SED VELLE: sed prompto, & liberali animo dare, quod pluris est faciendum ipsa largitione.

V. 11. PERFICITE: quod cœpistis. UT QUEMADMODUM PROMPTUS EST ANIMUS VOLUNTATIS; id est, ut quemadmodum inest nobis promptitudo volendi. ITA SIT ET PERFICIENDI, alacritas. EX EO QUOD HABETIS, id est pro facultate vestra, & opibus.

V. 12. ACCEPTA EST NON SECUNDUM ID QUOD HABET: accepta est, nec illius meritum ex eo mensuratur quod non habet, quasi non possit mereri, si non habeat, & illud de facto det; sed potest etiam si non det multum, sed prompte, & magna caritate, multum mereri.

V. 13. NON ENIM UT ALIIS SIT REMISSIO, VOBIS AUTEM TRIBULATIO; quasi dicat: Non impero ut tantam eleemosynam detis; quo pauperes laute vivant, vos autem necessitatem subeatis. SED EX AEQUALITATE: ut scilicet, utrique ab extremis recedatis, ut scilicet, vos detis superflua, pauperibus autem non desint necessaria. ET ILLORUM ABUNDANTIA, &c. bonorum spiritualium, sit supplementum inopiæ vestræ spiritualis, ita ut seminetis temporalia, metatis spiritualia, & æterna. UT FIAT AEQUALITAS: ut scilicet utrique vestrum dent id quo abundant, & recipiant id quo carent.

V. 15. SICUT SCRIPTUM: Exod. XVI. 18. iuxta LXX. QUI MULTUM; scilicet manna collegit. QUI MULTUM NON ABUNDAVIT: qui multum manna collegit, non propterea ceteris plus habuit. ET QUI MODICUM NON MINORAVIT: & qui modicum eiusdem collegerat, non minus habuit eo qui plus collegerat. Vide Exod. XVI. 18. Ex hac manna historia sic argumentatur Apostolus: Deus æqualem omnibus mensuram dabat manna; ergo par est ut etiam Christiani paritatem quandam colant, ut qui abundant opibus, egentibus tribuant, & ita illos in vitæ necessariis sibi æquent, ut nemo superflua habeat, nemo necessariis destituatur.

V. 16. EAMDEM SOLLICITUDINEM: idem studium excitandi vos ad beneficentiam in pauperes, quo ego Macedones excitavi.

V. 17. EXHORTATIONEM SUSCEPIT: munus exhortandi vos ad eleemosynam. SED CUM SOLICITIOR, id est sponte sua incitatus ad promovendum hoc negotium colligendarum eleemosynarum. SUA VOLUNTATE: αὐθαίρετος, sponte sua, me non multum iubente, aut rogante.

V. 18. CUIUS LAUS EST IN EVANGELIO; scilicet prædicando. Baronius putat Silam intelligi. Divus Hieronymus, Lucam Evangelistam: Iustinianus, Barnabam Apostolum.

V. 19. NON SOLUM AUTEM, scilicet laudem habet in Evangelio. ORDINATUS EST χειροτονηθείς; quasi dicat, impositione manuum initiatus. AB ECCLESIIS: non quod Paulus, & Lucas, sive Silas aut Barnabas a multitudine manuum impositione ordinati sint, sed quod tota approbante multitudine a legitimis ministris essent initiati. IN HANC GRATIAM, QUAE MINISTRATUR A NOBIS. In Græco est, σὺν τῇ χάριτι ταύτῃ, *cum hac gratia*; quasi dicat, Hoc adiecto onere colligendi, ministrandique has eleemosynas. Vel ad hoc gratuitum ministerium colligendi eleemosynas. ET DESTINATAM VOLUNTATEM NOSTRAM; hoc est, ad alacritatem animi nostri declarandam, in hoc tam pio Dei, & pauperum obsequio. In Græco est, τὴν προθυμίαν ὑμῶν, *Et vestram promptitudinem*; quasi dicat, Hoc ministerium colligendi eleemosynas suscepimus, ut vos ad illas erogandas promptiores redderemus.

V. 20. NE QUIS VOS VITUPERET: nisi Titum, & Lucam ad eleemosynas tam largas colligendas, ne quis suspicetur eas me mihi ad privatos usus colligere. PLENITUDINE: ἁδρότητι, abundantia, exuberantia, scilicet nummorum. . . .

V. 21. PROVIDEMUS ENIM BONA: curamus ut bene, & honeste agamus, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ita ut locus oblocutionibus non relinquatur.

V. 22. FRATREM NOSTRUM. Aliqui putant Apollo intelligere, quem superiori Epistola cap. XVI. 12. ad eos aliquando profecturum scripserat; res tamen est incerta. SOLLICITUM ESSE: diligentem, CONFIDENTIA MULTA IN VOS; quasi dicat: Confidens multum, & sperans, illos, ut par est, a vobis honeste, & amanter excipiendos.

V. 23. SIVE PRO TITO, id est ob amorem, & reverentiam Titi. SOCIUS MEUS: in negotio prædicationis Evangelii. ET IN VOS ADIUTOR: cooperator meus in promovenda salute vestra. SIVE FRATRES NOSTRI; pro, *sive propter fratres nostros*; ponitur enim nominativus pro accusativo, ut sensus sit, partim propter fratres cum Tito missos, qui sunt Apostoli Ecclesiarum, partim propter Titum ipsum confido quod illos digne, ut par est, suscipietis. GLORIA CHRISTI: qui scilicet Apostoli sunt Christi gloria, illa enim procurant, & promovent.

V. 24. OSTENSIONEM ERGO QUAE EST CARITATIS VESTRAE; quasi dicat: Charitatem ostendite insignem in Titum, & socios, scilicet, eam, quæ decet vos, & vestram liberalem caritatem. ET NOSTRAE GLORIAE PRO VOBIS: qualem decet gloriationem nostram de vobis. IN FACIEM ECCLESIARUM: in conspectu omnium Ecclesiarum.

TIRINI.

Vers. 1. GRATIAM DEI QUAE DATA EST IN ECCLESIIS MACEDONIAE, vocat liberalitatem & munificentiam in pauperes, simul & patientiam in adversis.

V. 2. QUOD IN MULTO & molesto EXPERIMENTO ac tolerantia TRIBULATIONIS, maior ABUNDANTIA FUIT GAUDII: ET ALTISSIMA; Græce, *profundissima*, id est ma-

maxima, PAUPERTAS EORUM, ABUNDAVIT & redundavit ad largiendum DIVITIAS, id eſt copioſas eleemoſynas, SIMPLICITATIS *a*, id eſt promptæ benignitatis & candidæ liberalitatis ſuæ; quaſi dicat: Macedones, etſi plane exhauſti & extreme pauperes, liberaliſſime tamen & copioſiſſime contulerunt de ſuo,

V. 3. VOLUNTARII, id eſt ultronei, non provocati, non rogati: & quidem SUPRA VIRTUTEM, ſupra vires ſuas.

V. 4. OBSECRANTES nos prolixe & inſtanter, ut admitteremus oblatam ab ipſis GRATIAM, id eſt gratuita dona, ET COMMUNICATIONEM MINISTERII; nempe ut & ipſi permitterentur conferre aliquid in ſubſidium pauperum Chriſtianorum, inquit Theophylactus.

V. 5. NON SICUT SPERAVIMUS, ſuas tantum facultates in eum uſum obtulerunt, SED & SEMETIPSOS & ſuaſmet perſonas, PRIMUM DOMINO, divinoque cultui deſervituras; DEINDE & NOBIS PER VOLUNTATEM DEI; id eſt, ut iuſſui & nutui noſtro, tamquam vicariorum Dei, in omnibus obſequerentur. Quæ inſperata ipſorum liberalitas cauſa fuit,

V. 6. UT ROGAREMUS TITUM, ut ſicut nos, in Macedonia, ita ipſe Corinthi pergat promovere hanc bene cœptam eleemoſynarum collectionem. Hac enim via ſtatui

V. 8. VESTRAE CARITATIS INGENIUM BONUM, id eſt liberalem indolem, & pium affectum, *comprobare*; Græce, *probare*, explorare. Mox exemplo Chriſti ipſos excitat:

V. 9. SCITIS & exploratam habetis eximiam GRATIAM CHRISTI, id eſt beneficium nobis gratuito ab ipſo collocatum: QUONIAM CUM DIVES ESSET, utpote cæli & terræ Dominus, tamen PROPTER VOS FACTUS EST EGENUS; Græce, *mendicus*, carens ultro bonis omnibus terrenis, quorum tamen erat dominus: idque UT ILLIUS temporalis *inopia* merito vos evaderetis DIVITES in ſpiritualibus, puta cæleſti doctrina, gratia, iuſtitia, gloria: ita S. Chryſoſtomus & Anſelmus. Ergo & vos Corinthios decet eleemoſynis veſtris pauperes fratres ditare.

V. 10. VELLE COEPISTIS. Græce, προενήρξασθε, id eſt primum cœpiſtis, ſeu primi auctores fuiſtis, primi dixiſtis vos velle omnino iuvare pauperes Ieroſolymitanos, & ſic alios quoque provocaſtis *b* ad idem faciendum.

V. 12. SI VOLUNTAS benefaciendi PROMPTA EST, SECUNDUM ID QUOD HABET, id eſt dans ſecundum facultates & opes quas habet, ACCEPTA EST Deo & meretur apud Deum: NON vero SECUNDUM ID QUOD NON HABET, accepta eſt aut menſuratur eius meritum: quaſi mereri non poſſit ſi non habeat quod de facto donet: nam poteſt, etiamſi non multum det, tamen multum mereri, dummodo quod dare poteſt, det prompte & magna caritate: ita S. Chryſoſtomus, Ambroſius, Anſelmus.

V. 13. & 14 Non urgeo, tantam vim pecuniæ conferatis, UT Ieroſolymitanis inde SIT omnimoda REMISSIO; Græce, *relaxatio* ab omni indigentia: VOBIS AUTEM ſuboriatur inde TRIBULATIO, ſeu indigentia: SED velim EX AEQUALITATE vos agere; ut nimirum vos detis veſtra ſuperflua, pauperibus autem non deſint neceſſaria: & ſic utrique ab extremitate recedatis. UT ILLORUM ABUNDANTIA in bonis ſpiritualibus SUPPLEMENTUM EST VESTRAE INOPIAE ſpiritualis: ſicut veſtra abundantia in bonis temporalibus ſupplet illorum inopiam temporalem: UT FIAT AEQUALITAS, dum utique datis id quo abundatis, & recipitis id quo caretis. SICUT SCRIPTUM (Exodi XVI. 18. iuxta LXX.) de antiquis Iſraelitis in deſerto:

V. 15. QUI MULTUM manna collegerat, NON ideo ABUNDAVIT, aut plus ceteris habuit; nam domum reverſus non plus quam gomor (*c* unum) reperiebat: ET QUI MODICUM manna collegerat, NON MINORAVIT, id eſt non minus quam menſuram *gomor* plenam reperiebat, angelo inviſibiliter hic quod deerat ſupplente, illic quod ſupererat detrahente. Ita nempe par eſt, ut & vos Chriſtiani paritatem ſeu æqualitatem aliquam rerum neceſſariarum curetis, ſicut Deum feciſſe videtis in ſubminiſtratione mannæ ſeu alimoniæ cælitus ſubmiſſæ, inquit S. Chryſoſt. & Theophyl.

V. 17. EXHORTATIONEM QUIDEM, id eſt munus exhortandi vos ad eleemoſynam, SUSCEPIT a nobis Titus: SED aliis ſtimulis non eguit, CUM ex ſe SOLLICITIOR ESSET ad promovendum hoc negotium; unde & SUA VOLUNTATE ac ſponte, me non multum rogante, PROFECTUS EST eum in finem AD VOS: ita Anſelmus.

V. 18.

V. 18. CUM ILLO MISIMUS FRATREM, CUIUS LAUS eximia EST IN EVANGELIO prædicando. Hunc Chrysoft. Theodoret. Oecumen. & Iustinianus putat fuisse *Barnabam* Apostolum. Sed Barnabas iam pridem a Paulo secesserat *d*. Unde probabilius cum Baronio dixeris, fuisse *Silam*, qui pro Barnaba factus est socius Pauli *e*. Sed omnium probabilissime S. Hieronymus & Anselmus intelligunt Evangelistam *Lucam* individuum tunc Pauli comitem. Nam & hunc S. Ignatius Martyr in sua ad Ephesios epistola, eodem quo hic Paulus titulo condecorat, dum ait: *Testatur Lucas, cuius laus est in Evangelio*, non tantum prædicando, sed & conscribendo.

V. 20. NE QUIS NOS VITUPERET IN HAC PLENITUDINE; id est, ne occasione tam largæ pecuniarum collectæ suspicetur quis, vel spargat, me mihi illas corradere in privatos usus; ideo volui rem totam aliis, & quidem probatissimis viris, committi. Unde & duobus iam dictis *Tito* & *Luca* iunximus etiam tertium.

V. 22. FRATREM NOSTRUM: forte *Silam*, qui Paulo tum aderat: forte *Apollo*, quem nuper *f* scripserat, ad eos excursurum, inquit Anselmus. Hos autem misimus CONFIDENTIA MULTA IN VOS, id est omnino confidentes, quod ipsos quo par est honore & amore excipietis.

V. 23. SIVE PRO TITO, id est ob venerationem Titi: sive ob reverentiam aliis duobus debitam, qui *confratres* NOSTRI sunt, & APOSTOLI ECCLESIARUM, ab Ecclesiis ad hoc munus speciatim delegati; ET GLORIA CHRISTI, quam procurant & promovent: ita Anselmus.

V. 24. IN ILLOS ERGO OSTENDITE palam & IN FACIEM, seu in conspectum, omnium ECCLESIARUM, OSTENSIONEM & realem exhibitionem CARITATIS eximiæ & excellentis, quæ & vobis honori sit, & mihi argumento de VOBIS apud alios gloriandi: ita idem Anselmus.

(a) Infr. cap. ix. 11. & 13.
(b) Cap. seq. vers. 2. & 3.
(c) Proleg. de mensuris.
(d) Act. xv. 40.
(e) Ibid.
(f) I. Cor. ult. 12.

GORDONI.

Vers. 1. PLeraque tota hac reliqua epistola agit, & docet Apostolus. Sed res est de qua prolixe agunt Theologi, cum disserunt de caritate & misericordia, unde imperatur actus eleemosynæ. De origine collectæ, ex fame quæ accidit anno Christi 44. sub Claudio, dixi Act. xi. 28. ubi de collecta tunc facta, a quo tempore perduravit mos iuvandi per collectas Christianos qui in prima illa erant Ecclesia Ierosolymis, & dura patiebantur a Iudæis. Collecta vero de qua hic loquitur Paulus, aliquot post annis contigit. Scripsit enim Paulus hanc secundam epistolam anno Christi 58. & septimo anno post Concilium Ierosolymitanum.

Initium sumit Paulus a patientia, paupertate, & simul a liberalitate Macedonum in pauperes. Sua, inquit, largiti sunt, cum essent pauperes. Hoc profert ad exemplum quod imitentur Corinthii. Per simplicitatem intelligo in his virtutibus eorum candidam mentem, cuius testem se profitetur Paulus. Accessit porro (vers. 4.) eorum exhortatio, qua rogabant me ut hanc gratiam, & dona eorum gratuita acceptarem, ad sublevandos sanctos in fide.

V. 6. & 7. ITA UT ROGAREMUS. Ex illo antecedente de Macedonibus infertur hæc redditio & ἀπόδοσις. Rogavi, inquit, Titum, ut quod ego perfeci apud Macedonas, hoc ipse præstaret apud vos, similemque a vobis obtineret gratiam abundantem, sicut in multis aliis rebus estis abundantes.

V. 8. NON QUASI IMPERANS. Lenit petitionem. Nihil in hoc per imperium gero; sed exploro vestram minime fucatam caritatem, & provoco ad eam vos exemplo Christi, qui eos in donis cælestibus divites effecit magna liberalitate.

V. 10. & 12. HOC ENIM VOBIS UTILE EST. Præter allatum Christi exemplum, tria adhuc subiiciuntur reliquo capite argumenta in hoc genere suasorio ad collectam. Unum est hoc versu decimo; quia ita voluistis, & promissione spem fecistis huius gratiæ: quapropter ut fuit in vobis volendi promptitudo, ita sit exequendi alacritas. SI ENIM VOLUNTAS. Magni momenti est hæc alacritas. Non expendit Deus meritum

ex

ex eo omnino, quod aliquis habeat in bonis multum vel parum; sed vel maxime ex alacritate dantis, ex accepta Deo voluntate, & ampliore caritate.

V. 13. & 14. NON ENIM UT ALIIS. Novum est argumentum exhortatorium ab æqualitate, quam his verbis designat. Non, inquit, expeto, ut hæc vestra erogatio sit pauperibus ad abundantiam, & quæ vos redigat ad inopiam; sed est ut servetur æqualitas; quæ fiet dum vos dabitis pauperibus superflua, ut inde vobis refundantur spiritualia. Sic nec vos eritis in tanta abundantia, nec illi in tanta inopia; vitabunturque duo extrema, ut sit locus mediocritati. Ad hæc citat Exod. XVI. 18. ubi similis in manna servabatur moderatio, ut ibidem dixi.

V. 16. GRATIAS AUTEM DEO. Proficiscitur ergo ad vos Titus, eandem quam ego habens solicitam cogitationem pro pauperibus. FRATREM (vers. 18.) Multi hunc putant esse Barnabam, qui scilicet Act. XIII. 3. ordinatus est socius Pauli. Alii Silam intelligunt ex Act. XV. 40. Tamen Hieronymus & Anselmus dant Lucam individuum Pauli comitem. ORDINATUS EST (vers. 19.) χειροτονηθεὶς, manuum impositione consecratus. Vide Act. XIV. 22. DESTINATAM VOLUNTATEM NOSTRAM, de collecta declarandam. In Græco non est ἡμῶν, *nostram*, sed ὑμῶν, *vestram*, designans voluntatem Corinthiorum.

V. 22. MISIMUS AUTEM CUM ILLIS. Hoc loco τὸ, FRATREM, est Apollo, ut multis videtur: quod colligunt ex I. Cor. cap. XVI. 12. Insequentes versiculi 23. & 24. indicant fiduciam qua sperat hos fratres, qua sunt benevolentia in Corinthios, benevole recipiendos.

CAPUT IX.

Prosequitur hortando ad eleemosynam prompte & abundanter tribuendam; admonens ne ex hoc inopiam metuant, sed divinæ fidant providentiæ: variosque recenset illius eleemosynæ fructus.

1. NAm de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. 2. Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio provocavit plurimos. 3. Misi autem fratres: ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati sitis: 4. ne cum venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicamus vos) in hac substantia. 5. Necessarium ergo existimavi rogare fratres, * ut præveniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tamquam avaritiam. 6. Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 7. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: (*a*) hilarem enim datorem diligit Deus. 8. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, 9. sicut scriptum est: (*b*) Dispersit, dedit pauperibus *: iustitia eius manet in sæculum sæculi. 10. Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ: 11. ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gra-

gratiarum actionem Deo. 12. Quoniam ministerium huius officii, non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, 13. per probationem ministerii huius glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in Evangelium Christi, & simpliciate communicationis in illos, & in omnes, 14. & in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. 15. Gratias Deo super inenarrabili dono eius.

(a) Eccli. xxxv. 11. (b) Psal. cxi. 7.

COMMENTARIA

ROMANA CORRECTIONES.

Vers. 5. *Ut præveniant ad vos*. Non scribas *perveniant*, pro *præveniant*, quod est ante veniant.

Vers. 9. *Iustitia eius manet in sæculum sæculi*. Alii scribunt *in æternum* pro *in sæculum sæculi*.

BRUGENSIS

GAGNAEI.

Vers. 1. NAM DE MINISTERIO, id est faciendis eleemosynis, EX ABUNDANTI EST MIHI; hoc est, supervacaneum est vobis iam ad hoc paratis scribere.

V. 2. ACHAIA; id est, non modo Corinthus, sed universa Achaia parata est sanctis largiri eleemosynas.

V. 3. NE QUOD GLORIAMUR; id est, ne gloriatio nostra de vobis inanis reperiatur.

V. 4. IN HAC SUBSTANTIA. Græce, ἐν τῇ ταύτης ὑποστάσει καυχήσεως, id est in hac substantia gloriationis huius; id est, ne erubescamus nos de hoc genere gloriationis, quo gloriati sumus de vestra in sanctos beneficentia: UT NON DICAMUS vos, & hoc per parenthesim, id est ut interim de vobis taceamus: ὑπόστασις autem naturam cuiusque rei significat, & ideo mihi videtur non inepte reddi posse, in hoc genere gloriandi. Significat etiam ὑπόστασις audaciam, animoque confidentiam, quo significato forsan hic non male quadrat; ut sit sensus, ne erubescamus quod tam confidenter de vobis in hac parte gloriati sumus.

V. 5. UT PRAEVENIANT AD VOS; id est ut ante vos veniant ET PRAEPARENT REPROMISSAM BENEDICTIONEM HANC PARATAM ESSE. Græce, ἑτοίμην εἶναι. Ubi deest τὸ ὡς, vel τὸ εἶναι superfluit, ut plerumque accidit, sicut in illo, ἑκὼν εἶναι, pro ἑκών, id est volens: atque ita sensus est, qui præparent ante promissam benedictionem. ut parata sit. Præparent autem, SIC QUASI BENEDICTIONEM, NON TAMQUAM AVARITIAM, id est tamquam liberali, & non avaro ingenio profectam; *benedictionem* autem & Gr. εὐλογίαν vocat eleemosynas, quæ in sanctos conferebantur dictas, ἀπὸ τοῦ λέγειν, id est a colligendo.

V. 7. DESTINAVIT IN CORDE, id est prout illi visum fuerit, modo non coactus, aut tristis det, sed hilaris.

V. 8. ABUNDARE FACERE; id est ut hæc vestra beneficentia ubertim in vos per spiritualium bonorum acceptionem redundet, ut quod attinet ad hæc temporalia, non indigeatis. Ceterum in omni bono opere exuberetis.

V. 10. SEMEN VESTRUM, id est bona temporalia, ET INCREMENTA FRUGUM IUSTITIAE VESTRAE, id est proventum bonorum spiritualium, per quæ iustificemini.

V. 11. IN OMNEM SIMPLICITATEM: vocat autem simplicitatem candidam ac liberalem elargiendi voluntatem, QUAE OPERATUR PER NOS GRATIARUM ACTIONEM DEO, id est per quam & propter quam Deo gratias agimus.

V. 12. QUONIAM MINISTERIUM, id est quia harum eleemosynarum administratio non solum necessaria sanctis subministrat,

SED

SED ET ABUNDAT PER MULTAS GRATIARUM ACTIONES IN DOMINO, id est facit ut plurimæ Deo atque a multis gratiæ agantur.

V. 13. & 14. GLORIFICANTES, &c. Neque Græce, neque Latine est quo referatur hoc participium, & ideo supplendum est, quia sumus scilicet glorificantes: alioqui solœcismum oportet hic agnoscere. Est autem sensus, quod multi ex eleemosynis animantur ad gratias Deo agendas: GLORIFICANTES) DEUM PER PROBATIONEM HUIUS MINISTERII, id est quod hoc ministerium probatum acceptumque fuerit vobis: glorificantes quoque IN OBEDIENTIA VESTRA ET SIMPLICITATE COMMUNICATIONIS VESTRAE, id est in sinceritate & candore vestræ beneficentiæ, & in eo quod Deum pro nobis obsecrant, qui vos desiderant, id est vobis afficiuntur, PROPTER EMINENTEM DEI GRATIAM IN VOBIS.

S A.

Vers. 1. MINISTERIO, scilicet hoc de quo supra, id est eleemosynæ subsidio. EX ABUNDANTI, id est superfluum. SCRIBERE, scilicet multa.

V. 2. QUONIAM; pro, dicens quod. ACHAIA, scilicet Corinthii. VESTRO; pro, vestri; quasi dicat, Vestro exemplo, o Corinthii, multi sunt excitati.

V. 3. EVACUETUR, id est reddatur inane, seu vanum appareat. DIXI, scilicet sup. vel quasi dicat, Iuxta id quod apud Macedones de vobis prædicavi.

V. 4. SUBSTANTIA, id est re, seu negotio. Græce additur *gloriationis*.

V. 5. PRAEVENIANT, id est præcedant me. REPROMISSAM; pro, promissam. BENEDICTIONEM, id est beneficentiam. AVARITIAM; quasi dicat, Ne parca sit.

V. 6. IN BENEDICTIONIBUS, id est copiose. DE Græc. *in*.

V. 7. UNUSQUISQUE, scilicet det. EX NECESSITATE, id est coacte.

V. 8. GRATIAM, scilicet spiritualem, vel temporalem.

V. 10. SEMEN, scilicet materiale, id est granum, & spirituale, id est gratiam. INCREMENTA, id est proventus. IUSTITIAE, id est a iustitia ortorum operum; vel eleemosynam intelligit, quæ interdum vocatur *iustitia* in Scriptura.

V. 11. SIMPLICITATEM, id est sinceritatem. QUAE OPERATUR, &c. quasi dicat, Ob quam Deo gratias agimus.

V. 12. DESUNT, scilicet ad sustentationem. SANCTIS, id est Christianis. ABUNDAT, &c. quasi dicat, Facit ut multi ob id Deum laudent.

V. 13. PER PROBATIONEM, &c. id est approbantes id opus, glorificent, &c. IN; pro, de, seu, ob. CONFESSIONIS, scilicet per opera bona. IN; pro, iuxta. ET SIMPLICITATE. Explicatio præcedentis. ILLOS, scilicet sanctos, de quibus supra.

V. 14. ET, id est glorificantes; vel quasi dicat, Præterea orant pro vobis. VOS, scilicet videre.

V. 15. DONO, scilicet data vobis gratia.

M A R I A N AE.

Vers. 1. NAM DE MINISTERIO, id est de eleemosynarum collectione. EX ABUNDANTI, id est supervacaneum est scribere: non est opus scribere.

V. 2. QUONIAM ET ACHAIA; id est, non solum Corinthus, sed universa Achaia id facere parata est. VESTRA AEMULATIO, id est studium vos imitandi provocavit.

V. 3. EVACUETUR, id est ne inane appareat & falsum quod prædico de vobis.

V. 4. IN HAC SUBSTANTIA, ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ, *subsistentia*, confidentia, fundamento, argumento gloriationis. Ad Hebr. XI. 1. *Fides est sperandarum substantia rerum*, id est fundamentum, basis. Ergo mi si fratres,

V. 5. UT PRAEVENIANT, non *perveniant*, ut Lovan. nec *veniant*, ut Gotth. NON TAMQUAM AVARITIAM. Vult esse liberales, sed simul ut sponte id faciant: id significat,

V. 7. PROUT DESTINAVIT IN CORDE, id est non coacte unusquisque.

V. 8. POTENS EST AUTEM DEUS. Occurrit obiectioni, Fiam pauper si multa dedero. OMNEM GRATIAM. Syr. *beneficentiam*; quasi dicat, Potest Deus facere ut detis, & nihilominus habeatis sufficientiam, id est bona unde rursus largiamini.

V. 9. IUSTITIA EIUS; id est, eleemosyna manet perpetuo coram Deo eius qui pauperibus dedit. Eleemosynam *iustitiam* sæpe vocari, Matth. VI. 1. dictum est.

V. 10. MULTIPLICABIT SEMEN VESTRUM, id est quod datis reddet multiplicatum. ET AUGEBIT INCREMENTA FRUGUM IUSTITIAE VESTRAE. Rursus eleemosynam vocat *iustitiam* more Hebraico.

V. 11. UT.... ABUNDETIS IN OMNEM SIMPLICITATEM. Sic vocat sincerum animum dandi: pro qua agimus gratias Deo.

V. 12. QUONIAM MINISTERIUM; id est, administratio huius eleemosynæ facit ut sancti, id est fideles abundent, & per multos gratiæ agantur Deo.

V. 13. PER PROBATIONEM, id est dum probant & laudant quæ in hoc facimus & facitis. GLORIFICANTES, scilicet qui gratias agunt Deo. IN OBEDIENTIA CONFESSIONIS VESTRAE. Hypallage; pro, *in confessione vestræ obedientiæ*, qua scilicet profitemini obedire Evangelio. ET SIMPLICITATE, ingenuo animo dandi & communicandi vestra cum illis sanctis, & cum omnibus: ob id glorificant Deum.

V. 14. ET IN IPSORUM OBSECRATIONE, scilicet glorificantes Deum in suis precibus, quas fundunt pro vobis. DESIDERANTIUM; pro, desiderantes vos videre, propter dona Dei & eminentem gratiam quæ est in vobis.

V. 15. GRATIAS DEO, scilicet ago. SUPER INENARRABILI, scilicet pro ista vestra benefaciendi voluntate.

MENOCHII.

Vers. 1. DE MINISTERIO QUOD FIT IN SANCTOS: de ministratione eleemosynarum in fideles Ierosolymitanos. EX ABUNDANTI EST: superfluum est.

V. 2. PROMPTUM ANIMUM VESTRUM: ad contribuendam eleemosynam. GLORIOR APUD MACEDONES: de prompta liberalitate vestra. QUONIAM ET ACHAIA PARATA EST: eleemosynas dare, ut vos datis. VESTRA AEMULATIO: zelus misericordiæ vestræ multos excitat ad imitationem.

V. 3. FRATRES: Titum, & alios duos. UT NE QUOD GLORIAMUR, &c. ne, scilicet falsa appareat gloriatio mea, si parci sitis largitores, aut suo tempore eleemosynam paratam non habeatis. PARATI SITIS: in adventum meum.

V. 4. NE CUM VENERINT MACEDONES: apud quos tam magnifice de vobis gloriatus sum. IN HAC SUBSTANTIA: in hac re; in hoc negotio.

V. 5. FRATRES: Titum, & alios duos, de quibus vers. 3. PRAEVENIANT AD VOS: præveniant meum, & Macedonum adventum ad vos. BENEDICTIONEM: eleemosynam. SIC QUASI BENEDICTIONEM. ut videatur, & sit spontanea, & liberalis beneficentia. NON TAMQUAM AVARITIAM: non autem tamquam quid avaro quasi per vim extortum, quod vile, & modicum esse solet. Ital. diceremus: *che quel che date non sia una miseria, una spilorceria.*

V. 6. HOC AUTEM DICO; quasi dicat: Hoc est quod volo dicere, aut quod volo vos scire. QUI PARCE SEMINAT, qui anguste, & minus liberaliter largitur. PARCE ET METET: exiguum fructum referet. QUI SEMINAT IN BENEDICTIONIBUS: large tribuendo. DE BENEDICTIONIBUS ET METET: uberem, & amplum fructum consequetur.

V. 7. UNUSQUISQUE; scilicet tantum tribuat. PROUT DESTINAVIT IN CORDE SUO. Quantum dare constituit in animo suo, sponte, & liberaliter, nec enim cuiquam necessitatem impono. NON EX TRISTITIA: quam parit avarus animus, & quam concipiunt qui dant inviti. AUT EX NECESSITATE: ex pudore, & reverentia maiorum, quorum preces a subditis habentur pro imperio. HILAREM DATOREM: eum intelligit, qui libenter, & ex animo dat.

V. 8. POTENS EST AUTEM DEUS, &c. sensus est, Deum cum liberalibus esse liberalem, & eos qui misericordes sunt in pauperes abundare omni genere bonorum, Deo plura rependente eleemosynam facientibus, quam ipsi in egentes erogaverint. OMNEM GRATIAM: omne genus bonorum temporalium. OMNEM SUFFICIENTIAM HABENTES, &c. ea omnia habentes quæ ad honeste tuendum statum vestrum, & familiæ vestræ necessaria sunt, ita etiam abundetis, ut in pauperes benefici, & liberales esse possitis.

V. 9. SICUT SCRIPTUM EST. Psal. CII. 9. DISPERSIT, &c. hoc est, more seminantis spargit opes suas, & distribuit eas in pauperes. IUSTITIA EIUS: eleemosyna in Scripturis non semel appellatur iustitia, tum quia est magna pars iustitiæ generalis, tum quia est dispositio ad iustitiam:

Sen-

Senſus eſt: Eleemoſyna eius non perit, ſed permanet, & fructificat, quemadmodum ſemina in terram iacta uberiore fructu ſuccreſcunt.

V. 10. QUI AUTEM ADMINISTRAT SEMEN SEMINANTI: qui vobis tribuit facultatem ſublevandi indigentiam pauperum. ET PANEM AD MANDUCANDUM PRAESTABIT: non patietur vobis deeſſe neceſſaria ad victum. MULTIPLICABIT SEMEN VESTRUM: bona veſtra temporalia, non ſolum æterna. AUGEBIT INCREMENTA, &c. dabit incrementum ſegeti veſtræ, quam ſeminaſtis, cum eleemoſynam dediſtis.

V. 11. IN OMNIBUS LOCUPLETATI: divitiis, ſcilicet temporalibus, & æternis. ABUNDETIS IN OMNEM SIMPLICITATEM: excitamini ad large in poſterum tribuendum, ſincero, liberali animo. QUAE OPERATUR PER NOS, &c. quaſi ſincera, & liberalis veſtra largitio efficit, ut per nos gratiæ agantur Deo.

V. 12. QUONIAM MINISTERIUM HUIUS OFFICII; ſcilicet adminiſtratio huius collectæ eleemoſynarum. NON SOLUM SUPPLET, &c. non ſolum conſulit, & providet fidelium neceſſitati. SED ETIAM ABUNDAT, &c. ſed etiam plures pecunias diſtribuendas habet, quam neceſſariæ ſint ad inopiam egentium præciſe ſublevandam, quare large poſſunt erogari ita ut per multos qui veſtræ liberalitatis participes fiunt, gratiæ Deo agantur.

V. 13. PER PROBATIONEM MINISTERII HUIUS GLORIFICANTES DEUM. Dum per noſtrum miniſterium probata illis veſtra liberalitate Deum glorificant. IN OBEDIENTIA CONFESSIONIS VESTRAE. Syrus, *Glorificant Deum quod ſubditi ſitis confeſſioni Evangelii Chriſti:* quod ita vos geratis, ut ſatis appareat vos Chriſtianam legem ſequi, & ea facere quæ docentur in Evangelio. ET IN SIMPLICITATE COMMUNICATIONIS IN ILLOS, ET IN OMNES: glorificant Deum ſuper liberalitate veſtra, quaſi ſimplici animo, & pura intentione participes bonorum veſtrorum temporalium feceritis ipſos, ac ceteros Chriſti pauperes.

V. 14. ET IN IPSORUM OBSECRATIONE PRO VOBIS; quaſi dicat: Pauperes Ieroſolymitani, qui veſtras eleemoſynas recipiunt, dum pro vobis orant, & obſecrant, glorificant Deum. DESIDERANTIUM VOS: qui magno deſiderio tenentur videndi vos. GRATIAM DEI: fidem, & beneficentiam ex fide perfectam.

V. 15. DONO EIUS: donum intellige tum id quod accipiunt ii, quorum inopia ſublevatur, tum etiam illi, qui eleemoſynam largiuntur. Vocat eleemoſynam *Donum inenarrabile*, quod ex illa plurima bona ſequantur ad Dei laudem. Præmium autem eleemoſynæ eſſe inenarrabile nemo ignorat, qui meminerit verborum Iſa. cap. LXIV. 4. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

TIRINI.

Verſ. 1. VESTRA AEMULATIO, ſeu zelus contribuendi, PROVOCAVIT PLURIMOS alios populos.

V. 3. MISI AUTEM FRATRES, ſeu confratres meos, *Titum*, *Lucam*, *Silam*, UT deſignatam collectam promoveant, & ad felicem finem deducant: NE, QUOD GLORIAMUR, EVACUETUR; id eſt, ne falſa vel inanis deprehendatur gloriatio noſtra, qua ubique deprædicamus liberalitatem veſtram. Falleremur autem, ſi vel parciores eſſetis in largiendo, vel iuſto tardiores.

V. 4. IN HAC SUBSTANTIA, id eſt in hac materia, ſeu in hoc negotio conferendarum eleemoſynarum.

V. 5. UT PRAEPARENT, & curent PARATAM ESSE in meum adventum REPROMISSAM BENEDICTIONEM, id eſt eleemoſynam, SIC QUASI BENEDICTIONEM; id eſt, ut palam appareat quod ſit ſpontanea & liberalis beneficentia, non vero parca contributio avaris & invitis extorta, inquit S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Anſelmus.

V. 6. QUI PARCE SEMINAT; id eſt, qui anguſto & minus liberali animo largitur, PARCE ET METET, id eſt exiguum referet fructum: QUI VERO SEMINAT IN, ſeu cum, BENEDICTIONIBUS & ampla beneficentia *a*, id eſt valde benefice, copioſe, liberaliter, ET iam DE, ſeu in, BENEDICTIONIBUS METET, id eſt uberem & amplum fructum ac mercedem conſequetur *b*.

V. 7. UNUSQUISQUE tribuat tantum, quantum ultro DESTINAVIT, ſeu ſponte in animo ſuo deſignavit: NON EX TRISTITIA

quam parit avaritia; neque EX NECESSITATE, quasi vel pudore, vel reverentia maiorum coacti; sed lubenti, ultroneo, læto atque hilari animo.

V. 8. POTENS EST AUTEM DEUS, pro liberali eleemosyna vicissim FACERE ABUNDARE IN VOBIS OMNEM GRATIAM, id est omne genus bonorum tum temporalium, tum spiritualium: UT HABENTES SEMPER OMNEM SUFFICIENTIAM *c*, id est omnia quæ ad honeste tuendum familiæ vestræ statum requiruntur; insuper ABUNDETIS IN OMNE OPUS BONUM, id est abunde habeatis quo in pauperes benefici & liberales esse possitis. Sicut Psalmo CII. de liberali eleemosynario

V. 9. SCRIPTUM EST: quod eleemosynas suas ubique liberalissime DISPERSIT more seminantis, non in convivas, non in pocula, non in veneres, sed in pauperes. Nec tamen perdidit vel minimum granum: sed IUSTITIA, id est eleemosyna, EIUS (quia iustior continuo, & Deo gratior redditur) MANET æternum in Dei memoria & in cælesti mercede, quasi in segete & messe. Sed neque in hac vita quidquam vobis deesse patietur Deus: nam

V. 10. QUI SEMINANTI ADMINISTRAT SEMEN, & vobis facultatem iam tribuit sublevandi aliorum inopiam; idem is etiam alias vobis PRAESTABIT PANEM AD MANDUCANDUM, & omnia ad statum honeste fovendum necessaria: & insuper MULTIPLICABIT SEMEN VESTRUM, id est bona temporalia, quæ continuo in pauperes seminetis: simul ET AUGEBIT INCREMENTA FRUGUM, id est spirituales proventus, internæ IUSTITIAE VESTRAE & sanctitatis: ita S. Chrysostomus *d*. Exempla vide apud Gregorium Turonensem & Baronium & alios *e*.

V. 11. UT *omni* genere opum LOCUPLETATI ABUNDETIS IN OMNEM SIMPLICITATEM *f*, id est candidam liberalitatem, & prompte ac munifice succurratis egentibus. QUAE vestra munificentia efficit, ut PER NOS, aliosque quibus innotescit, *gratiæ* agantur DEO.

V. 12. QUONIAM MINISTERIUM HUIUS OFFICII; id est, collectio hæc eleemosynarum, NON SOLUM providet Christianorum Ierosolymitanorum necessitati, SED ETIAM ABUNDAT, id est abunde subministrat ad aliorum quoque pauperum inopiam sublevandam: adeo ut multi ex hoc capite gratias acturi & laudaturi sint Deum.

V. 13. PER PROBATIONEM, seu experimentalem degustationem, HUIUS nostri MINISTERII, GLORIFICANTES DEUM IN OBEDIENTIA CONFESSIONIS VESTRAE; id est, propter vestram insignem promptitudinem obsequendi præceptis & monitis legis Evangelicæ, & fidei Christianæ, quam profitemini: hæc enim suadet ac præscribit liberalitatem in pauperes & egenos: ita S. Chrysostomus cum suis. Item IN SIMPLICITATE COMMUNICATIONIS, id est, glorificabunt quoque Deum ob vestram erga miseros promptam candidamque liberalitatem, qua participes illos facitis vestrorum bonorum temporalium: & ipsi vicissim vers. 14. *Obsecrant* PRO VOBIS *desiderantque* vos ditari bonis spiritualibus, PROPTER EMINENTEM, seu excellentem, GRATIAM DEI, seu donum beneficentiæ a Deo vobis collatum, & elucens IN VOBIS: quod sane *inenarrabile donum* est, tum ob fructus quos innumeros producit, tum ob æterna præmia quæ promerentur, *g* quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt*.

(a) Gen. XLIX. 25. & Iosue XV. 19. & I. Reg. XXV. 27.
(b) Prov. XXII. 2. & Eccles. XI. 1. & seqq.
(c) I. Tim. VI. 6. & Philipp. IV. 11.
(d) Chrysost. hom. XXXIII. ad popul. Antiochen. Greg. Turon. Lib. V. hist. Gall. cap. XXXIII.
(e) Baron. tom. VII. anno Christi 582. num. 6. Leontius in vita Ioannis Eleemosynarii. Sophronius in Prato spirit. cap. CLXXXV. CCV. &c.
(f) Sup. VIII. 2.
(g) Isaiæ LXIV. 4.

GORDONI.

Vers. 1. DE MINISTERIO, & de curandis eleemosynis pauperum, ex abundanti & superfluum est mihi scribere ad vos, cum bona voluntas vestra sit nota, & apud multos a me commendata. Addit Achaiam; quæ est tacita novaque excitatio Corinthiorum. Efficient vero, missi ad vos fratres, ut sitis parati ad nobile hoc opus, & non sit vana gloriatio mea de vobis. IN HAC SUBSTANTIA (vers. 4.) & materia laudis. PARATAM ESSE, vers. 5. ἑτοίμην εἶναι est ἐυλογίας.

V. 5. 6. & 7. HOC AUTEM DICO. Hoc secundum est in hoc capite, ubi attingitur...

fructus eleemosynæ. Primo ut seminanti parce vel copiose messis respondet; ita largienti respondet benedictio. Aliud est vers. 7. ut hilari animo & non ex tristitia detur eleemosyna.

V. 8. Potens. Liberalis est Deus, qua est potentia & misericordia erga liberalem in pauperes: & facit ut iustitia eius maneat in æternum, ex Psal. cxi. 9. Magnus fructus est, quod iustitia (quæ hic significat eleemosynam) æternum permaneat. Est quidem eleemosyna pars iustitiæ generalis, unde non male interdum accipit genericum nomen. Hanc Dei liberalitatem plenius explicat, vers. 10. & 11. AUGEBIT INCREMENTA FRUGUM IUSTITIÆ: dabit incrementum gratiæ & gloriæ. Hæc promissa Dei liberalitas, videtur rebus tribus explicari a Paulo 1. dabit panem ad manducandum, 2. opes. 3. gratiam.

V. 12. & 13. QUONIAM MINISTERIUM. Per hanc eleemosynæ largitionem & administrationem collectæ, hæc sequuntur ad Dei gloriam: subvenitur pauperibus; abundant pecuniis dantes, & gratiæ magnæ Deo aguntur ab his, qui vident in vestra confessione & professione fidei Christianæ relucere præclaras has virtutes, obedientiam Evangelii, animi simplicitatem, candorem & rectam intentionem. Ad quæ omnia accedunt pauperum pro vobis obsecrationes.

CAPUT X.

Incipit suam aperire potestatem, & exantlatos pro Christo labores propter pseudoapostolos, qui ipsum deprimentes & abiectum prædicantes, fructum prædicationis eius impediebant.

1. Ipse autem ego Paulus obsecro vos, per mansuetudinem
& modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum
inter vos, absens autem confido in vobis. 2. Rogo au-
tem vos ne præsens audeam, per eam confidentiam qua
existimor audere, in quosdam, qui arbitrantur nos tam-
quam secundum carnem ambulemus. 3. In carne enim
ambulantes, non secundum carnem militamus. 4. Nam
arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo
ad destructionem munitionum, consilia destruentes, 5. &
omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem
redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, 6. & in promptu haben-
tes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. 7.
Quæ secundum faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc
cogitet iterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita & nos. 8. Nam, & si
amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Domi-
nus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam. 9.
Ut autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas: 10. quoniam qui-
dem epistolæ, inquiunt, graves sunt & fortes: præsentia autem corporis in-
firma, & sermo contemptibilis: 11. hoc cogitet qui eiusmodi est, quia quales
sumus verbo per epistolas absentes, tales & præsentes in facto. 12. Non enim
audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant:
sed ipsi nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis. 13.
Nos autem non in immensum gloriabimur, (*a*) sed secundum mensuram re-
gulæ, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos. 14.
Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos: usque ad vos
enim pervenimus in Evangelio Christi: 15. non immensum gloriantes in alie-
nis

nis laboribus: spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam, 16. etiam in illa, quæ ultra vos sunt, evangelizare, non in aliena regula in iis quæ præparata sunt gloriari. 17. (*b*) Qui autem gloriatur: in Domino glorietur. 18. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.

(a) Eph. iv. 8. (b.) Ier. ix. 23. I. Cor. i. 31.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Vers. 1. QUI IN FACIE, vel secundum faciem. Græce πρόσωπον, quod significare potest, vel in præsentia, vel in speciem, id est secundum quod externe apparet. Ironice autem hoc dicit in pseudo-apostolorum persona, qui contemptibilem Paulum facere volentes, dicebant nihil illo esse abiectius ac timidius. Ceterum in absentia minacem & audacem; hoc enim significat *confido*, Græce θαῤῥῶς, quod significat audaciam sumere ac præsumere.

V. 2. & 3. ROGO AUTEM VOS; id est, sic vos in bonum componite, ut NE PRAESENS, id est cum venero ad vos AUDEAM, ac potestate mea utar, PER EAM CONFIDENTIAM, id est potestatem QUA EXISTIMOR AUDERE IN QUOSDAM, id est qua in suspicionem aliquorum venio tamquam insolentior, QUI NOS ARBITRANTUR SECUNDUM CARNEM *ambulare*, id est more carnalium vindictæ gratia potestate nostra uti: IN CARNE ENIM AMBULANTES NON SECUNDUM CARNEM MILITAMUS, id est non carnaliter vivimus.

V. 4. POTENTIA DEO; id est, usque adeo per Dei gratiam valida; ut principis huius mundi munitiones omnes & machinamenta destruere possint, & evertere. CONSILIA DESTRUENTES. Græce καταιροῦντες, in quibus verbis solœcismus est, nisi ita legamus: *Non secundum carnem militamus, consilia destruentes*, ut quæ intercedunt, per parentesim legantur; vel dicamus quod participio pro verbo usus est, & ab hoc incipiat sententia, consilia enim destruimus, &c. ubi pro τῶ consilia, Græce est λογισμοὺς, quod Theophylactus interpretatur syllogismos & humanas philosophorum rationes, quibus se ad evertendam Christi fidem muniebant.

V. 5. IN OBSEQUIUM CHRISTI, id est ut Christo pareat & obediat.

V. 6. IN PROMPTU HABENTES, id est ad manum habentes potestatem animadvertendi in inobedientes, denique illorum inobedientiam ulciscendi, QUUM IMPLETA FUERIT VESTRA OBEDIENTIA, id est modo vos plane obediatis: adversus enim pseudo-apostolos, fideique apostatas hæc dicit: quibus tamen ad tempus parcere se ait, ne adversus simplices Corinthios illorum seductione inobedientes una animadvertere cogatur.

V. 7. QUAE SECUNDUM FACIEM SUNT, VIDETE. Gr. βλέπετε, quod indifferens est, nunc videtis vel videte: si legimus videtis, interrogative legendum erit; an tantum, *quæ secundum faciem sunt*, id est externam hominis personam videtis & consideratis? Si videte, ironice legendum, quasi iam recitata potestate sua dicat, videte tantum nunc quæ in faciem sunt; id est, considerate nunc tantum me secundum externam personam abiectam, non internam virtutem & potestatem, neque est quod vestri pseudo-apostoli Christi se discipulos iactent, nam & ipsi etiam sumus. HOC COGITET. Erant pseudoa postoli qui dicerent epistolas minaces Pauli terriculamenta tantum anilia esse, qui præsens id non auderet, quod scriberet absens. Existimate, inquit, quod quales sumus verbo, tales sumus & facto.

V. 12. INSERERE; id est, non audemus nos in illorum familia cooptare, aut illis comparare, qui seipsos commendant, sibique magni videntur; & hoc modo ironice legendum, quum alibi dicat: *Nihil minus feci a magnis illis Apostolis*. Alii interpretantur, non audemus illis nos similes facere qui sibi placent, seque commendant, atque aliis præferunt, sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, participium pro

ver-

verbo, id est metimur nos nostro pede, & comparamur nosmetipsos nobis non aliis. Græci pro, SED IPSI IN NOBIS, legunt ipsi semetipsos in se metientes, & sibimetipsis se comparantes non intelligunt; id est, ipsi dum se ad nullius regulam metiuntur & componunt, & comparant sibi semetipsos, dum dedignantur se cum quovis alio componere, existimantes nullum sibi superiorem, aut æqualem esse οὐ συνιοῦσι; hanc enim particulam addunt Græci, id est non intelligunt, scilicet ut Photius supplet, quod ridiculi sunt hominibus. Theophyl. utroque modo explicat, & τὸ metientes, ac τὸ comparantes ad pseudo-apostolos refert & ad Paulum.

V. 13. NOS AUTEM IN. Iactabant se pseudo-apostoli, ut Græci aiunt, omnes terrarum partes prædicando obivisse, ideoque maiorem sibi quam Paulo habendam fidem; quibus opponit Paulus: Non ultra modum gloriabimur nos omnes regiones prædicando esse pervagatos, SED SECUNDUM MENSURAM REGULAE QUA MENSUS EST NOBIS DEUS MENSURAM PERTINGENDI AD VOS, id est secundum terminos quos nobis Deus præstituit obeundos, qui quidem usque ad vos pertingunt: mittens enim in orbem terrarum prædicatum Apostolos, suos cuique Deus partitus erat terminos, Mihi videtur commodior esse connexio Græci sermonis, si τὸ pertingendi referamus non ad τὸ mensuram, sed gloriabimur: neque enim Græcum ἀφικέσθαι apte iungitur cum τοῦ μέτρου: sensus ergo is mihi videtur esse; non supra modum & mensuram quam partitus est nobis Deus, gloriabimur; sub. ἀφικέσθαι, id est pervenisse & pertigisse usque ad vos; quasi diceret, Glorientur illi, ut volent, hoc tantum gloriabimur prædicationem nostram ad vos pervenisse.

V. 14. 15. & 16. NON ENIM QUASI NON PERTINGENTES AD VOS SUPEREXTENDIMUS NOS; id est, neque enim hac in re ultra quam par est iactamus nos, tamquam non pervenerimus ad vos; si enim ad vos non pervenissemus, nos ipsos superextenderemus, ultra quam deceret ob vos gloriantes: non autem ultra quam par est extendimus gloriam nostram, quippe qui ad vos pertigimus & PERVENIMUS, IN EVANGELIO CHRISTI, id est prædicantes evangelium, NON IN IMMENSUM GLORIANTES, IN ALIENIS LABORIBUS, id est de iis qui aliorum Apostolorum labore & opera sunt conversi, quemadmodum pseudo-apostoli faciebant. SPEM AUTEM HABENS CRESCENTIS FIDEI VESTRAE, MAGNIFICARI IN VOBIS SECUNDUM REGULAM NOSTRAM IN ABUNDANTIA; id est, sperantes crescente fide vestra (genitivus enim Græcus absolutus est) abunde magnificari in vobis: nam τὸ abundantia refertur ad magnificari, & spem habentes evangelizandi IN ILLA QUAE ULTRA VOS SUNT εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν, id est in illis regionibus quæ ultra vos sunt, & spem habentes gloriari, id est gloriandi NON IN ALIENA REGULA, id est non in nationibus per illos Apostolos visitatis & conversis, in his scilicet locis QUAE PRAEPARATA SUNT, id est quibus iam seminatum est ab aliis Evangelii verbum. Obscurus est omnino loci huius contextus, qui mihi ita videtur reddi posse familiarius: Non enim audemus nos in eorum numerum cooptare, neque illis comparare, qui cum sibi videantur esse aliqui, ultro se vulgo commendabiles faciunt, non intelligentes quod interim sunt mundo ridiculi, sed nostro nos ipsi pede metimur, non aliis æquari quærentes aut præferri, sed nosmet inter nos conferentes. Neque vero ultra modum gloriabimur non omnes orbis regiones prædicando esse pervagatos, sed iuxta terminos quos nobis Deus ad Evangelii prædicationem præstituit obeundos, gloriabimur quidem ad vos usque pervenisse: neque enim hac in re gloriam nostram supra quam par est, extendimus; tamquam ad vos ipsi non pervenerimus: pervenimus si quidem evangelium Christi prædicantes, & nequaquam ex alienis laboribus immensam captantes gloriam, sed spe multa freti crescente & augescente fide vestra non parum nos ex vobis magnificatum iri atque in illis etiam quæ ultra vos sunt regionibus evangelium prædicare, ac multam inde reportare gloriam, non ex iis qui ad aliorum iam apostolorum normam ac regulam sunt instituti: nempe iis in locis quæ suscepto verbi semine ad ferendam evangelicam frugem iam sunt præparata.

SA.

SA.

Vers. 1. MODESTIAM, id est benignitatem. IN FACIE, id est præsens.

V. 2. AUTEM; pro, inquam. IN QUOSDAM. Iunge cum *audeam*. SECUNDUM CARNEM, id est humano more. AMBULEMUS, id est conversemur, scilicet quod tamen non sic est.

V. 4. DEO, id est Dei virtute. MUNITIONUM, scilicet adversariorum. CONSILIA DESTRUENTES; pro, quibus destruimus consilia, id est machinationes.

V. 5. ALTITUDINEM, id est eminentiam, seu superbiam. SCIENTIAM, id est cognitionem.

V. 6. CUM IMPLETA, &c. quasi dicat, Postquam adhibueritis vos remedia a me præscripta, si non profecerint.

V. 7. SECUNDUM FACIEM, id est apparentiam. VIDETE; scilicet & providete; quasi dicat, Corrigite tales. Alii, *videtis*; quasi dicat, Mea satis nostis, scilicet quid possim.

V. 8. AMPLIUS, scilicet quam soleam, vel, plus quam ipsi.

V. 9. UT AUTEM, &c. quasi dicat, Non faciam tamen, ne existimer, &c.

V. 10. INQUIUNT, scilicet quidam.

V. 12. AUDEMUS, id est animum inducimus. INSERERE, id est miscere. COMPARARE NOS, id est similes esse. ET COMPARANTES, &c. quasi dicat, Accommodantes nos viribus nostris.

V. 13. IN IMMENSUM, id est ultra modum.

V. 14. SUPEREXTENDIMUS, id est ultra quam par est. IN EVANGELIO, id est prædicando Evangelium.

V. 15. CRESCENTIS, &c. pro, crescente fide vestra. MAGNIFICARI, id est gloriari, seu laudem consequi. REGULAM, id est mensuram. IN ABUNDANTIAM, id est abundanter.

V. 16. ETIAM; pro, & etiam. EVANGELIZARE, scilicet speramus. IN IIS, pro, & in iis. PRAEPARATA, id est a Deo commissa nobis.

MARIANAE.

Vers. 1. IN FACIE, id est præsens cum sum. HUMILIS, id est abiectus sum. Sic adversarii dicebant, quorum in persona loquitur, esse contemptibilem aspectum, graves tamen litteras scribere. CONFIDO IN VOBIS, id est magna confidentia scribo vobis.

V. 2. ROGO AUTEM, scilicet ut vos ita geratis, ut non sit opus in præsentia audere & punire. TAMQUAM SECUNDUM CARNEM; id est, putant id nos facere vindictæ studio. In quo errant.

V. 4. POTENTIA DEO sunt arma nostra, id est *virtus Dei*, ut Syr. *Potentia* Græce est participium plurale, sed sumitur pro nomine. AD DESTRUCTIONEM MUNITIONUM, id est rerum & machinationum quæ Deo adversantur. CONSILIA DESTRUENTES; pro, destruentia arma. Hebræi genera & numeros aliquando non observant.

V. 5. ADVERSUS SCIENTIAM DEI, id est adversus Deum.

V. 6. CUM IMPLETA FUERIT; quasi dicat, Contra vos nihil habeo, quia obedientes estis.

V. 7. QUAE SECUNDUM FACIEM SUNT, VIDETE, aut *videtis*: βλέπετε utroque modo verti potest, id est exteriora & abiectionem nostram videtis; sed scitote nos esse Christi ministros, & habere a Christo potestatem talem, de qua gloriari possum.

V. 10. PRAESENTIA AUTEM CORPORIS INFIRMA. Lucianus in Philopatride calvum fuisse ait Paulum, naso aquilino, forsan & brevi statura.

V. 11. HOC COGITET QUI EIUSMODI EST, id est qui sic loquitur, nos præsentes & absentes eosdem esse.

V. 12. NON ENIM AUDEMUS. Nolumus conferri cum iis, nec esse quales ii qui se laudant: non sumus tales, sed nostro nos pede metimur. Modeste sentimus de nobis, etsi gloriari videmur.

V. 13. NON IN IMMENSUM, id est ultra mensuram, scilicet nostram non gloriamur. SED SECUNDUM MENSURAM REGULAE, id est portionis terræ nobis attributæ. Erant qui se iactarent, in toto orbe prædicasse: nos in nostra portione, quæ pertingit usque ad vos. Nec in eo nos

V. 14. SUPEREXTENDIMUS; non in eo

meu-

mensuram nostram excedimus; nam pertingit ad vos, vobisque prædicavimus.

V. 15. IN ALIENIS LABORIBUS & mensuris non gloriamur: satis nobis est a vobis prædicari intra nostram portionem. IN ABUNDANTIAM, id est abundanter magnificari & prædicari a vobis satis nobis est.

V. 16. ETIAM IN ILLA, QUAE ULTRA VOS SUNT, speramus evangelizare, sed in nostra portione, non in aliena. QUAE PRAEPARATA SUNT, id est culta ab aliis, in iis gloriari nolumus.

V. 17. QUI AUTEM GLORIATUR, IN DOMINO GLORIETUR, id est in illa portione quam illi Deus attribuit: is enim a Domino commendabitur, non alius qui se præpostere commendat.

MENOCHII.

Vers. 1. PER MANSUETUDINEM ET MODESTIAM CHRISTI. Per Christi mansuetudinem & lenitatem obtestatur, ut ostendat, quamvis sibi contra obtrectatores suos asperius agendum sit, se tamen ad mansuetudinem, ac lenitatem exemplo Christi esse propensum. MODESTIAM: ἐπιεικείας, quæ vox lenitatem, clementiam, facilitatem, humanitatem significat. Noster interpres dixit *modestiam*, accipiens pro *moderatione*, quæ lenitatis, & facilitatis comes est, qui enim humani sunt, benigni, & lenes moderate agunt, & loquuntur; nihil per iram, aut clamores turbide facientes. QUI IN FACIE QUIDEM, &c. qui quando præsens sum facie, & specie externa humilis, & abiectus videor. Vide infra vers. 10. ABSENS AUTEM CONFIDO IN VOBIS: ego ille Paulus qui cum præsens sum ab obtrectatoribus pseudo apostolis vilis habeor, & qui absens iisdem videor plus æquo mihi sumere, epistolas scribens minaces, & imperiosas. CONFIDO IN VOBIS: θαῤῥῶ, liber, & audax sum erga vos.

V. 2. ROGO AUTEM VOS: ut mea monita amanter excipiatis. NE PRAESENS: quorumdam videns inobedientiam, rebellionem, contumaciam. AUDEAM: audacia, ac potestate mea utar, eisque excommunicationem, aliamve pœnam infligam. PER EAM CONFIDENTIAM, id est libertatem. QUA EXISTIMOR AUDERE IN QUOSDAM: quam putant me insolentius in quosdam exercuisse. QUI ARBITRANTUR NOS TAMQUAM SECUNDUM CARNEM AMBULEMUS: tamquam carnalibus mediis, carnali scilicet, humanaque, ac politica prudentia, industria, astutia utar; ut cum non audeam præsens, comparere, vel imperare, absens id faciam per audaces, & minaces litteras.

V. 3. IN CARNE ENIM AMBULANTES: quamvis enim ceteris hominibus similes simus, & corporis hanc molem ut reliqui circumferamus. NON SECUNDUM CARNEM MILITAMUS: secundum carnem militare, vel ambulare, est more carnalium, & politicorum hominum vivere.

V. 4. NAM ARMA MILITIAE NOSTRAE, &c. eam namque militiam profitemur, cuius arma non sunt politica & astuta agendi ratio. SED POTENTIA DEO: fortia Deo, valida, & efficacia per Deum; id est, virtus sunt Dei, quia Deus per ea potenter operetur in animis audientium, eosque ad fidem convertat, &c. AD DESTRUCTIONEM MUNITIONUM. Munitiones vocat omnes rationes, syllogismos, sophismata, eloquentiam, sæcularem potentiam, gratiam, amicitiam, & quicquid Gentiles, ac dæmones obiecerunt, & opposuerunt Apostolis, & Evangelio. CONSILIA DESTRUENTES: quibus destruimus consilia, & machinationes eorum contra nos, & contra Evangelium.

V. 5. ET OMNEM ALTITUDINEM: quicquid in sermone, vel scientia sæculari grande, & sublime est, & apud homines admirationem excitat. SCIENTIA DEI: qua Deus cognoscitur. ET IN CAPTIVITATEM REDIGENTES, &c. quasi dicat: Hac militia nostra vincimus, & captivamus omnes hostes nostros. Captivum ducimus omne ingenium humanum; quantumcumque excellens, & scientiis excultum ad obediendum, & humiliter subiiciendum se Christo per fidem.

V. 6. ET IN PROMPTU HABENTES, &c. Dixerat arma sua potentia esse ad debellandos quosvis Ethnicos, & sapientes Gentium: hic eadem potentia esse ostendit ad ulciscendum quosvis fideles inobedientes, & hæreticos, gladium; scilicet spiritualem exerendo censurarum, & pœnarum Ecclesiasticarum. Significat se facile posse ulcisci rebellium, & pseudo-apostolorum sibi detrahentium inobedientiam eos excommunicando. CUM IMPLETA FUERIT VESTRA OBE-

OBEDIENTIA; quasi dicat: Tunc ea potestate utemur cum vestra obedientia fuerit impleta, id est cum vos plene ad obedientiam redactos videro. Nolo enim vos, de quibus bene spero eadem pœna involvere.

V. 7. QUAE SECUNDUM FACIEM SUNT VIDETE; quasi dicat: Ite nunc, & secundum faciem iudicate, habentes me contemptibilem, &c. Faxo ut omnes intelligant me, qualis qualis sum, non minorem esse quam sint alii Christi ministri. SI QUIS CONFIDIT SIBI: si quis de seipso confidit. CHRISTI SE ESSE: ministrum. HOC COGITET ITERUM APUD SE: hoc sciat, hoc perpendat, & bene intelligat. QUIA SICUT IPSE CHRISTI EST: minister. ITA ET NOS: qui propterea hac parte non sumus eo inferiores. DE POTESTATE NOSTRA: Apostolica, qua non tantum prædicare Evangelium, sed etiam corripere, & punire delinquentes possum. QUAM DEDIT NOBIS DOMINUS: Christus ipse, non homo quispiam, ut ait ad Galat. I. I. IN AEDIFICATIONEM, &c. ad hoc potestatem mihi dedit, ut vos, & alios homines ædificem spiritualiter, id est ad salutem promoveam, non autem ut destruam, id est a salute, aut profectu salutis impediam. NON ERUBESCAM: non pudefiam, tamquam arrogans, quia iure id facere possum.

V. 9. UT AUTEM NON EXISTIMER, &c. ne videar terrere vos velle, & metum incutere per Epistolas, quasi præsens nihil audeam.

V. 10. INQUIUNT: mei obtrectatores. EPISTOLAE: quas ad vos scribit Paulus, o Corinthii. GRAVES SUNT, ET FORTES; hoc est, duræ, & acres, severæ, & minaces. PRAESENTIA AUTEM CORPORIS INFIRMA: vilis, abiecta, pusilla, contracta. Ex descriptione faciei, & corporis, quam habemus apud Nicephorum Lib. II. cap. XXXVII. & ex Luciano in Philopatro, patet Paulum parvo & abiecto corpore fuisse. ET SERMO CONTEMPTIBILIS: rudis, inconcinnus, inelegans. Ipse etiam Paulus I. ad Cor. cap. II. 4. profitetur sermonem, & prædicationem suam apud Corinthios fuisse non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, &c. hoc enim in genere ab oratoribus, & sophistis qui erant Corinthi Paulus superabatur.

V. 11. QUI EIUSMODI EST, &c. cogitet nos semper similes esse nobisipsis, tam cum adsumus, quam cum absumus.

V. 12. NON ENIM AUDEMUS INSERERE, id est annumerare. AUT COMPARARE NOS QUIBUSDAM, &c. quasi dicat: Illi tam magnos se faciunt, ut non audeamus nos cum talibus censere, est irrisio & ironia. QUI SEIPSOS COMMENDANT: supra veritatem; quasi dicat, Non ea iacto, quæ non habeo, ut illi. SED IPSI IN NOBIS NOSMETIPSOS METIENTES; id est, metior me meo pede, meis dotibus, & Dei donis, rebusque a me per Dei gratiam gestis, nec me, ut illi. maiorem facio, quam sim.

V. 13. IN IMMENSUM: supra modum. SED SECUNDUM MENSURAM REGULAE, &c. id est, ego me vera mensura, ac regula metior, donorum scilicet mihi datorum a Domino; nec ultra fines provinciarum me extendo, in quibus iussit me idem Dominus Evangelium prædicare. MENSURAM PERTINGENDI USQUE AD VOS, id est Evangelizandi a Iudæa per interiacentes omnes provincias, Corinthum usque; quasi dicat: Glorior, & vere glorior de mea mensura, ac magnitudine, id est multitudine provinciarum, quas Christus mihi tradidit, & ego divina virtute Ecclesiæ adieci. QUASI NON PERTINGENTES AD VOS: quasi fines excedamus Apostolatus nostri. AD VOS SUPEREXTENDIMUS NOS: progrediendo ultra fines nostros, & in alienos irrumpendo. USQUE AD VOS ENIM PERVENIMUS IN EVANGELIO CHRISTI: propagando, ut proinde vere possim de vobis ut filiis dicere: *In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui:* I. Corinth. IV. 15. &, *opus meum estis in Domino:* ead. epistola cap. IX. I.

V. 15. NON IN IMMENSUM GLORIANTES IN ALIENIS LABORIBUS: non gloriamur extra mensuram nostram, ac super alienis laboribus, ut faciunt æmuli nostri, qui isthic ubi nos fundamenta fidei iecimus, in labores nostros subintrant. SPEM AUTEM HABENTES CRESCENTIS FIDEI VESTRAE: spero, quod cum fides vestra crescet, me ulterius non egebitis, quodque per vos aditus mihi fiet ad vicinas gentes, ut possim ulterius evangelizare. IN VOBIS MAGNIFICARI SECUNDUM REGULAM NOSTRAM IN ABUNDANTIAM. Spero per vos in fide crescentes magnificari secundum regulam

lam nostram, id est fines, & terminos Apostolatus mei ultra vos in vicinos vestros, ut scilicet, illi videntes vestram fidem, sanctimoniam, gratiam provocati vestro exemplo avide me expetant, & Evangelium excipiant. REGULAM NOSTRAM: τὸν κανόνα ἡμῶν; scilicet, *mensuram nostram*, regiones nimirum nobis attributas ad prædicandum. IN ABUNDANTIAM, id est abunde, ut scilicet amplius semper, & ulterius regulam, & terminos Evangelii proferam.

V. 16. ETIAM, scilicet, spero. IN ILLA QUAE ULTRA VOS SUNT: in ulteriores regiones. NON IN ALIENA REGULA; non attingens alienos limites, & terminos, plagas scilicet, & provincias ab aliis excultas, alienis laboribus glorians quasi meis. QUAE PRAEPARATA SUNT: excultas per Evangelii prædicationem, & præparatas ad ferendum fructum.

V. 17. QUI AUTEM GLORIATUR, IN DOMINO GLORIETUR: ita glorietur ut omnis eius gloria a Deo pendeat, & in iis glorietur, quæ a Deo per Christum accepit, tunc enim vere laude dignus erit si Deum habeat laudatorem. Hunc esse huius loci sensum patet ex sequenti versiculo: *Non enim qui se ipsum commendat*, &c.

TIRINI.

Vers. 1. PER MODESTIAM CHRISTI. Græcum ἐπιείκεια significat lenitatem, clementiam, facilitatem, humanitatem, & harum comitem *moderationem*. Per hanc *obsecrat* & obtestatur Paulus Corinthios, ut se pio se dicturum patienter audiant. Etsi enim contra tam malignos obtrectatores paulo asperius agendum sit, se tamen memorem semper & imitatorem fore mansuetudinis & lenitatis Christi. Calumnia una erat, quod Paulus in facie, id est specie externa, quando præsens erat Corinthi, HUMILIS, id est abiectus & vilis esset: ABSENS AUTEM *confideret* IN ILLIS; Græce, *in illos*, id est liber & audax esset erga illos, plus æquo sibi usurpans, & epistolas scriberet imperiosas ac minaces. Utitur enim hic Paulus per mimesim *a*, verbis ipsorummet pseudo-apostolorum, ut etiam vers. 9. & 10. inquit S. Chrysost.

V. 2. ROGO AUTEM vos ut tempestive compescatis eiusmodi calumniatores, NE, cum PRAESENS adero, AUDEAM, id est potestate mea audacter uti cogar, PER CONFIDENTIAM, seu libertatem, quam putant me insolentius in quosdam exercuisse, TAMQUAM SECUNDUM CARNEM AMBULEMUS, indulgentes humanis affectibus ac passionibus, & non nisi politica prudentia, industria, astutia utentes.

V. 3. IN CARNE ENIM AMBULANTES, ceteris hominibus similes, NON tamen SECUNDUM CARNEM MILITAMUS; id est, non obsequimur carnalibus affectibus, neque utimur humana astutia, more politicorum. Sed

V. 4. ARMA quibus utimur, SUNT POTENTIA DEO, id est, valida, fortia, efficacia per Deum: nempe gratia, & vis verbi, sapientia cælestis, miracula, caritas, ceteræque virtutes. Hic armis *destruimus munitiones* adversariorum, puta syllogismos & sophismata Philosophorum & Oratorum, & evertimus CONSILIA, id est machinationes hostiles.

V. 5. ET OMNEM ALTITUDINEM, id est altam ac superbam scientiam magniloquam, qua quidam SE *extollunt*, ADVERSUS SCIENTIAM DEI, seu de Deo, vel qua Deus cognoscitur, id est adversus fidem veri Dei & Evangelium Christi: ita Chrysost. & Anselmus. Iisdem armis vincimus & *captivamus* OMNEM INTELLECTUM & ingenium humanum, quantumcumque excellens & scientiis instructum, IN OBSEQUIUM non nostri, sed CHRISTI, id est ad obsequendum, obediendum, & humiliter subiiciendum se Christo per fidem. His iisdem armis, ac præsertim potestate excommunicandi

V. 6. IN PROMPTU nobis est ULCISCI OMNEM obtrectatorum istorum INOBEDIENTIAM, rebellionem & contumaciam; sed tunc demum hac potestate utemur, CUM IMPLETA FUERIT VESTRA OBEDIENTIA; id est postquam adhibueritis alia mitiora remedia, vobis eum in finem a me præscripta. Si enim per hæc nihil profeceritis, tum demum ad ustionem & sectionem prosiliam. Ite ergo nunc, & sepositis internis ac spiritualibus dotibus, sola externa

V. 7. QUAE SECUNDUM FACIEM SUNT, VIDETE, attendite, expendite; quasi dicat: Egregios vos æstimatores, si in æstimandis hominibus æternam solum larvam intuemini. Faxo nihilominus, omnes intelligatis, me, qualis qualis exterius videor,

deor, non minorem esse quam sint alii Christi ministri. Quin &

V. 8. AMPLIUS ALIQUID POTESTATE NOSTRA Apostolica *b*: qua etsi non semper utamur, nil mirum: nam DEDIT illam NOBIS DOMINUS IN AEDIFICATIONEM, id est ut per illam spiritualiter ædificemus, roboremus, augeamus Ecclesiam, & salutem animarum promoveamus: non vero ut *destruamus*, labefactemus aut convellamus Ecclesiam, vel animas a salute aut profectu spirituali præpediamus. Unde violentis & extremis remediis, vel etiam extraordinariis, (qualia sunt miracula & alia gratis data) non utimur nisi urgente necessitate, vel evidenti utilitate.

V. 10. EPISTOLAE Pauli, INQUIUNT obtrectatores, SUNT GRAVES ET FORTES, acres, severæ, minaces: sed PRAESENTIA CORPORIS INFIRMA, vilis, abiecta, contemptibilis. Nam teste Nicephoro, & etiam Luciano *c*, Paulus *corpore erat parvo* (*tricubitali*, inquit Chrysost. *d*) *contracto, incurvo: facie candida, annosque plures præ se ferente, capite modico: oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum vergentia, nasus pulchre inflexus, idemque longior, barba densior & promissa, eaque (ut & coma] canis respersa. Et sermo contemptibilis*, rudis, inelegans, inconcinnus, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, ut ipse de se fatetur *e*,

V. 12. NON AUDEMUS INSERERE, id est annumerare NOS istis thrasonibus supra cæli verticem sese suaque extollentibus; SED *metimur* NOSMETIPSOS IN NOBIS, id est nostromet pede, nostris dotibus ac gratiis revera a Deo acceptis, adeoque

V. 13 MENSURA PERTINGENDI AD VOS, id est evangelizandi a Iudæa Corinthum usque *f* sicut revera facimus; quasi dicat: Non iactamus quæ non habemus aut quæ non fecimus, ut illi iactant de se.

V. 24. NON ENIM SUPEREXTENDIMUS NOS, id est, non ultra quam par aut verum est, nobis arrogamus.

V. 15. SPEM HABENTES CRESCENTIS FIDEI VESTRAE; id est, speramus quod crescente fide & instructione vestra, per vos *magnificabimur* SECUNDUM REGULAM NOSTRAM, id est amplificabitur nobis sors nostra, seu mensura regionum, quam Deus singulis nostrum admensus est ut in ea evangelizemus. Cum enim vos opera nostra non amplius egebitis, ad alias atque alias provincias continuo progrediemur, IN ABUNDANTIAM, seu exuberantiam, id est amplius semper & ulterius anhelantes REGULAM, seu terminos evangelizationis nostræ proferre: ita Chrysost. & Anselmus.

V. 16. NON IN ALIENA REGULA, id est non in limitibus, seu provinciis, aliorum opera *præparatis* & excultis.

(a) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. 35.
(b Lucæ VI. 11.
(c) Niceph Lib. II. cap. XXXVII. Lucian. in Philopatro.
(d) Chrysost. homil. de Principibus Apostolorum tom. V.
(e) I. Cor. II. 4.
(f) Rom. XV. 19. & 24.

GORDONI.

Vers. 1. IPSE AUTEM ROGO. Erant apud Corinthios, qui subdolis artibus obscurare nitebantur facta Pauli. Non defuerunt Iudæi, qui vel aperte, vel prætextu quodam Christianismi, Paulo per calumnias obstabant. De his eorumque calumniis sermo nunc est. Sensus ergo verborum est: Obsecro vos (per Christi mansuetudinem) qui humilis inter vos habeor, & severus exactor; Ego, inquam, absens & confidens in vobis, rogo ne cum præsens fuero, cogar uti illa severitate, quam mihi aliqui inter vos obiiciunt; quasi diceret: Ne hoc contingat, servate, & observari facite, quæ monita melioris vitæ a me audivistis.

V. 3. IN CARNE. Inter alia calumniatores illi arbitrantur me secundum carnem ambulare. Occurrit Paulus se more hominum aliorum molem carnis circumferre, non tamen sequi carnalia consilia: neque talibus armis, sed spiritualibus bellum gerere; arma sua esse potentia per Dei auxilium & virtutem, & valere ad multorum conversionem. ad destructionem munitionum (sunt obstacula Dæmonum & gentilium) consiliorum contra Evangelium, & cuiusvis altitudinis, qua homines polito sermone, & sæculari [illegible] extollunt se contra veritatem & scientiam Dei. Quinetiam his spiritualibus armis capimus, & captiva ducimus in triumphum ingenia, dum captivatur multorum intellectus in obsequium fidei. τὸ OMNEM, vers. 5. modus loquendi, vel omnem intellectum, hoc est,

est, quemvis intellectum, quamvis sublimem.

V. 6. ET IN PROMPTU. Obtendit hic arma sua spiritualia: & sicut supra dixit hæc arma valere contra hostes fidei, ita nunc ait valitura contra calumniatores suos. Sed differt donec plane fuerint obedientes moniti, & emendati. Abstinet ergo a generali sententia pœnali, ne per eam involvantur Corinthii.

V. 7. QUAE SECUNDUM FACIEM SUNT VIDETE; ac si diceret: Cum hæc omnia possim potestate mihi tradita, ite nunc & contenti sola externa specie, obiicite mihi quæ soletis opprobria. Nec est quod aliquis dicat, & confidat se esse Christi. An non etiam ego Christi sum? Immo si dixero maiorem quam illis datam esse potestatem, non erubescam, nec arrogans ero.

V. 9. UT AUTEM. Sensus est; Et ne putetis me velle tantum per epistolas vos terrere, ut dicunt obtrectatores mei, qui addunt eas esse graves, minaces, severas, cogitent hi, me talem esse præsentem, qualis sum absens; & semper mei similem. De corpore & statura Pauli lege Nicephorum Lib. II. cap. XXXVII. Cuius tamen excelsum animum, & magnanimitatem omnes mirantur cum Chrysost. hom. de Princip. Apost. tom. v.

V. 12. &c. NON ENIM AUDEMUS. Taxat iam adversariorum iactantiam. Nolo inquit, me cum his componere & comparare, qui se magnifice circumspiciunt, & se suo iudicio metiuntur. Certe (vers. 13.) nec ab illis gloriam quærimus. Nos nostra tenuitate, & gratiis a Deo datis contenti in Deo gloriamur, qui sincere apud vos functi sumus munere Apostolatus.

V. 14. NON ENIM QUASI. Neque cum hæc dico de vobis, prætendimus nos ultra veritatem, non mentimur: verum enim est me ad vos pervenisse in Evangelio: immo primus Christo vos aggregavi. Quæ cum ita sint (vers. 15.) clarum est me ultra modum non gloriari, aut alienas laudes appetere. Nec hoc tantum; sed spero etiam in vobis magnum traditæ fidei augmentum. Immo etiam fore ut ultra vos ad alias regiones promoveatur Evangelium. NON IN ALIENA REGULA, (vers. 16.) Non glorior ut alienum invadens patrimonium. Demum sic apparet me in his saltem, quæ iam parta & præparata sunt, merito gloriari. Solum in omnibus hoc firmum esse debet: *qui gloriatur, in Domino glorietur*; gloriari in se, est seipsum commendare; gloriari autem in Deo est Deum commendare, & in Dei commendatione gloriari. Eius sunt dona; ad illius gloriam omnia sunt dirigenda. Vide capite insequenti vers. 1.

CAPUT XI.

Propter pseudoapostolos pervertentes Pauli prædicationem metuens Corinthiis, ostendit quare nihil subsidii ab eis acceperit: deinde ut ostendat plus fidei sibi restituendum esse, quam illis, sua recenset encomia; & primum adversa quæ perpessus est, prædicando Christi fidem, & labores ac sollicitudines.

1. UTinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me: 2. AEmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. 3. Timeo autem, ne (*a*) sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo. 4. Nam si is qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicavimus; aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis; aut aliud Evangelium, quod non recepistis: recte pateremini. 5. Existimo enim nihil me minus fecisse a magnis Apostolis. 6. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia: in omnibus autem manifestati sumus vobis. 7. Aut numquid

quid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos exaltemini? quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis? 8. Alias Ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. 9. Et cum essem apud vos, & egerem; nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia: & in omnibus sine onere me vobis servavi, & servabo. 10. Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ. 11. Quare? Quia non diligo vos? Deus scit. 12. Quod autem facio, & faciam: ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut & nos. 13. Nam eiusmodi pseudoapostoli, sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. 14. Et non mirum: ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis: 15. non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ: quorum finis erit secundum opera ipsorum. 16. Iterum dico, (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier) 17. quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ. 18. Quoniam multi gloriantur secundum carnem: & ego gloriabor. 19. Libenter enim suffertis insipienter: cum sitis ipsi sapientes. 20. Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. 21. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego: 22. Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego: 23. * Ministri Christi sunt, (ut minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequentes. 24. A Iudæis quinquies, (*b*) quadragenas, una minus, accepi. 25. (*c*) Ter virgis cæsus sum, (*d*) semel lapidatus sum, (*e*) ter naufragium feci, * nocte & die in profundo maris fui, 26. in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: 27. in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate: 28. præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. 29. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? 30. Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. 31. Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior. 32. (*f*) Damasci præpositus Gentis Aretæ regis, custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet: 33. & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius.

(a) Gen. xxi. 2. (b) Deut. xxv. 3. (c) Act. xvi. 22. (d) Act. xiv. 18. (e) Act. xxvii. 2. (f) Act. ix. 24.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Vers. 23. *Ministri Christi sunt*. Non subiicias, quod in aliis est libris *& ego*.

Vers. 25. *Nocte & die in profundo maris fui*. Non mutes ablativum in accusativum, *profundum*.

COM-

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. UTINAM. Coactus laudum suarum mentionem facere, veniam præfatur, eam enumerationem modo insipientiam appellans.

V. 2. AEMULOR, id est ardenter vos in Deum depereo. DESPONDI ENIM; id est, ego enim tamquam spiritualium nuptiarum paranymphus & pronubus despondi VOS UNI VIRO, scilicet CHRISTO VIRGINEM CASTAM EXHIBERE; id est, ut vos illi exhibeatis tamquam virginem castam; Corinthiorum enim Ecclesiam alloquitur.

V. 4. NAM SI IS. Notat hic pseudo-apostolos non missos, sed semet intrudentes: unde ait, QUI VENIT & non missus. *Si autem*, inquit, *illi alium Iesum prædicant*, &c. id est, ut inquit Theophylactus, si eadem illi prædicant, quæ & nos ante prædicavimus, cur eos cum tanta attentione excipitis, non autem reiicitis? Mihi videtur etiam posse intelligi, ut hoc loco sumamus, *alius*, pro excellentior, & hoc modo sensus est: Si præstantiorem alium Christum, si perfectius Evangelium quam nos prædicaret: si ALIUM SPIRITUM, id est potiora Spiritus sancti dona ab illis accepetitis quam a nobis, RECTE PATEREMINI, Græce ἀνίχεσθε, id est illorum iure exactionem ferretis, vel recte illis obedireris; nam obedire quoque significat τὸ ἀνίχεσθε.

V. 5. & 6. A MAGNIS APOSTOLIS, id est præ magnis Apostolis; hoc est, nihilo me, inquit, illis inferiorem existimo. Quidam autem hic veros Apostolos intelligunt, quibus ad tuendam suam adversus pseudo-apostolos dignitatem comparare se cogitur. Alii pseudo-apostolos intelligunt per ironiam magnos appellatos, ob id quod sequitur: NAM ETSI IMPERITUS SUM SERMONE, SED NON SCIENTIA; hæc enim ratio nihil ad veros Apostolos faceret, qui Paulo nihilo elegantiores erant. Taxat autem pseudo-apostolos Paulus, qui quum nihil præter sermonis nitorem & eloquentiam haberent, magnos se Apostolos existimarent, quibus ipsa tantum sermonis eloquentia cedit Paulus, scientia ac ceteris virtutibus longe superior. Paulum autem re vera imperitum sermone fuisse manifestant tot ἀναπόδοτα, tot hyperbata, tot eclypses, & solœcismi Græci; ne quis vitio interpretis tribuat.

V. 10. & 12. HAEC GLORIATIO; id est, non sinam hanc mihi gloriationem apud Achaicos excidere: *gloriam* autem vocat, evangelium gratis prædicare, quam se tutaturum dicit, ut occasionem tollat pseudo Apostolis gloriandi, si similes Paulo invenirentur. Hoc est enim quod ait paulo post QUI VOLUNT, id est quærunt occasionem, UT IN QUO GLORIANTUR, id est unde glorientur, INVENIANTUR SICUT ET NOS, id est pares nobis: sed in hoc inferiores sunt, quod prædicare nolunt gratis sicut & nos. Nam religionem simulantes, evangelium quoque ut Paulus, prædicabant, sed non pietatis gratia, verum ut inde quæstum facerent; quod si ob evangelium sumptus acciperet Paulus, ei se illi æquarent.

V. 16. ITERUM DICO. Laudes suas aggressurus iterum obtestatur, ne hoc illi ad insipientiam vertatur, alioquin malle se insipientis nomen habere, quam non gloriari cum detrimento evangelii.

V. 17. QUOD LOQUOR IN HAC SUBSTANTIA GLORIAE; id est, quod statim de hoc genere gloriationis secundum nobilitatem carnalem glorior, NON LOQUOR SECUNDUM DEUM: nullum enim locum habet apud Deum nobilitas generis, feram me in hac re insipientem dici.

V. 19. 20. & 21. LIBENTER ENIM. Ironice hoc ait; veluti si dicat, Potestis insipientiam meam ferre IPSI SAPIENTES QUUM SITIS, & graviora multo feratis: SUSTINETIS ENIM, &c. quibus verbis imperiosam in illos pseudo-Apostolorum dominationem notate: SUSTINETIS, inquit, SI QUIS VOS DEVORAT, SI QUIS CAEDIT, SECUNDUM IGNOBILITATEM DICO, Græce, ἀτιμίαν, hoc est *ignominiam*, id est rem ignominiosam dico. Hæc autem, inquit, sustinetis ab illis QUASI NOS INFIRMI FUERIMUS, id est imbecilles & invalidi, nec eodem quo illi erga vos imperio uti potuerimus; quasi diceret, Poteramus

fane,

sane, sed id minus libuit. IN QUO QUIS AUDET: sub. gloriari, AUDEO ET EGO: quanquam hae in re sum insipiens.

V. 24. QUADRAGENAS, sub. plagas

V. 26. PERICULIS EX GENERE, id est a Iudæis affinibus meis & congeneribus. FALSIS FRATRIBUS, se Christianos mentientibus.

V. 28. PRAETER ILLA, id est præter eas molestias quæ mihi extrinsecus accidunt; enumeratis afflictionibus, quum omnes non posset, hoc addidit. Quod autem sequitur, INSTANTIA MEA, substantivum est fœmineum, Græce ἐπισύστασις, quod significat factiosam conspirationem, & hoc modo Theophylactus interpretatur, factiosa Iudæorum & quotidiana in me conspiratio.

V. 30. QUAE INFIRMITATIS MEAE, id est de afflictionibus gloriabor.

V. 17. SECUNDUM DEUM, id est divino more, quo soleo Dei mysteria tractare, nihil me commendans; quasi dicat, Humanum quiddam dicam. QUASI; scilicet videri poterat insipientia. SUBSTANTIA, id est negotio, seu argumento.

V. 18. SECUNDUM CARNEM, id est de carnis nobilitate. GLORIABOR, id est possim gloriari.

V. 20. DEVORAT, scilicet vestra. ACCIPIT, scilicet munera. CAEDIT. Iunge cum sequentibus.

V. 21. SECUNDUM, &c. quasi dicat, Cædit, inquam, quod attinet ad ignominiam, seu convitia quibus vos afficit. QUASI NOS, &c. quasi dicat: Tribuatur sane infirmitati meæ, quod vos non sic tractaverim. IN INSIPIENTIA, id est velut insipienter.

V. 23. MINUS SAPIENS. Græc. *desipiens*. ABUNDANTIUS; pro, abundanter.

V. 24. QUADRAGENAS, scilicet plagas. UNA MINUS. Ita Iudæi solebant, caventes ne forte excederent numerum quadragenarium a Deo præscriptum Deut. xxv.

V. 25. MARIS; pro, mari, scilicet iactatus undis extra navim. Syr. *sine navigio in mare*.

V. 26 GENERE. Syr. *cognatione mea*, scilicet Iudæis.

V. 27. AERUMNAM, id est molestiis.

V. 28. INSTANTIA MEA, id est mihi imminentia pericula,

V. 29. INFIRMATUR, id est dolet, seu affligitur.

V. 30. INFIRMITATIS, &c. quasi dicat, De iis quæ patior.

V. 32. REGIS, scilicet Petrææ, & Damasci. Erat is socer Herodis. Tetrarchæ, qui Ioannem decollavit.

S A.

Vers. 1. SUSTINERETIS; pro, sufferatis. MODICUM QUID, id est paulisper. INSIPIENTIAE; pro, insipientiam. Syr. *insipienter loquentem*. SED ET; pro, attamen.

V. 2. AEMULOR, id est zelo prosequor. DEI, id est secundum Deum, seu Dei causa. EXHIBERE, id est ut exhibeam.

V. 3. SENSUS, id est mentes. IN CHRISTO, id est secundum Christi voluntatem.

V. 4. ALIUM, scilicet meliorem. RECTE PATEREMINI, id est merito ferretis talem.

V. 5. ENIM; pro, autem, A MAGNIS; pro, quam magni.

V. 6. SERMONES. Plane defuit Paulo orationis facilitas & elegantia.

V. 7. EXALTEMINI; pro, exaltaremini, scilicet apud Deum.

V. 8. VESTRUM, id est erga vos; quasi dicat, Ut vobis inservirem.

V. 10. EST VERITAS, &c. quasi dicat, Vere dico, teste Christo. INFRINGETUR, id est mihi peribit. ACHATAE: in ea est Corinthus.

V. 12. ET FACIAM, id est faciam etiam posthac. GLORIANTUR, scilicet se posse ex Evangelio vivere.

V. 13. SUBDOLI, id est dolosi.

V. 16. DICO. Iunge cum *quod loquor*, &c.

M A R I A N A E.

Vers. 1. UTINAM SUSTINERETIS. De suis laudibus locuturus, veniam precatur, idipsum vocans *insipientiam*.

V. 2. AEMULOR, id est amo vos, & quidem ut zelotypus. Id inter alia verbum *æmulor* significat. DESPONDI. Syr. *vendidi*. De qua phrasi plura Luc. 1. 27. Ergo despondi vos, UNI VIRO, id est Christo, & promisi me virginem incorruptam illi collocare.

V. 3.

V. 3. ITA CORRUMPANTUR timeo. Verbum φθαρῇ noster per duo verba expressit, *corrumpantur & excidant*. Multa sæpe in Sacris supplentur. Gen. XLV. & Actor. VII. *Ioseph vendiderunt in AEgyptum*, supple, *deducendum*. SENSUS VESTRI, seu *mentes*. A SIMPLICITATE, id est a puritate virginea, quam de vobis Deo promisi. Ambrosius & Augustinus, *a castitate*: quæ lectio commoda erat, quoniam de *sponsa* & *virgine* agit. Goth. *a simplicitate & castitate*. Suspicor olim variam Græce lectionem fuisse, nunc constanter ἁπλότητος, id est *simplicitate*, omnes Græci codices habent. Aut ipsam puritatem *castitatem* vocarunt, quod apud bonos Auctores observatur, & Cicero aliquando *præmia virtutis casta* dixit.

V. 4. NAM SI IS QUI VENIT, scilicet ad vos Apostolus. ALIUM CHRISTUM, id est alio modo, aliam doctrinam prædicat, altiori forma quam nos. RECTE PATEREMINI. Syr. *recte assensum præberetis*. Sed non ita est.

V. 5. NIHIL ME MINUS FECISSE, id est nihilo me esse inferiorem magnis Apostolis puto.

V. 6. NAM ETSI IMPERITUS. Hieronymus ad Algasiam quæst. x. & ad Titum I. initio, & II. Lib. in Epist. ad Ephes. hoc ait non ex modestia dictum, sed vere. Ab Expositoribus solœci in eo, striblígines, constructiones inversæ, hyperbata notantur, genera, numerum, casus mutatos. Exempla requiris? non pauca occurrunt. Ad Galat. VI. *considerans te ipsum*, pro, considerantes vos ipsos: ad Eph. III. *quæ est*, pro, *quæ sunt gloria vestra*. Summa, in nativo sermone peritus & elegans fuit, argumento Epistola ad Hebræos, in Græco non ita.

V. 7. METIPSUM HUMILIANS. In quo? quia scilicet stipendium non accepi, num in eo peccavi, ut me contemnatis. UT VOS EXALTEMINI? id est superbiatis contra me ex hac occasione.

V. 10. HAEC GLORIATIO, quod gratis evangelizem. NON INFRINGETUR, non desistam, non mutabo.

V. 12. UT IN QUO GLORIANTUR, scilicet in evangelizandi cura non sint me superiores.

V. 16. ITERUM DICO. Laudare se volens, petit, ne hoc insipientiæ tribuant. Alioqui ut insipientem me accipite, id est tolerate.

V. 17. QUOD LOQUOR, scilicet de mea nobilitate, aut dicturus sum. NON LOQUOR SECUNDUM DEUM, id est Deus non curat, quali genere quis sit. Sed illos tamen imitabor: nam ipsi gloriari solent. IN HAC SUBSTANTIA GLORIAE, id est argumento, occasione.

V. 19. SUFFERTIS INSIPIENTES. Ironice; quasi dicat, Vestra sapientia ferte hanc meam insipientiam, ut multa alia tolleratis; quæ explicat mox. Sustinetis enim,

V. 20. SI QUIS DEVORAT, scilicet vos mordet, aut vobis conviciatur: de quo ad Gal. v. 15. SI QUIS ACCIPIT, scilicet vestra, si quis ea furatur. Sic Isidorus explicat Lib. XII. Etym. cap. VII. inde *accipiter* quasi raptor. SI QUIS EXTOLLITUR, scilicet super vos.

V. 22. SECUNDUM IGNOBILITATEM: κατὰ ἀτιμίαν, *indecore*. Quod aliis locis, *secundum hominem*, *secundum carnem* loqui se ait, id est humano more. QUASI NOS INFIRMI, id est quasi iis dotibus careamus, quas alii iactant. IN HAC PARTE. Hoc Græce non est, nec Syr. nec in Goth. IN INSIPIENTIA DICO, id est minus decenter hæc dico, *Hebræi sunt*, & quæ sequuntur.

V. 23. IN MORTIBUS, id est in mortis periculo sæpe fui.

V. 24. QUADRAGENAS, UNA MINUS. Deut. XXV. 3. permittebantur quadraginta plagas reo imponere. Iudæi ex traditione unam demebant.

V. 25. TER VIRGIS, scilicet a Romanis, quorum id genus supplicii erat. IN PROFUNDO MARIS FUI. Quidam puteum altissimum putant; alii teterrimum carcerem, similem illi qui Athenis *Barathrum* vocabatur, de quo Baronius anno Christi 58.

V. 26. PERICULIS EX GENERE, a cognatis & affinibus, & ex infidelibus.

V. 28. INSTANTIA, id est negotiorum moles, quæ mihi incumbit, aut *conspiratio* mea, id est contra me: ἐπισύστασις utrumque significare potest, *instantiam* & *coniurationem*.

V. 29. QUAE INFIRMITATIS. Fugam ex urbe Damasco vocat infirmitatem. Aut afflictiones intelligit, de quibus hactenus locutus est, & loqui pergit.

MENOCHII.

Vers. 1. INSIPIENTIAE MEAE: gloriationis meæ; insipientis enim est gloriari, & laudes suas recensere, nisi gravis subsit causa, qualem habebat Apostolus, qui eo descendebat ex zelo, ut Evangelium suum, & fidem apud Corinthios tueretur contra falsos Apostolos. SED ET SUPPORTATE ME: quod opto ut meam insipientiam toleretis, id etiam peto ut faciatis.

V. 2. AEMULOR ENIM VOS DEI AEMULATIONE: zelotypia laboro, zelotypus sum erga vos, zelo Dei; quasi dicat: Non ambio mihi hanc sponsam, sed Christo, & Deo, non meæ gloriæ, commodis, lucris, sed Christi, omnia hæc odorno; Christus enim sponsus est, ego tantum sponsæ ductor, & paranymphus. DESPONDI ENIM VOS UNI VIRO, &c. id est, per fidem, baptismum, Christianum, iam despondi vos Christo, ut ego ipse vos exhibeam in die iudicii virgines, id est integros fide, spe, & caritate nuptiali thalamo gloriæ Christi.

V. 3. TIMEO AUTEM NE CORRUMPANTUR: a pseudo-apostolis, quasi stupratoribus virginitatis vestræ. SENSUS VESTRI: νοήματα, sensa, iudicia vestra. A SIMPLICITATE QUAE EST IN CHRISTO, id est a simplici, pura, incorrupta fide, quam habetis in Christum.

V. 4. NAM SI IS QUI VENIT: pseudo apostolus quispiam. ALIUM CHRISTUM PRAEDICAT: alium Christum, & aliam doctrinam perfectiorem prædicaret, quam ego non prædicavi. AUT ALIUM SPIRITUM; &c. quasi dicat: Si alia excellentiora dona Spiritus sancti, quæ per me non accepistis, acciperetis a pseudo-apostolis istis. RECTE PATEREMINI: merito ferretis talem concionatorem, aut apostolum; merito illum audiretis: at nihil tale afferre possunt huiusmodi pseudo-apostoli.

V. 5. EXISTIMO ENIM NIHIL ME MINUS FECISSE, &c. quasi dicat: Nam nihilo minus perfecta ego vobis annunciavi, quam summi alii Apostoli, quales sunt Petrus, Iacobus, & Ioannes, annunciaverint.

V. 6. SED NON SCIENTIA; rerum divinarum quæ Ecclesiasticum magistrum decet. IN OMNIBUS AUTEM MANIFESTATI SUMUS VOBIS; quasi dicat: QUID attinet hæc a me pluribus commemorari: cum huius rei testes esse possitis vos ipsi quibus ego bene cognitus sum & perspectus.

V. 7. AUT NUMQUID PECCATUM FECI, &c. num id mihi vitio vertitur, aut quasi crimen obiicitur, quod me ipse ultra modum deiecerim, atque humile, abiectumque artificium exercuerim. UT VOS EXALTEMINI: ut vos spiritualibus divitiis essetis locupletes, & inclyti, & ut vobis hoc laudis accederet, quod pluris quam reliquas nationes vos fecerim; nam maiori meo cum incommodo vobis servivi, per egestatem prædicans vobis Evangelium, & meis sumptibus victitans, ne vobis gravis essem.

V. 8. ALIAS ECCLESIAS EXPOLIAVI, id est ab Ecclesiis quamvis essent vobis pauperiores, ut proinde spoliari, ac denudari viderentur, accepi stipendium, assumptum necessarium, dum vobis Evangelium ministrarem.

V. 9. NULLI ONEROSUS FUI: sed manibus meis laboravi, & pecuniis aliunde habitis vixi.

V. 10. EST VERITAS CHRISTI IN ME: testor Christi veritatem, me nihil pro sumptu a vobis accepturum. HAEC GLORIATIO: quod gratis vobis evangelizaverim. NON INFRINGETUR IN ME, &c. non interrumpetur, neque deficiet.

V. 11. QUARE? QUIA NON DILIGO VOS? ita loquitur, quia nollet quidquam a Corinthiis recipere, cum acciperet ab aliis, videtur esse irati animi argumentum.

V. 12. QUOD AUTEM FACIO, ET FACIAM: quod facio gratis per Achaiam prædicans Evangelium, idem & facturus sum deinceps. UT AMPUTEM OCCASIONEM: pecunias emungendi a vobis quasi me in hoc imitentur. UT IN QUO GLORIANTUR, INVENIANTUR SICUT ET NOS: ut quandoquidem nos imitari volunt, & propterea iactant quod nobis similes sint, in hoc inveniantur, & fiant similes nobis, quod nihil a vobis accipiant & vobis onerosi non sint.

V. 13. SUNT OPERARII SUBDOLI: callidi, versipelles dolosi. TRANSFIGURANTES SE IN APOSTOLOS CHRISTI, id est assumentes personam Apostolorum Christi, cum tamen tales non sint.

V. 14. ET NON MIRUM: quod audeant se transfigurare in Apostolos. IN ANGE-

LUM

LUM LUCIS: in angelum bonum, quem *angelum lucis* appellat, quia solent Angeli boni, utpote bene lucidi, & gloriosi apparere, cum se ostendunt hominibus. Vel dicuntur *lucis*, id est veritatis, iustitiæ, pietatis.

V. 15. NON EST ERGO MAGNUM, &c. id est, mirandum tamquam res magna, si ministri eius pseudoapostoli figuram, ac personam assumant ministrorum iustitiæ. QUORUM FINIS ERIT SECUNDUM OPERA EORUM: qui tandem in æterna vita dignam suis operibus mercedem consequentur. Vel significat neminem diu posse fictam personam sustinere, nam tandem pravi mores diu cohibiti, & fraudes erumpunt.

V. 16. ITERUM DICO: ut me patienter sustineatis si quid de me dixero ad laudem meam. NE QUIS ME PUTET INSIPIENTEM ESSE, scilicet ob prædicationem laudum mearum, nam iusta causa est cur id faciam. ALIOQUIN VELUT INSIPIENTEM ACCIPITE ME; quasi dicat, Quod si aliud impetrare non possum, accipite me velut insipientem, tantum ut mihi paululum gloriari liceat. UT EGO MODICUM QUID GLORIER; quasi dicat, Si illis licet multum, liceat & mihi nonnihil gloriari.

V. 17. NON LOQUOR SECUNDUM DEUM; quasi dicat: Facturus sum quod Christianæ humilitati non est admodum consentaneum; sed eo invitus descendo, nec laudes meas audeo recensere, nisi prius veniam impetraverim. SED QUASI IN INSIPIENTIA: stulti enim & vani hominis est se, & sua iactare. IN HAC SUBSTANTIA GLORIAE: in hac materia gloriæ, qua gloriari de meis laboribus in sequentibus intendo.

V. 18. SECUNDUM CARNEM: in rebus carnalibus, & externis, nobilitate, sapientia, &c. ET EGO GLORIABOR: in iisdem.

V. 19. LIBENTER ENIM SUFFERTIS INSIPIENTES, &c. est ironia; quasi dicat, Sustinuistis insipienter iactantes se gloriabundos illos pseudo-Apostolos; substinebitis, spero, & me apud sapientes sapienter, & utiliter gloriantem.

V. 20. SI QUIS VOS IN SERVITUTEM REDIGIT: eos qui imperiose vobis utuntur ut mancipiis. Significat imperiosam pseudo-apostolorum in Corinthios fideles dominationem, qua eos propemodum, ut servos premebant, nam ad eiusmodi subiectionem pertinent quæ sequuntur. SI QUIS DEVORAT: bona vestra consumit: significat inexplebilem pseudo-apostolorum aviditatem quantum ad sumptus vitæ, quos identidem exigebant. SI QUIS ACCIPIT, scilicet a vobis, spolians vos boni vestris. Alii de muneribus interpretantur. SI QUIS EXTOLLITUR: si qui se extollunt, ut vos simul deprimant. SI QUIS IN FACIEM VOS CAEDIT: non alapis, sed contumeliis, exprobrando quod fueritis peccatores, idololatræ, immundi.

V. 21. SECUNDUM IGNOBILITATEM DICO. In Græco est, *κατὰ ἀτιμίαν λέγω*, *quantum ad ignominiam, & contumeliam dico;* quasi dicat: Cum dico pseudo-apostolos in faciem vos cædere, non simpliciter dico, sed quoad ignominiam, & convicia, quæ in vos iactant, & faciem exprobrant. QUASI NOS INFIRMI FUERIMUS IN HAC PARTE; quasi dicat, Sustinetis fortes, audaces, minaces, & imperiosos pseudo-apostolos, me vero non sustinetis, sed contemnitis tamquam infirmum, pusillanimem, & timidum, quasi qui imperiosius agere non potuerim, quam feci; quasi dicat Paulus: Potui sane eadem licentia, & imperio in vos uti, quo pseudo-apostoli usi sunt, sed nolui ex humilitate, modestia, & caritate eximia. IN QUO QUIS AUDET, scilicet gloriari. IN INSIPIENTIA DICO, id est quasi insipiens loquor. AUDEO ET EGO; scilicet gloriari. Sensus est, Quæcumque illi sibi arrogant tamquam gloriosa, ego quoque mihi arrogabo.

V. 23. MINISTRI CHRISTI SUNT: per concessionem hoc dicit: esto vocent se Christi ministros. UT MINUS SAPIENS DICO; id est, quasi insipiens, & delirans loquor; quasi dicat, Stulte loquor, sed ignoscite stultitiæ meæ. PLUS EGO: Christi minister sum. Potius mihi quam illis debetur hoc nomen. IN LABORIBUS PLURIMIS. In Græco est, *περισσοτέρως*, id est *abundantius*; quasi dicat, Plures ego labores quam illi pro Christi Evangelio sustinui. IN CARCERIBUS ABUNDANTIUS: sæpius, & diutius fui propter Christum quam illi. IN PLAGIS SUPRA MODUM: *ὑπερβαλλόντως*, *excessive*, supra quam dici, aut credi potest. IN MORTIBUS: periculis mortis.

V. 24. QUADRAGENAS UNA MINUS ACCEPI:

CEPI: iusserat Dominus Deut. xxv. 5. ut plagarum numerus quadragenarium non excederet; id ut servarent Iudæi triginta novem infligebant.

V. 25. TER VIRGIS CAESUS SUM: semel quidem id accidisse Apostolo Philippis una cum Sila narrat S. Lucas in Actis Apostolicis cap. XVI. 23. Ubi vero virgas alibi sustinuerit, nemo, quod sciam, memoriæ prodidit. SEMEL LAPIDATUS SUM: Lystris Act. CXLV. TER NAUFRAGIUM FECI: ubi aut quando mirum silentium apud auctores, nam illud naufragium de quo Lucas cap. XXVII. 18. contigit post hanc scriptam epistolam. NOCTE, ET DIE IN PROFUNDO MARIS FUI, id est in alto, & medio mari diem, noctemque undis iactatus egi.

V. 26. IN ITINERIBUS SAEPE: molestis, longis, periculosis. PERICULIS EX GENERE, id est ex gente mea. Intelligit insidias, quas sæpe ipsi Iudæi struxerunt. PERICULIS EX GENTIBUS, id est a Gentilibus, sed iis plerumque a Iudæis in ipsum concitatis, ut patet ex Actis Apostolorum. PERICULIS IN CIVITATE: veluti Damasci, Ierosolymis, Ephesi, & alibi. PERICULIS IN SOLITUDINE, id est in desertis locis, in quibus ab adversariis collocabantur insidiæ. PERICULIS IN MARI: nam præter ventorum, & undarum impetum, subeunda fuerunt pericula piratarum, & insidiantium hostium, maxime Iudæorum; cuius exemplum habeamus Act. XX. 3. ubi scribitur factas illi fuisse insidias a Iudæis navigaturo in Syriam. PERICULIS IN FALSIS FRATRIBUS, id est periculis quæ passus sum a simulatis, & falso nomine Christianis.

V. 27. IN LABORE: ἐν κόπῳ, in fatigatione. ET AERUMNA: καὶ μόχθῳ. Vatablus vertit, *molestia*. *Ærumna*, ait Cicero, *est ægritudo laboriosa*: veluti cum defatigatus aliquis pro quiete cogitur novos labores capessere. IN IEIUNIIS MULTIS: quæ sponte suscipiebat, nam famem & sitim, de quibus prius dixit, ex necessitate, & paupertate sustinebat.

V. 28. PRAETER ILLA QUAE EXTRINSECUS SUNT; quasi dicat: Hæc quæ hactenus numeravi extrinsecus illata me male habuerunt, sed accedunt illa quæ interius animum exedunt, nimirum quæ sequuntur. INSTANTIA MEA QUOTIDIANA, id est molles negotiorum mihi quotidie instantium; & incumbentium. In Græco est ἐπισύστασίς μου, conspiratio, velut agmine facto, & incursus. August. dixit, *Incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum*: in Psal. XCVIII. SOLICITUDO OMNIUM ECCLESIARUM, id est plurimarum, scilicet earum, quas ipse fundaverat, aut quibus per se, vel per discipulos suos Evangelium prædicaverat.

V. 29. QUIS INFIRMATUR: dolet, affligitur. Quis fidelium infirmatur animo, propendet ad lapsum, pronus est ad peccandum, & ego non infirmor per intimum affectum commiserationis, metuens, & solicite cavens ne frater infirmus cadat? QUIS SCANDALIZATUR: offendiculum patitur, & iam ad lapsum propendet. ET EGO NON UROR: πυροῦμαι, ignesco, incendor, ardeo, tum dolore, quasi meum esset malum, quod subit proximus cum scandalizatur; tum zelo, ut illud scandalum tollam.

V. 30. QUAE INFIRMITATIS MEAE SUNT GLORIABOR, id est de afflictionibus, flagellis, persecutionibus, & passionibus pro Christo susceptis, ob quæ videor infimus, abiectus, imbecillis, contemptibilis.

V. 31. SCIT QUOD NON MENTIOR; quasi dicat, Sit mihi huius testis veritatis.

V. 32. PRAEPOSITUS GENTIS ARETAE REGIS; id est, is, qui regis Aretæ nomine genti præfectus erat. In Græ. est, ἐθνάρχης Ἀρέτα. Satrapa Aretæ regis, qui pro rege Damascum gubernabat. CUSTODIEBAT CIVITATEM DAMASCENORUM; milites locis oportunis disposuerat, ne Damasco possem elabi. UT ME COMPREHENDERET, scilicet Iudæis adversariis meis tradendum.

V. 33. ET PER FENESTRAM, &c. id est per mœnia civitatis, nocte, a discipulis demissus. Vide Actor. IX. 24. & 25.

T I R I N I.

Vers. 1. INsipientiam vocat gloriationem & laudem propriam ob res præclare a se gestas: hoc enim est insipientium seu stultorum, nisi subsit gravis causa, ut hic suberat in causa Pauli.

V. 2. AEMULOR vos; Græce & Syriace, *zelotypus sum erga vos*, nec patior hos

hos rivales pseudo-apostolos; idque AEMULATIONE & zelo DEI, id est propter Deum: neque enim ambio mihi hanc sponsam, sed *Deo & Christo*, cui ego instar paranymphi iam pridem per fidem & baptismum vos DESPONDI, & iam satago ut quemque vestrum suo tempore *exhibeam* CHRISTO eiusque talamo sponsali VIRGINEM corruptam, CASTAM, integram fide, spe, caritate, &

V. 3. SIMPLICLTATE IN CHRISTO, id est Christiana, seu Christianos decente sinceritate, seu doctrinæ, seu morum: ita S. Chrysost. cum suis.

V. 4. SI IS QUI ex grege pseudo-apostol. ad vos quasi procus VENIT, vobis ALIUM meliorem CHRISTUM & nobiliorem sponsum affert, & ALIUM SPIRITUM, ist est alia excellentiora dona Spir. sancti; RECTE PATEREMINI, id est merito talem ferretis, seu toleretis. Ast ego scio, nihil illos novi proferre posse: ita Tho.

V. 5. EXISTIMO etiam ME NIHIL MINUS FECISSE A MAGNIS APOSTOLIS, id est me nihilominus perfecta vobis, seu verbo annuntiasse, seu opere exhibuisse, quam fecerint, non dico isti pseudo-apostoli, sed etiam veri, immo primarii Apostoli, *Petrus*, *Iacobus*, *Ioannes a*: de quibus hæc intelligunt Chrys. Theophyl. Oecumenius: licet recentiores plerique malint pseudo-apostolos hic per ironiam *magos* vocari, eo quod se magnos iactarent *b*.

V. 6. IMPERITUS SERMONE dicor pseudo-apostolis: (ita S. Augustinus *c*:) & quidem si de verbosa, seu fastuosa eloquentia sermo sit, sic me libens agnosco *d imperitum sermone*, SED NON SCIENTIA rerum divinarum quæ decet præconem & doctorem Apostolicum: ita Chrysostom. Hieron, *e* Theophyl. Ceterum nervosam Pauli eloquentiam & cum vellet dicendi artificium, quo etiam præsides *f* provinciarum ac reges *g* percelleret, fuse demonstrat S. August. *h*. Sed quid attinet, hæc a me pluribus commemorari, cum IN his OMNIBUS MANIFESTATI pleneque perspecti *simus* VOBIS, ut alio teste vel testimonio non egeatis?

V. 7. NUMQUID PECCATUM FECI, & hoc mihi vitio, seu crimini vertitur, quod ME præter morem *humiliarim* apud vos, vile scenofactoriæ opificium exercens, UT VOS EXALTEMINI? id est, ad altiorem perfectionem eveheremini, discentes exemplo meo, gratis proximo deservire.

V. 8. ALIAS ECCLESIAS, etsi vobis pauperiores, excitavi ad sumptus necessarios mihi subministrandos, ut viderer quibusdam illas *expoliasse*, seu denudasse; ut ministrarem *vobis gratis*.

V. 10. EST VERITAS CHRISTI IN ME; id est, sancte iuro, testorque Christum, qui est ipsa *veritas i*, me nihil pro sumptu meo in *Achaia* (cuius metropolis est *Corinthus* k) umquam accepturum: ita Theophyl. Idque

V. 12. UT pseudoapostolis vestris AMPUTEM OCCASIONEM carpendi me, quasi nulla in re ipsis dissimilem aut superiorem. INVENIANTUR ergo (etiam in hoc negotio gratis evangelizandi) SICUT ET NOS, id est fiant nobis pares: ac tum demum iactent, nos illis nulla in re præcellere: ita Chrysost. & Anselmus.

V. 17. QUOD LOQUOR, seu loqui propono *l*, IN HAC SUBSTANTIA GLORIAE, id est in hac materia gloriationis, NON erit SECUNDUM DEUM, id est divino more dictum, nempe, si nude in se spectetur, & ut sonat. Erit tamen *secundum Deum*, si spectetur ut procedit ex caritate & necessitate, quæ me sic loqui compellunt, nempe ne vos, me velut vili homuncione contempto, seductoribus adhærescatis.

V. 18. GLORIANTUR æmuli mei SECUNDUM CARNEM, id est in rebus carnem concernentibus, puta nobilitate, divitiis, sapientia, &c. *etiam* EGO in iisdem GLORIABOR. Nec vestras hic aures offendam: licet enim

V. 19. SITIS IPSI SAPIENTES: tamen LIBENTER SUFFERTIS INSIPIENTES: hactenus enim maxima patientia sustinuistis thrasones istos stulte & cum damno vestro toties se iactantes: sustinebitis spero, etiam me, saltem hac vice, nec insipienter, nec inutiliter gloriantem.

V. 20. SUSTINETIS ENIM, immo effertis & extollitis (ut in Græco est,) SI QUIS vos imperioso dominatu suo IN SERVITUTEM REDIGIT, vobisque tamquam servis & mancipiis abutitur, bona vestra DEVORAT, ET VOS IN FACIEM CEDIT, non alapis, certe contumeliis & opprobriis,

briis, exprobrando quod idololatræ fueritis & immundi: ita Chryfoftomus, & Theophylactus.

V. 21. SECUNDUM IGNOBILITATEM; Græce, κατ' ἀτιμίαν, id eft ad ignominiam, feu contumeliam veftram, id vobis DICO & quafi exprobor, ut vos pudeat illorum. QUASI NOS INFIRMI FUERIMUS, nec fat fortes, generofi, audaces ad vobifcum imperiofius agendum. Cum tamen IN quacumque re QUIS illorum aliquid AUDET, *audeam* ET EGO, utpote nihilo ipfis inferior. Sed nolui iure meo uti, idque ex modeftia, humilitate & caritate erga vos.

V. 24. QUINQUIES A IUDAEIS QUADRAGENAS plagas, UNA MINUS, ACCEPI. Ex præfcripto enim legis *m* divinæ, non poterat plagarum numerus excedere quadragenarium. Id ut fervarent Iudæi, unum ictum a præfcripto numero tollebant, & non nifi 39. ictus infligi iubebant.

V. 25. TER VIRGIS CAESUS SUM. Semel *Philippus n*: ubi fecundo & tertio nufquam confcriptum. SEMEL LAPIDATUS Lyftris *o*. TER NAUFRAGIUM FECI, ubi aut quando, incertum: num illud Melitenfe de quo Lucas Actorum XXVII. contigit poft hanc fcriptam epiftolam *p*. IN PROFUNDO MARIS FUI. Syrus, *fine navigio in mari*, id eft naufragio facto, die una integra ac nocte in alto mari iactatus & natare coactus fum: ita S. Chryfoft. Theodor. Ambrof. Anfelmus, S. Thomas & Haymo. Non ergo hic per *profundum maris* intelligit profundiffimum carcerem Cyzicenum, ut vult Baronius *q*. Quantillum enim eft, nocte ac die una carcere concludi?

V. 26. PERICULIS EX GENERE, id eft, infidiis a gente mea, feu cognitione, id eft a Iudæis mihi ftructis, IN CIVITATE, v. g. *Damafcena*, *Ierofolymitana*, *Ephefina r*, &c. IN SOLITUDINE, id eft in defertis locis, ubi infidiæ collocabantur: IN MARI, non a piratis tantum, fed & ab hoftibus Iudæis *f* ubique mihi infidiantibus.

V. 27. IN LABORE ET AERUMNA. Græce, *in fatigatione & moleftia*, id eft in fatigatione molefta, in labore ærumnofo. Eft autem *ærumna*, ut ait Cicero, *ægritudo laboriofa* veluti cum delaffatus quifpiam, pro quiete cogitur novos capeffere labores.

V. 28. PRAETER ILLA, QUAE omnia EXTRINSECUS mihi illata SUNT, accedunt alia quæ interius animum exedunt: v. g. INSTANTIA MEA QUOTIDIANA, id eft moles negotiorum mihi quotidie inftantium & incumbentium: ita Anfelmus.

V. 29. QUIS fidelium INFIRMATUR animo, feu propendet ad lapfum, ET EGO NON INFIRMOR? per commiferationis affectum, metuens & folicite cavens ne de facto cadat? QUIS SCANDALIZATUR & offenditur, ET EGO NON UROR, partim dolore, partim zelo curandi & arcendi mali?

V. 30 QUAE INFIRMITATIS MEAE SUNT, nempe afflictiones & perfecutiones pro Chrifto toleratas (ob quas videor infirmus, contemptibilis) in medium producam, & de his GLORIABOR: ita Chryfoft.

V. 32. PRAEPOSITUS GENTIS; Græce, ἐθνάρχης, id eft fatrapa, princeps, qui nomine *regis* ARETAE præerat *genti* & urbi *Damafcenæ*. Erat hic Aretas focer *Herodis Antipæ* tetrarchæ, qui Ioannem decollavit: & præter Syriam Damafcenam, etiam Petræam fuo imperio fubiectam habebat, tefte Iofepho *t*, & Theophyl. CUSTODIEBAT CIVITATEM; id eft, cuftodias militares tota urbe conftituerat ne poffem elabi; volebat enim me comprehenfum tradere adverfariis meis Iudæis. Hiftoria narratur Actorum. IX. 24.

(a) Galat. II. 9.
(b) Hic cap. X. II.
(c) Auguft. Lib. IV. Doct. Chrift. cap. VII.
(d) I. Cor. II. 4.
(e) Hier. ep. CXI. quæft. X. ad Algafiam.
(f) Act. XXIV. 15.
(g) Actor. XXVI 28.
(h) Aug. fup
(i) Ioan IV. 6.
(k) Præfat. in epiftolam ad Corinthios priorem.
(l) Proleg. de Idiotifm. Hebr. num. 56. &c.
(m) Deut. XV. 3.
(n) Act. XVI. 23.
(o) Act. XIV. 5.
(p) Chronic. cap. ult. in anno morte Chrifti 26.
(q) Baron. anno Chrifti 58.
(r) Act. IV. 24. Ibid. verf. 29. Act. XIX. 23.
(f) Act. XV. 3.
(t) Ioseph. Lib. XVIII. Antiq. cap. III. &c.

GORDONI.

Praef. I. UTINAM. Paulus oftenfurus infignia Apoftolatus potius apud fe effe, non poteft abftinere a laude fua reliqua. Quia vero fe laudare fine gravi caufa infipientiæ eft: Paulus quamvis gravem caufam habeat, permittit, ut voce-

cetur insipientia. Ergo sustinete, inquit, ad modicum insipientiam meam, dum hoc modo pugno pro defensione Evangelii contra adversarios.

V. 2. AEMULOR ENIM VOS. Zelo itaque impellor, idque etiam erga vos, pro quorum integra fide conservanda laboro. Ne excidatis a simplicitate fidei, qua sponsum Christum per me sequuti estis. NAM SI QUIS, (vers. 4.) Sane si novus post me doctor alium vobis annunciet Christum, alium spiritum, & meliorem doctrinam, esset forte cur eum audiretis, & pateremini eum loqui. At nil tale afferri potest. EXISTIMO ENIM (vers. 5.) ME NIL MINUS perfectum in doctrina & spiritu vobis exhibuisse, quam quod exhibitum est a magnis Apostolis; quales sunt Petrus & alii cum eo Apostoli. Hæc de doctrina fidei. De imperito sermone nil dico: Græcam linguam intelligit. Imperitus Græce Paulus, sed certe eloquens erat.

Ceterum nihil est in his verbis Pauli, quod detrahat quicquam de primatu Petri: non enim agitur de primatu, sed de doctrina fidei, de donis spiritus in Apostolatu & laboribus evangelizantium Sane Beza induceret delinquentem graviter Paulum, si efficeret eum hoc loco arrogantem sibi primatum. Et quid si Paulus hic per magnos Apostolos quadam ironia intelligat pseudoapostolos, Pauli adversarios.

V. 7. AUT NUMQUID. Dixit se nil minus effecisse, quam fecerint pseudoapostoli. Nunc ostendit se superasse in multo & gratuito labore pro Ecclesia. Rem sic narrat: an crimen est quod me abiectum ostenderim, ut vos exaltarem in Domino? Evangelium prædicavi gratito. Cetera narrat vers. 8. 9. & 10.

V. 10. EST VERITAS. Vera, inquit, est hæc gloriatio de ministerio gratis exhibito, sine sumptu vestro: non quod vos (a quibus nihil volui accipere) non diligam; sed ne ulli sim onerosus, & (vers. 11. & 12.) ut amputem aliis occasionem captandi lucrum pro munere prædicationis. NON INFRINGETUR, οὐ σφραγίζεται, non sigillabitur, non occludetur, velut res occulta.

V. 13. NAM EIUSMODI. Hinc palam fit, quales fuerint Pauli obtrectatores; nempe non tantum inaniter gloriam captantes, sed etiam hæretici; tamen qui se transfigurabant in formam Apostoli; qualis hodie est soboles Calviniana, ad omnem nata calumniarum inventionem.

V. 16. ITERUM DICO. Scilicet ut initio capitis, sustinete hic insipientiam meam; ac si diceret: Gloriari hic oportet ad iustam defensionem, & ne quis putet me (ex his calumniis) apud vos hactenus fuisse vere insipientem. Aut si hanc gloriationem meam vultis omnino esse insipientiam, saltem sustinete, concedite si ego (quod alii faciunt) modicum etiam glorier.

V. 17. QUOD LOQUOR. Excusat adhuc quod de rebus suis glorietur: nam & alii gloriantur, & gloriantur secundum carnem (ego secundum spiritum) & quamvis non sit Christianum inaniter gloriari, tamen hæc substantia & materia gloriæ meæ, & QUASI INSIPIENTIA habet iustam causam.

V. 19. & 20. &c. LIBENTER ENIM SUFFERTIS. Hæc ultima ratio cur glorietur habet quandam ironiam. Vos qui omnia, & malos insipientes multos suffertis, me etiam sustinete, ad modicum non inutiliter gloriantem. SI QUIS IN SERVITUTEM (vers. 20.) Sic imperitabant Corinthiis velut mancipiis pseudoapostoli, devorabant bona vestra aviditate sua. SI QUIS ACCIPIT, spoliat bonis; SI QUIS EXTOLLITUR: vos deprimens. IN FACIEM CAEDIT, non verbere, sed exprobratione anteactæ vitæ: sic enim dant hunc sensum verba insequentia, SECUNDUM IGNOBILITATEM DICO. QUASI NOS INFIRMI, illos ut fortes, audaces & ut nobiles toleratis: nos ut infirmos contemnitis, quasi qui nihil audeamus. IN QUO QUIS AUDET. Potuissem, inquit, uti eadem audendi licentia, qua illi boni viri, sed nolui prohibitus Christiana modestia & caritate. Immo quæcumque sibi assumunt ut gloriosa, possum & ego. Addit quod abundantius est de laboribus, & frequenti periculo mortis.

V. 24. & 25. QUADRAGENAS UNA MINUS. De hac castigatione vide legem explicatam Deuter. XXV. 2. & 3. Iudæi tantum triginta novem plagas, ne legem violarent, adhibebant. TER VIRGIS, semel quidem Philippis Act. XVI. 23. De Paulo virgis cæso alibi non est proditum a Luca. Lapidatus Listris, Act. XIV. 5. TER NAUFRAGIUM FECI. Ista iactatio inter ma-

maris undas potuit sæpe contigisse, sed naufragii non meminit Lucas. Nam illud in itinere Romano postea contigit, de quo Act. xxvii.

V. 26. 28. & 29. Pericula ex genere sunt ex gente sua, seu Iudæis: alia memorat ex gentilibus. IN CIVITATE, Damasci & Ierosolymis. *Pericula* IN MARI, a Piratis. INSTANTIA QUOTIDIANA. Instans & urgens solicitudo Ecclesiarum. Hanc solicitudinem magis explicat, vers. 29. de ardente caritate.

V. 31. & 32. Vera, inquit, sunt quæ narro, sicut illud periculum Damascenum, de quo Act. ix. 24. quando Satrapa ille & gubernator civitatis pro Areta volebat captum tradere Iudæis.

CAPUT XII.

Narrat factas sibi ante annos 14. divinas visiones, & de dato sibi carnis stimulo, ostendens quod eum compulerint ut se laudaret cum ab illis potius debuisset commendari propter accepta ab ipso beneficia, pro quorum salute adhuc immolari paratus est: sed metuit ne ad eos veniens inveniat aliquos dissensionibus aliisque vitiis adhuc involutos.

1. SI gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem
ad visiones & revelationes Domini. 2. (a) Scio hominem
in Christo ante annos quatuordecim, (sive in corpore
nescio; sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hu-
iusmodi usque ad tertium cælum. 3. Et scio huiusmodi
hominem, [sive in corpore, sive extra corpus, nescio,
Deus scit] 4. quoniam raptus est in Paradisum: & audi-
vit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 5. Pro
huiusmodi gloriabor; pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis:
6. Nam, & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam:
parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid
audit ex me. 7. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi
stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. 8. Propter quod ter
Dominum rogavi ut discederet a me: 9. & dixit mihi: Sufficit tibi gratia
mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infir-
mitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 10. Propter quod placeo
mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutio-
nibus, in angustiis pro Christo: Cum enim infirmor, tunc potens sum. 11.
Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari:
* nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil
sum: 12. † signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia,
in signis, & prodigiis, & virtutibus. 13. Quid est enim, quod minus habui-
stis præ ceteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? Donate mihi
hanc iniuriam. 14. Ecce, tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero
gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent
filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. 15. Ego autem libentissime
impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos dili-
gens, minus diligar. 16. Sed esto: ego vos non gravavi: sed cum essem astu-
tus, dolo vos cepi. 17. Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, cir-
cumveni vos? 18. Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus

vos

vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis? 19. Olim putatis quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur: omnia autem charissimi propter ædificationem vestram. 20. Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos: & ego inveniar a vobis, qualem non vultis: ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos: 21. ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.

(1) Act. 12. 3.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 11. *Nihil enim minus fui*. Non est scribendum *feci* a facio, pro *fui* a sum.

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 12. *Signa tamen Apostolatus mei*. Alii libri scribunt, *Signa tamen Apostoli*, ut est Græce, & Syriace.

NOTATIO.

Vers. 11. *Nihil enim minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli*. Plerumque legitur: *Nihil enim minus feci*; sed *fui* vetisse Interpretem quo modo emendavit Hentenius, manuscripta exemplaria veriora docent. Vetus Scholiastes qui Hieronymo coniunctus est, & B. Anselmus *fui* se legisse declarant. Græca habent ὑδὲν γὰρ ὑςέρησα; quæ recte hoc modo transferas: *Nihilo enim inferior fui iis, &c.* Syra isto: *Propterea quod non defeci ab iis* &c.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. NON EXPEDIT. Gr. συμφέρει, id est nihil mihi confert: vult enim quod non suæ utilitatis gratia, sed ad retundendam pseudoapostolorum insolentiam gloriari cogatur.

V. 2. SCIO HOMINEM IN CHRISTO, id est per Christum raptum usque in tertium cælum, id est sedem beatorum.

V. 5. PRO HUIUSMODI, scilicet homine sic rapto; nam singulare est, pro quo Græci habent τοιούτου.

V. 6. SUPRA ID QUOD VIDET, id est præstantiorem quam aut viderit, aut audierit: neque enim mihi curæ est hominum de me existimatio.

V. 7. ANGELUS SATANAE, sive stimulus carnis. Quidam hunc motum in carnem interpretantur, alii cum fatam Hebræis adversarium significet, multitudinem adversariorum sibi in evangelio adversantium, QUI ME, ait, COLAPHIZET, id est, quovis modo affligat. Photius interpretatur omnes Pauli afflictiones.

V. 9. NAM VIRTUS. Græci addunt μου id est *mea*, ut sit sensus, quod potentia Dei in martyrum afflictionibus perfectior & illustrior redditur, dum per illas tyrannis fortiores evadunt.

V. 11. QUI SUNT SUPRA MODUM APOSTOLI, id est ab excellentibus illis Apostolis, sive veros apostolos intelligas, sive per ironiam pseudoapostolos.

V. 12. IN OMNI; uno verbo omnes explicat afflictiones, inter quas tamen signis & miraculis apud eos claruerit.

V. 13. HANC INIURIAM, ironice hoc legendum.

V. 15. IMPENDAM, id est non mea tantum, sed vitam etiam ipse vestra causa profundam, hoc enim significat SUPER IMPENDAR IPSE.

V. 16. SED ESTO. Occupat argumentum quod quis facere posset: etsi nihil e nobis acceperis, dolose tamen misisti, qui nos expilarent.

V. 17. CIRCUMVENI, id est avaritiæ studio quidpiam exegi.

V. 19. OLIM. Interpres legit πάλαι, alii πάλιν, id est *rursus*.

V. 21. HUMILIET ME DEUS; id est, vereor ne qui gloriari de vestra probitate solebam apud Macedones, humiliari cogar, quum ad vos venero: & qui de vobis magnifice loqui solebam, humiliter sentire.

S A.

Vers. 1. NON EXPEDIT; quasi dicat, Quod quidem alioqui non expedit.

V. 2. IN CHRISTO, id est Christianum, vel per Christi virtutem. IN CORPORE, scilicet manente anima. TERTIUM, scilicet empyreum; nam primum, aereum; secundum, orbes qui moventur.

V. 4. ARCANA. Græc. ἄῤῥητα, id est *ineffabilia*. NON LICET, &c. id est quæ explicari non possunt ab homine.

V. 5. GLORIABOR; quasi dicat, Pro tali re, seu homine. Possim quidem gloriari; PRO ME AUTEM; quasi dicat: Nam in me (quod ex me est) non est de quo possim, nisi quis putet materiam gloriationis, esse posse infirmitates, de quibus supra dixi.

V. 6. SI VOLUERO, &c. quasi dicat, Quamquam non desint in me Dei dona multa, de quibus possim, si velim, gloriari. PARCO, id est abstineo.

V. 7. MAGNITUDO, id est excellentia. STIMULUS CARNIS, id est tentatio carnem ad peccatum stimulans. ANGELUS; pro, nempe Angelus. SATANAE; pro, satanas, nisi forte ipsam tentationem significet, a satana scilicet immissam. COLAPHIZET, id est velut colaphis impactis, pudore magis afficiat, quam lædat.

V. 9. VIRTUS, &c. quasi dicat, Potentia mea illustrior apparet in carnis infirmitate, scilicet dum teneo ne peccet.

V. 11. INSIPIENS, pro, velut insipiens. AB IIS; pro, quam ii. SUPRA MODUM, id est excellentissimi.

V. 12. IN OMNI, pro, cum omni. VIRTUTIBUS, id est miraculis, scilicet factis Dei virtute: quo uno verbo comprehendit omnia signorum & prodigiorum genera, id est minorum & maiorum miraculorum.

V. 13. DONARE, id est condonare. INIURIAM. Urbana ironia.

V. 14. NEC ENIM, &c. quasi dicat: Facio in eo patris officium, cuius non est a filiis accipere, sed eis dare. Et hic urbanitas quædam est potius sententiæ, quam rationis firmitas. Alia enim ait: *Quis militat suis stipendiis umquam? & Quid magnum est si carnalia vestra metemus?*

V. 15. IMPENDAM, scilicet quæcumque habeo. SUPERIMPENDAR; pro, insuper impendar. DILIGAR, scilicet a vobis.

V. 16. ESTO, id est dixerit forte quis quod.

V. 17. CIRCUMVENI, scilicet volens vestra eripere.

V. 18. VESTIGIIS, id est passibus; quasi dicat, Eodem modo.

V. 19. OLIM, id est de rebus olim factis. Græc. πάλιν, id est *rursum*. Interpres legit πάλαι. EXCUSEMUS; quasi dicat: Putatis nos id dicere excusationis causa, ut fit; & defensionis rerum nostrarum, & non potius causa vestri? CORAM DEO, &c. id est teste Deo. IN CHRISTO, id est Christi spiritu. OMNIA, scilicet dicimus, vel, fecimus.

V. 20. AEMULATIONES, id est invidiæ. ANIMOSITATES, id est iræ.

M A R I A N AE.

Vers. 1. SI GLORIARI OPORTET. Græc. *Gloriari quidem non expedit*. VENIAM AUTEM AD VISIONES, scilicet coactus.

V. 2. SCIO HOMINEM IN CHRISTO, id est per Christum, eius ope. SIVE EXTRA CORPUS, scilicet fuerit. USQUE AD TERTIUM CAELUM, id est supremum, sedem Beatorum: *tertium*, sive quia tres sunt cæli, sive quia ternarius est numerus perfectus. Denique *in paradisum*. Hoc refert Lucian. in Philopatride, sed ridicule, ut cetera de Paulo Apostolo.

V. 5. PRO HUIUSMODI: in singulari, id est pro hac re gloriabor, quæ scilicet ex Deo fuit, non mea.

V. 6. PARCO AUTEM; quasi dicat: Cum plura dicere possem, ea omitto. NE QUIS ME. Græc. *in me*, in accusativo, id est de me existimet. SUPRA ID QUOD VIDET IN ME. Græc. *videt me*, scilicet esse. Utroque loco cum Græcis consentit Gotth. AUT ALIQUID; pro, *supra id quod audit de me*: sic Syr. Gotth. Vulgat. aufert vo-

cem

tem *aliquid*, & fine ea melius sententia constat. Ne tamen superbiam, datus est mihi stimulus.

V. 7. ANGELUS SATANAE, id est nuntius, minister: sic vocat tentationem carnis, quia a satana venit. Aut quoniam *satanas*, *adversarium* significat, per *angelum satanae*, & *stimulus carnis* aliquem adversarium, ac nominatim *Alexandrum aerarium*, de quo II. ad Timoth. IV. 14. aut omnes intelligit afflictiones: sic Chrysostomus, Theophylactus, & alii. Augustinus de Natura & grat. cap. XVI. se nescire quis hic *angelus* sit, plane ait.

V. 9. VIRTUS, &c. Graec. *virtus mea in infirmitate*. PERFICITUR, id est illustrior redditur Dei virtus in nostra imbecillitate. UT INHABITET IN ME VIRTUS CHRISTI. Rusbrochius, id est humilitas quae propria Christi virtus est, iuxta illud Matth. XI. 29. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*. Recte, si Graece esset ἀρετὴ, sed cum sit δύναμις, *virtus*, potentiam significat Dei, quae in afflicto habitat, id est, ostenditur.

V. 10. CUM ENIM INFIRMOR, ex me, TUNC POTENS SUM, ex virtute Christi.

V. 11. MINUS FUI, aut *feci*, ut Regia & Gotth. sed perinde est, quam ceteri Apostoli.

V. 12. SIGNA TAMEN APOSTOLATUS MEI. Graec. Syr. & Gotth. *Apostoli*. IN OMNI PATIENTIA. In hac voce omnes afflictiones complectimur, quas signa sui Apostolatus vocat.

V. 15. IMPENDAM, ET SUPERIMPENDAR, id est non solum pecuniam, sed sanguinem profundam. PRO ANIMABUS VESTRIS, id est pro vobis. Non quaero vestra, nec cum ad vos veniam, gravis cuiquam ero.

V. 16. SED ESTO. Occupat obiectionem, quam quis facere posset, nempe eos per alios expilasse.

V. 17. CIRCUMVENI VOS; id est, decepi vos exigendi aliquid per alios.

V. 19. OLIM PUTATIS. Noster πάλαι legit. Sensus; Putaris quod nostro antiquo more nos excusemus. Nunc Graece πάλιν est, id est putatis quod rursus, denuo nos excusemus. CORAM DEO, id est Deus & Christus sunt testes me vera loqui. Haec tamen moneo, ne

V. 21. HUMILIET ME DEUS, si tales non invenero, quales vos apud Macedones soleo praedicare. ET LUGEAM, id est cum luctu & invitus cogar multos punire.

MENOCHII.

Vers. 1. SI GLORIARI OPORTET, NON EXPEDIT QUIDEM. In Graeco est, καυχᾶσθαι δὴ ὀ συμφέρει μοί, *gloriari sane non expedit mihi*. Gloriari in aliis, quam in iis, quae infirmitatis meae sunt, non expedit mihi. Et sane nollem gloriari, sed propter vestram salutem, etiam quod nollem facere cogor. VENIAM AUTEM AD VISIONES ET REVELATIONES; scilicet, commemorandas. Inter visiones, & revelationes non exiguum est discrimen; aliquibus enim divinitus immittuntur visa, quibus tamen visi significatio non revelatur, ut accidit Pharaoni Gen. XLI. 17. & Nabuchodonosor Dan. II. 31. Paulus ergo sibi factas ait, non solum visiones, sed etiam eorum quae viderit explicationes.

V. 2. SCIO HOMINEM IN CHRISTO: de seipso quasi de alio quopiam loquitur, id enim erat Christianae modestiae. IN CHRISTO: Christianum, vel per Christi virtutem. SIVE IN CORPORE, SIVE EXTRA CORPUS NESCIO. D. Thom. II. 2. quaest. CLXXV. artic. V. & alii opinantur Pauli animam ex corpore non eductam in raptu & extasi, licet se hoc nescire Paulus affirmet, quod eo tempore a phantasmatibus, & sensibus alienatus fuerit, ne satis quae circa se gererentur intellexerit. USQUE AD TERTIUM CAELUM. Usque ad caelum empyreum, nam caelum aereum primum est, secundum sidereum, tertium empyreum sedes beatorum. ARCANA VERBA: ἄῤῥητα ῥήματα, *verba ineffabilia*. Quaenam fuerint quae audivit, sciri non potest, cum Paulus ipsa siluerit. QUAE NON LICET HOMINI LOQUI: quae nefas sit cuiquam narrare, vel, quae nullius oratione explicari queant.

V. 5. PRO HUIUSMODI; pro tali scilicet homine a Deo rapto. In Graeco enim est ὑπὲρ τοῦ τοιούτου, quod ad hominem magis, quam ad rem potest referri. IN INFIRMITATIBUS MEIS: aerumnis, passionibus. Vide dicta cap superiore vers. 30.

V. 6. NAM ETSI VOLUERO GLORIARI in iis quae gloriosa videntur hominibus, ut sunt visiones, & revelationes, revera non ero insipiens, licet aliquo modo insipienti-

bus similis sim futurus. PARCO AUTEM, id est abstineo. NE QUIS ME EXISTIMET, &c. ne quis propter illa plus mihi tribuat, ac maiorem me existimet, quam mea facta quæ videt, & meus sermo quem audit, me esse declarant.

V. 7. DATUS EST MIHI STIMULUS CARNIS MEAE: a Deo, non quod Deus tentationis sit auctor, sed quia diabolo Paulum tentare parato, id permisit, idque in specie, & materia libidinis ad eum humiliandum. Hæc est communior, & verior huius loci explicatio. QUI ME COLAPHIZET. Colaphizare est colaphis, id est pugnis faciem cædere, præsertim ad ignominiam; quasi dicat: Datus est mihi stimulus carnis, ut hac ignominia affectus mihi ipsi vilis fiam, & contemptibilis, nec superbiam propter revelationes, & reliqua dona Dei.

V. 8. TER DOMINUM ROGAVI, id est frequenter.

V. 9. DIXIT MIHI: Dominus. SUFFICIT TIBI GRATIA MEA: ut in te licet infirmus, in me tamen sis fortis ad hanc tentationem superandam. NAM VIRTUS IN INFIRMITATE PERFICITUR. In Græco est, *δύναμίς μου*, *virtus*, seu, *potentia mea*. Hæc autem in infirmitate perficitur, quia quo maior infirmitas, id est carnis tentatio, eo maior a Christo fortitudo contra eam suggeritur. LIBENTER IGITUR GLORIABOR IN INFIRMITATIBUS MEIS, id est magis, ac potius quam in ulla re, qua videar excellere. UT INHABITET IN ME VIRTUS CHRISTI: ut fixam in me sedem habeat, magisque in dies super me conformetur potentia Christi, qua nimirum potens sum in Christo ad superandas omnes tentationes.

V. 10. PROPTER QUOD: propter insignem eorum utilitatem, & quia per illas in me perficitur, & inhabitat virtus Christi. CUM ENIM INFIRMOR: cum affligor, & ea quæ dixi patior. TUNC POTENS SUM: non mea, sed Christi virtute, quæ me facit illis superiorem.

V. 11. FACTUS SUM INSIPIENS: gloriando, ac me ipsum laudando factus sum quasi insipiens. VOS ME COEGISTIS: ad hanc laudem, ut scilicet per illam auctoritatem meam, & opinionem quam de me habere debetis, stabilirem. EGO ENIM A VOBIS DEBUI COMMENDARI: sed cum vos id non faceretis, quod debebatis coactus sum ego, sane, invitus meipsum laudare. QUI SUNT SUPRA MODUM APOSTOLI, id est Apostolorum primi, & præcipui. TAMETSI NIHIL SUM; scilicet ex me.

V. 12. SUPER VOS: in prædicatione Evangelii apud vos, & vobis spectantibus.

V. 13. PRAE CETERIS ECCLESIIS: a me, & Apostolis fundatis. NON GRAVAVI VOS: ut a vobis alerer, sed meis laboribus victum mihi comparavi. DONATE MIHI HANC INIURIAM: ironice dictum; Ignoscite mihi, si in vos peccavi, cum vobis gravis esse nolui.

V. 14. ECCE TERTIO HOC: ecce tertia hac vice. PARATUS SUM VENIRE AD VOS: ut spiritualia vobis ministrem, idque sine vestro gravamine. QUAE VESTRA SUNT: pecunias vestras. SED VOS, id est salutem vestram. NON ENIM DEBENT FILII PARENTIBUS THESAURIZARE, &c. quasi dicat: In eo quod a vobis nihil accipio patres imitor, quorum non est a filiis accipere, sed filiis dare: ita ego pater vester spiritualia vobis impendo, paratus nihil temporale recipere.

V. 15. IMPENDAM: mea omnia. ET SUPERIMPENDAR: & meipsum præterea, meum sanguinem, spiritum, vitam insumam, exhauriam, & profundam pro vobis.

V. 16. LICET PLUS VOS DILIGENS, MINUS DILIGAR: licet vos vicissim me tantum non diligatis, quantum ego vos diligo. SED ESTO, EGO VOS NON GRAVAVI, &c. quasi dicat: Ipsi obtrectant mihi dicentes: Paulus per se quidem nihil in sumptum exigit, vel admittit, sed dolo vos capit, quia scilicet Titum, & alios submittit, qui vos vestraque emungant. Hæc refellens subdit.

V. 17. CIRCUMVENI VOS: fraudavi, occupavi, & extorsi.

V. 18. ROGAVI TITUM, *παρεκάλεσα Τίτον*, *rogavi*, sive, *adhortatus sum Titum*, ut ad vos proficisceretur. ET CUM ILLO MISI FRATREM: quis fuerit ignoratur: aliqui volunt fuisse Lucam. NUMQUID TITUS VOS CIRCUMVENIT? num Titus aliquid vel minimum a vobis extorsit? EODEM SPIRITU: eodem animo, eadem voluntate.

V. 19. OLIM PUTATIS. Noster interpres legit *πάλαι*, ac proinde vertit, *olim*; sed Græci codices habent *πάλιν*, *rursus*: sensus Latinæ vulgatæ esse potest: Video vos iam dudum suspicari me vobiscum sincere

cere non agere, sed excusationes prætexere quasi avarus, & pecuniæ colligendæ studiosus fuerim, sed nunc talis videri nolim. CORAM DEO IN CHRISTO LOQUIMUR; quasi dicat: Sine fuco, sincere, & vere loquimur, ut par est loqui eum, qui se *in Christo*, id est Christi membrum, & discipulum profitetur. OMNIA PROPTER AEDIFICATIONEM VESTRAM, id est quæcumque hactenus diximus, quasi in nostram commendationem, ea loquimur ad vestram salutem promovendam, non ad gloriam, aut excusationem nostram.

V. 20. QUALES VOLO, id est bene correctos a pristinis vitiis. QUALEM NON VULTIS, scilicet severum patrem, & peccatorum vindicem. AEMULATIONES, id est invidiæ. ANIMOSITATES: θυμοί, iræ. INFLATIONES: tumores, fastus, superbia.

V. 21. HUMILIET ME DEUS, id est contristet, deprimat, affligat me. ET LUGEAM, & lugere cogar, & castigare cum luctu peccatores in suis peccatis persistentes. IMMUNDITIA, id est mollitie, aliisque libidinibus, quibus contra naturam peccatur. IMPUDICITIA. Græce est, ἀσέλγεια, quæ est petulantior libido in libidinosis osculis, & tactibus.

TIRINI.

Vers. 2. SCIO, seu novi, HOMINEM IN CHRISTO, id est Christianum (de seipso *a*, modestiæ causa sic loquitur,) vel ope Christi, (non vero dæmonis, ut Simoni Mago contigit) RAPTUM AD TERTIUM, id est supremum, CAELUM, quod infra *b* vocat *paradisum*. Primum enim seu infimum cælum est aereum, & complectitur omne illud spatium quod lunæ subiectum est. Secundum, seu medium cælum, est sidereum & constat undecim orbibus cælestibus. Tertium, seu supremum est empyreum cælum, ubi sedes & paradisus, id est locus voluptatis, est Beatorum: ita Theophyl. Damascenus, Pomerius *c*, Haymo, a Lapide. SIVE IN CORPORE, SIVE EXTRA CORPUS raptus sit, NESCIO: nam alienatus a phantasmatibus & sensibus, non satis intellexi, sed neque attendi quæ circa me gererentur, totus iis intentus quæ spectanda offerebantur. Probabiliter tamen S. Th. *d* & alii opinantur, animam Pauli non fuisse divulsam a corpore, nam alioqui non fuisset raptus vel extasis, sed occisio & mors. *Raptus* enim teste eodem S. Thoma, *est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam ex vi superioris naturæ elevatio*: quæ divina virtute fit cum abstractione animæ a sensibus & phantasmatibus, sed non a corpore cuius est forma. Porro accidit Paulo hic raptus ANTE ANNOS QUATUORDECIM; ergo 9. anno a conversione Pauli, & a morte Christi 12. nempe eodem anno quo ordinatus est iubente Spiritu sancto *Apostolus Gentium*, Act. XIII. 2. Hæc enim posterior ad Corinth. epistola scripta est anno a morte Christi 26. a quo si tollas 14. annos, habebis annum 12. a morte Christi. Vide Baronium *e*.

V. 4. ET AUDIVIT ARCANA; Græce, ἄῤῥητα, id est ineffabilia, VERBA, quæ fando explicari non possunt ab ullo homine, id est, res quæ omnem captum & linguam humanam longe excedunt: v. g. gloriam & pulchritudinem SS. animarum, inquit S. Chrysost. Theodor. item secretum, modum & ordinem divinæ prædestinationis, vocationis & conversionis Gentium per Paulum, ut ipsemet insinuat Rom. XI. 33. ita Baronius. Denique œconomia Ecclesiæ, eiusdemque tum præsentis, tum futuræ mirabiles successus proprie ad Paulum spectabant.

V. 5. PRO HUIUSMODI: Græce, ὑπὲρ τοῦ τοιούτου, id est pro tali homine sic ad cælum rapto, GLORIABOR: PRO ME AUTEM non NISI IN INFIRMITATIBUS *f*, id est afflictionibus & passionibus MEIS.

V. 7. STIMULUS CARNIS; Græce, σκόλοψ τῇ σαρκί, id est *palus praeacutus carni*, seu (ut Syrus vertit) *in carne mea* infixus: puta motus concupiscentiæ in & a carne mea, sed magis accensæ ab *angelo* SATANA, id est a dæmone, qui phantasiæ meæ turpia obiicit, & humores ac sanguinem ad talia inflammat. Patet quia tales tentationes se passum indicat Rom. VII. 23. & quia hæ proprie *colaphizant*, id est non lædunt, sed ruborem ac dolorem iniiciunt: ita S. Anselmus, S. Thomas, & communiter Doctores. Hic *stimulus* a Deo (dum diabolo me tentare parato id permisit) DATUS EST

MIHI,

MIHI, ut hac ignominia affectus, mihi ipsi vilescam.

V. 8. TER, id est frequenter, DOMINUM ROGAVI, ut hoc probro me liberaret. Sed aliter illi visum.

V. 9. SUFFICIT TIBI, o Paule, GRATIA MEA & cæleste auxilium, quod ad eiusmodi tentationes superandas numquam tibi denegabo. Neque terrere debet humana infirmitas, ubi auxiliatur divina potentia. Quin potius VIRTUS; Græce, *δύναμίς μου*, id est potentia mea, PERFICITUR, seu perfectius & plenius sese exerit, & illustrius manifestatur, IN INFIRMITATE. Nam quo maior erit tua infirmitas & in malum pronitas, eo maius robur a me tibi suggeretur, & victoria illustrior obtinget: ita S. Chrysost. S. Thomas, & alii Doctores. Libentius IGITUR GLORIABOR IN INFIRMITATIBUS, mihi a Deo, seu relictis, seu immissis, quam in ulla alia re; UT VIRTUS, id est potentia, CHRISTI plenius perfectiusque INHABITET *&* stabilem sedem figat IN ME, & illustrius toti orbi manifestetur.

V. 10. PROPTER QUOD non æquo tantum animo & fortiter illas fero, sed & IN illis MIHI *placebo*, gaudeo, delector, & voluptatem maximam inde percipio: ita Theophyl. CUM ENIM INFIRMOR secundum naturam, TUNC POTENS SUM per gratiam: & per consequens quo magis infirmor, eo gratia & potentia Dei magis in me (si fidelis ipsi mansero) elucessit: ita Chrysost.

V. 11. FACTUS SUM INSIPIENS, gloriando de me, ac meipsum laudando. Fateor: sed vos ME ad id COEGISTIS, nempe ut hac via auctoritatem meam & opinionem, quam de me habere debetis, stabilirem. EGO ENIM contra obtrectatorum calumnias *debebam* merito A VOBIS laudari *ac* COMMENDARI: sed cum vos hic desitis officio vestro, coactus sum egomet vel invitus id præstare: NIHIL ENIM MINUS FUI AB IIS, id est nulla in re inferior fui iis QUI SUNT SUPRA MODUM, seu admodum excellunt, vel primi ac supremi sunt APOSTOLI, de quibus supra *g*.

V. 15. IMPENDAM me meaque omnia, & ab aliis impendi, & *superimpendi*, seu plus quam optetis impendi, sinam etiam sanguinem & vitam profundendo PRO ANIMABUS VESTRIS.

V. 16. SED obiiciunt adversarii: ESTO Paulus per se NON *gravavit* vos, tamen per Titum & alios quos submittit, vos vestraque emungit: (ita Chrysost.) & sic ut est ASTUTUS, DOLO VOS *cepit*. Sed bona fide.

V. 18. CIRCUMVENIT ne vos TITUS aut Lucas, aut Silas? An aliquid pro se, vel pro me, a vobis extorserunt umquam?

V. 19. OLIM, id est pridem, iam dudum, ab antiquo; Græce est *πάλιν*, id est *rursum* PUTATIS QUOD, dum hæc tam operose inculco, non vestri, sed mei solius gratia id faciam, nempe *ut* EXCUSEMUS NOS prætextu Evangelizationis APUD vos gratis factæ, & ingentis laboris pro vobis exantlati, quo possimus iam tanto liberius ac liberalius vestras opes deposcere atque exhaurire. Sed iuro CORAM DEO IN CHRISTO, id est sine fuco & sincere nos loqui & agere, (sicut par est facere eos qui se IN CHRISTO, id est Christi membra esse profitentur:) neque aliud nos in his omnibus spectare quam AEDIFICATIONEM VESTRAM, & salutem.

V. 21. NE ITERUM (CUM iam tertium VENERO ad vos) HUMILIET, contristet, affligat, ME DEUS, dum cogar videre & *lugere*, immo & severius castigare, MULTOS vestrum, in pristinis sordibus obstinate hærentes: ita Chrysost. cum suis.

(a) Hic vers. 7.
(b) Vers. 4.
(c) Damasc. Lib. II. de Fide cap. VI. Iulianus apud Haymon.
(d) S. Tho. II. 2. q. clxxv. a. 5.
(e) Baron. anno Christi 44. & 58.
(f) Hic cap. 11. 30.
(g) Vers. 11.

GORDONI.

Vers. 1. SI GLORIARI OPORTET. Non 2. & 4. expedit mihi gloriari nisi in infirmitate mea; vestræ tamen saluti expedit forte audire, quæ Deus dum laboro pro Evangelio fecit. Loquitur tamquam de alio homine Christiano. Contigit raptus ante annos quatuordecim, id est anno octavo a conversione exacto. Incidit proinde in annum Christi 44. a quo anno Christi excurrunt quatuordecim anni usque ad annum Christi 58. quo scripta est hæc epistola.

stola. Inciderunt ergo in eundem annum 44. raptus iste, ordinatio Pauli & Barnabæ in Episcopos, Petri Romam profectio, & sortitio provinciarum per Apostolos. Sentit vero S. Thomas II. 2. quæst. CLXXV. art. III. in hoc raptu animam a corpore non fuisse separatam (quamvis in mentis alienatione a corpore, & phantasmate non facile fuerit Paulo hoc scire, quod ipse etiam fatetur.) Ratio est, quia alioqui non fuisset extasis, sed occisio, resurrectio & multiplicatio miraculorum non necessaria ad raptum. AD TERTIUM CAELUM. Nisi accipias hoc de cælo Empyreo, non satis hodie convenit de numero cælorum. Ergo sic aerium cælum erit primum; secundum sydereum; tertium Empyreum. Sane realis hic raptus putandus est, sicut in Græco non est ἐξέστη, sed ἡρπάγη, & realis quidem etiam si sola anima fuisset rapta. Addit Paulus ad Paradisum, qui locus est beatorum. Dixi Cant. IV. 11. deduci a פרדס *pardes*, & denotare locum valde amœnum. Ubi AUDIVIT, immo & vidit si fuit *in* corpore: nec tamen clare vidit divinam essentiam, ex I. Timoth. VI. quam nemo umquam. Vidit ARCANA *hæc* VERBA: divinam instructionem fuisse certum esse debet; sed quænam in specie fuerint, non expressit Paulus.

V. 5. & 6. PRO HUIUSMODI GLORIABOR. Optima gloriatio est de infirmitate propria, eaque toleranda pro Deo, aut de Deo ut liberali in suis donis, qui supra quam petimus aut intelligimus, elargitur gratiam suam. De me autem, aut ex me non habeo unde glorier. NAM ETSI VOLUERO, & quamvis, inquit, vellem prolixius in visionibus & revelationibus gloriari, non essem insipiens, licet viderer insipientibus similis, sed abstineo ne quis mihi plus tribuat, quam in me sit. Satis multis signis probavi Apostolatum meum & vocationem (obmutescit hic Calvinus.) ET NE MAGNITUDO (vers. 7.) Ne vero inter tot revelationes inaniter extollar, permisit Deus ut Satan me stimulo carnis urgeret, & exercerer in pugna ignobili, si materiam spectes, sed quæ habet gloriosam victoriam, per quam qui sic colaphis a Dæmone cæditur, se humiliat, & simul servata castitate triumphat. Ut hic contigit in Paulo (v. 9.) cui sufficiebat Dei gratia, ut hic victor existeret. Ceterum hunc stimulum fuisse libidinis tentationes satis receptum est. Vocatur vero Angelus Satanæ, quia a Satana immittitur, ut sic impellat ad consensum, ante quem non fit peccatum. Lege Aug. Serm. II. in Psal. LVIII. & Hieron. ad Eustoch. de custodia virginitatis.

V. 9. VIRTUS IN INFIRMITATE PERFICITUR. Crescit in adversis tentata virtus, tum quia infirmus, dum sibi timet, caute resistit, & exercitatione fit fortior; tum quia diffidens sibi, Deum invocat, & roboratur per gratiam. Lege Augustinum Lib. VIII. Confess. cap. XI. & Bernardum epist. CCLIV.

V. 10. PLACEO IN INFIRMITATIBUS. Infirmitates de quibus hic Paulus, sunt dolores, contumeliæ, nuditas, frigus, &c. non quod ex se aliquid boni habeant; sed prout pro Christo tolerantur: & tunc est cur vir Christianus in his sibi placeat, quamvis ex se dolorem afferant & difficultatem; sicut captivare intellectum in obsequium fidei difficile est; & tamen delectatur in hoc, & delectari debet vir bonus. Adest in his certaminibus Deus, adest & robur addit.

V. 11. & 12. FACTUS SUM INSIPIENS. Quasi insipiens laudando me; sed me coegistis, qui opinione vestra me pseudoapostolis postponitis: sane qui non minus laboravi quam veri & magni Apostoli: debebam potius a vobis commendari. Quæ sequuntur clara sunt: habent ironiam. Si peccavi non gravando vos, condonate: iterum ad idem paratus sum: & Patres imitor, quorum est largiri bona filiis. Sic impense vos diligens minus diligor.

V. 16. & 20. SED ESTO. Purgat calumniam de dolo, idque abunde. Nec quæ dixi hoc capite, sunt ad excusationem (vers. 19.) sed ad ædificationem; & ne sint inter vos dissentiones. Hoc curate, &c.

CA-

CAPUT XIII.

Comminatur iis qui peccaverunt, quo ad pœnitentiam provocet, ne ad ipsos veniens cogatur severe eos castigare data sibi a Christo potestate, cuius virtutem merito deberent in seipsis agnoscere, additque generalem exhortationem, & salutationes.

1. ECce tertio hoc venio ad vos: (*a*) In ore duorum vel trium
testium stabit omne verbum. 2. Prædixi, & prædico, †
ut præsens, & nunc absens, iis qui ante peccaverunt,
& ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. 3. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens
est in vobis? 4. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate;
sed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in
illo: * sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis. 5. Vosmetipsos tentate
si estis in fide? Ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. 6. * Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi. 7. Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis: nos autem ut reprobi simus. 8. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. 9. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus,
vos autem potentes estis. Hoc & oramus vestram consummationem. 10. Ideo
hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum potestatem, quam
Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. 11. De cetero, fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete,
& Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. 12. Salutate invicem in osculo
sancto. Salutant vos omnes sancti. 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, &
charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

(*a*) Deut. xix. 15. Mat. xviii. 16. Ioan. viii. 17. Heb. x. 28.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIONES.

Vers. 4. *Sed vivemus eo*. Non est mutandum futurum in præsens *vivimus*.
Vers. 6. *Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi*. Nec hic futurum *cognoscetis* in præsens *cognoscitis*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 2. *Ut præsens, & nunc absens*. Non pauci libri addunt *bis* (*ut præsens bis*) consentanee Græco, & Syro, cuius loco quidam legunt *vobis*, sed male.

NOTATIO.

Vers. 2. PRædixi (*enim* o.) *& prædico* (*vobis* o.) *ut præsens, & nunc absens iis qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam*. Complures (So. la. Mal. ma. Pl. m. L. Pl. *ang. &c.*) codices addunt *vobis*. *Ut præsens vobis*: id quod quidam scribunt *bis*, quatuor Henlenii, unus Zegeri, quatuor (Q. H. A. Pl. lon. V. I. K.) nostri: *Ut præsens bis*. Quintus ex nostris utrumque iungit: *Ut præsens vobis bis*. Sextus & septimus in spatiis notant *bis*. His qui *bis* habent

bent adstipulantur editionis nostræ enarratores Auctor Glossæ, Lombardus, Carensis, Thomas, Gorranus. Græci constantissime ὡς παρὼν τὸ δεύτερον legunt, quod est, *ut præsens secundo*, vel *iterum*. Sic & Syri qui clarissimum dederunt loci sensum: *Prædixi vobis, & iterum prædico vobis; sicut & duabus vicibus cum fui apud vos, dixi vobis,* (ita) *& nunc absens scribo* iis &c. Auctor commentariorum Ambrosii nomine τὸ δεύτερον *secundo adventu* interpretatur *ut præsens secundo adventu* hoc sensu: Sicut cum secundo venissem dixi; ita & nunc absens dico: quæ & Græcorum Interpretum expositio est. Omnino igitur addendum, legendumque videtur *bis*; idque non intellectum alios abstulisse, alios, cum *vobis* mutavisse: quamquam, id quod demiror præstantiores sincerioresque libri (Brug. Lob. Leod. Mal. mi. o. T. Di. o. l. &c.) auferant, nec *bis*, nec *vobis* habeant. Ei quod sequitur a Græcis, & Syris constanter concorditerque adiicitur *scribo. Et absens nunc scribo iis*, quod a Latinis non minus constanter omittitur, minime necessarium.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. STABIT OMNE VERBUM, id est confirmabitur per duos aut tres testes, ne celare posse vos putetis.

V. 2. ET NUNC; pro ita & nunc, ut hoc loco, Sicut in cælo & in terra, pro ita & in terra.

V. 3. NON INFIRMATUR, id est non est imbecillis & debilis.

V. 5. & 7. TENTATE; id est, periculum facite de vobis ipsis, an non per Christum habitantem in vobis potentes estis; adeo ut per illum miracula facitis: nam in primitiva Ecclesia credentes etiam miracula faciebant. NISI FORTE REPROBI SITIS. Non videtur hic reprobus sumi ut sit contrarium prædestinato, sed pro improbo; Gr. enim est ἀδόκιμοι: ORAMUS enim DEUM, inquit, UT NIHIL MALI FACIATIS. NON UT NOS PROBATI APPAREAMUS, id est mundo probi videamur, SED ORAMUS UT VOS QUOD BONUM EST FACIATIS. NOS AUTEM UT REPROBI SIMUS, id est nos vero si ita vestro bono cedit, tamquam improbi existimemur; Græc. enim non est, *prout* ἵνα, sed ὡς, id est *tamquam*: oramus autem ut recte agatis, nos vero interim, si sic fieri oportet, tamquam improbi mundo existimemur, non enim gloriam hominum quærimus, parum nobis est si abiecti vobis censemur & inglorii, modo a peccato abstineatis, & quod bonum est faciatis.

V. 8. NON POSSUMUS; id est, si vos graviter deliquisse invenerimus, non possumus non castigare, alioqui adversus veritatem & iustitiam faceremus.

V. 9. GAUDEMUS: iuvat, inquit, si debiles & abiecti censemur pseudo-Apostolis: vos autem potentes in Christo sitis ad sectandam virtutem & fugienda vitia, vel εἰρωνικῶς ista legenda sunt. VESTRAM CONSUMMATIONEM, id est ut in omni bono perfecti sitis.

V. 11. IDIPSUM SAPITE, id est unanimes estote.

SA.

Vers. 1. TERTIO, scilicet bis iam venerat Corinthum. TRIUM. Videtur alludere ad adventuum numerum; quasi dicat, Ut tres testes rem confirmant, ita mei ad vos adventus. STABIT, id est confirmabitur. VERBUM, id est dubium negotium:

V. 3. EXPERIMENTUM, id est probationem. IN VOBIS; pro, in vos.

V. 4. IN ILLO. Syr. *cum eo*. IN VOBIS, pro, vobiscum, seu, quam in vos exercet.

V. 5. TENTATE, id est explorate. REPROBI, id est improbatis moribus, seu sine probatione.

V. 7. UT REPROBI. Græc. *velut reprobi*, id est non probati; quasi dicat: Modo ut vos bene habeatis, nolo ullam mei ab hominibus haberi rationem.

V. 8. NON ENIM, &c. quasi dicat: Nec enim aliud opto, quam ut secundum veritatem, id est iuste vivatur.

V. 9. CONSUMMATIONEM, id est perfectionem, scilicet ut perfecti sitis.

V. 11. EXHORTAMINI, scilicet invicem. Verti poterat *consolamini*. SAPITE,

TE, id est sentite. Syr. *sit inter vos concordia*.

V. 13. DEI, scilicet Patris: meminit enim omnium personarum. AMEN. Græce additur, *Missa e Philippis Macedoniæ per Titum & Lucam*. Quidam e Nicopoli missam putant.

MARIANAE.

Vers. 1. IN ORE DUORUM VEL TRIUM. Testes vocat suos ad eas profectiones, ut puniat noxios.

V. 2. ET PRAEDICO, UT PRAESENS. Græc. additur, τὸ δεύτερον, *secundo*, Gotth. & Syr. *bis*. Pro *bis*, aliqui codices Latini habent *vobis*. ET NUNC ABSENS. Græc. & Syr. additur, *scribo*. NON PARCAM, scilicet ulli. Christus ad id me movet.

V. 3. QUI IN VOBIS NON INFIRMATUR; quasi dicat, Christum magnificatis, qui in me loquitur, me contemnitis.

V. 4. ET NOS INFIRMI SUMUS, id est socii infirmitatis Christi. SED VIVEMUS. Iunge *in vobis*, scilicet vim habemus ad puniendum eos qui in vobis deliquerint.

V. 5. VOSMETIPSOS TENTATE: nam si in Christo creditis, qui in vobis habitat, & mihi credere debetis. NISI FORTE REPROBI, id est improbi estis, ἀδόκιμοι, a fide exciditis.

V. 6. SPERO AUTEM QUOD COGNOSCETIS; pro, *cognoscitis*, ut aliqui legunt, quod ego reprobus non sum.

V. 7. UT REPROBI SIMUS: ὡς *quasi reprobi simus*, id est existimemur. Nihil id curamus, modo vos recte vos geratis.

V. 8. ADVERSUS VERITATEM. Non possumus scilicet non punire delinquentes: id enim esset agere contra veritatem.

V. 9. NOS INFIRMI SUMUS, id est tales habemur. VOS AUTEM POTENTES ESTIS, scilicet probi & gratia Dei pleni. VESTRAM CONSUMMATIONEM, id est in omnibus perfectionem oramus, cupimus. Hæc tamen scribo,

V. 10. UT NON PRAESENS DURIUS AGAM; puniendo aliquos. Ideo prævenio vos.

V. 11. EXHORTAMINI, scilicet mutuo, alii alios: seu consolationem habete, gaudete. Id potest etiam significare, IDEM SAPITE.

MENOCHII.

Vers. 1. TERTIO: tertia vice. VENIO: venire propono ad vos, ut scilicet puniam eos, qui per duos, vel tres testes peccasse, nec pœnitentiam egisse convincentur. STABIT OMNE VERBUM: statuetur, rata erit, confirmabitur omnis accusatio.

V. 2. UT PRAESENS, ET NUNC ABSENS: ita ut præsens prædixi, ita & nunc absens prædico, pari, scilicet auctoritate, & interminatione, ac si præsens essem prædico, & scribo. NON PARCAM: si inemendatos mores invenero virgam Ecclesiasticam expediam, & peccatoribus non parcam.

V. 3. AN EXPERIMENTUM QUAERITIS, &c. quasi dicat: Vultis me præcepta mea negligere, ut experiamini, an audeam & possim inobedientes punire per potestatem mihi a Christo datam? EIUS, QUI IN ME LOQUITUR CHRISTUS: video vos experiri velle, an etiam in me Christus loquatur, quemadmodum in ceteris Apostolis; quasi dicat: Cognoscere cupitis, an mea præcepta sint ab humano, an a divino spiritu profecta. QUI IN VOBIS NON INFIRMATUR, SED POTENS EST IN VOBIS; quasi dicat: Non est erga vos infirmus, sed potius multa suæ potentiæ signa inter vos edidit.

V. 4. EX INFIRMITATE: humanitatis, & carnis. SED VIVIT: resurrexit, & vivit immortalem vitam. EX VIRTUTE DEI: ex potentia divinitatis.

V. 5. NAM ET NOS INFIRMI SUMUS IN ILLO, id est cum illo, nimirum Christo, infirmamur, patimur, affligimur. Vel, *in ipso*, tamquam exemplari, cui nos eius ministri conformamur, secundum quod ipse prædixit: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*, Ioan. XV. 20. SED VIVEMUS CUM EO; id est, experiemini me non infirmum, & quasi mortuum, sed vivum, vegetum, & fortem, si opus fuerit virgam punitionis contra vos expedire. EX VIRTUTE DEI: ex potentia Dei. IN VOBIS: contra vos, tunc nimirum cum res postulabit, ut potestatem in vos exerceamus. VOSMETIPSOS TENTATE: examinate, & conamini cognoscere quantum fieri potest. SI ESTIS IN FIDE: num fidem semel acceptam retineatis. AN NON COGNOSCITIS VOSMETIPSOS,

ipsos, quia Christus in omnibus vobis est? scilicet omnibus simul, hoc est, in Ecclesia vestra? videbant enim Ecclesiae suae tot miracula, tot gratias, & dona collata, ut non dubitarent Christum in ea esse, & operari. Porro huius loci cum superioribus connexio, & sensus hic esse videtur. Experiri vultis, o Corinthii utrum in me Christus loquatur. Quid hoc tam seduli de me quaeritis? Quaerite sane de vobis, fidem vestram explorate, & cognoscite Christum esse in vobis. Quanto igitur magis erit in magistro, & Apostolo vestro? Nisi forte reprobi estis · ἀδόκιμοι, *minime probi*, *minime probati*: Christi fide, gratia, luce, ac cognitione privati, & pristinis ignorantiae, vel infidelitatis tenebris involuti. Itaque non accipitur haec vox reprobi, prout opponitur praedestinato.

V. 6. Nos non sumus reprobi: atque ideo Christum in nobis esse.

V. 7. Non ut nos probati appareamus: quasi qui habeamus discipulos tam bene institutos. Vel, sensus est, Oro ut vos nihil mali faciatis, non autem ut ego, vestra ulciscens flagitia reprobatus appaream, integer, incorruptus, & iustitiae severitatem retinens. Nos autem reprobi simus: etiam si inde nos non probati, inglorii, nullius nominis, aut pretii habeamur.

V. 8. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, &c. Id unum quaero ut ab omni scelere puri sitis, etiam si inde nullius nos, potentiae censeamur; necesse enim erit nos ab omni severitate abstinere, & coercendi potestas nobis divinitus data nullum habebit usum. Veritatem: id quod rectum, & iustum est. Sed pro veritate: conservanda, & tuenda armis spiritualibus instructi sumus.

V. 9. Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus, &c. Gaudeo vos esse potentes, etsi ego infirmus, ac reprobus habear, non valens uti potestate contra vos, utpote potentes gratia, & virtutibus, culpa autem vacuos. Hoc et oramus: oramus autem Deum, ut vobis hoc etiam concedat: Vestram consummationem: κατάρτισιν, *perfectionem*, ut sitis perfecti, & consummati in omni gratia, & virtute.

V. 10. Ut non praesens durius agam: ne vos adhuc incorrectos inveniens cogar uti severitate, & rigore disciplinae adversum vos. In aedificationem, et non in destructionem: vide dicta cap. x. 8.

V. 11. Gaudete: χαίρετε, *gaudete salvete*, *valete*. Epilogus est epistolae, & formula valedicendi Perfecti estote: καταρτίζεσθε, curate ut in dies perfectiores, & meliores sitis. Italice diceremus, *Perfezionatevi*. Exhortamini: παρακαλεῖσθε, quod etiam vertere possumus, *consolamini*, *consolationem percipite*. Idem sapite; id est, concordes & unanimes estote. Pacem habete: curate, ut pacifice & amanter agatis inter vos.

V. 12. Salutate invicem in osculo sancto: vide dicta ad Rom cap. xvi. 19. Omnes sancti, id est fratres, seu Christiani qui apud nos sunt.

V. 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, id est gratuita beneficentia Christi Redemptoris nostri. Et caritas Dei: Patris, qui scilicet dilexit nos, & caritatem suam in eo potissimum commendavit, quod filium suum pro nobis in mortem tradidit. Et communicatio sancti Spiritus; id est, participatio, seu larga effusio donorum Spiritus sancti, ut communicatio activa intelligatur. Sit cum omnibus vobis; scilicet, per multiplices effectus gratiae, & caritatis Patris, & communicativae bonitatis Spiritus sancti, Amen.

TIRINI.

Vers. 1. Tertio, seu tertia vice, venio, id est venire propono, ad vos; nempe ut potestate mihi a Christo concessa puniam eos qui per duos aut tres testes convincentur gravius peccasse, nec poenitentiam egisse: nam in ore duorum vel trium testium, etiam Deo iubente *a*, stabit omne verbum; id est, ex duorum vel trium, (non autem ex unius,) testimonio reus quisque vel condemnabitur in iudicio, vel absolvetur.

V. 3. An forte praecepta meae negligendo, experimentum facere vultis, an etiam in & per me Christus *loquatur*, sicut in & per alios Apostolos? id est an praecepta mea sint ab humano, an a divino spiritu profecta? Item an transgressores ausim vel possim punire potestate mihi data a Christo?

ſto? Sed quid dubitatis; cum iam pridem experti ſitis hæc omnia? Nam Chriſtus IN VOBIS hucuſque NON INFIRMATUR per me, SED POTENS EST; id eſt, oſtendit ſe non eſſe imbecillem (ſeu in ſe, ſeu in miniſtris ſuis,) ſed valde potentem ac fortem, cum tot tantaque divinæ potentiæ ſuæ ſigna per me inter vos ediderit: ita Ambroſ. & Anſel.

V. 4. NAM ETSI ſemel EX INFIRMITATE humanæ naturæ ultro aſſumpta *crucifigi* voluerit & mori; non manſit tamen mortuus, SED EX VIRTUTE DEI, ſeu potentia divinitatis ſuæ, reſurrexit, & VIVIT vitam immortalem. Simili modo ET NOS INFIRMI quidem *b* SUMUS IN; ſeu cum ILLO, vel ad inſtar illius, SED VIVEMUS CUM EO EX eadem VIRTUTE, ſeu potentia ipſius, idque de facto experiemini cum IN VOBIS, ſeu contra vos, virgam meam expediero: tunc enim ſentietis, me non mortuum, neque infirmum, ſed vegetum ac fortem eſſe caſtigatorem: ita Theophyl.

V. 5. VOSMETIPSOS TENTATE & examinate, an Chriſtus inter vos per me non probarit ſe fortem & potentem eſſe, tot ſignis ac prodigiis apud vos per me patratis. NISI FORTE REPROBI *ſitis* a fide, id eſt privati fide, gratia, lumine Chriſti, & priſtinis ignorantiæ vel infidelitatis tenebris involuti. Si enim fide præditi eſtis, facile ex tot ſignis & miraculis apud vos patratis, *cognoſcetis*, QUIA CHRISTUS IN VOBIS EST potenter ac fortiter operans. Quod ſi hoc non ſat videtis, ſaltem

V. 6. SPERO QUOD, cum ad vos venerimus, & improbos atque obſtinatos caſtigaverimus, ipſo facto COGNOSCETIS QUIA NOS NON SUMUS REPROBI, ſeu reprobati vel reiecti a Chriſto, eiuſque gratia, efficacia & poteſtate privati. Videbitis enim Chriſtum per me tam potenter operantem, ut nulla ex parte dubitare amplius poſſitis.

V. 7. ORAMUS AUTEM DEUM, UT NIHIL MALI FACIATIS punitione vel caſtigatione noſtra dignum: atque ita ſubtrahatis nobis materiam & occaſionem exercendæ probandæque poteſtatis noſtræ: id, inquam, oramus, NON UT NOS PROBATI APPAREAMUS, quaſi qui diſcipulos habeamus tam bene inſtitutos: SED UT VOS per omnia probi & obſequentes ſitis. Tum enim nil morabimur, ſi NOS UT (Græce ὡς, id eſt *ſicut*) REPROBI SIMUS,) & quaſi imbelles, ac poteſtate Apoſtolica deſtituti habeamur, & conſequenter viles, inglorii, ignobiles reputemur: ita Theophylactus, Anſel. a Lapide.

V. 8. NON ENIM POSSUMUS, ſed neque volumus, ALIQUID facere ADVERSUS VERITATEM, ſeu contra iuſtitiam; quaſi dicat: Non poſſumus punire qui pœnam non merentur. SED PRO VERITATE, iuſtitia & æquitate tuenda armis noſtris ſpiritualibus inſtructi ſumus.

V. 9. GAUDEMUS ENIM nobiſque gratulamur, ſi ſic NOS INFIRMI *ſimus*, neque poſſimus defectu materiæ potentiam noſtram in vobis caſtigandis exerere, quia vos culpa vacatis, ſed gratia & virtutibus POTENTES ESTIS. Et in HOC ORAMUS VESTRAM CONSUMMATIONEM; Græce, *perfectionem*, id eſt ut reddamini perfecti ac conſummati.

V. 11. EXHORTAMINI, id eſt conſolatione fruimini, ut alias dixi *c* ut & verſ. 12. de OSCULO SANCTO *d*.

V. 13. COMMUNICATIO, id eſt participatio, ſeu larga effuſio donorum, SPIRITUS SANCTI SIT CUM OMNIBUS VOBIS per multiplices eorumdem donorum effectus.

(a) Deut. xix. 15.
(b) Ioan. xv. 20.
(c) II. Cor. 1. 4.
(d) Rom. ult. 16. & I. Petri v. ult.

GORDONI.

Verſ. 1. ECCE TERTIO. Ecce, inquit, tertia iam vice propono venire ad vos, ut eos puniam, qui (ut interpretatur Anſelmus) ore duorum vel trium teſtium convincuntur peccaſſe, & non egerunt pœnitentiam. De ſufficiente numero duorum vel trium teſtium vide quæ dixi Deuter. cap. XIX. 15. Stat etiam hodie hæc lex, non quia Moſaica, ſed ex vi iuris naturalis & canonici. Addit verſ. 2. terrorem pœnæ, ſi venerit.

V. 3. 5. AN EXPERIMENTUM. Non ignorare iam poteſtis virtutem Chriſti in me. Ipſe quidem mortuus eſt, & ego infirmus: ſed vivit ille in virtute, & ego in illo firmus ſum, & reperietis me viventem cum eo & in illo; eius, inquam, virtute, quæ eſt divina.

V. 5. 6. TENTATE VOSMETIPSOS. Decla-

clarat in hac satis gravi reprehensione, quam sint in periculo, dum aurem præbentes improbis, quos tolerant, non satis recordantur, quam manifeste Christus inter eos ostenderit suam potentiam & voluntatem. Sane si statis in fide, hoc quod dico, cognoscetis. Ergo vos ipsi probate, & scietis, an sitis reprobi, hoc est, ex Anselmo, privati iterum luce fidei, & regressi ad pristinas ignorantiæ tenebras. Sic enim *τὸ reprobus* accipitur, non ut opponitur prædestinato. Et vero non est cur sic reprobi sitis, derelicti tam cito, reiecti a gratia, & facti infideles: post tot signa veritatis vobis ostensa ut non amplius cognoscatis Christum. Spero autem vos cognoscere, nec proinde esse reprobos sicut ego in hac cognitione Christi non sum reprobus. Et hac spe sustentor forte ut cognoscatis me in hac cognitione Christi perseverantem, nec reprobum esse; nec a veritate reiectum; qui potenter in hac Christi cognitione operor in signis & prodigiis. Ex his verbis

V. 5. AN NON COGNOSCITIS, QUIA CHRISTUS. Dicet aliquis inferri, hominem non reprobum, & vere aliquando iustum, scire in ipso esse Christum, & sic esse certum de sua iustitia: quam quæstionem quando prolixitatem vetat ratio instituti, vide accurate tractatam hoc loco a Iustiniano nostro. Eamque attigit Opusc. de verit. Cathol. sect. II. cap. XVII. Falluntur prorsus Novatores, ut ibidem asserui, dum fingunt omnem significatam in Scripturis cognitionem de nostra iustitia esse fidei certitudinem: nihil tale est in Scripturis: moralem quidem aut probabilem certitudinem habere possumus: maiorem numquam significat Scriptura; si non sit, ut in Magdalena, de remisso peccato specialis revelatio: aut de salute, ut in Latrone: nusquam vero revelatum est, Calvinum, ut hoc utar exemplo esse aut iustum, aut prædestinatum. Longum esset referre loca Scripturæ, quæ ibidem protuli, probantia conceptis verbis oportere hominem in timorem operari salutem, & eum nescire an sit dignus odio vel amore. Sic Psal. II. 11. *Ne pereatis de via iusta.* Certum quidem est homini se credere, sed an actus ille credentis sit actus fidei divinæ, non habet certam scientiam; quamvis non desint coniecturæ; numquam tamen tales, ut sublata revelatione non possit subesse falsum.

Iam vero contra hanc Catholicam doctrinam nihil habetur ex his Pauli verbis; sensus enim verus est, explorate vos ipsos, an maneat in vobis vera fides, & cognitio Christi, manentem certe reperietis, optimis indiciis, nisi sitis reprobi, & regressi, ut dixi, ad pristinas ignorantiæ tenebras. Sunt etiam qui per reprobum (Græce *ἀδόκιμον*) intelligunt abiectum, & corruptis moribus hominem [ut sane vox *reprobus*, varie interdum accipitur) sed non tam plene attingit mentem Pauli, qui explorari vult an retineant veram cognitionem Christi, quæ certe est per fidem: *ἀδόκιμοι* ergo, quasi præter usum receptum credentes, ac proinde sic etiam improbi & reprobi.

V. 7. ORAMUS AUTEM. Concludit epistolam felici precatione, & tandem salutatione. Oramus, inquit, ut nihil umquam mali a vobis fiat, non quo ego inde vobis efficiar probatus; sed oratio eo tendit, ut vos omnia honesta & laudabilia faciatis, quamvis ego (si Deus ita vult) viderer vobis reprobatus & reiectus. Quod enim verum, rectum & Deo gratum est, hoc expeto; & syncero animo geram. Immo ubi res hoc feret ad maiorem Dei gloriam, quicquid sit de mea apud vos æstimatione & approbatione, stet vestra felicitas & consummatio, de qua semper gaudebo.

V. 10. *& deinceps*, HAEC ABSENS SCRIBO, ut vos sic moniti nihil habeatis eum venero, ob quod severiorem castigationem exercere debeam. Ceterum gaudete, PERFECTI ESTOTE, SALUTATE. De osculo pacis vide Rom. XVI. 26.

EPI-

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD GALATAS.

QUO tempore scripta fuerit hæc Epistola, incertum videtur, id tamen verisimile est a Paulo ante priorem ad Corinthios Epistolam scriptam fuisse, in qua cap. XVI. Corinthios hortatur ut de eleemosynis in sanctos qui Ierosolymæ erant conferendis eodem se gerant modo, quem Ecclesiis Galatiæ præscripsit. Sic loquitur cap. XVI. vers. 10. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei; *ubi fideles Ierosolymæ videtur insinuare. Scribendi causa ea fuit, quod Galatas ad fidem conversos quidam pseudo apostoli e Iudæis pravis imbuerint doctrinis, observandæ legis necessitatem inducentes. Cum autem doctrinam a Paulo traditam Galatæ accepissent, ipsum doctorem Gentium, non ut Apostolum, sed ut Apostolorum discipulum, quique ab iis dissideret, habebant pseudo-apostoli, quæ acta fuerant Antiochiæ inter eum & Petrum, in sui erroris patrocinium afferentes. Ac tamdem id effecere ut Galatæ complures circumcisionem reciperent, quod erat exempli pessimi: cum Gentiles iugum illud non ferendum a fide Christi deteruissent.*

Quamobrem Apostolus hanc scripsit Epistolam, in qua eum damnat errorem, ne in perniciem Ecclesiarum latius spargatur, Apostolatum suum adversus calumniatores adstruit, legales cæremonias ut inutiles reiicit, pseudo-apostolorum calumnias diluit, quæ Antiochiæ acta fuerint, commemorat; multos qui irrepserant abusus, condemnat.

CAPUT PRIMUM.

Reprehendit Galatas Apostolus quod abduci se permiserint a veritate quam ab ipso acceperant, cum sola hæc tenenda sit, eamque non ab homine, sed per Christi re-revelationem ipse didicerit, & tanta solertia postea illam docuerit, quanta ipsam antea impugnabat: addens quo modo ipsum Deus ad evangelizandum segregaverit.

1. PAulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem,
sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit
eum a mortuis: 2. & qui mecum sunt omnes fratres,
Ecclesiis Galatiæ. 3. Gratia vobis & pax a Deo Patre, &
Domino nostro Iesu Christo, 4. qui dedit semetipsum pro
peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo ne-
quam, secundum voluntatem Dei & Patris nostri, 5. cui
est gloria in sæcula sæculorum: Amen. 6. Miror quod sic
tam cito transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud
Evangelium: 7. quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, &
volunt convertere Evangelium Christi. 8. Sed licet nos, aut Angelus
de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis,
anathema sit. 9. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis
vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. 10. Modo
enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc
hominibus placerem, Christi servus non essem. 11. (a) Notum enim vobis
facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est se-
cundum hominem: 12. (b) neque enim ego ab homine accepi illud, ne-
que didici, sed per revelationem Iesu Christi. 13. Audistis enim conversatio-
nem meam aliquando in Iudaismo: quoniam supra modum persequebar Eccle-
siam Dei, & expugnabam illam, 14. & proficiebam in Iudaismo supra mul-
tos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paterna-
rum mearum traditionum. 15. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex
utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, 16. ut revelaret Filium
suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquievi
carni & sanguini. 17. neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Aposto-
los: sed abii in Arabiam: & iterum reversus sum Damascum: 18. deinde post
annos tres veni Ierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quin-
decim: 19. alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem
Domini. 20. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior,
21. Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ. 22. Eram autem ignotus facie
Ecclesiis Iudææ, quæ erant in Christo: 23. tantum autem auditum habebant:
Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam ali-
quando expugnabat: 24. & in me clarificabant Deum.

(a) I. Cor. xv. 1. (b) Ephes. III. 3.

C O M M E N T A R I A

G A G N A E I.

Verf. 1. NON AB HOMINIBUS NEQUE PER HOMINEM. Victorinus in Epistolam ad Galatas exponit, non ab Apostolis, ut Mathias, neque per alium quemvis hominem prophetam, vel alium: quia vero dixit, neque per hominem, & subdidit, SED PER IESUM CHRISTUM; arguit hinc satis a Paulo Christi deitatem confirmari: ne vero quis putet propter huiusmodi correctionem *sed per Iesum* in affirmata Christi deitate negari humanitatem, subdidit Paulus, QUI SUSCITAVIT ILLUM A MORTUIS; unde ipsius Christi, qui mortuus sit, confirmatur humanitas.

V. 2. ECCLESIIS GALATIAE, sub. salutem dicunt. PATRE NOSTRO. Quidam Latini cum Græcis quibusdam legunt: *A Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo*, quia Græci quidam habent ϗ κυρίυ ἡμῶν ἰσῦ χριςῦ. Dionysianus tamen codex Græc. habet ἀπὸ θεῦ πατρὸς ἡμῶν ϗ κυρίυ ἰησῦ χριςῦ, id est *a Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo*.

V. 6. MIROR QUOD SIC TAM CITO. Græc. est, θαυμάζω ὅτι ὕτως ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι χριςῦ εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον: quo loco utramque τῦ ὕτως significationem interpres expressit, quum vertit *sic tam cito*: nam ὕτως significat sic, & adeo, & cum eo legunt Tertullianus, Aug. Ambros. Cypr. Sensus autem Græcæ lectionis potest esse duplex. Primus: Miror quod ita, ac tam cito transferimini & deficitis ab eo, scilicet patre, qui vos vocavit in gratiam Christi, in evangelium aliud: sic enim & Chrysostomus & Græca scholia: putabant enim (inquiunt) legalibus adhærentes Deum Patrem se placare. Ideo ostendit Paulus quod qui ab Evangelio filii deficit, a Deo Patre, qui nos in Christo & per Christi gratiam vocavit, deficiat. Secundus sensus potest esse: Miror quod adeo cito transferimini & deficitis in aliud evangelium ab eo, qui vos per gratiam suam vocavit, Christo; ut τῦ χριςῦ, referatur ad ἀπὸ τῦ καλέσαντος, non ad χάριτι.

V. 7. QUOD NON EST ALIUD; id est, quamquam non est aliud evangelium præter id quod prædicamus. NISI SUNT ALIQUI: istud refertur ad *miror quod tam cito deficitis ab evangelio, nisi quod sunt* QUI VOS CONTURBANT, ET VOLUNT CONVERTERE EVANGELIUM CHRISTI. Græce μεταςρέψαι, id est invertere & subvertere; quasi diceret, Nequaquam defecturi eratis, nisi allecti & seducti ab aliis.

V. 8. ANATHEMA: vide quid sit anathema, Roman. nono, & primæ Corinth. ultimo.

V. 9. PRAETER ID QUOD ACCEPISTIS, Hic & in eo quod præcessit *præterquam quod vobis evangelizavimus*, Græce παρ' ὃ, id est *præter quam quod*, sive contra quam: si quis evangelizat vobis contra quam vobis evangelizavimus, aut vos accepistis, anathema sit; contrariam enim evangelio doctrinam prædicantes damnat, non prorsus aliam sive coformem.

V. 10. MODO ENIM HOMINIBUS SUADEO, AN DEO? Græce est, ἄρτι μὲν γὰρ ἀνθρώπους πείθω, ἢ τὸν θεόν, id est ad verbum: *Adhuc enim homines suadeo an Deum?* Chrysostomus interpretatur, *an apud homines causam dico, an apud Deum?* Theophylactus, *an humana suadeo, an divina?* SI ADHUC HOMINIBUS PLACEREM, id est in gratiam & ob gloriam hominum prædicarem, CHRISTI SERVUS NON ESSEM: omnia enim (ut idem Apostolus præcipit) in Dei gloriam facienda: ἀρέσκω autem, quo hic utitur Paulus, non significat simpliciter placere, aut gratam esse rem aliquam, sed usque adeo gratam quæ animum expleat, & ultra quam nihil expectes. Mihi quoque ἀρέσκω sumi posse videtur pro assentari, ut ἄρεσκος pro blando & assentatore homine; atque ita esset sensus: Si assentari hominibus vellem, ipsis scilicet Iudæis legalia adhuc prædicando, Christi servus, qui ea sustulit, non essem: mentiebantur enim seductores pseudo-apostoli Paulum prædicare legalia.

V. 11. SECUNDUM HOMINEM, id est ab homine mihi traditum.

V. 13. & 14. PROFICIEBAM IN IUDAISMO, id est ritu legis Iudaicæ SUPRA COAETANEOS & æquales meos adolescentes, IN GE-

GENERE MEO, id est in gente] ac natione mea Iudaica. ABUNDANTIUS AEMULATOR EXISTENS, id est plus æquo studiosus traditorum a patribus institutorum.

V. 15. & 16. CUM AUTEM PLACUIT, &c. id est, eum visum est ei QUI ME SEGREGAVIT EX UTERO MATRIS MEAE, ET PER GRATIAM SUAM VOCAVIT, revelare FILIUM SUUM IN ME, UT EVANGELIZAREM ILLUM IN GENTIBUS, CONTINUO, &c. Erasmus vertit, *& vocavit per gratiam suam in hoc ut revelaret filium suum per me*, & sic refert τὸ ἀποκαλύψαι, non ad εὐδόκησε sed ad καλέσας, & Græci hoc modo legissent, καλέσας εἰς ἀποκαλύψαι: ideo præstat legere *cum placuit*, sive *visum est ei revelare filium suum in me*, & non *per me*, id est notum illum mihi facere: sic enim Victorinus philosophus in epistolam ad Galatas: prius enim est, ait, ut cognoscat, deinde ut evangelizet. Græca scholia sic explicant ἐν ἐμοί, id est *in me*: in me dixit, volens ostendere, quod non verbo tantum externo edoctus a Deo esset, sed intus corde atque animo: cum ergo ei placuit revelare filium suum in me ut illum evangelizarem continuo, &c. Matrem autem a cuius utero se segregatum ait, quidam Antiochenam Ecclesiam interpretantur, in qua dictum est a Spiritu sancto: *Segregate mihi Saulum ac Barnabam*: alii ac verius, synagogam interpretantur, a cuius utero & consortio, quum Deo, inquit, visum est, me segregare ad filium suum evangelizandum CONTINUO NON ACQUIEVI CARNI ET SANGUINI: quo loco pro acquievi, Græc. est, οὐ προσανέθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι; id est, non contuli cum carne & sanguine, nec adhibui in consilium carnem & sanguinem. Quidam per carnem & sanguinem Pharisæos intelligunt, quod Iudæos cognatos suos vocare soleat. Alii apostolos intelligunt, qui etiam cum Iudæi essent, caro & sanguis Pauli dici poterant. Hieronymus non vult de his intelligi, ob id quod sequitur, NEQUE VENI AD ANTECESSORES MEOS APOSTOLOS. Mihi carnis & sanguinis nomine quivis homo intelligi posse videtur, quum Christus dicat Petro, *caro & sanguis non revelavit tibi*, id est nullus hominum, sed pater meus. Vult ergo Paulus quod acceptum a Christo evangelium eum nemine contulerit, ne quid adiutus ab aliquo homine videretur. DAMASCUM. Damascus civitas est Syrophœnices, totius Syriæ caput, inter Libanum & Antilibanum sita: profectionis autem in Arabiam non meminit Lucas; neque aliorum multorum quæ gessit Paulus: ideo æstimandum statim a sua conversione a Damasco profectum in Arabiam, ut per absentiam suam persecutionis a se factæ opinionem extingueret, & post triennium reversum esse Damascum, atque inde Ierosolymam.

V. 19. IACOBUM FRATREM. Hic est Iacobus non Zebedæi filius, frater Ioannis, sed Iacobus Alphæi, qui minor dicitur, cognatus domini, atque ideo Hebræorum more frater: quamquam & frater dicatur præ aliis, quod Christo simillimus fuerit: hic primus Ierosolymorum episcopus qui canonicam epistolam scripsit. Hunc multi etiam ex veteribus falso putaverunt vere fratrem esse Domini filium Ioseph: de quo in hunc locum ita Photius, ἀδελφὸς τοῦ κυρίου οὐκ ἦν, ἀλλ' ἐνομίζετο, id est, fratrem Domini: non erat frater, sed putabatur; nimirum propter similitudinem.

V. 20 ECCE CORAM DEO; id est, ecce Deum testor quod non mentior. Hebraismus est.

S A.

Vers. I. CONTRA eos qui legalia servanda contendebant. Addit & quædam ad mores pertinentia.

V. 1. AB HOMINIBUS, scilicet ad Apostolatum vocatos. HOMINEM, scilicet purum; Christus enim etiam Deus.

V. 2. GALATIAE, scilicet precatur quod sequitur.

V. 3. GRATIA, scilicet multiplicetur.

V. 4. SECUNDUM, &c. Iunge cum *dedit*, &c.

V. 7. QUOD NON EST; pro, cum tamen non sit; quasi dicat, Non est illud Evangelium, quia unum solum est. NISI; pro, nisi quod. CONVERTERE, id est mutare.

V. 8. ANATHEMA SIT, id est perdatur omnino.

V. 9. PRAEDIXIMUS, scilicet alias, vel proxime.

V. 10. MODO, id est nunc. SUADEO, id est probari studeo, Vide II. Cor. v. AN, &c. explicatio præcedentis. PLACEREM, id est ideo recte facerem, ut placerem: August. II. de Serm. Dom.

V. 11. SECUNDUM HOMINEM, id est hominum inventum, seu ab homine profectum.

V. 12. HOMINE. Vide supra.

V. 13. EXPUGNABAM, id est vastabam, seu impugnabam.

V. 14. GENERE MEO. Syr. *cognatione mea*, scilicet Iudaica gente. AEMULATOR, id est studiosus. PATERNARUM MEARUM, id est a patribus meis acceptarum.

V. 16. IN ME; pro, per me. ACQUIEVI, id est consensi. CARNI ET SANGUINI, id est hominibus.

V. 17. ANTECESSORES MEOS, id est priores me.

V. 18. TRES, scilicet a conversione. VENI, scilicet e Damasco fugiens, de quo Act. IX. sic enim quidam interpretantur. PETRUM: velut primum inter Apostolos: Ambr. Syr. *Cipha:* sic & inf.

V. 19. NEMINEM, scilicet tunc. IACOBUM, scilicet Minorem, filium Alphei.

V. 20. CORAM DEO, id est teste Deo.

V. 22. IN CHRISTO, id est Christiane.

V. 23. AUDITUM HABEBANT, id est audierant.

V. 24. IN ME, id est ob meam conversionem, & prædicationem. CLARIFICABANT. Græc. *glorificabant*.

MARIANAE.

Vers. 1. PAULUS. Hanc Epistolam Romæ scriptam Græci & Syr. aiunt, Hieronymus cap. V. Athanasius in Synopsi. Latinum argumentum Ephesi ait: sic Chrysostomus. Neutrum satis liquet, ac nec quo anno sit scripta. APOSTOLUS. Nomen pro participio *missus*, quia sequitur *non ab hominibus*, aut *ab hominibus* sit pro, hominum, id est Apostolus non hominum, ut illud Psal. XLIV. 9. *myrrha, & gutta, & casia a vestimentis*, id est vestimentorum tuorum. SED PER IESUM CHRISTUM, sine alterius ministerio electus. QUI SUSCITAVIT. Indicat a Christo suscitato fuisse electum.

V. 2. ECCLESIIS GALATIAE, scilicet salutem dicit.

V. 6. MIROR QUOD SIC TAM CITO. Erant qui persuaderent ut observarent legalia. AB EO QUI VOS VOCAVIT IN GRATIAM CHRISTI, id est Evangelii libertatem. Græce in gratia Christi quod Syr. vertit, *per gratiam Christi*: non male; Quis eo vocavit? Paulus ipse.

V. 7. QUOD NON EST ALIUD, scilicet præter id quod prædicavimus. NISI SUNT ALIQUI. *Nisi* pro, sed. VOLUNT CONVERTERE, id est mutare EVANGELIUM. Gotth. *subvertere*, μεταςρέψαι. Syr. *invertere*. Sed qui vos docuerit

V. 8. PRAETER QUAM QUOD EVANGELIZAVIMUS VOBIS: τὸ *quod* redundare videtur: ita in Gotth. non est. ANATHEMA SIT. Quid hoc sit, ad Rom. IX. dictum est, & I. ad Corinth. ultimo.

V. 10. MODO ENIM, id est nunc, & AN pro, num. HOMINIBUS SUADEO, aut *obedio:* πείθω utrumque significat, *suadere* & *obedire*, ut II. Cor. v. 11. notavimus; quasi dicat, Nunc iussu hominum prædicamus, an Dei. Pseudoapostoli detrahebant Paulo quasi minori aliis Apostolis: contra his loquitur.

V. 11. SECUNDUM HOMINEM, id est ab homine mihi traditum Evangelium non annuntiavi.

V. 13. IN IUDAISMO: supple, qualis fuerim, quomodo me gesserim audistis, ET EXPUGNABAM ILLAM, seu *vastabam*, ἐπόρθουν Christi Ecclesiam.

V. 14. ET PROFICIEBAM, id est superabam alios COAETANEOS MEOS. Græc. non est *meos*, nec Gotth. supplet tamen Syr. & Velesius apponit.

V. 15. QUI ME SEGREGAVIT EX UTERO. Suspicetur aliquis Paulum in utero sanctificatum: sed non est ita; nam postea peccavit. Ergo *segregavit* perinde est ac vocavit, destinavit. Ergo cum ei placuit,

V. 16. UT REVELARET FILIUM SUUM IN ME, id est mihi cognitionem eius tribueret. Prius est nosse, quam prædicare. NON ACQUIEVI, id est non patefeci, non contuli cum hominibus: id vocat *carnem & sanguinem*, nec abii

V. 17. AD ANTECESSORES MEOS, scilicet qui me Apostolatu præcesserant. SED ABII IN ARABIAM. De hac peregrinatione nihil Lucas in Actis.

V. 18. POST ANNOS TRES; nempe, a sua conversione. De hac profectione Actor. VI. 26.

V. 19. NISI IACOBUM FRATREM DOMINI, id est cognatum. Hic vocatur *Iacobus Alphæi*, & *Iacobus Minor*, fuitque

Epi-

Episcopus Ierosolymæ. Græci *Iacobum fratrem Domini* a *Iacobo Alphæi* distinguunt in suo Kalend. 9. & 23. Octob. die: tum multi e Græcis Patribus *Iacobum Alphæi* Apostolum putant, *Iacobum fratrem Domini* Ierosolymæ Episcopum.

V. 20. ECCE CORAM DEO, non mentior, scilicet testor. Modus iurandi.

MENOCHII.

Vers. 1. NON AB HOMINIBUS; scilicet puris, sed a Christo homine ac Deo. SED PER IESUM CHRISTUM: qui non est purus homo, sed homo Deus: significat se non ab homine, neque a Deo per hominem, sed immediate ab ipso Deo vocatum esse. ET DEUM PATREM: Iesu Christi naturalem: significat se factum Apostolum a Deo Patre per Christum filium eius. QUI SUSCITAVIT EUM A MORTUIS: hoc addens innuit a Christo post resurrectionem immortali se constitutum Apostolum, quod nulli aliorum contingit.

V. 2. FRATRES: Christiani. ECCLESIIS GALATIAE: subaudi, scribunt, vel precantur ut gratia vobis, & pax, &c.

V. 3. GRATIA: vel gratiæ augmentum. PAX: prosperitas, ea præsertim quæ in Christo, & per Christum; vel, per pacem intelligit reconciliationem cum Deo, ut Augustinus interpretatur. SAECULO NEQUAM: sæculum nequam est sæcularis, ut carnalis vita, & conversatio, qualem agit, & ad quam invitat hic mundus, & mundani homines. SECUNDUM VOLUNTATEM DEI: ex voluntate, decreto, & præcepto Patris dedit Christum semetipsum.

V. 5. CUI EST GLORIA IN SAECULA SAECULORUM: qui pro tam eximio beneficio glorificandus, & laudandus est in omnem æternitatem.

V. 4. TRANSFERIMINI: patimini vos traduci, & transferri in aliud Evangelium, sive in aliam doctrinam, quæ vobis pro Evangelio obtruditur, a Christianismo in Iudaismum.

V. 7. QUOD NON EST ALIUD; quasi dicat: Transfertis vos ad aliud Evangelium, quale tamen aliud non est: nullum enim verum evangelium aliud est ab eo, quod ego vobis prædicavi. NISI SUNT ALIQUI. Refer ad *miror*; quasi dicat, Miror quod tam cito deficitis ab Evangelio, nisi quod sunt aliqui, qui vos conturbant, quod dum cogito, ex parte mirari desino, nec tam vobis, quam illis hanc defectionem imputo; non enim defecissetis, nisi ab illis illecti, & decepti. QUI VOS CONTURBANT, ET VOLUNT CONVERTERE EVANGELIUM CHRISTI: dum volunt invertere Evangelium Christi, id est aliud docere, quam Christus per Apostolos tradidit.

V. 8. SED LICET NOS, AUT ANGELUS DE CAELO EVANGELIZET VOBIS, &c. nimirum si id fieri posset, nam de facto hoc est impossibile; Angeli enim sicut in beatitudine, ita in omni veritate confirmati sunt. ANATHEMA SIT, id est maledictus, & execrabilis.

V. 9. ACCEPISTIS, scilicet a nobis.

V. 10. MODO ENIM HOMINIBUS SUADEO, AN DEO? Sensus est: Numquid ego Evangelii prædicandi munere fungor, ut hominibus morem geram, an ut Deo? Hominum causa, & gratia, an Dei? quasi dicat: Nihil aliud in Evangelio prædicando spectavi, quam gloriam Dei, itaque mirum vobis non videatur, si tam libere in eos invehor, qui vos conturbant, & ad Iudaismum traducere student. SI ADHUC HOMINIBUS PLACEREM: si adhuc, ut olim, sectarer hominum gratiam.

V. 11. NON EST SECUNDUM HOMINEM: non est humanum, sed divinum Evangelium meum, non est hominis, sed Dei.

V. 13. CONVERSATIONEM MEAM IN IUDAISMO: quomodo me gesserim cum Iudaismum profiterer, antequam converterer ad Christum. EXPUGNABAM ILLAM: oppugnabam, & expugnare studebam. In Græco est, ἐπόρθουν, *vastabam*.

V. 14. PROFICIEBAM IN IUDAISMO: ita affectus eram Iudaismo, & illum adeo strenue promovebam, ut coætaneos meos superarem. IN GENERE MEO: in gente mea, scilicet inter Iudæos. ABUNDANTIUS AEMULATOR EXISTENS, &c. quasi dicat: Ardentior zelator fui pro patriis institutis, mihi a maioribus traditis.

V. 15. QUI ME SEGREGAVIT EX UTERO MATRIS MEAE: qui me iam inde ab ipso nativitatis meæ exordio prædestinavit, ac delegit, *ut revelaret filium suum in me*, hoc est, ut me ad Christi, & Evangelii agnitionem adduceret, & consequenter ad Apostolatum, ut evangelizarem Christum in Gentibus.

V. 16. IN ME, id est per me. NON ACQUIEVI: προσανεθέμην, quam eamdem vocem cap. II. 2. vertit vulgatus, *Contuli*; sensus ergo est: Evangelium ab homine non sum edoctus, quia cum nullo homine illud contuli, sed a *Deo* solo illud per revelationem accepi. Syrus habet eodem sensu, *non patefeci illud carni*, & *sanguini*. Crediderim bene ex Græco verti posse, non me adiunxi, *non adhæsi carni*, & *sanguini*. CARNI, ET SANGUINI. Aliqui per carnem & sanguinem, patriam, & cognatos intelligunt. Alii omnes mortales.

V. 17. NEQUE VENI IEROSOLYMAM: at in Act. Apost. cap. IX. 26. dicitur venisse Ierosol. post conversionem. Respondendum, venisse necessitate fugæ compulsum, non autem ut Petrum videret, & cum eo Evangelium conferret. ANTECESSORES MEOS: qui ante me vocati sunt ad Apostolatum. ABII IN ARABIAM: quid in Arabia Paulus gesserit traditum non habemus.

V. 18. VIDERE PETRUM: ἱστορῆσαι, *videre*, *cognoscere*.

V. 19. IACOBUM FRATREM DOMINI: Domini propinquum. Fuit hic Iacobus Alphæi, filius Mariæ uxoris Cleophæ, unus e duodecim Apostolis, primus Ierosolymorum Episcopus.

V. 20. ECCE CORAM DEO: quem ut præsentem, & omnia videntem testem adduco.

V. 22. IGNOTUS FACIE, non me noverant de facie. QUAE ERANT IN CHRISTO: quæ credebant in Christum, conversæ ex Iudaismo.

V. 23. AUDITUM HABEBANT: fama cognoverant. EXPUGNABAT: oppugnabat.

V. 24. CLARIFICABANT: glorificabant.

TIRINI.

Vers. 1. & 2. PAULUS APOSTOLUS creatus NON *a* puris HOMINIBUS NEQUE, a Deo per nudum aliquem HOMINEM, SED immediate PER IESUM CHRISTUM, qui non est purus homo, sed homo Deus; salutem dicit & hanc epistolam scribit ECCLESIIS GALATIAE.

V. 4. DEDIT Christus SEMETIPSUM hostiam PRO PECCATIS NOSTRIS, UT ERIPERET NOS DE PRAESENTI SAECULO NEQUAM, id est de sæculari, mundana & carnali vita, seu conversatione, qualem agunt qui huic sæculo deserviunt. *Dedit*, inquam, SECUNDUM VOLUNTATEM, id est ex decreto & nutu, cælestis PATRIS, sui ET NOSTRI,

V. 5. CUI pro tam eximio beneficio sit GLORIA, laus, gratiarum actio, in omnem æternitatem.

V. 6. TRANSFERIMINI per pseudoapostolos, AB EO QUI VOS VOCAVIT IN CHRISTI GRATIAM: nempe ut deserto Christo, qui vult vos liberos esse ab oneribus legis Mosaicæ, suscipiatis ALIUD EVANGELIUM, non libertatis, sed servitutis.

V. 7. QUOD, seu quale, ALIUD NON EST ullum: nullum enim verum Evangelium reperire est aliud ab eo quod ego vobis prædicavi. NISI, id est sed solum, SUNT ALIQUI pseudodoctores, QUI VOLUNT CONVERTERE, vel invertere EVANGELIUM CHRISTI, aliud docendo quam docuit Christus, vel per Apostolos docendum tradidit.

V. 8. SED LICET aut NOS mutata mente, AUT ANGELUS DE CAELO (si id fieri posset) EVANGELIZET VOBIS PRAETERQUAM, id est contrarium, seu repugnans ei QUOD non EVANGELIZAVIMUS VOBIS, ANATHEMA SIT *a*: ita S. Hieronymus, Chrysost. Ambros. August. Oecumen. & passim interpretes. Unde nihil hinc concludere possunt Novantes contra leges Ecclesiasticas, decreta Pontificum, vel Canones Conciliorum: quia in his nihil contrarium, nihil repugnans reperitur certæ exploratæque Apostolorum doctrinæ. Non vetare autem Apostolum plura Galatis evangelizari quam audierant; modo non repugnarent auditis; patet vel ex hac ipsa, & tot aliis Pauli epistolis, in quibus multa de novo evangelizat. Et quia Paulus passim *b*, uti & Christus *c*, iubet servari præcepta Apostolorum & Superiorum. Denique certum est tam Græcum παρὰ, quam Latinum *præter*, sæpissime usurpari pro *contra*, tum apud sacros *d*, tum apud profanos auctores, Aristotelem *e*, Terentium *f*, & alios, ut fuse Bellarminus demonstrat. Solum hic nota, si tanta fuit fidei nostræ certitudo primis Ecclesiæ initiis, idque quia fides nititur revelatione Dei, qui ut prima & immutabilis est veritas, ita non potest aut falli aut fallere; quanta nunc debeat nobis esse certitudo, cum revelatio illa divina tot signis ac miraculis, tot sæculorum traditione, tanto to-

tius.

tius orbis consensu comprobata est ac stabilita?

V. 10. MODO ENIM HOMINIBUS SUADEO; id est, causam meam probare studeo, AN DEO? quasi dicat: Olim accerrime pro Iudæis & iudaismo zelatus sum: at *modo*, seu nunc, Evangelii luce collustratus, non amplius Iudæis aut ullis hominibus me meamque causam probare studeo, sed uni soli Deo, unde & audacter & libere loquor, ita S. Chrysost. & August. SI ADHUC iam, ut olim, HOMINIBUS, maxime contribulibus & cognatis meis Iudæis, PLACEREM, id est placere contenderem, gratiam illorum aucupans, & quæ grata illis sunt proloquens aut docens; CHRISTI SERVUS NON ESSEM: quia ipsi contraria Christo, & maxime illi repugnantia docent ac faciunt. Unde non possumus Deo simul & mundo placere *g*. Et S. Hieron. *Gratias*, inquit, *ago Deo, quod dignus sim quem mundus oderit*.

V. 11. EVANGELIUM meum NON EST SECUNDUM HOMINEM; id est, non est humanum inventum: Syrus, *non est ab homine*, sed a Deo Christo immediate mihi traditum, partim primo conversionis meæ triduo *h*, partim in raptu ad tertium cælum *i*.

V. 15. & 16. EX UTERO MATRIS MEAE, id est antequam natus, aut quidquam promeritus essem, SEGREGAVIT ME; id est gratuito me (actu mentali) delegit sibi in servum, in filium, in Apostolum, in præconem Evangelii: non quasi invito, vel non exspectato consensu meo, id absolute decreverit, sed supposito quod grandior factus & ab ipso vocatus, vellem dare manus & sequi vocantem: quod & feci, *non acquiescens* CARNI ET SANGUINI, id est consanguineorum suggestioni vel consilio, inquit S. Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus & Anselmus.

V. 18. POST ANNOS TRES in Arabia exactos (quam peregrinationem Arabicam subticuit S. Lucas in Actis IX. 23., VENI IEROSOLYMAM VIDERE ac honorare totius Ecclesiæ caput ac principem PETRUM, inquit S. Hieron. Chrysost. Ambrof. Theodor.

V. 19. Quo sensu *Iacobus* dicatur *frater*, id est consobrinus Christi, alias *k* exposui.

V. 21. IN PARTES CILICIAE venit Paulus, quando (ut Lucas narrat *l*) Ierosolyma dimissus est *Tarsum*, quæ est metropolis Ciliciæ.

(a) I. Corinth ult. vers. 22.
(b) Act. XVI. 4. & Hebr. XIII. 17. &c.
(c) Lucæ X. 16.
(d) I. Cor. III. 23. & Rom. XI. 24. &c.
(e) Aristot. :. de Cælo cap. 1. παρὰ φύσιν, id est, contra naturam.
(f) Terent. in Andria. præter morem & legem, id est contra.
(g) Matth. VI. 24. Hieron. ad Asellam.
(h) Act. IX. 9.
(i) II. Cor. XII. 4.
(k) Chronici cap. XLIX. in fine tabulæ.
(l) Act. IX. 30.

GORDONI.

Vers. 1. PAULUS. Mentio hæc de missione Pauli pondus habebat ad resipiscentiam Galatarum, quod esset proxime ab ipso Christo, eoque æterno & naturali Dei filio, iam immortali post suscitationem a mortuis, & (vers. 4.) humani generis redemptore per suam mortem. Miscet versu 3. præcationem. Potens ad movendum est hæc Pauli præfatio: varie fiunt missiones; a Deo, ut missus est Moses: a Christo proxime, ut Paulus; ab hominibus veris pastoribus: & a seipso, quæ diabolica est: hæc tua est Calvine.

V. 6. MIROR. Reprehensio est quod a cælesti doctrina patiantur se abduci ad Iudaismum, qui vobis, inquit, ut Evangelium obtruditur. Certe tamen non aliud agitur, nisi ut vos pervertant: sed anathema sit illi, qui aliam doctrinam præter eam quam cum aliis Apostolis vos docui, evangelizat: etiam si vel a me, vel (si fieri posset) ab Angelo cælesti hoc contingeret: hyperbole est.

Habent etiam Novatores huius sæculi unde multa discant. Primum se deteriores esse his asiaticis Novatoribus, quibus anathema dicit Paulus: illi enim non mutantes Evangelium Christi, tantum addebant Iudaismum: at Genevenses Novatores maiora & addunt & detrahunt.

Alterum non minoris momenti est argumentum Pauli in Calvinistas: sic enim ratiocinatur Paulus: prior doctrina vobis tradita a Deo est; ergo hæc contraria novitatem affert; anathemate digna est: veterem Ecclesiæ doctrinam non recipit, sed mutat Calvinus. Ergo ex mente Pauli anathema sit. Lege August. Lib. II. contra Gaudent. cap. VIII. Ergo ante Calvinum

vel

vel periit doctrina, vel non periit: quicquid dicat, confutatus a Paulo est. Dicat porro in qua Ecclesia, vera vel falsa sit natus, educatus & baptizatus: sequetur semper aut apostatam esse a vera Ecclesia, aut sobolem esse Ecclesiæ falsæ. Lege August. epist. CLXVI.

V. 10. & 11. MODO ENIM. Sensus est: Nec est quod aliquis vestrum miretur me ita loqui contra hos vestros pseudoapostolos: non enim studeo placere hominibus; causam Dei ago: si voluissem hominibus placere, non hoc arduum vitæ genus pro Deo elegissem. Scire enim vos oportet, hoc quod elegi, & promoveo in vobis Evangelium, non esse ab hominibus, sed a Deo: divinum aliquid & acceptum per revelationem Iesu Christi. Itaque vers. 11. particula, *enim*, causalis est, & reddit causam illius quod antecessit versu 9. quæ traiectio Paulo familiaris est. Certe hoc munus esse divinum in Paulo colligi etiam potest tum ex conversione Pauli anno Christi 36. tum ex illa exstasi, de qua dixi Act. cap. XXII. anno tertio a conversione: tum ex raptu anno Christi 44. ex II. Cor. XII. tum denique in reliqua vita per signa quæ Deus in confirmationem huius Evangelii operatus est. Subnectit hic vers. 13. & 14. quali Deus misericordia ex hoste effecerit Apostolum.

V. 15. QUI ME SEGREGAVIT. En vocationem, & quam feliciter responderit vocanti Deo. Cum me divino suo decreto ab utero; hoc est, fine ullis meis meritis secrevit ad hoc opus Evangelii, & in tempore vocavit ad gratiam: continuo non acquievi carni & sanguini: non quasi dubius humana quæsivi consilia; aut etiam ab Apostolis, utpote tunc proxime edoctus a Deo: sed acquievi vocanti, venique Damascum, & in Arabiam annuncians quod audivi, & revelatum fuit mihi. Notum est Theologis, qualia sint hæc libera & æterna Dei decreta; per quæ fit discretio quorundam, qui in massa perditionis continebantur; per electionem efficacem ad gratiam, & per merita ad gloriam. Interim vide cum Deus clare vocat, non esse humana quærenda.

V. 17. NEQUE VENI IEROSOLYMAM. De hac Pauli profectione Ierosolymam, vide Act. cap. IX. 26. non contigit nisi post triennium a conversione: vide hanc & reliquas Pauli peregrinationes accurate notatas & revocatas ad annos Christi, supra ad initium Matthæi in diagrammate ibidem proposito de annis Christi. Iacobus de quo hic vers. 19. est Iacobus dictus minor Episcopus Ierosolymitanus, propinquus Domini.

CAPUT II.

Paulus Evangelii veritatem libere semper docuit inter Gentes, approbantibus id primis Apostolis, & nihil ad id addentibus, sed Paulum in socium recipientibus: qui etiam palam reprehendit Cepham, ostendens quod non ex legis operibus quisquam iustificetur, sed per fidem in Christum.

1\. DEinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. 2. Ascendi autem secundum revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, * seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. 3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi: 4. *sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutem redigerent. 5. * Quibus neque ad horam cessimus subiectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos: 6. ab iis autem, qui videbantur esse aliquid, qua-

quales aliquando fuerint, nihil mea interest. (*a*) Deus personam hominis
non accipit) mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. 7. Sed
econtra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelim preputii, sicut &
Petro circumcisionis: (8. qui enim operatus est Petro in Apostolatum circum-
cisionis, operatus est & mihi inter Gentes) 9. & cum cognovissent gratiam,
quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur colum-
næ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis: ut nos in Gentes, ipsi
autem in circumcisionem: 10. tantum ut pauperum memores essemus: quod
etiam solicitus fui hoc ipsum facere. 11. Cum autem venisset Cephas Antio-
chiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. 12. Prius enim quam
venirent quidam a Iacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, sub-
trahebat & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. 13. Et si-
mulationi eius consenserunt ceteri Iudæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis
in illam simulationem. 14. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad
veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Iudæus sis,
gentiliter vivis, & non Iudaice: quomodo Gentes cogis iudaizare? 15. Nos
natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores. 16. Scientes autem quod non
iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in
Christo Iesu credimus, ut iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus le-
gis: (*b*) propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. 17. Quod
si quærentes iustificari in Christo, inventi sumus & ipsi peccatores, numquid
Christus peccati minister est? Absit. 18. Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædi-
fico: prævaricatorem me constituo. 19. Ego enim per legem, legi mortuus
sum, ut Deo vivam. Christo confixus sum cruci. 20. Vivo autem, iam non
ego; vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne: in fide vi-
vo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. 21. Non abiicio
gratiam Dei. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.

(a) Deut. x. 17. Iob. xxxiv. 19. *Sap.* vi. 8. Eccli. xxxv. 16. Ro. ii. 11. Eph. vi. 9. Col. iii. 25. Act. x. 34. I. Pet. 1. 17. (b) Rom. iii. 20.

BRUGENSIS.

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 2. *Seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse*. Nec omittas *aliquid esse*, nec pro eo scribas *maiores esse*.

Vers. 4. *Sed propter subintroductos*. Non auferas coniunctionem *sed*.

Vers. 5. *Quibus neque ad horam cessimus subiectione*. Triplex vitium hic vitandum est, unum, ne omittatur prima vox *quibus*; alterum, ne omittatur subsequens negatio *neque*, quæ a multis olim libris solebat omitti; tertium ne scribatur dativus pro ablativo *subiectione*

NOTATIO.

Vers. 5. QUibus neque ad horam cessimus subiectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos [*nos* o.) Usque ad B. Hieronymi tempora Latina exemplaria sine negatione legerunt: *Quibus ad horam cessimus subiectioni*; id quod ex Irenæo III. adversus hæreses librum scribente (cap. XII.) & Hieronymo locum hunc exponente, aliisque veteribus patet. Atque ad hunc modum cum Latinis exemplaribus legendum esse Tertullianus libro in Marcionem V., & Auctor enarrationum quæ Ambrosii ferunt nomen, docent, quibus ex Neotericis Nicolaus Zegerus adhæret. Verum Græcorum codicum lectionem: οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ: *Quibus neque ad horam cessimus subiectioni*, quam Tertullianus vitiatam esse existimat, Hieronymus præfert: eamque cum Hieronymo nobilissimi Tractatores Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Sedulius, Theophylactus, Haymo, Anselmus, Oecumenius sequuntur. Apud posteriores plerosque omnes Latinos enarratores tenet, ac sola hodie

die tam in Latinis, & Syricis, quam in Græcis codicibus reperitur,

Latini porro codices non pauci, ex manuscriptis nostris quindecim omittunt *τὸ quibus*, quemadmodum & Tertullianus, atque Ambrosiaster ille, ut inter recentiores Bruno Carthusianorum Patriarcha. Sic cohæreat hic versus superiori per se imperfecto: *Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt* (&c.) *neque ad horam cessimus subiectioni*. Ceterum præstantissimi quique Latini libri cum nostri, tum Gorrani, & Epanorthotæ (vulgares sunt illi; præcipui eosum Q. & L.) addunt *quibus* Hieronymo, Augustino, & Græcis cum codicibus, tum Interpretibus adstipulantibus. Utramque varietatis rationem explicat Nicolaus Gorranus.

Ultimam huius pericopes vocem pleraque omnia exemplaria *subiectioni* legunt; nonnulla *subiectione*, Parisiensium unum, Hentenii unum, nostrum unum. Græce dativus est ὑποταγῇ: sed Latine per ablativum transferendus *subiectione*. At quia in omnibus pene libris, atque apud omnes enarratores priores, & posteriores (quamquam apud Titelmannum sit *subiectione*) dativus *subiectioni* legitur; fortassis vel ab Interprete ex Græco, vel a Castigatore ex veteri editione, quæ relativo *quibus* caruerit relictus est. Utrovis modo legatur, ille est sensus quem exprimunt Syri: *Sed ne ad horæ quidem plenitudinem abiecimus nos ad subiectionem eorum*; hoc est, ut pseudadelphis subiiceremur.

COMMENTARIA

GAGNAE I.

Vers. 2. QUI VIDEBANTUR ESSE ALIQUID. Græce τοῖς δοκοῦσιν, id est qui in pretio erant, ac magni nominis. Photius interpretatur, τοῖς τισί τι, τοῖς κορυφαίοις, id est iis qui erant aliquid, & principibus ac capitibus. Contuli autem cum illis, non quod eorum doctrina confirmatiove egerem, sed ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem; id est, ne frustra prædicarem, & inanis esset prædicationis nostræ fructus, si quibusdam videretur nequaquam illis doctrina mea probari.

V. 3. & 4. SED NEQUE TITUS. Arguebat levitatis Paulum, quod modo circumcisionem commendaret, modo tolleret: contra quos ostendit nulla se ratione adduci potuisse, ut Titum gentilem cirumcideret, NON EST, inquit, COMPULSUS CIRCUMCIDI, SED PROPTER SUBINTRODUCTOS, &c. Hieron. putat hoc loco τὸ *sed*, & Græcum δὲ παρὰ... esse, ac superfluum, tractimque legendum: *Non est compulsus circumcidi propter falsos fratres*; id est, quamvis plerique ad circumcidendum Titum me impellerent, licet id sine ulla spe in circumcisionem facere possem: quod in Timotheo factum legimus; adhuc tamen non potuit Paulus ob falsos fratres, quia suo exemplo ceteros ad circumcisionem impulissent, & rursum sub legis iugum redegissent: quibus ne ad tempus quidem cedere voluerit. Mihi videtur si διὰ sumatur pro per, ut fere cum genitivo sumi solet, hic esse sensus: Sed neque Titus compulsus est circumcidi etiam per falsos fratres, ut δὲ Græcum pro δὴ & ἔτι, id est etiam sumatur, id est quamquam falsi fratres urgerent.

V. 5. CESSIMUS SUBIECTIONI, hoc est ad subiectionem, id est quibus neque ad tempus cessimus: ne si impellentibus illis circumcideremus subesse ipsis videremur. Græci exponunt, quorum subiectioni qua nos rursum legi subigere volebant, neque ad horam cessimus.

V. 6. AB IIS AUTEM QUI VIDEBANTUR ESSE ALIQUID, id est qui in pretio erant, sub. nihil collatum est, eandem vero sententiam propter ὑπέρβατον, prioris oblitus reperit, dicens: MIHI ENIM, &c.

V. 7. EVANGELIUM PRAEPUTII, id est munus prædicandi gentibus, & CIRCUMCISIONIS EVANGELIUM, id est munus prædicandi Iudæis.

V. 9 DEXTRAS DEDERUNT; id est, nos adsciverunt in socios & coapostolos, UT NOS IN GENTES, subaudi, prædicatum iremus; IPSI AUTEM IN CIRCUMCISIONEM, id est gentem Iudaicam prædicatum irent.

V. 10. TANTUM UT PAUPERUM, sub. id muneris iniuncti memores essemus.

V. 11. REPREHENSIBILIS. Interpres legit κατέγνωςος. Græci legunt κατεγνωσμένος, *reprehensus*, scilicet a gentibus, a quibus se subtrahebat. Ad loci huius cognitionem

adver-

advertendum est, quod quum Antiochiæ Petrus ageret, promiscue cum gentibus quibuslibet cibis vescebatur: hæc illo agente supervenere ab Ierosolymis ex Iudæis Christiani nondum plane Moysem dedocti, qui gentium consortia ferrent iniquius; neque ferebat eorum infirmitas castigari durius; sensim enim erant ab illa superstitione avocandi: hi quum futurum esset ut promiscua Petri cum gentibus hæsitatione offenderentur, genti suæ consultum volens, a gentilium mensa se subtrahebat: unde contigit offendi gentes, suspicantes se a Petro velut impuras contemni, ac certis cibis veluti in lege abstinendum esse: quinimmo plerique ex Iudæis ad fidem conversi, & inter eos Barnabas, ex illo Petri facto nutare cœperunt. Paulus autem utrique populo cautum volens, Petro in faciem restitit, ut videntes Iudæi Petrum palam obiurgari nec repugnare, intelligerent vel ex ipso silentio nihil iam esse immundum, similiter & gentes. An autem hoc loco peccarit Petrus, multa fuit inter Augustinum & Hieronymum digladiatio: Augustino asserente quod peccarit per imprudentem dissimulationem: Hieronymo autem cum Græcis sentiente, Petrum non peccasse, sed de industria sic inter Petrum & Paulum convenisse, ut ex reprehensione Petri captata occasione utrumque populum a ceremoniis illis evocaret.

V. 12. TIMENS EOS QUI EX CIRCUMCISIONE, id est eis; ne scilicet eos offenderet; sic enim Oecumenius. Græca require si voles. Quod vero ait, *timens eos*, non hoc dicit quasi quidpiam damni aut iniuriæ vereretur ab illis accipere; sed timens ne suo facto offensi a fide resilirent:

V. 13. DUCERETUR AB ILLIS IN ILLAM SIMULATIONEM. Græca paulo secus habent: ὥστε καὶ βαρνάβας συναπήχθη, αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει, id est ad verbum, *adeo ut & Barnabas coabduceretur in illorum simulationem*, id est una cum Iudæis ceteris simulatione teneretur eadem.

V. 15. & 16. NOS NATURA IUDAEI, ET NON EX GENTIBUS PECCATORES. Quod attinet ad huius loci ordinationem, si loco sequente, SCIENTES AUTEM, tollamus τό, *autem*, quod Græci non habent, continue legendum est, *nos natura Iudæi*, NON EX GENTIBUS PECCATORES, *scientes* QUOD NON IUSTIFICATUR, &c. nos in Christo Iesu credimus, sive ut græci habent, *in Christum Iesum credimus*. Si vero legimus, *Scientes autem*, tunc supplendum est verbum, *sumus*; *nos natura Iudæi sumus, & non ex gentibus peccatores, ceterum scientes neminem iustificari ex operibus legis*, &c. neque τὸ peccatores iungi debet cum nos, ut sit sensus, nos peccatores nati ex Iudæis parentibus: sed ut ostendat gentes non esse cogendas ad Iudaismum, *nos*, inquit, *natura Iudæi & nati ex parentibus Iudæis sumus, & non ex gentibus peccatores*, id est non proselyti nati idololatræ ex gentilibus parentibus. Ceterum scientes neminem iustificari ex operibus legis, in Christum credimus: quomodo ergo iudaizare gentes cogis, Græca scholia certe ita explicant: ἡμεῖς δὲ ἐκ φύσεως ὄντες ἰουδαῖοι, τουτέστιν οὐ προσήλυτοι τοῦτο γαρ δηλοῖ, τὸ, οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί, id est nos Iudæi nati, hoc est, non proselyti: illud enim significat τὸ *non ex gentibus peccatores*. PROPTER QUOD EX OPERIBUS, Græce διότι, id est propterea quod ex operibus legis NON IUSTIFICABITUR OMNIS CARO, id est nullus iustificabitur. Quæ autem opera legis intelligat Paulus, ex quibus nemo iustificetur indicant Græca scholia, quæ ita in hunc locum vertimus: Propterea quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro; necessaria in lege vel natura ipsa docuit, hoc est non mœchaberis, non occides, non furaberis, & reliqua huiusmodi: quæ vero sabbatum, circumcisionem, lepram, sacrificia, & aspersiones concernunt, ea sent propria legis, & hæc vocat legis opera. De huiusmodi dixit divinus apostolus, *propterea quod non iustificabitur ex operibus legis omnis caro*. Hæc Græca scholia Græce in codice Veronensi videre poteris.

V. 17. INVENTI SUMUS; id est, si per id quod a solo Christo iustificationem quærimus, & legem negligimus (sic enim Græci exponunt) inventi sumus peccatores, nonne Christus peccati minister est qui nos ab lege ad se abduxit? Absit autem ut minister sit peccati. Hoc autem enthymema sic ad syllogismum perfectum reducitur: Si quærentes in Christo & non in lege iustificari, per eam derelictam peccatores inventi sumus, Christus peccati minister est; non est autem peccati minister Chri-

Christus: non igitur per legis desertionem peccamus.

V. 19. SI ENIM QUAE DESTRUXI. Non hic locus modo de ciborum discrimine; sed plane de omnibus legis ceremoniis in quibus confidebant Iudæi, intelligendus est, & Græcis exponitur: Si legem & circumcisionem quas abrogavi iterum instauro, prævaricator sum; nam ut Græci aiunt, si rursum legi confido cui vale dixeram, ostendo me prævaricatorem & transfugam.

V. 19. EGO ENIM PER LEGEM. Quidam interpretantur per legem Mosaicam, quæ iustificandi vim non habet, & prævaricatores occidit. MORTUUS SUM, id est mortuum me agnovi, ut in Deo, id est spe & fide in Deum vivam. Alii, ut Græca scholia: per legem evangelicam legi Mosaicæ mortuus sum, ita ut nullas post hæc illius ceremonias servare aut debeam aut possim: lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me a lege peccati & mortis. Græca scholia etiam exponunt, per legem Mosaicam eidem legi sum mortuus: lex enim Christum mihi prænuntiavit: atque ita quodammodo mortuus, id est non eius præscripto vivens, Christi dogmata secutus sum.

V. 20. QUOD AUTEM; id est; quod sensibilem hanc vitam vivo in fide, id est per fidem & misericordiam filii Dei vivo, dignus qui iamdudum periissem.

V. 21. NON ABIICIO GRATIAM DEI; id est, gratiam Dei apprehendo tamquam iustificantem. Si enim per legem iustitia est; id est, si sufficiebat ad iustificationem legis observatio; Christus gratis, id est frustra mortuus est, neque opus erat eum de cælo avocari, & in terris mori pro nostra iustificatione.

S A.

Vers. 1. QUATUORDECIM, scilicet a conversione.

V. 2. SECUNDUM REVELATIONEM, scilicet monente Domino, ut id facerem. CONTULI, scilicet ut haberem securitatem prædicandi: Hieron. ep. LXXXIX. SEORSUM: non publice, ne Iudæi conversi, qui legem putabant servandam, scandalizarentur: Hieron. Iis. Iunge cum *illis*; quasi dicat, Cum illis inquam. ALIQUID, id est in pretio. IN VACUUM, scilicet opinione aliquorum.

V. 4. SED; quasi dicat, Id quod feci. SUBINTRODUCTOS, id est irrepentes. FALSOS, id est falso nomine. FRATRES, id est Christianos.

V. 5. SUBIECTIONE, id est ut illis subiiceremur.

V. 6. AB IIS, scilicet nihil didici. ALIQUANDO, scilicet ante Apostolatum. Erant enim piscatores, & imperiti. NIHIL, &c. id est nihil curo. ENIM; pro, inquam, vel certe. NIHIL, scilicet auctoritatis, aut doctrinæ.

V. 8. OPERATUS EST, &c. id est, fecit Petrum Apostolum Iudæorum, & me fecit Gentium.

V. 9. SOCIETATIS, id est sociales, seu societatis symbolum. GENTES, scilicet iremus prædicatum: intellige, præcipue. Alioqui & Paulus Iudæis, & Petrus Gentibus prædicavit. CIRCUMCISIONEM, id est Iudæos.

V. 10. TANTUM, scilicet monuerunt, seu commendarunt.

V. 11. IN FACIEM, id est palam, seu coram.

V. 12. CONSENSERUNT, scilicet, simul cum eo simulantes.

V. 14. AD, id est iuxta. GENTILITER, id est Gentilium cibis vescens. IUDAICE, scilicet abstinens cibis lege vetitis. QUOMODO, id est cur, scilicet nunc.

V. 15. NATURA, id est a nativitate, seu genere. PECCATORES, id est infideles.

V. 16. EX OPERIBUS, id est vi operum. NISI; pro, sed. PROPTER QUOD; pro, propterea quod. OMNIS CARO, id est *ullus homo*, Hebr.

V. 17. IN CHRISTO, id est per Christum. PECCATORES, scilicet quod legem non servemus. MINISTER, scilicet legem abrogando; quasi dicat: Esset quidem Christus causa peccati; si lex esset necessaria.

V. 18. ENIM; pro, autem. DESTRUXI, scilicet dicendo legem non servandam. AEDIFICO, scilicet dicendo servandam.

V. 19. PER LEGEM, scilicet Christi. LEGI, scilicet Moysis. MORTUUS, id est non amplius obnoxius.

V. 20. NON EGO, scilicet ille qui eram ante.

V. 21. NON ABIICIO; quasi dicat, Absit ut reiiciam, seu non agnoscam. GRATIS, id est Frustra, sufficit enim lex.

M A-

MARIANAE.

Verf. I. **POST ANNOS QUATUORDECIM**, nempe, a converfione; fed qui

V. 2. VIDEBANTUR ALIQUID ESSE. Gr. τοῖς δοκοῦσι, *qui videbantur*, id eft emi. nebant, erant præcipui. Velefius addit εἶναι, nefcio unde. NE FORTE IN VACUUM, in vanum currerem, fcilicet fi Gentes me non reciperent, ab iis fuafi qui meam doctrinam Apoftolis non probari calumniabantur.

V. 3. COMPULSUS EST CIRCUMCIDI. Titus non eft circumcifus, fecus quam cum Timotheo eft factum: Actor. XVI. 3.

V. 4. SED PROPTER. Hieronymus illud *fed* putat redundare, & quidam Latini codices id non habent. Aut fic fupple ex fuperiori verfu, *fed neque propter falfos fratres*. Quidam fic: *non eft compulfus*, fcilicet a Iudæis circumcidi, *fed propter falfos fratres eft circumcifus*. Ita putant Titum circumcifum.

V. 5. QUIBUS NEQUE AD HORAM. Ex Hieronymo patet, olim Latinos codices habuiffe, *quibus ad horam ceffimus*: fic Irenæus Lib. III. cap. XIII. legit: fic legebant qui putabant Titum circumcifum. Verum noftra lectio cum negatione in omnibus linguis & codicibus communis eft: ficque Auguftinus, Chryfoftomus, & alii hic legunt. SUBIECTIONE, id eft fubditi illis facti: non *fubiectioni*, ut Reg. & Lovan.

V. 6. AB IIS AUTEM: fupple, nihil eft collatum a præcipuis Apoftolis. QUALES ALIQUANDO FUERINT; fcilicet pifcatores, indocti; ego nobilis, doctus: fed Deus id non curat. MIHI ENIM. Repetit quod dixerat propter longam parenthefim; quafi dicat: Mihi, inquam, qui videbantur effe aliquid, nihil contulerunt, id eft nihil me docuerunt.

V. 7. EVANGELIUM PRAEPUTII, id eft Gentium creditum eft mihi, ut illis prædicarem. ET PETRO CIRCUMCISIONIS, id eft Iudæorum.

V. 9. IACOBUS. Ierofolymis Epifcopus fuit: an e numero duodecim, quidam dubitant. Græci eum a Iacobo Alphæi fecernunt, uti fupra indicatum eft verf. 13. DEXTRAS DEDERUNT, focios fibi non afciverunt.

V. 10. UT PAUPERUM, fcilicet Iudææ, qui propter fidem bonis erant everfi, memores effemus: id commendarunt.

V. 11. CUM AUTEM VENISSET CEPHAS Clemens Alexandrinus apud Eufeb. Lib. II Hift. cap. XII. & Dorotheus in Synopfi hunc *Cepham* alium a *Petro* putant, & e difcipulorum numero. Non placet, quoniam Ecclefia nullum alium Cepham celebrat, & quoniam eum Paulus *columnam* vocat. Accufat quod fe a Gentibus fubtraheret.

V. 14. SED CUM VIDISSEM. Eam fimulationem & fubtractionem a Gentibus Petri accufat, qua alii ad legis obfervationem inducerentur. Nos Iudæi,

V. 15. ET NON EX GENTIBUS PECCATORES, id eft profelyti, nuper converfi.

V. 16 SCIENTES AUTEM. Vox *autem* redundat, & Græce non eft, & perturbat fententiam. Ergo nos Iudæi fcientes quod ex legis cærimoniis non iuftificamur, credimus in Chriftum, ut per eius fidem iuftificemur, eoque legem abdicamus.

V. 13. INVENTI SUMUS ET IPSI PECCATORES, fcilicet ob legem non fervatam. Chriftus, propter quem id facimus, erit auctor peccati: id fignificant illa verba; NUMQUID CHRISTUS PECCATI MINISTER EST?

V. 18. SI ENIM QUAE DESTRUXI. Chriftus peccatum deftruxit, & legem, quæ erat occafio peccati. Eam fi denuo obfervo, PRAEVARICATOREM ME CONSTITUO, id eft confiteor me peccaffe, cum illam non obfervavi.

V. 19. PER LEGEM, LEGI MORTUUS SUM. Lex ipfa mihi Chriftum indicavit, per quem *legi fum mortuus*, id eft eam non obfervo. Aut per legem novam, veterem non obfervo. Vita autem mea Chriftus eft, eius morte ego vivo. Iunge hunc verf. cum 16. *ut iuftificemur ex fide*.

V. 20. QUOD AUTEM NUNC VIVO IN CARNE, id eft hac mortali vita. IN FIDE VIVO, id eft per fidem: ipfe eft mihi vitæ auctor. Sine eo iam periiffem, ipfe iam me peremiffet.

V. 21. NON ABIICIO. Non fum ingratus Dei beneficiis.

MENOCHII.

Verf. I. **POST ANNOS QUATUORDECIM**: a Pauli converfione, ut putat Baron. & alii. ASSUMPTO ET TITO; quafi dicat, Nec fum veritus illuc

adducere mecum Titum hominem incircumcisum: vide infra vers. 3.

V. 2. SECUNDUM REVELATIONEM: monitus revelatione divina. CONTULI CUM ILLIS EVANGELIUM, &c. communicavi cum illis, qui Ierosolymis erant Evangelium quod prædico, & rationem doctrinæ meæ, non quasi dubius, aut non satis instructus, sed ut fideles, quos docebam cernerent me in doctrina & fide communicare, & consentire cum Petro, aliisque Apostolis, sicque plus fidei meo Evangelio tribuerent. IIS QUI VIDEBANTUR ALIQUID ESSE, id est qui videbantur esse columnæ Ecclesiæ, ac primarii Apostoli. In Græco tantum est τοῖς δοκοῦσι, *iis qui videbantur*, id est qui habebantur in pretio. Græci enim δοκοῦντας vocant eos, qui magnæ sunt auctoritatis; ἀδοκοῦντας, eos quorum parva, aut nulla est auctoritas. NE FORTE IN VACUUM CURREREM, AUT CUCURRISSEM. Ne pseudoapostolis iactantibus doctrinam meam ab Apostolis reprobari, mihi, doctrinæque meæ fideles non crederent, & hic omnis meus labor cassus redderetur.

V. 3. SED NEQUE TITUS COMPULSUS EST CIRCUMCIDI: quod fieri voluissent Apostoli, si necessarium iudicassent.

V. 4. SED PROPTER: repete ex vers. præcedente particulam, *neque*, sed neque propter subintroductos falsos fratres, id est etiamsi falsi fratres urgerent ut circumcideretur, non tamen propterea compulsus est circumcisionem suscipere. SUBINTRODUCTOS: παρεισάκτους; *subreptitios*, *subinductitios*, qui scilicet in Ecclesiam irrepserunt, cum tamen falsi essent Christiani. SUBINTROIERUNT: insidiose irrepserunt. EXPLORARE LIBERTATEM: observationis legis Mosaicæ. IN CHRISTO IESU: per Christum, in Christi fide, Ecclesia, religione. UT NOS IN SERVITUTEM REDIGERENT: ut eam libertatem nobis eriperent, & nos una secum servituti legis subiicerent.

V. 5. QUIBUS NEQUE AD HORAM CESSIMUS SUBIECTIONE: per subiectionem subiiciendo nos Iudaizantibus. UT VERITAS EVANGELII PERMANEAT, &c. studio retinendi veritatem Evangelii.

V. 6. AB IIS AUTEM QUI VIDEBANTUR ESSE ALIQUID: supple, nihil doctrinæ mihi collatum est, ut patet ex sequentibus. QUALES ALIQUANDO FUERINT NIHIL MEA INTEREST. Videtur D. Paulus his verbis reddere rationem cur voluerit cum Apostolis suum Evangelium communicare; quasi dicat: Spectavi in illis dignitatem Apostolicam, qua eminebant, neque magnopere curavi eorum pristinam conditionem, qua, quia rudes, & ex hominum vulgo sumpti erant mecum nulla ratione conferendi erant. DEUS PERSONAM HOMINIS NON ACCEPIT: nam Deus elegit quos vult, nec personæ conditiones respicit, quæ impertinentes sunt ad gratuitam Dei vocationem. MIHI ENIM: in illa communicatione, quam de Evangelio meo cum præcipuis Apostolis habui. NIHIL CONTULERUNT, id est ab eis nihil accepi, nihil didici.

V. 7. EVANGELIUM PRAEPUTII: munus prædicandi Evangelium gentibus, quæ circumcisæ non sunt, ut Iudæi. CIRCUMCISIONIS: circumcisorum.

V. 8. QUI ENIM OPERATUS EST PETRO: ὁ ἐνεργήσας Πέτρῳ, *qui inoperatus est Petro*, qui in Petro suam energiam, vim, & efficaciam ostendit. IN APOSTOLATUM CIRCUMCISIONIS: ut scilicet fieret Apostolus circumcisorum. OPERATUS EST ET MIHI: is eamdem in me vim exeruit. INTER GENTES: ut essem Apostolus Gentilium.

V. 9. ET CUM COGNOVISSENT: ipsa experientia, ex rebus quas in propagatione Evangelii gerebam. GRATIAM QUAE DATA EST MIHI: nimirum Evangelii in Gentibus prædicandi. CEPHAS: Petrus. QUI VIDEBANTUR COLUMNAE ESSE: fidei, & Ecclesiæ, præcipui scilicet inter Apostolos. DEXTERAS DEDERUNT, &c. id est, in Apostolatu socios, atque in Evangelii doctrina bene secum consentientes agnoverunt, & ut tales receperunt. UT VOS IN GENTES, &c. ut nos Gentilibus, ipsi vero Iudæis Evangelium prædicarent.

V. 10. TANTUM UT PAUPERUM MEMORES ESSEMUS: tantum hoc admonentes, ut dum Evangelium apud Gentes prædicamus, pauperum, qui in Iudæa erant, memores essemus commendando eos Gentilibus conversis, ut eorum paupertatem eleemosynis sublevarent.

V. 11. IN FACIEM EI RESTITI; id est, aperte, & palam ei restiti. QUIA REPREHENSIBILIS ERAT: propter incautam simulationem, & professionem Iudaismi, quodque scandalum daret Gentibus, quas suo exemplo docebat iudaizare. Quod tamen peccatum in Petro non fuit, cum non ex

errore

errore in fide ita ageret, cum ceremoniæ legis veteris eo tempore licet mortuæ essent, nondum tamen essent mortiferæ, & bona fide putaret debere se illa simulatione scandalum cavere eorum Christianorum, qui conversi erant ex Iudaismo.

V. 12. PRIUSQUAM VENIRENT QUIDAM A IACOBO: genere Iudæi, & ad Christianismum conversi. CUM GENTIBUS EDEBAT: cibos vetitos lege Mosaica; hoc facto docens huius delectus, totiusque legis observationem non esse necessariam. CUM AUTEM VENISSENT: fratres illi qui venerant Ierosolymis. SEGREGABAT: subducebat se a convictu Gentilium & a cibis abstinebat, quos lex vetus vetabat.

V. 13. CETERI IUDAEI: ceteri Christiani ex Iudæis conversi.

V. 14. QUOD NON RECTE AMBULARENT: erat enim reprehensibilis illa simulatio. AD VERITATEM EVANGELII: ut exigebat Evangelica veritas. GENTILITER VIVIS; id est, communi cibo, & mensa indifferenter hactenus cum Gentibus vixisti.

V. 15. NATURA: naturali generatione, origine, prosapia Iudæi sumus. NON EX GENTIBUS PECCATORES: non Gentiles peccatores. Iudæi Gentiles vocabant peccatores, quia idololatræ erant.

V. 16. EX OPERIBUS LEGIS: Mosaicæ. NISI PER FIDEM IESU CHRISTI: per legem Christi, per Christianismum; scilicet per fidem Christi, pœnitentiæ, opera, sacramenta, &c. IN CHRISTO IESU CREDIMUS: in Christum Iesum, ut est in Græco; id est, credimus illum esse Messiam, salvatorem, & redemptorem mundi. CREDIMUS. In Græco est, *ἐπιστεύσαμεν*, *credidimus*. UT IUSTIFICEMUR, &c. non enim credimus in Christum, ut ex lege iustificemur, sed ex ipsa Christi fide. PROPTER QUOD: *διότι*, quia, propterea quod. OMNIS CARO, id est nullus homo.

V. 17. QUOD SI QUAERENTES IUSTIFICARI IN CHRISTO; quasi dicat: Si adhuc sumus in peccato, quia peccati remissionem, & iustitiam quæsivimus in Christi fide, cum ibi non sit quærenda, sed in lege, ut volunt iudaizantes, ergo Christus peccatum fovet, sustulit enim legem, quæ sola peccatum tollit. NUMQUID CHRISTUS PECCATI MINISTER EST? quasi dicat: An Christus peccato inservit illud fovendo, & conservando, hoc ipso quo legem tollit ad iustificationem, & peccati deletionem, ut ipsi aiunt, necessariam, & suam statuit legem gratiæ, quasi quæ sola iustificet; cum tamen, ut ipsi aiunt, sine lege iustificare non possit. ABSIT, id est minime.

V. 18. SI ENIM QUAE DESTRUXIT: si vim iustificandi quam detraxi legi observantiæ. ITERUM HAEC ADIICIO; id est, rursum legi eam assero, ut calumniantur Iudæi me occulte iudaizare. PRAEVARICATOREM ME CONSTITUO: quasi potens ad omnem ventum fidem muto.

V. 19. EGO ENIM PER LEGEM LEGI MORTUUS SUM; quasi dicat; Ipsa lex Mosis secundum spiritum intellecta docet se non esse perpetuam, sed Christo; quem præfiguravit, venienti cedere debere. Per ipsam ergo legem hoc mihi loquentem, mortuus sum legi, id est subtractus sum legi, atque ei desii esse obnoxius. UT DEO VIVAM: per veram iustitiam. CHRISTO CONFIXUS SUM CRUCI: nam per baptismum Christo commortuus sum, & consepultus; est enim baptismus, quo corpora merguntur aqua, symbolum mortis, & sepulturæ Christi. VIVO AUTEM: nova vita, quam consecutus sum per eumdem baptismum. IAM NON EGO: non vetus ille homo, qualis eram. Vel quod iam vivo vita iustitiæ, ex me ipso non habeo. VIVIT VERO IN ME CHRISTUS: vivo enim nova vita, quam habeo per Christum, & eius gratiam mihi inhærentem. VIVO IN CARNE, id est in hac mortali vita. IN FIDE VIVO: illa nimirum fide, quæ est in filium Dei; quasi dicat: Quod in carne hac mortali variis obnoxia tentationibus iuste vivo, non legi acceptum fero, sed fidei, quam habeo in Christum filium Dei. QUI DILEXIT ME, ET TRADIDIT SEMETIPSUM PRO ME. Dicit, *me*, & *pro me*, non *nos*, aut *pro nobis*, quia singulis tantum profuit Christus quantum omnibus, & pro uno solo redimendo æque mori debuisset.

V. 21. NON ABIICIO GRATIAM *Dei*: *οὐκ ἀθετῶ*, *non irritam facio*, non sum ingratus gratiæ Dei, non illam reiicio, aut aspernor; quasi dicat Apostolus: Tanto affectus beneficio a Christo filio Dei, non sum adeo ingratus, ut gratiam Dei per Christum mihi oblatam, atque impensam repudiem. Absit a me hæc ingratitudo, in quam sane incurrerem, si a lege iusti-

tiam.

tiam expectarem. SI ENIM PER LEGEM IUSTITIA: nobis obvenit. GRATIS, id est frustra, absque necessitate. Frustra enim passus est, si sine eius passione redimi, & iustificari potuit homo.

TIRINI.

Vers. 1. POST ANNOS QUATUORDECIM, scilicet a prima mea excursione Ierosolymam, de qua sub finem cap. præcedentis, ITERUM EO ASCENDI, anno 9. Claudii Imper. quando & primum Concilium Ierosolymæ celebratum *a* est, anno a morte Christi 19. ita Baronius.

V. 2. ASCENDI AUTEM SECUNDUM REVELATIONEM, id est non humana, sed divino instinctu, monitus divino oraculo, ut legationem pro Antiochenis susciperem ad Apostolos, inquit Beda. *Et* hac occasione CONTULI EVANGELIUM meum CUM IIS QUI in Ecclesia VIDEBANTUR ALIQUID ESSE; id est, qui non solum erant in pretio coram Deo, sed etiam publice apud omnes videbantur & habebantur *columnæ Ecclesiæ* (ut infra explicat) & primarii Apostoli, maximæ auctoritatis & dignitatis apud omnes: ita S. Hieron. *Contuli*, inquam, NE FORTE IN VACUUM CURREREM, seu frustra laborarem, nempe iactantibus pseudo-apostolis quod mea doctrina non esset conformis doctrinæ vicarii Christi & principis Apostolorum, ceterorumque primariorum Ecclesiæ capitum, nollent fideles credere mihi, nec doctrinam meam amplecti, atque ita labor meus omnis cassus redderetur & inanis. Ex quo loco S. August. Tertull. & Hieron. *b* contra nostros hæreticos probant, verbum Dei etiam sincerissimum, quale erat istud quod Paulus ab ipsomet Christo hauserat, & omnes verbi divini præcones, prius quam pro talibus habeantur, debere ab Ecclesiæ Prælatis approbari.

V. 3. SED NEQUE TITUS, CUM ESSET utroque parente GENTILIS, iussu Apostolorum COMPULSUS EST CIRCUMCIDI, compellendus utique si id necessarium ad salutem iudicassent.

V. 4. SED NEQUE AD ID COMPULSUS EST (hæc enim hebraismo ex vers. præcedenti hic repetenda) etsi fortiter id urgerent *falsi fratres subintroducti*; Græce, *παρείσακτοι*, id est subreptitii, QUI insidiose SUBINTROIERUNT in Ecclesiam, ut *explorarent* LIBERTATEM NOSTRAM ab observatione legis Mosaicæ, UT nobis illam eriperent, & NOS in pristinam SERVITUTEM REDIGERENT. Erant hi Corinthus, eiusque complices, ut alibi *c* vidimus.

V. 5. QUIBUS NEQUE AD HORAM; Græce, *neque ad momentum*, CESSIMUS SUBIECTIONE; id est, ut nos illis, prodita Evangelii veritate & libertate, subiiceremus.

V. 6. AB IIS AUTEM QUI VIDEBANTUR ALIQUID ESSE, & in maximo pretio ab omnibus habentur, puta a *Petro*, *Iacobo* & *Ioanne*, subaudi, NIHIL *doctrinæ* MIHI *collatum est*, ut mox subdit; sed mutato casu, more Hebraico *d*: ita Anselmus. QUALES ALIQUANDO FUERINT, &c. Rationem dat quare eum illis conferre voluerit Evangelium suum; quasi dicat: Tametsi illi olim homines abiectæ & vilis conditionis, utpote pauperes & indocti piscatores, cum ego civis Romanus *e*, scientia legis *f* excellerem; hoc NIHIL MEA INTEREST: nam *Deus* sine personarum acceptione quos vult elegit, & quales vult facit: & ego non ab illis, sed ab ipsomet Christo immediate in rebus fidei instructus sum. Quia tamen illi iam per Dei gratiam ac beneplacitum constituti erant *columnæ* & capita Ecclesiæ, volui ut ipsorum auctoritate doctrina mea comprobaretur: ita Ambros. & Anselmus.

V. 7. CREDITUM, seu commissum, EST MIHI EVANGELIUM PRAEPUTII, id est præputiatorum, id est Gentibus annuntiandum: SICUT PETRO CIRCUMCISIONIS, id est Iudæis circumcisis.

Dices: Ergo Petrus non fuit caput totius Ecclesiæ. Respondeo, neg. conseq. Quia Apostoli sponte sua sic partiti erant inter se non potestatem, vel auctoritatem sed operas tantum; ut nempe Paulus, quia exosus Iudæis, præcipue prædicaret Gentilibus: Petrus vero Iudæis, quibus charus erat. Alioquin & Paulum evangelizasse Iudæis patet ex Actis Apostolorum *g*, & ex epistola quam ad Hebræos dedit: & Petrum Gentilibus, constat ex Actorum x: 15. ubi addit: *Vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus elegit per os meum Gentes audire verbum Dei*. Et cur, quæso, duo isti cessissent iure suo

quod

quod omnibus & singulis Apostolis *h* commune esse constabat?

V. 8. QUI OPERATUS EST PETRO. Gr. ὁ ἐνεργήσας Πέτρῳ, id est *qui operatus est Petro*, seu in Petro suam energiam, vim & efficaciam, ad Iudæos convertendos singulariter ostendit, nempe Deus; idem in me quoque eamdem exeruit in ordine ad Gentium conversionem speciatim procurandam.

V. 9. DEXTERAS DEDERUNT. Et hoc symbolo nos socios suos in apostolatu, atque in Evangelii doctrina recte secum consentientes, agnoverunt, & ut tales receperunt.

V. 11. CUM VENISSET CEPHAS, seu Petrus, ANTIOCHIAM, (subsecutus pene eodem tempore Paulum & Barnabam *i*,) & metu offendendi Iudæos, subtraheret se a convictu Gentilium, ab esu suillæ & similium ciborum lege Mosaica prohibitorum; IN FACIEM, seu in barbam, id est palam & aperte, *illi* RESTITI, & coram omnibus me illi opposui.

Dices: Ergo Petrus inferior erat Paolo. Rep. neg. conseq. Quia Paulus reprehendit Petrum non tamquam superior, vel ex auctoritate, sed solum ex caritate tamquam inferior, quia bonum publicum sic postulabat. Tali enim casu licere id inferiori, etiam in publico, sed adhibita cautela & honore Superiori debito, constat ex iure tum naturali, tum positivo k. & fuse demonstrat S. August. qui occasione huius

V. 13. *Simulationis* S. Petri, acrem cum S. Hieron. concertationem suscepit, ut ex utriusque epistolis *l* patet. Hieronymus enim, ut & Chrysost. (& post eum Theophyl. ac Baronius) volebat Petrum licite, immo ex composito simulasse. Quorum utrumque negat S. August. qui propius accedit ad mentem Pauli, diserte affirmantis, Petrum *non recte ambulasse*, & idcirco *reprehensibilem*, id est reprehensione dignum fuisse, ut etiam docent Tertull. Cyprianus, Ambrosius, Gregor. & passim Latini.

Petes primo, Quid *simularit*? Respondeo, se legem Mosaicam, quasi adhuc obligantem, observare, cum revera id non intenderet, utpote quam sciret abolitam *m*: sed solum intendebat se moribus Iudæorum pro tempore accommodare, ne illos offenderet.

Petes secundo. Quale peccatum illud fuerit? Respondeo, Leve, seu veniale peccatum, non erroris in fide, sed in facto: erat enim incauta atque importuna simulatio, seu professio iudaismi, nimirum cum scandalo Gentilium, qui tale factum Petri (capitis & principis totius Ecclesiæ) interpretabantur, signum esse, quod ceremoniæ legis Mosaicæ adhuc necessariæ essent ad salutem, ac proinde Paulum eos hactenus non recte instituisse. Erat ergo indiscretio in Petro, & vanus timor displicendi Iudæis: cui proinde occurrit prudentia & zelus Pauli.

V. 14. SI TU, o Petre, CUM IUDAEUS, seu ex Iudæis oriundus *sis*, passim tamen & promiscue GENTILITER VIVIS, id est communi cum Gentilibus mensa & cibo indifferenter ac promiscue hactenus uteris *n*, QUOMODO, seu quo iure, nunc COGIS exemplo tuo GENTES IUDAIZARE?

V. 15. Nos NATURA, id est naturali generatione, origine ac prosapia, IUDAEI, ET NON EX GENTIBUS procreati PECCATORES, seu idololatræ, non observamus ceremonias legis Iudaicæ, quasi necessarias, vel adhuc obligantes,

V. 16. SCIENTES non hauriri *iustitiam* EX OPERIBUS illius LEGIS *o*, sed ex *fide* CHRISTI; ut quid ergo urgebimus Gentiles iam in Christum credentes, ut illas ceremonias observent?

V. 17. QUOD SI QUAERENTES & satagentes IUSTIFICARI IN CHRISTO, id est per fidem in Christum, revera non iustificamur, sed manemus & SUMUS adhuc PECCATORES, quia scilicet legem Mosaicam (si hæc, ut aiunt iudaizantes, adhuc necessaria est ad salutem) non observamus; nonne hinc sequitur, *Christum* esse *ministrum*, id est causam, PECCATI? nempe, dando nobis legem Evangelicam, quasi solam sufficientem ad iustitiam ac salutem; & consequenter abrogando & antiquando legem Mosaicam; cum tamen hæc (ut ipsi volunt) necessaria esset ad iustitiam & salutem: ita S. Hieron. Chrysost. & Primasius.

V. 18. SI QUAE semel DESTRUXI, vim iustificandi detrahens legi Mosaicæ, ITERUM HAEC AEDIFICO, rursus eam legi affigens; PRAEVARICATOREM ME CONSTITUO, immo impostorem. Quod ergo semel destruxi, destructum volo æternum.

V. 19. PER LEGEM Mosaicam, scilicet osten-

ostendentem nobis Christum, quasi scopum & terminum suum, ad hunc nos manuducentem, atque in eo desinentem ac morientem, EGO quoque LEGI MORTUUS SUM, id est desii esse obnoxius legi: ita S. Chrysost. & Augustinus, quasi dicat: Ipsiusmet legis testimonio, per Christum eximor ab obligatione legis, UT non amplius VIVEM obnoxius legi, id est typis ac figuris, sed DEO & Christo per legem figurato. Rursus per baptismum & poenitentiam. CHRISTO CONFIXUS SUM CRUCI; id est, cum Christo crucifixus & mortuus sum peccato, veteri homini & veteri legi: & novam gratiæ vitam exsugo & crucifixo, quasi ramus illi arbori insertus: unde

V. 20. NON tam EGO VIVO (vita pristina veteris hominis & legis) quam CHRISTUS IN ME, per gratiam suam & legem Evangelicam movens me quo & quomodo voluerit: ita S. Chrysost. Hieron. Anselmus. QUOD AUTEM sic spiritualiter in Christo VIVO iustus, & a peccatis veteris hominis expeditus, idque IN CARNE hac mortali, tot vitiis, tot imperfectionibus, tot tentationibus obnoxia, acceptum fero non legi Mosaicæ, sed *fidei* quam habeo in Christum *filium* DEI. Hanc

V. 21. GRATIAM DEI NON ABIICIO, non aspernor, non repudio, quærens aliunde iustificari, v. g. ex ceremoniis legis Mosaicæ, quasi Christus nobis iustificandis non sufficeret. Quæ intolerabilis esset ingratitudo, simul & iniuria in Christum. Quin potius, SI IUSTITIA nobis obvenit PER LEGEM, ERGO GRATIS, id est frustra & absque ulla necessitate, CHRISTUS MORTUUS EST: cum non ob alium finem mortuus sit, quam ut nos sua morte redimeret & iustificaret.

(a) Actor. xv. 4.
(b) August. xxviii. cont. Faustum cap. iv. Tertull. Lib. IV. contra Marcionem. Hier. ep. xi. ad Augustinum inter epistolas Augustini.
(c) Actor. xxi. 1.
(d) Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 3.
(e) Actor. xxiv. 26.
(f) Hic cap. 1. 14. & Act. vi. 5.
(g) Act. ix. 13. 14. & ult.
(h) Lucæ vi. 13.
(i) Chron. cap. ult. anno a morte Christi 19.
(k) Can. Si quis & can. Lator. dist. 2. q. vii.
(l) Epistola viii. 9. & seqq. in tomo ii. operum S. Augustini.
(m) Hic vers. 12.
(n) Rom. iii. 27.
(o) Act. xv. 10.

GORDONI.

Vers. 1. DEINDE POST ANNOS QUATUORDECIM. Paulus ter venit Ierosolymam, annis, inquam, Christi 39. 51. & 58. ut in diagrammate notatum est. Qui hic notatur annus est decimus quartus a conversione, & exiens annus Christi 50. seu iniens 61. quo celebratum est Concilium de legalibus. Venit cum Tito incircumciso, & monitus divina revelatione qui aliter numerant cum Hieronymo coguntur ad magna incommoda.

V. 2. SECUNDUM REVELATIONEM. Familiare erat Paulo moneri his revelationibus: sic magnum gentium doctorem regebat Deus. Communicat cum aliis, non quod post tot revelationes & raptum esset dubius, quando venit Ierosolymam: sed quia expediebat ut fideles scirent Paulum non dissentire ab aliis magnis Apostolis, & iis qui in pretio erant. Ne viderer, inquit, in vacuum laborare, dum pseudoapostoli iactare potuissent meam doctrinam discrepare ab Apostolica. Mirum est non erubescere Novatores, dum nova sua obtrudunt inventa, neque a Petri successoribus, nec a magnis viris Ecclesiæ Pastoribus probata. Nec observant hic Paulum probasse suam doctrinam in pleno Concilio, ut iam ostensum est.

V. 3. SED NEQUE TITUS. Dixi hinc incipere probationem de non servandis legalibus. Primum argumentum est de Tito gentili homine. Impulissent enim me ut circumcideretur Ierosolymis Apostoli, si iudicassent hoc esse necessarium. Quæret aliquis, cur ergo ex Act. xvi. 3. circumcidit Timotheum? Sed ne sim prolixior, vide rem ibidem explicatam.

V. 4. SED PROPTER. Insere vel repone iterum τὸ *neque*. Sensus ergo est: sed neque a falsis fratribus (qui insidiose surrepserant in Ecclesiam, ut explorarent quo animo & spiritu prædicabam, & sic tandem me impedirent) ne quidem etiam ab his coactus sum circumcidere Titum: his, inquit, non subieci me (vers. 5.) ut evincerent quod volebant, ut retinerentur a me legis ceremoniæ.

V. 6. AB IIS AUTEM: Adiungit ad proba-

bationem datam, tam firmam visam fuisse magnis Apostolis suam doctrinam, ut nihil ulterius addiderint, nihil detraxerint; quamvis in regenda Ecclesia essent principes; quasi diceret: Mihi quidem magni visi sunt, & Apostolica dignitate nobilitati; non enim quærendum est quales fuerint, sed quam eos fecerit eximios divina vocatio. Verba quæ insequuntur in textu hoc ipsum magis explanant, usque ad versum 11.

Dices si, ut versu 7. insinuatur, Paulo datus est Apostolatus ad gentes, tota cura Ecclesiæ non est data Petro: nam præputium creditum est Paulo. Sane quidem Paulo commissa est pars Ecclesiæ, nempe specialis administratio; sicut & aliis Apostolis commissa est administratio Orientis; nec tamen propterea fuit Petro detractus primatus: sicut nec Episcopi nunc & Patriarchæ Petro præiudicant. Nec Petrus & Paulus partiti sunt potestatem, sed operas, ut ait Hieronymus.

V. 9. & 10. Qui hic Cephas nominatur, Petrus est, quamvis aliqui alium esse putaverint: & vers. 11. vocatur Petrus. Ita Hieronymus: Cephas Syriacum nomen est, Petrus Græcum. Ceterum Deus dum confert suæ gratiæ dona, & vocationem ostendit, non intuetur personam, qui infirma mundi elegit, ut fortia confundat. Et non est volentis, sed miserentis: de qua re dixi ad Rom. cap. II. 11.

V. 11. Cum enim venisset. Alia probatio est, qua ostendit non esse servanda legalia, tamquam legem obligantem, quia Antiochiæ reprehensus est publice Petrus; quod simulans Iudaismum visus est inducere obligationem ceremoniarum legalium. Ex hoc enim Petri facto sequebatur scandalum gentium existimantium inde se post conversionem obligari ad servanda legalia: & ita Paulus publicum scandalum publice reprehendit ex Anselmo, Ambrosio & Augustino. Restitit in faciem, hoc est palam, quia reprehensibilis erat in simulatione Iudaismi incauta: factum Petri hoc contigit Antiochiæ, cum tantum ibi essent cum Petro gentiles, libere conversabatur cum illis in victu & ceremoniis: at cum venissent eo conversi a Iudaismo, abstinuit a convictu gentilium timens offensionem conversorum a Iudaismo. Paulus contra interpretabatur hoc esse offensionem gentilium. De hoc Petri facto quæstio est: plerisque placet non fuisse in Petro mortale peccatum, quia putavit bona fide debere se uti illa simulatione eo tempore ad vitandum scandalum conversorum a Iudaismo. Negant Hieronymus & Chrysostomus (quos sequutus est Baronius) fuisse reprehensibilem; immo volunt tantum simulate voluisse Petrum se reprehendi, ut sic cedens Paulo doceret omnes non esse amplius iudaizandum. Contra Augustinus Tom. II. Epist. VIII. & IX. reprehensibilem esse Petrum ostendit, in quo peccatum quidem admittitur, quamvis veniale, in illa Petri simulatione, quæ non caruit mendacio in facto. Potest enim ut in verbis, ita etiam in facto esse mendacium; quamvis hoc facti mendacium possit aliquando carere culpa, ubi nempe est iusta causa tegendi veritatem. Ceterum qui posset probare (quod difficile est) Petrum habuisse plene iustam causam tegendi veritatem, evinceret Petrum non peccasse.

V. 14. Sed cum vidissem. Sensus verborum Pauli est: Si tu Petre (qui Iudæus es) vixisti hactenus cum gentibus gentiliter, cur nunc eos fugis, cogens tuo exemplo gentes iudaizare, dum vivis tantum Iudaice contra libertatem legis Evangelicæ; & qui scis ceremonias legales morte Christi cessasse.

V. 15. Nos natura Iudaei; quasi diceret: Nostra vero hæc fides est (qui non ex gentibus peccatoribus nascimur) & scimus non iustificari hominem ex ceremoniis & operibus legis, sed spiritu & ex fide Christi. Immo nec ullus umquam iustificatur ex operibus legis.

V. 17. Quod si quaerentes iustificari. Id quod dixit versu 16. non iustificari hominem ex ceremoniis & operibus legis, nunc probat triplici argumento. Ac primo si lex iustificans, efficitur Christum reliquisse nos in peccato, & causam esse peccati; quia abstulit nobis legem per quam fiebat iustitia in nobis extinctione peccati, & nos reliquit sine remedio: at certe Christus non inservit peccato, nec peccati minister est, nec ut Proteus est, figens & mox refigens suas leges.

V. 19. Ego enim per legem. Alia ratio est. Lex se profitetur esse ad tempus, non autem perpetuam: nam erat tantum ad Christum, quem velut utero ge-

ſtabat. Nunc ergo veniente Chriſto quem lex promittebat, lex mortua eſt, & nos legi; ſed vivimus Chriſto: vivimus itaque in Deo, & Dei filio, per cuius fidem iuſtificamur.

V. 21. Si enim per legem iustitia. Tertia ratio. Ergo gratis & ſine fructu mortuus eſt Chriſtus, & ſine neceſſitate: hoc vero ſi cogitamus, ingratiſſimi ſumus Chriſto, non agnoſcentes tam immenſum beneficium.

His tribus rationibus probavit excludi opera legis a iuſtificatione, & eam haberi ex fide Chriſti'; ubi fides habet antitheſin cum operibus legis; non autem cum caritate: nam nec caritatem, nec ſpem reiicit fides quæ eſt in Chriſto, ut conſtat ex tota Epiſtola ad Romanos. Eſt porro notiſſimum ſolum hic loqui Paulum de lege Moſaica, ut textus omnes docent; ut videas Novatorum cæcam propenſionem ad diabolicam libertatem, qui omnium legum etiam divinarum & naturalium iugum excutiunt.

CAPUT III.

Sicut Abrahæ, ita & poſteris, non ex legis operibus, ſed ex fide in Chriſtum datus eſt Spiritus ſanctus: ſubditi autem legi, cum nemo præſtet legem, maledicti ſunt: ſed hanc maledictionem Chriſtus in ſe ſuſcipiens, nos ab ea liberavit: promiſſiones vero factæ Abrahæ per fidem complentur, licet interim lex tamquam pædagogus data fuerit, quæ non poterat iuſtificare.

1. O Inſenſati Galatæ, † quis vos faſcinavit non obedire veritati, * ante quorum oculos Ieſus Chriſtus præſcriptus eſt,
in vobis crucifixus? 2. Hoc ſolum a vobis volo diſcere:
Ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?
3. Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne
conſummemini? 4. Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen
ſine cauſa. 5. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fi-
dei? 6. Sicut ſcriptum eſt: (*a*) Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad
iuſtitiam. 7. * Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ,
8. Providens autem Scriptura, quia ex fide iuſtificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: (*b*) Quia benedicentur in te omnes Gentes. 9. Igitur qui ex fi-
de ſunt, benedicentur cum fideli Abraham. 10. Quicumque enim ex operibus
legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: (*c*) Maledictus omnis,
qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in Libro legis: ut faciat ea.
11. Quoniam autem in lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt:
(*d*) quia iuſtus ex fide vivit. 12. Lex autem non eſt ex fide, ſed, (*e*) Qui
fecerit ea, vivet in illis. 13. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro
nobis maledictum: quia ſcriptum eſt: (*f*) Maledictus omnis qui pendet in ligno: 14. ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. 15. Fratres (ſecundum hominem
dico) (*g*) tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. 16. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit: Et
ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. 17. Hoc autem dico, teſtamentum confirmatum a Deo: quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt Lex, non irritum facit ad evacuandam
promiſſionem. 18. Nam ſi ex lege hereditas, iam non ex promiſſione. Abra-

ha-

hæ autem per repromissionem donavit Deus. 19. Quid igitur lex? * Propter
transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per
angelos in manu mediatoris. 20. Mediator autem unius non est: Deus autem
unus est. 21. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex,
quæ posset vivificare, vere ex lege esset iustitia. 22. (*b*) Sed conclusit Scrip-
tura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.
23. Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam
fidem quæ revelanda erat. 24. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo,
ut ex fide iustifice nur. 25. At ubi venit fides, iam non sumus sub pædago-
go. 26. Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. 27.
[*i*] Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. 28. Non
est Iudæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus,
neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu. 29. Si autem vos
Christi: ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem heredes.

(a) Gen. xv. 6. Rom iv 3. Iac. ii. 23. (b) Gen. xii. 3. Eccli. xliv. 20. (c) Deut. xxvii. 26. (d) Hab. ii. 4. Rom. i. 17. (e) Levit. xviii. 5. (f) Deut. xxi. 23. (g) Heb. x. 27. (h) Rom. iii. 9. (i) Rom. vi. 3.

B R U G E N S I S.

Romanae Correctiones.

Vers. 1. *Ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est*. Legendum est *præscriptus*, quod est, ante scriptus, non *proscriptus*, id est diphthongus prima *æ* non vocalis quarta *o*.

Vers. 7. *Cognoscite ergo*. Imperativus *cognoscite* non est mutandus in indicativum *cognoscitis*.

Vers. 19. *Propter transgressiones posita est*. Non mutes plurale in singulare *transgressionem*.

Lectionum Varietas.

Vers. 1. Q*Uis vos fascinavit non obedire veritati?* Multi libri & auctores pro *obedire* legunt *credere*; nec pauci tum libri tum auctores totum illud omittunt *non obedire seu credere veritati*; ut huc additum ex cap. v. 7. Qua de re legere licet Notationes nostras.

Notationes.

Vers. 1. O *Insensati* (*stulti* Mal. ma.) *Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati*. (Alias *veritati non obedire?*) Plurimi libri *obedire* legunt; multi *credere*, antiqui Epanorthotæ, sex Hentenii, quindecim nostri, Brug. *Lob.* Leod. T. O. &c. Carensis, Thomas, Gorranus, & Richelius, *obedire*; Auctor Glossæ, ut eam scriptam habemus, Anselmus, & Bruno Carthusiensis *credere* exponunt. Græce est, & quidem in omnibus quæ vidimus antigraphis: (Compl. R.) τῆ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι, quod & *credere* verti potest, & *obedire*. *Credere* autem a Latino Interprete hoc loco versum esse, siquidem particula hæc ab eo hic versa sit; quinto vero huius epistolæ capite, vers. 7. ubi similis est sententia (*Quis vos impedivit veritati non obedire?*) *obedire* Hieronymus quintum caput enarrans testatur. Ex eo igitur loco hic scriptum est *obedire*; quemadmodum ut videtur ex hoc ibi *fascinavit* in codicibus quibusdam etiam (Brug. Leod. O.) fide præstantibus. Notat porro Hieronymus tum in quintum, tum in tertium caput a quibusdam non legi hæc verba tertio capite: *Non credere*, sive *non obedire veritati*. In quintum caput ait: „ Id quod nunc Latinus posuit Interpres „ veritati non obedire, & in Græco scri„ ptum est, τῆ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι; “ in superiori loco ita interpretatus est, *non credere veritati*. Quod quidem nos in vetustis codicibus non haberi in suo loco annotavimus, licet & Græca exemplaria hoc errore confusa sint. In tertium; „ legitur in qui„ busdam codicibus: *Quis vos fascinavit non* „ *credere veritati?* Sed hoc quia in exem„ plaribus Adamantii non habetur, omisi„ mus. “ Omittunt idipsum & alii veterum. Nam Augustinus Chrysostomus, Ambrosiaster quem vocamus, Haymo nec legunt, nec exponunt. Theodoritus, Pseudhieronymus, Primasius, Theophylactus, Sedulius, Oecumenius etsi adiunctis scripturæ

verbis addatur, in commentariis ne attingunt quidem. Syrici libri non agnoscunt. Latinum Paulinæ Bibliothecæ antiquissimum exemplar in contextu non habuit; tantum procul in ima margine manu recentiore subnotatum. Constantiensis Collegii recentior codex prorsus omisit; vetustior τὸ *veritati* tantum non addidit. In Maimundarii maiore τὸ veritati expunctum erat. Quidam existimant ex v. capitis 7. versu, quem mox recitavimus adiectum huc istud fuisse. Chrysostomus porro quamquam contra alios, nec ibi legit; dumtaxat *Quis vos impedivit?* habet, quemadmodum hic: *Quis vos fascinavit?*

V. 7. *Cognoscite* (*intelligite* Mal. ma.) *ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.* *Cognoscite* legunt plerique omnes Latini codices; *cognoscitis* duo Parisiensium Di. o. Ge. l. duo Hentenii, unus noster So. la. quibus Maimundarii minor conformis fuisse videtur. Apud Hieronymum est *cognoscitis*: Syri *cognoscite* transtulerunt. Vox prototypi γινώσκετε dubia est.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. QUIS VOS FASCINAVIT, id est quis adeo ut agnitæ veritati non obediretis oculos vestros fascinavit? Græce ἐβάσκανε quod quidam vertunt, *invidit*. PRAESCRIPTUS, id est damnatus & in vobis crucifixus: quia quantum ad vos attinet, dum legem apprehendendo illum abnegatis, rursum crucifigitis. Græci legunt προεγράφη, id est præscriptus & depictus; id est, ante quorum oculos, mentis scilicet ac fidei oculos, prædicationis pictura ante præscriptus & depictus est Christus, & in vobis crucifixus: quando tam certo persuasi estis, quam si præsentes astitissetis, vestra illum gratia crucifixum esse.

V. 2. EX OPERIBUS LEGIS SPIRITUM ACCEPISTIS, AN EX AUDITU FIDEI? id est, ex obedientia fidei vel ex fide quam audistis & percepistis? Advertendum autem quid in hunc locum annotat Hieronymus, dicens: Consideremus diligenter quia non dixerit, *volo a vobis discere utrum ex operibus spiritum accepistis*, sed adiecerit *ex operibus legis*: sciebat enim & Cornelium centurionem spiritum ex operibus accepisse, sed non ex operibus legis quam nesciebat: hoc additum volui ob eos qui putant hac & ad Roman. epistola, excludi a iustificatione opera: quod quidem verum est de priore iustificatione, qua ex impio iustificatur homo; iustificatus autem per opera sequentia iuncta fide, plus meretur quam sola fide.

V. 3. SIC STULTI ESTIS UT CUM SPIRITU COEPERITIS, NUNC CARNE CONSUMMEMINI? id est, ut cum fides vestra a spiritualibus donis & gratiis cœperit, nunc carnalibus ceremoniis legeque carnali consummari & perfici vos posse putetis? Theodorus enim πνεῦμα, τὴν πνευματικὴν χάριν, & σάρκα, τὴν κατὰ νόμον πολιτείαν interpretatur; id est, spiritum spiritualem gratiam, & carnem, ritum ex præscripto legis vivendi.

V. 4. TANTA PASSI ESTIS SINE CAUSA; id est, tantumne afflictionum Christi gratia pertulistis frustra? nam frustra si salvare lex poterat. Verum, ut Græci aiunt, ne in desperationem eos iniiciat, subdit: SI TAMEN SINE CAUSA, vel frustra, neque enim frustra, si quidem resipiscere vultis.

V. 5. QUI ERGO TRIBUIT VOBIS SPIRITUM sanctum vel dona ipsius, ET OPERATUR, Græce ἐνεργῶν id est *cum efficacia operatur* IN VOBIS VIRTUTES, id est vim edendi miracula, EX OPERIBUS LEGIS, subid facit, AN EX AUDITU FIDEI?

V. 6. SICUT SCRIPTUM EST, supplendum est, utique ex auditu fidei, *sicut scriptum est*, ABRAHAM CREDIDIT, vel ex operibus id facit, an non magis ex auditu fidei? sicut scriptum est.

V. 7. QUI EX FIDE SUNT, id est fideles imitantes Abrahæ fidem.

V. 8. PROVIDENS, id est longe ante futurum videns.

V. 10. QUICUMQUE EX OPERIBUS LEGIS SUNT; id est, quicumque operibus legis hærent & confidunt, maledicto sunt obnoxii: quia omnia legis opera perficere non possunt; *scriptum est enim, Maledictus omnis*, &c.

V. 11. IN LEGE, id est per legis opera: Moyses enim in lege non per legem iustificatus est, sed per mediatoris fidem.

V. 12.

V. 12. LEX AUTEM, id est non docet Christi fidem, sed ceremonias. SED QUI FECERIT EA homo, VIVET IN ILLIS; id est, qui legis præcepta servaverit, mortem evadet, quam transgredientes incurrunt. Quod autem in lege nemo iustificatur, sed vita tantum temporali per eam vivent, qui eam servaverint, hinc manifestum est, quia Scriptura loquens de vita spirituali dicit: Iustus ex fide vivit, non autem ex lege.

V. 13. FACTUS PRO NOBIS, id est nostram in se maledictionem suscipiens: sed & peccatum dicitur, quia nostra in se peccata portavit, ut II. Corinthiorum eum qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut iustitia Dei efficeremur in ipso; hoc est quod nunc ait, UT BENEDICTIO

V. 14. ABRAHAE FIERET IN GENTIBUS IN CHRISTO IESU; id est, per Christum gentes benedictionem sibi in Abrahamo promissam perciperent, UT nos, inquit Paulus, POLLICITATIONEM SPIRITUS, id est promissum spiritum sanctum ACCIPIAMUS PER FIDEM.

V 15. 16. 17. 18. 19. & 20. FRATRES &c. Vult ostendere Paulus exemplo Abrahæ nihil opus esse lege ad assequendam Christi benedictionem; FRATRES, inquit, SECUNDUM HOMINEM DICO, id est humana ratione, humanoque exemplo docere vos volo: HOMINIS CONFIRMATUM TESTAMENTUM, id est auctoritate corroboratum NEMO SPERNIT. Græce ἀθετεῖ, id est spernit, reiicit, atque irritum facit: AUT SUPERORDINAT, Græce ἐπιδιατάσσεται, id est quidpiam illi adiicit; sic enim Theophylactus, ἐπιδιατάσσεται, τουτέστι προστίθησιν, id est subordinat, hoc est adiungit. Abrahæ autem & semini eius factæ sunt promissiones de benedictione gentium, quod est testamentum (sicut Genesis XXII. dicitur: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*); hominis autem testamentum nemo infirmare potest, nec illi quidpiam adiicere: multo minus ergo testamentum hoc, id est promissio Abrahæ facta irritari potest & antiquari, aut illi quidpiam adiici. Lex igitur 430. annos post Abrahæ promissionem lata, testamentum illud, promissam per Christum benedictionem irritum facere non potest, neque abrogare, aut illi quicquam addere: abrogaret autem si ipsa & circumcisione, non Christo & baptismo opus esset ad illam benedictionem assequendam; aut si una cum Christo illis opus esset, superadderet aliquid ad hoc testamentum; quod si in testamento hominis fieri non potest, quomodo admittimus in testamento per Deum facto & corroborato? bene ergo ait: HOC AUTEM DICO TESTAMENTUM: hic τὸ hoc, ad testamentum referri non potest, quia Græce est τοῦτο neutrum, & pro testamentum, διαθήκην femineum: sensus ergo est, *Hoc autem dico*, id est istud autem ipsum assero, quod lex quadringentos triginta annos lata post promissionem Abrahæ facta testamentum sive pactum (utrumque enim significat διαθήκην) a Deo iuramentum confirmatum lex irritum non facit, id est infirmare illud non potest, AD EVACUANDAM PROMISSIONEM, id est, adeo ut promissio per illud testamentum facta aboleatur. NAM SI EX LEGE *esset* HEREDITAS; id est, si per legis observationem celestem hereditatem illam adipisceremur, iam non ex promissione esset illa hereditas, id est non in virtute promissionis hereditatem illam adipisceremur. Abrahæ autem & in eo gentibus per promissionem donavit Deus huiusmodi benedictionem, & hereditatem; non ergo ex lege est hereditas. QUID IGITUR LEX? id est quid proderat si benedictionem non conferebat. PROPTER TRANSGRESSIONEM, id est ut a peccatis & divinorum mandatorum transgressione Iudæos coerceat: propter transgressionem ergo posita est, ORDINATA, id est administrata PER ANGELOS, id est sacerdotes Moysem & Aaron, sive ut Græci dicunt, vere per ipsos Angelos. IN MANU, id est in virtute & potestate Christi mediatoris: DONEC VENIRET SEMEN CUI PROMISERAT: hoc enim per parenthesim legendum est: semen autem est Christus, per quem promissum erat benedicendas gentes: bene autem per Christum datam legem asseruit, ut ostendat eius esse illam destruere, cuius fuit & construere.

V. 21. SI ENIM DATA ESSET LEX, &c. Probat his verbis legem non esse datam adversum promissiones, nec illis contrariam. Nam si lex vivificare posset vita, scilicet spirituali, vere ex lege esset iustitia, id est vere lex iustificaret, salvaret, bene-

benedictionemque adferret; sed vivificare non potest, ergo nec iustificare, nec benedictionem adferre: non igitur promissionibus est contraria; esset enim illis contraria si ipsa per se benedictionem adferre posset; excluderet enim promissiones, adeoque illis adversaretur.

V. 21. SED CONCLUSIT, id est coarctavit lex Mosaica (hoc enim vocat Scripturam) continuitque omnes sub peccato, dum per sui transgressionem peccatores omnes constituit: ut dum promissam benedictionem & iustificationem praestare non potest, PROMISSIO, id est promissa illa benedictio DARETUR CREDENTIBUS EX FIDE, id est per fidem Iesu Christi.

V. 23. PRIUSQUAM AUTEM VENIRET FIDES, &c. id est, manifestaretur Christus, SUB LEGE CONCLUSI CUSTODIEBAMUR: Graece, ἐφρουρούμεθα, id est, lege velut quodam munito praesidio, ne inde egrederemur, continemur: lex enim velut vallo, ac munito quodam praesidio Iudaeos conclusos tenebat, ne evagarentur, ac mandata transgrederentur. Custodiebamur autem, inquit conclusi velut illius vallo, IN EAM FIDEM, id est usque ad fidem Christi, quae revelanda erat per Christum.

V. 24. 25. 26. & 27. PAEDAGOGUS, id est ad Christum manu ducens, & ad Christum praeparans, ut fide in eum iustificaremur. Sicut enim pueris assignatur paedagogus, ut lasciviens aetas refraenetur, & ad maiores disciplinas ac solidiores, per elementorum traditionem, nunc metu, nunc munusculis praeparetur, donec suapte sponte feratur ad illas, & per aetatem adolescentior factus iam monitore paedagogo non indigeat: non secus olim Iudaeis data lex est vice paedagogi; pueri enim erant crasso ac carnali ingenio, & quale pueris esse solet, spiritualium rerum non admodum capaci, in omne genus concupiscentiarum proclives: quapropter velut lascivienti parvulo tamquam paedagogus data illis lex est, quae cohiberet illorum concupiscentias, ipsosque in Dei timore nunc flagris, nunc temporalium donorum illectamentis contineret: interim rudibus carnalium observantiarum elementis ad solidiorem fidei, ac spiritus disciplinam instituens, ac manuducens: quemadmodum vero iam formata aetate adolescentior factus puer, ubi magistri ac praeceptoris fidei committitur, cedit paedagogi auctoritas: ita UBI VENIT FIDES, ubi magister advenit Christus, cuius fidei crediti sumus, & in cuius fidem credidimus, IAM NON SUMUS SUB PAEDAGOGO, iam legis minas, & tyrannidem evalimus; quinimmo non Iudaei tantum, sed vos omnes per fidem Christi filii Dei estis, & in baptismo CHRISTUM INDUTI ESTIS, qui vobis est instar vestis. Quemadmodum enim si quid maculae est in corpore, ea vestimentis celatur: si exueris, rursum apparet: ita omnes animae maculas Christus quem per baptismum induimus, tegit & occultat, ut non imputentur: quem si per peccatum exuerimus, rursum apparebunt & imputabuntur.

V. 28. NON EST IUDAEUS, &c. id est non refert qua quisque sit conditione, modo credat: omnes enim credentes unum sunt in Christo, id est uno eodemque loco apud eum, quos sine discrimine salvaturus est.

S A.

Vers. 1. INSENSATI, id est stulti. FASCINAVIT, id est dementavit, NON OBEDIRE, id est faciens non obedire.

PRAESCRIPTUS, id est condemnatus; quasi dicat, Quem vestro iudicio condemnastis, & velut crucifixistis; vel, ante quorum oculos propositus est Christus imitandus, & cum quo velut crucifixi estis mortificando vos ipsos.

V. 2. DISCERE, id est intelligere. EX OPERIBUS, id est per opera. SPIRITUM, scilicet sanctum. EX AUDITU, id est per praedicationem.

V. 3. CONSUMMEMINI, id est desinatis; quasi dicat, Spiritualem vitam carnali mutetis.

V. 4. SINE CAUSA, id est frustra. SI TAMEN, &c. quasi dicat, Quamquam non frustra, scilicet erat spes emendationis horum.

V. 5. FIDEI, scilicet id facit.

V. 6. EX FIDE, id est ex parte fidei, scilicet qui fidei adscribunt iustificationem, non legi; seu qui fide nituntur, non lege.

V. 8. PROVIDENS, id est ante videns, seu praescia. SCRIPTURA, id est Deus Scripturae auctor: August. IN TE, id est tuae fidei imitatione, vel semine tuo.

V. 9.

V. 9. Ex fide. Vide supra.

V. 10. Sub maledicto, id est maledictione, scilicet quia legem non faciunt, quæ sine fide impleri non potest, & gratia.

V. 11. Quoniam; pro, quod. In lege, id est per legem. Vivit, scilicet vita animæ.

V. 12. Non est ex fide, id est non fide nititur, aut ei vitam adscribit. Sed; pro, sed dicit. Ea, scilicet præcepta. Vidit in illis, id est per illa; quasi dicat: Lex vitam tribuit operibus, non fidei: at nemo nisi per fidem iustificatur, non ergo vita illa legis, vera vita est, & apud Deum, si fidem auferas, sed apparentia quædam potius vitæ, vera solum tum vita futura, si fides adiungatur. Not. qui legem implebant, veram vitam habuisse, sed sine fide neminem umquam legem implesse.

V. 13. Maledicto, id est maledictione, scilicet sub qua erant qui legem non implebant. Maledictum, scilicet opinione hominum. Maledictus, scilicet ob peccatum quo meruit suspendi.

V. 14. In Christo, id est per Christum. Pollicitationem Spiritus, id est promissum Spiritum.

V. 15. Secundum hominem, id est humano more, seu exemplo. Tamen, id est certe. Spernit, id est reiicit, scilicet si est legitimum. Super ordinat, id est contra illud.

V. 16. Dictae, id est factæ. Dicit, scilicet Gen. xv. Et seminibus: quamquam Scripturai numquam *semina* dicat, sed *semen*, etiam cum posteros multos intelligit: tamen notat Paulus dictum illic *semini*, tamquam de uno, non tamquam de multis: sed id suo more phrasi difficili exprimit, plane obscurus, ne cum ipso dicam, imperitus sermone: facilius sic diceretur: Dixit semini, unum semen, id est filium unum intelligens, non multa semina, id est filios multos, ut solet interdum Scriptura.

V. 17. Ad evacuandam; pro, adeoque evacuat, id est abolet.

V. 18. Repromissionem, id est promissionem; quasi dicat, Promisit se donaturum, scilicet hereditatem, seu benedictionem.

V. 19. Transgressiones, scilicet legis naturalis indicandas. Cui; pro, de quo; vel quasi dicat, Cui præcipue facta erat promissio. Ordinata, id est data, seu disposita. Mediatoris, scilicet Moysis.

V. 20. Unus est, scilicet illorum duorum; quasi dicat, Mediator erat inter Deum & populum. Deus autem non sibi contradixit, ut legem ferat suæ promissionis contrariam, seu abrogatricem.

V. 21. Iustitia, scilicet & superflua fuisset illa promissio.

V. 22. Conclusit, &c. quasi dicat, Ostendit omnes homines esse peccatores, egereque redemptore. Promissio, id est res promissa. Ex fide, id est per fidem.

V. 23. Fides, id est fidei status, seu lex Evangelica. In eam fidem, scilicet disponente.

V. 24. In Christo, id est ad Christum disponens.

V. 28. Non est, &c. quasi dicat, Nulla est distinctio personarum, sed omnes in Christo unum sunt. Graecus, id est Gentilis.

MARIANAE.

Vers. 1. O Insensati. Libertas Apostolica. Quis vos fascinavit? id est dementavit. Græc. *quis vos invidet*, scilicet libertatem Evangelii, sed ex invidia fascinus nascitur: Hieronymus hic & Basilius Homil. xxxix. videntur fascinum negare, sed Scripturam uti sermone vulgari. Non obedire veritati: *credere*, Gotth. sic vetus Interpres vertit, ut constat ex Hieronymo ad cap. v. huius Epist. Græcum πείθεσθαι utroque modo verti potest. Iesus Christus praescriptus est. Sic lege ex Græco προεγράφη, sic Gotth. non *proscriptus*, ut Regia & Lovan. Sensus: Ante oculos fidei & mentis Christus depictus est quasi cruci affixus. In vobis, id est pro vobis: sed in Gotth. non est *in vobis*, & sine eo constat sententia.

V. 2. Spiritum accepistis, scilicet regenerationis. Non dicit *ex operibus* absolute, quia illa necessaria sunt, sed *ex operibus legis*, ut notat Hieronymus.

V. 3. Carne consummemini? Sic vocat legis cærimonias, in quas desinebant eas observantes. Quid frustra passi estis,

V. 4 Si tamen sine causa; quasi dicat: Tanta pro fide frustra sustinuistis, si ta-

tamen frustra; quod scilicet erit, nisi resipiscatis. Græcum εἴγε verti potest, utinam frustra, scilicet tantum: sed supple, sunt maiora mala: sic vertit Syr.

V. 5. QUI ERGO TRIBUIT VOBIS SPIRITUM: supple, tribuit illum ex operibus legis? Probat quod ex fide, exemplo Abrahæ: supple, utique ex fide.

V. 6. SICUT SCRIPTUM EST. Abraham credidit, & ex eo iustificatus est: sic ergo per fidem Abrahæ filii constituuntur fideles, scilicet imitatione fidei.

V. 10. MALEDICTUS OMNIS QUI NON PERMANSERIT IN OMNIBUS. Locus ex Deut. XXVII. 26. ubi in Hebr. non est vox *in omnibus*, in qua est vis argumenti. Hieronymus Iudæos locum corrupisse ait: & manet tamen sic in Vulgata Deut. Sept. ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις habent. Vis argumenti: Maledictus est qui non servat totam legem: at nemo id facit, nec potest: ergo omnes qui legem servare volunt, sunt maledicti: Ergo promissio facta Abrahæ, *Benedicentur in te omnes gentes*, non est ex lege, sed ex fide. Porro codices Hebraicos aliis præterea locis esse vitiatos, in Disputatione pro Editione Vulgata a nobis est multis argumentis confirmatum, cap VII. & VIII.

V. 11. IN LEGE NEMO IUSTIFICATUR. Novum argumentum. IUSTUS EX FIDE VIVIT: at in lege nihil de fide, sed de opere.

V. 12. QUI FECERIT EA. Ergo lex non iustificat. At ex legis maledictione illa Christus nos liberavit.

V. 13. FACTUS PRO NOBIS MALEDICTUM, quia in se accepit nostram maledictionem: sic & *peccatum* dicitur, quia peccata nostra portavit, Rom. VIII. 3. II. Cor. V.

V. 15. SECUNDUM HOMINEM DICO, id est humano exemplo hoc ipsum probare volo. TESTAMENTUM, διαθήκην, quæ vox & *testamentum* significat, & *pactum*: idque frequenter in Sacris. Hoc loco pro *pacto* sumo, quia promissio Abrahæ facta pactum fuit, non testamentum. Argumentum sic: Si pactum confirmatum inter homines, NEMO SPERNIT, AUT SUPERORDINAT. Græce, *improbat*, *aut addit*, scilicet illi. Promissioni Abrahæ dictæ, ET SEMINI EIUS, qui est Christus, nemo aliquid addere debet. Adderet autem, si ex lege, quæ tanto post tempore est lata, benedictio esset.

V. 17. HOC AUTEM DICO, istud ipsum assero, scilicet quod pactum a Deo confirmatum non evacuat lex, nec illi addere debet.

V. 19. PROPTER TRANSGRESSIONES, scilicet ut lex delicta coerceret, aut illa manifestaret; nam sine lege non cognoscebantur. Lata est lex IN MANU, id est per manum MEDIATORIS. Christus fuit legislator etiam in veteri lege. Fuit autem mediator inter Deum & hominem, ut v rs. proximo ait: *Mediator autem unius non est*. Conclusit

V. 22. OMNIA SUB PECCATO, quia omnes sumus peccatores. Peccavimus in Adam, & legem non servavimus. UT PROMISSIO EX FIDE, scilicet sicut Abrahæ, sic nobis ex fide sine lege est facta.

V. 23. CONCLUSI IN EAM FIDEM: supple, ut perveniremus in eam fidem. Quid lex?

V. 24. PAEDAGOGUS NOSTER. Nam in lege discebamus mysteria. IN CHRISTO. Græc. & Syr. *in Christum Iesum*, ut scilicet ad eum nos deduceret. Iam tamen

V. 5. NON SUMUS SUB PRAEDAGOGO, id est sub lege. Non excludit Magistratus: idque ad omnes fideles extenditur.

V. 28. OMNES ENIM VOS UNUM ESTIS, id est pari conditione sunt Iudæus & Græcus, servus & liber. Fides nostra inter nationes & Gentes non secernit. Græcos iuxta & Iudæos sine discrimine amplectitur, & admittit ad sacerdotium, Principatum & coniugia, secus quam in veteri lege, ubi hæc omnia per familias aut tribus erant tributa, iisque solis addicta. Quædam etiam Gentes perpetuo ab ea Ecclesia exclusæ, ut Ammonitæ & Moabitæ, Nehemiæ XIII. 1. Christi Ecclesia omnes admittit modo fideles, omnia in ea communia sunt. Atque hæc inter alia est *communio Sanctorum*, id est fidelium, posita in Symbolo Apostolorum, quam *mixtionem* non male Symbolum Arabicum vocat.

MENOCHII.

Vers. 1. INSENSATI: ἀνόητοι, *destituti mente*, stulti. Est convicium non indignationis, & odii, sed zeli, & amoris.

ris. Quis vos fascinavit, id est dementavit, quasi fascino, aut magico quopiam carmine. Praescriptus est: προεγράφη, ante oculos vestros scriptus vel depictus est; nam γράφειν apud Græcos tam de scriptura dicitur, quam de pictura. Sensus est: Christus velut depictus in cruce pendens vobis exhibitus est, per prædicationem meam: illumque per fidem quasi intuiti estis in vobis quodammodo præsentem, & ante oculos vestros constitutum. Vel accipienda sunt verba simpliciter ut sonant; quasi dicat: Quis dementavit vos, ut desciscerетis a veritate, in tam recenti memoria Christi crucifixi, cum vobis quodammodo spectantibus, nuper, nostra hac ætate, & fortasse aliquibus ex vobis præsentibus, Christus in crucem actus sit. In vobis: ante vos.

V. 2. Hoc solum a vobis volo discere: hoc solum mihi respondete: unum hoc vos interrogo. Ex operibus legis Spiritum accepistis: Spiritum intelligit sanctum, quem accipere dicuntur, qui dona eius accipiunt; quasi dicat, unde o Galatæ accepistis Spiritum gratiæ, iustitiæ, & donum Spiritus sancti? clarum est quod non ex circumcisione, & operibus legis, sed ex auditu fidei, scilicet, in baptismo Christi, non ante. Ex auditu fidei, id est ex prædicatione fidei, quam audistis; vel, ex auditu, quo fidem audistis, eique obedistis. Ergo stulte facitis qui a fide Christi ad legem Mosis transire vultis.

V. 3. Cum spiritu coeperitis: cum spirituali Christi doctrina, baptismo, sacramentis, spiritualibus gratiis ab eo acceptis, spirituali vita, & conversatione cœperitis vivere. Carne consummemini, id est circumcisione, & aliis carnalibus legis ceremoniis. In Græco est, σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε, Syrus vertit, *absolvitis*, quasi dicat, Carne finitis, & in eam desinitis.

V. 4. Tanta passi estis, scilicet, ab infidelibus propter Christi fidem. Sine causa, id est frustra, si videlicet ab illa ad Moysem transeatis. Si tamen sine causa: si tamen id tantum frustra erit, ac non potius magna cum vestra iactura, & detrimento, nam magnum sane detrimentum fuerit pro falsa fide pati adversa.

V. 5. Qui tribuit: ὁ ἐπιχορηγῶν, qui subministrat, suggerit, scilicet Deus, vel Christus. Et operatur. In Græco est, ἐνεργῶν, *inoperatus*, per intimam scilicet, & divinam suam energiam, vim, & potentiam. Virtutes: miracula. Ex operibus legis, an ex auditu fidei? quasi dicat: Clarum est, & experientia scitis quod non ex lege, sed ex fide, id est per fidem Christi.

V. 6. Sicut scriptum est: Gen. xv. 6. Abraham credidit Deo; quasi dicat: Abraham incircumcisus, & ante legem accepit spiritum, & iustificatus est, non ex operibus legis, quæ necdum erant, sed ex fide Christi venturi, ita & vos ex Christi fide iustificamini. Reputatum est illi ad iustitiam, id est inde iustificatus est. Vide dicta ad Rom. iv. 9. Qui ex fide sunt: fideles Abrahæ fidem imitantes. Cognoscite, γινώσκετε, *cognoscitis*, *intelligitis*. Ii sunt filii Abrahae: spirituales scilicet, non per generationem, sed per imitationem, ac consequenter ad eos pertinet benedictio, iustitia, & salus Abrahæ promissa.

V. 8. Providens autem Scriptura: προϊδοῦσα, longe ante prospiciens. Praenunciavit Abrahae: προευηγγελίσατο, *prævangelizavit*: lætissimum ei tulit nuncium hoc, de futura populorum eius, id est fidelium benedictione per Christi fidem; quasi dicat: Ergo non est novum Evangelium de Christo, fide, iustitia, sed & Abrahæ tempore notum. Quia: quod, Benedicentur in te omnes Gentes: *in te*, id est in semine tuo, ut patet ex Genes. xxii. 17. hoc est in Christo, qui ex Abraham natus est; quasi dicat: Per Christum filium tuum, & per fidem in eum omnes Gentes benedicentur, id est iustificabuntur, fientque amici, & filii Dei, & heredes regni cælestis.

V. 9. Qui ex fide sunt: fideles, Abrahæ fidem imitantes. Benedicentur cum fideli Abraham: iustificabuntur, & participes erunt benedictionis, quam Deus dedit Abrahamo, *qui credidit*, & *reputatum est illi ad iustitiam*, ut dictum est vers. 6.

V. 10. Quicumque enim ex operibus legis sunt: qui opera legis sectantur, & ex iis iustitiam expectant. Sub maledicto sunt: adeo promissæ benedictionis expertes sunt, ut etiam maledictioni, & punitioni sint obnoxii. Scriptum est enim: Deuteronom. xxvii. 26. Maledictus omnis qui non perman-

serit, &c. Argumentum quo utitur Apostolus est huiusmodi: Quicumque aliquam legem violat, est maledictus a lege: atqui omnes qui sub lege sunt, seclusi a fide, & gratia Christi, legem violant: ergo omnes qui sub lege sunt, ab ea sunt maledicti. Iam maiorem huius syllogismi propositionem probat ex citatis verbis Deuteronomii. Minorem autem supponit ut certam, & notam, nimirum quod nemo sine fide, & gratia Christi legem divinam servare possit.

V. 11. In lege nemo iustificatur apud Deum; quasi dicat: Iam vero neminem per legem apud Deum iustificari manifestum est, cum scriptum sit apud Prophetam, *iustus ex fide vivit*. Iustus ex fide vivit: sumptum est hoc testimonium ex Abacuc cap. II. 4. Vide dicta ad Rom. I. 17. ubi illud explicavimus.

V. 12. Lex autem non est ex fide: seu non docet, non affert fidem, & gratiam, qua legem impleamus, iustificemur, iuste, sancte, & beate vivamus. Sed: supple, tantum de lege dicitur. Qui fecerit ea, vivet in illis: sumptum est hoc testimonium ex Ezechiel. XX. 11. & Levit. XVIII. 9. Qui fecerit ea; quæ lex præscribit. Vivet in illis, id est non punitur morte quam lex transgressoribus intentat; quasi dicat: Vivet ea vita, iisque bonis fruetur, quæ promittuntur legis veteris observatoribus, nimirum bonorum temporalium abundantia. Christus nos redemit de maledicto legis: liberavit nos a pœna, quam lex cum execratione minatur, dicens: *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus*, &c. supra vers. 10. Factus pro nobis maledictum: præstitit autem id nobis Christus, dum factus est ipse pro nobis maledictum, quia maledictiones humani generis Deus in Christum transposuit, ut videlicet pro nobis infame, & execrabile crucis supplicium subiret. Maledictum: κατάρα, *maledictio*, *execratio*. Quia scriptum est: Deut. XXI. 23. Maledictus omnis qui pendet in ligno: hunc locum explicavimus indicato capite Deuteron. vers. 23.

V. 14. Ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu: ut benedictio Abrahæ promissa, ad Gentes veniret, & in iis compleretur per Iesum Christum. Pollicitationem Spiritus, id est Spiritum sanctum nos iustificantem, & sanctificantem, filiis Abrahæ, id est credentibus promissum. Accipiamus per fidem: qua credimus in Christum Abrahæ filium, in quo hanc beatitudinem constituit, & consignavit Deus, dicens Abrahæ: *In te*, id est in semine tuo, quod est Christus, *benedicentur omnes Gentes*.

V. 15. Fratres secundum hominem dico; id est, iuxta morem, & consuetudinem hominum loquor; quasi dicat: In hac spirituali, divinaque re, humano ac vulgari utor exemplo, testamenti, ac testatoris, ut probem nos benedictionem Abrahæ iam dictam hereditare, non per legem, sed per fidem Christi, iuxta Dei pactum cum Abrahamo initum ut merito pudere vos debeat, Galatæ quod minus tribuatis Dei, quam hominis testamentis, & pactis. Tamen hominis: tametsi hominis. Confirmatum testamentum: auctoritate firmatum, quod vulgo dicimus authenticum. Nemo spernit, aut superordinat; id est, immutat, aliter ordinat, aut disponit, quam a testatore ordinatum, & dispositum est: hoc est, nemo addit, aut demit, derogat, aut arrogat.

V. 16. Abrahae dictae sunt promissiones: factæ sunt promissiones scilicet Genes. XXII. 16. & sequentibus, ubi dicitur, *quia fecisti hanc rem* (ut scilicet mihi obediens velles filium immolare) *benedicam tibi* &c. *& benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Non dicit et seminibus &c. Probat Apostolus locum hunc de Christo accipiendum esse, qui dixit numero singulari, & *semini*, non autem plurali, *& seminibus*. Licet autem *semen* collectiva vox sit, & omnes posteros sæpe significet, aliquando tamen certam aliquam personam significat, ut cum dicitur Genes. XXI. 13. *Sed & filium ancillæ tuæ* (Israel) *faciam in gentem magnam, quia semen tuum est*, id est filius tuus. Sic ergo accipi debet hoc loco, nec dubitari potest, ob auctoritatem D. Pauli ita explicantis.

V. 17. Hoc autem dico; quasi dicat, Igitur est quod intendo, quod conficere mihi propositum est. Testamentum confirmatum a Deo, &c. quasi dicat: Si, ut dixi vers. 15. hominis testamentum, & pactum, nemo irritare audet, aut potest, multo minus testamentum, & pactum Dei

cum

cum Abraham initum de Christo omnes gentes benedicturo irritare poterit lex longe posterior, ut pote quæ demum post 430. annos ab hac promissione data est in monte Sina.

V. 18. NAM SI EX LEGE HEREDITAS: si ex lege Mosis heredes efficimur benedictionis Abrahæ, hoc est iustitiæ & salutis; IAM NON EX PROMISSIONE: ergo non ex vi promissionis factæ Abrahæ, quod dici non potest. ABRAHAE AUTEM PER REPROMISSIONEM DONAVIT DEUS: quia hanc benedictionem donavit Deus per repromissionem, promittens scilicet Abrahæ semen, id est Christum, in quo & per quem omnes gentes, quæ in eum crederent, benedicerentur.

V. 19. QUID IGITUR LEX? si hereditas ita ex promissione est, ut non ex lege, cur igitur lex introducta est? quæ utilitas legis? aut quid omnino de lege dicendum est? PROPTER TRANSGRESSIONES POSITA EST: est responsio; quasi dicat, Posita est lex ad coercendas transgressiones terrore, & minis. Vel ad transgressiones declarandas, ut nimirum populus superbus visa lege, agnosceret peccata sua, quæ contra legem committit, sibique Christi gratia opus esse ad eam implendam; atque ita lex tacite homines ad Christum transmitteret, unde subdit. DONEC VENIRET SEMEN: hoc est, Christus. CUI PROMISERIT: Deus scilicet per eum benedicendas esse gentes, hoc est iustificandas; quasi dicat: Data est lex quasi pædagogus noster usque ad Christum; ergo Christo iam præsente, officio suo perfuncta est; quid ergo ulterius eam prorogare vultis o Iudæi? ORDINATA PER ANGELOS: legem veterem Angelorum opera, seu ministerio digestam, scriptam, ac latam fuisse testatur idem Apost. ad Hebr. II. & S. Stephanus Act. VII. 38. Indicat ergo discrimen Apostolus inter legem, & promissionem, quod lex Angelorum ministerio lata fuerit, promissio vero per Christum nobis obvenerit. IN MANU MEDIATORIS, id est per mediatorem Moysen, qui fuit sequester, medius inter Deum & populum.

V. 20. MEDIATOR AUTEM UNIUS NON EST: sed inter duos medius intercedit. Sic Moyses mediator fuit inter Deum, & Hebræos; Christus inter eundem Deum, & Christianos. DEUS AUTEM UNUS EST; quasi dicat: Non sunt duo dii, quorum unus sit Deus legis, & Iudæorm, alter vero Deus Abrahæ, & Christianorum, sed unus est Deus utrorumque, idemque auctor legis, & Evangelii. Unus ergo idemque fecit Moysen mediatorem inter se, & Hebræos; modo eo revocato, alium, id est Christum fecit mediatorem inter se, & Christianos omnium Gentium, atque per Christum benedixit, & iustificavit omnes Gentes, ut promiserat Abrahæ.

V. 21. LEX ERGO ADVERSUS PROMISSA DEI? occurrit obiectioni, cuius occasionem dedisse videtur vers. 19. cum ait: *Lex propter transgressionem posita:* (vel, ut est Græce προσετέθη, *adiuncta*) *donec veniret semen*, inde enim quis colligat, si promissioni lex adiuncta est, & quasi adrepsit, videtur quod sibi usurparit officium vivificandi, & iustificandi homines ut scilicet illud quod promissio continebat exequeretur, & eo fungeretur donec veniret Christus; ad quid enim aliud adiungeretur promissioni? ad quid aliud præverteret Christum? nisi, ut tu ipse ais, *propter transgressiones;* scilicet abolendas per viva virtutum opera, quæ lex præscribit, ut iis iustificemur. Quod si ita est, ergo lex adversatur promissis Dei: Deus enim vivificationem promisit fidei in Christum, non legi, immo hoc ipso abea legem exclusit. ABSIT: ut scilicet Deus dederit legem, quæ promissis suis adversetur; quasi dicat: Hoc fieri nullo modo potest. VIVIFICARE, hoc est facere ut viva sint hominis opera, quod fit dum homo vitalia opera, & actiones virtutem ex interno caritatis, & gratiæ spiritu exercet. VERE EX LEGE ESSET IUSTITIA: sequeretur posse eumdem nobis spiritum caritatis, & gratiæ, ipsamque iustitiam tribuere.

V. 22. SED CONCLUSIT SCRIPTURA OMNIA SUB PECCATO: sed Scriptura declaravit, & pronunciavit omnes esse peccatores, peccato obnoxios. OMNIA, id est omnes. UT PROMISSIO: promissa Abrahæ benedictio, id est iustitia, salus, & hereditas. EX FIDE: per Christi fidem daretur credentibus.

V. 23. PRIUS AUTEM QUAM VENIRET FIDES, &c. quasi dicat, Tantum vero abest ut lex promissionibus adversetur, ut illa, mira quadam Dei providentia, ipsam fidem aliquando revelandam præcurreret,

eamque indicaret, & tantisper illa prodiret in lucem, suo nos veluti patrocinio, ac præsidio tutaretur.

V. 24. PAEDAGOGUS NOSTER FUIT: instar pædagogi nos tamquam parvulos, & ad vitia proclives custodivit, & præparavit, dixitque ad Christum verum iustitiæ doctorem, ac magistrum, ut ex fide eius iustitiam consequemur.

V. 25. AT UBI VENIT FIDES, IAM NON SUMUS SUB PAEDAGOGO: hoc est sub lege, quæ pædagogi erga nos gerebat officium.

V. 25. OMNES ENIM: sive Iudæi, qui fuistis sub lege quasi pædagogi; sive Gentiles, qui hoc pædagogo caruistis. FILII DEI ESTIS: hoc ipso quod credidistis, inter filios Dei per fidem genitos numeramini, & vos Christus tamquam filios adultos regit, & provehit, ideoque ad legem, & Moysen, quasi ad pædagogum recurrere necesse non habetis.

V. 27. IN CHRISTO BAPTIZATIS ESTIS: Christi fidem, & baptismum suscepistis. CHRISTUM INDUISTIS, id est exuto veteri homine velut transformati estis in Christum novum hominem: quasi dicat, Cum sitis tam intime coniuncti Christo per fidem & baptismum, sane legis obsequio non indigetis, ut ad Christum adducamini.

V. 28. NON EST IUDAEUS NEQUE GRAECUS, &c. In Christianismo, & apud Deum nulla est differentia generis, conditionis aut sexus: sed omnes sive Iudæi, sive Græci, sive masculi, sive feminæ unum sunt corpus mysticum, scilicet Ecclesiæ, cuius caput est Christus.

V. 29. SI AUTEM VOS CHRISTI; quasi dicat: Quod si vos, Galatæ, licet Gentiles, ad Christum, eiusque corpus pertinetis, profecto Abrahæ semen estis, de quo supra disputatum est, & vi pristinæ promissionis heredes, non minus quam Iudæi.

TIRINI.

Vers. 1. PRAESCRIPTUS EST CHRISTUS; Græce, περιγράφη, id est descriptus, depictus, repræsentatus, ANTE OCULOS VESTROS; nempe, IN VOBIS, id est in regione vobis vicina, vestra etiam ætate, & quibusdam vestrum præsentibus ac spectantibus, Ierosolymæ CRUCIFIXUS; quasi dicat: Fierine potest, vestros sic oculos fascinari, ut Christum redemptorem vestrum pene adhuc ante oculos vestros in cruce pendentem non intueamini, typicis Mosaicæ legis velaminibus toti obvelati? ita S. Chrysost. Si enim retectis oculis fontem illum iustitiæ & salutis intueremini, facile sineretis divelli vos a siccis Mosaicæ legis cisternis.

V. 2. SPIRITUM, nempe sanctum, cum omnibus eius donis, etiam visibilibus illis, linguarum peregrinarum, prophetiæ, sanitatum, &c. unde, quæso, ACCEPISTIS? an EX OPERIBUS LEGIS, AN EX AUDITU FIDEI? Atqui certum est, illa vobis obvenisse cum baptismo, dum nulla adhuc mentio vobis fieret operum vel ceremoniarum legis Mosaicæ. Ut quid ergo

V. 3. SIC STULTI ESTIS, UT CUM SPIRITU, & spirituali vita, per spiritualia Spiritus sancti charismata nobilitata COEPERITIS Deo servire & Christo, NUNC quasi cœpti pœnitentes, *consummari*, seu perfici, velitis CARNE, id est circumcisione carnis, & aliis carnalibus ceremoniis legis Mosaicæ? inquit Anselmus.

V. 5. TANTA propter fidem Christi a Gentilibus & Iudæis PASSI ESTIS? idque SINE CAUSA, id est frustra si iam ad Moysen deficiatis. SI TAMEN SINE CAUSA; id est, quamquam sperem quod non frustra: nam, nisi fallor, non deficietis, sed Christo, cuius causa tam multa passi estis, constantes adhærescetis: ita Hieronymus.

V. 6. SCRIPTUM EST, Gen. XV. 6. ABRAHAM diu ante legem Mosaicam, immo &, ante circumcisionem, *iustificatus est* ex eo quod CREDIDIT DEO (ut alias *a* explicui:) ergo iustificatio non est ex operibus legis, sed ex fide.

V. 8. PROVIDENS, id est longe ante prospiciens DEUS, GENTES *iustificatum iri* EX FIDE, PRAENUNTIAVIT idipsum ABRAHAE; Græce, προευαγγελίσατο, id est *praevangelizavit*, seu lætissimum hoc ei nuntium tulit, cum ait *b*], BENEDICENTUR, id est iustificabuntur & salvabuntur, OMNES GENTES IN TE, id est (ut alibi *c* explicat) *in semine tuo*, id est in Christo *d*, seu per Christum, & per fidem in Christum.

V. 10. QUICUMQUE EX OPERIBUS LEGIS SUNT, id est sectantur opera & cere-

mo-

monias legis Mosaicæ, & ex iis iustitiam venantur, tantum abest hæredes sint benedictionis Abrahamo promissæ, ut etiam SUB MALEDICTO *sint*, id est maledictioni & punitioni sint obnoxii. SCRIPTUM EST ENIM *e*: MALEDICTUS OMNIS QUI legem violat. Atqui omnes qui sub lege sunt, si ab eis fidem Christi secluseris, legem violant *f*: ergo omnes maledicti sunt.

V. 12. LEX NON EST EX FIDE, id est ex classe vel societate fidei; id est, non comitatur, non adducit, non donat fidem, vel gratiam, vel benedictionem Christi qua iustificemur vel salvemur. SED legi solum tribuitur *g*, quod QUI FECERIT EA quæ lex præscribit, VIVET IN ILLIS, nempe vita & prosperitate temporali, quam solam lex promittit: non vero vita spirituali, quæ non nisi ex fide in Christum hauritur, inquit S. Hieronymus.

V. 13. DE MALEDICTO LEGIS, quod ipsa transgressoribus intentat *b*, REDEMIT, id est liberavit, NOS CHRISTUS, FACTUS PRO NOBIS MALEDICTUM; Græce, *κατάρα*, id est *maledictio*, execratio; Syriace, *maledictus*, execrabilis, puta hominibus, propter supplicium crucis quod subiit: MALEDICTUS enim OMNIS QUI PENDET IN LIGNO: id autem fecit Christus,

V. 14. UT BENEDICTIO ABRAHAE promissa k & *pollicitatio* SPIRITUS, seu dono rum Spiritus sancti, facta posteris Abrahæ, FIERET, id est obveniret, Gentibus per *Iesum Christum*, & PER FIDEM in ipsum; quæ unica via est illius nanciscendæ.

V. 15. SECUNDUM HOMINEM DICO, seu secundum consuetudinem hominum loquor; nempe, utor exemplo humano ac vulgari, puta *testamenti*, TAMEN, id est tametsi, HOMINIS. Nam tali instrumento semel *confirmato*, seu publica auctoritate firmato per solemnes formulas, scribam & testes, NEMO SUPER, id est contra, ORDINAT, addendo, detrahendo, immutando. Multo minus potest lex Mosaica *irritare* vel *evacuare*.

V. 17. TESTAMENTUM, pactum, promissum divinum de benedicendis, id est iustificandis ac salvandis omnibus gentibus per unicum illud *semen*, id est filium *l* Abrahæ, nempe per Christum & per fidem in Christum, tam solemniter promulgavi & CONFIRMATUM A DEO. LEX, inquam, quæ totis *quadringentis & triginta* *annis* posterior fuit hac Dei promissione facta Abrahæ anno vitæ eius 75. *m* Neque dici potest, legem Mosaicam implevisse, seu complevisse, hoc Dei testamentum:

V. 18. NAM SI HEREDITAS testamento divino posteris Abrahæ legata, EX LEGE obveniret, seu per legem Mosaicam donaretur; ergo lata semel lege, non amplius opus fuisset *promissione*, id est semine illo Abrahæ promisso, nempe Christo; sed *lex* ipsa suffecisset. Atqui prædictum Abrahæ, non nisi per Christum obventuram posteris eius promissam hereditatem: ergo.

V. 19. UT QUID IGITUR LEX? Respondeo, PROPTER TRANSGRESSIONES; id est, ad declarandas, arguendas, coercendas multiplices transgressiones legis divinæ tam naturalis, quam positivæ; docendosque homines in Christum respicere, in quo tandem promissiones illæ Abrahamo factæ complerentur, & absque cuius gratia non possent homines legem implere, neque a peccatis suis expediri, aut iustitiam salutemque Abrahamo promissam adipisci; quasi dicat: Lex data est, ut nobis quasi *n* pædagogus esset ad Christum: ergo Christo iam præsente, officio suo perfuncta est. Ut quid ergo, o Galatæ, vultis eam ulterius prorogare? Sed fuit & aliud discrimen inter legem & promissionem, seu Christum promissum, quod promissio immediate fit a Deo; lex vero ORDINATA, imperata, edicta, PER ANGELOS IN MANU, id est interventu, opera & ministerio, MEDIATORIS, seu sequestri inter Deum & populum Israeliticum, puta Moysis, ut ipsemet de se testatur *o*. Et docent Cyrillus, Nazianzenus *p*, Catharinus, Sasbout, a Lapide, immo & Beza aliique Novantes.

V. 20. DEUS AUTEM UNUS EST. Occurrit tacitæ obiectioni: subinde enim contingit, ex contrahentium vel testantium voluntate, priora instrumenta rescindi: quis scit, an non etiam Deus quoad promissionem Abrahæ factam aliquid immutarit cum iussit legem posteris Abrahæ dari? Respondet, Hoc in Deum cadere non potest, qui semper *unus* idemque, ac sui similis & immutabilis *est*: ita fere Gennadius apud Oecumenium, & ex eo Salmeron. Ex quo eodem principio sequitur, quod

V. 21. LEX non potuerit VIVIFICARE, seu iustificare: si enim iustificaret, iam es-

set

ſet ADVERSUS PROMISSA DEI facta Abrahæ, quibus illi addixit Deus gentes omnes benedicendas, vivificandas, iuſtificandas; ſed non niſi *in ſemine eius*, id eſt per Chriſtum ex ipſo procreandum & per fidem in Chriſtum. Atqui Deus cum ſemper maneat ſui ſimilis, non poteſt abolere quod ſemel abſolute promiſit: ergo lex non iuſtificavit; *ſed* tantum patefecit hominibus ſua peccata, ut ſupra vidimus *q*.

V. 22. SCRIPTURA declarante, *concluſa* eſſe OMNIA, id eſt omnes homines concludi SUB PECCATO, ſeu obnoxios eſſe peccato *r*: UT PROMISSIO, id eſt benedictio Abrahæ promiſſa, nempe iuſtitia & ſalus æterna, EX FIDE, ſeu per fidem, *Ieſum Chriſtum* expeteretur, & CREDENTIBUS DARETUR.

V. 23. PRIUS AUTEM QUAM VENIRET FIDES, id eſt Chriſtus fide credendus, *ſub cuſtodia legis*, tamquam pædagogi, *concluſi* tenebamur, & ab illa quaſi manu ducebamur IN CHRISTO; Græce, ad Chriſtum ſuo tempore revelandum, cuius *fide iuſtificaremur*.

V. 25. UBI, ſeu poſtquam, ergo iam FIDES, id eſt Chriſtus fidei noſtræ obiectum, *advenit*, NON SUMUS amplius SUB tutela vel ſervitute illius *pædagogi*. Sed iam ſoluti vinculis & compedibus legis, liberi & emancipati.

V. 27. CHRISTUM INDUISTIS, & cum ipſo ſtolam libertatis, & prætextam iuſtitiæ & gratiæ ſanctificantis. Per fidem enim & baptiſmum (quæ ſunt quaſi inſignia Chriſti) plenam aſſecuti eſtis emancipationem & libertatem filiorum Dei, tam propinqui, tam intime coniuncti Chriſto, ut dici poſſitis ipſum induiſſe: adeoque gratia & donis eius abundantes, ut illi circumdati & immerſi videamini. Quod intelligo non de ſolis carnalibus Abrahæ poſteris, ſed & de omnibus totius orbis mortalibus:

V. 28. OMNES ENIM vos, qui per fidem Chriſto inſerti eſtis, nulla differentia generis, conditronis, ſexus aut ætatis, UNUM ESTIS corpus *Chriſti* myſticum: omnes

V. 29. SEMEN, id eſt filii ſpirituales, ABRAHAE ESTIS: omnes *promiſſionum* ipſi factarum HEREDES pari prorſus iure, quo carnales eius filii *Iudæi*: ita S. Chryſoſt. Thophyl. Anſelmus.

(a) Rom. iv. 9.
(b) Gen. xxii. 3.
(c) Gen. xxii. 7.
(d) Hic ver. 16.
(e) Deut. xxvii. 26.
(f) Rom. vii. 8. &c.
(g) Levit. xviii. 5. & Ezech. xx. 11.
(h) Hic verſ. 10.
(i) Deut. xxi. 23.
(k) Gen. xii. & 22. ſup.
(l) Gen. xxi. 12.
(m) Chronici cap. xv.
(n) Hic verſ. 24. & 25.
(o) Deut. iv. verſ. 5.
(p) Cyrill. xii. Theſauri cap. x. Nazianz. orat. vi. coram Gregorio Nyſſeno.
(q) Hic verſ. 19.
(r) Rom. xi. 32.

G O R D O N I.

Verſ. 1. O INSENSATI. Vehementis zeli oratio eſt, qua rudes & parum cordatos Galatas compellat velut deſertores nuper receptæ veritatis, & dementatos præſtigiis: acrimoniam etiam addit interrogatio: Vos, inquit, qui per me ex Evangelii prædicatione Chriſtum nuper tam præſentem vobis habuiſtis, ut in oculis & mente veſtra videretur pro ſalute veſtra pendere in cruce. PRAESCRIPTUS, deſcriptus & depictus concionibus apud vos meis.

V. 2. HOC SOLUM. Interrogatione proponit quod eſt probandum toto capite, ut præfatus ſum; quaſi diceret: Accepiſtis (ut omnes recipiunt) ſpiritum & gratiam, non ex operibus legis, ſed ex fide in Chriſtum, eiuſque baptiſmo. Infelix hic vobis regreſſus accidit a ſpiritu ad carnem; & a Chriſto gratiæ & ſalutis datore ad imbecilles extinctæ legis ceremonias, circumciſionem & ſimilia. Et vero an non (verſ. 4. & 5.) vos docuit experientia aliqua ſanctioris vitæ, quam infirma ſit lex; & non inde eſſe dona gratiæ, genera linguarum, & ſigna plurima quæ vidiſtis, quæ iuſtificationis indicium erant: & vos iuſtificati per ſpiritum fidei, videte quam inſipienter, qui perſecutiones pro fide paſſi eſtis, reditis ad vomitum: & ſic fruſtra paſſi eſtis, & ſine fructu (ſi tamen fruſtra) niſi reſipiſcatis.

V. 6. & 8. SICUT SCRIPTUM EST. Vide Gen. xv. 6. Eſt nova probatio. Tota hæc probatio plene intelligitur, tum ex his quæ dixi ad citatum locum Geneſeos, tum maxime ad Rom. cap. iv. 3. & 4. Sic ratiocinatur Paulus: promiſſio divina facta eſt Abrahæ de ſemine & filiorum benedictione. Monens autem per Scripturam Deus hanc filiorum benedictionem non ex no-

notitia legis, sed ex spiritu & fide futuram; proponit hic patrem tot filiorum iustificatum esse non ex notitia & operibus legis, sed fidem illi reputatam esse ad iustitiam, ut sciant Galatæ qui iudaizare volunt, nec Iudæos, nec ullos alios iustificandos per opera & notitiam legis, & eos solos esse vere filios Abrahæ & heredes promissionis, qui spiritu & fide Christi sicut Abraham iustificantur, non vero per legem, quippe quæ nondum erat, & adhuc Abraham erat in præputio, ut in citato loco ad Rom. vers. 4. & 5. ostendi. Et quidem multa hic promittuntur Abrahæ: sed omissis temporalibus præcipuum est spirituale hoc & æternum; IN TE BENEDICENTUR OMNES GENTES. *In te*, hoc est, in semine tuo, ut exponitur Gen. XXII. 17. nempe per Christum, qui natus est ex Abraham, ut hic docet Apostolus vers. 16.

V. 10. QUICUMQUE ENIM. A ia ratio: Qui opera legis sequuntur, sub maledictione sunt, utpote expertes benedictionis de qua dictum est, sunt obnoxii maledictioni & pœnis. In ipsa lege scriptæ sunt maledictiones iis qui eas non observant: vide Deut. XXVII. 26. Sic ergo Paulus: Omnes qui sub lege sunt, sine fide & gratia Christi, infractores legis sunt: ergo sunt sub maledicto: sic ergo colligit neminem ex lege iustificari.

V. 11. & 12. QUONIAM AUTEM. Hoc novo argumento probat quod instituit. Est vero ab auctoritate Scripturæ Abac. II. 4. ubi habemus iustum ex fide vivere: de quo loco dixi Rom. I. 17. Lex vero non est ex fide, nec fidem habet in se: hoc solum habemus ex lege, qui servaverit legem, vivet ex ea, hoc est, fruetur bonis temporalibus, nec patietur pœnas infractoribus debitas.

V. 13. CHRISTUS NOS REDEMIT. Ergo per fidem in Christo benedictionem accipimus: liberati sic a maledicto per Christum, qui factus est pro nobis maledictum & hostia pro peccatis in ligno crucis, ut gentes benedictionem haberent. De pendente in ligno, vide Deuter. cap. XXI. 23.

V. 15. & 16. FRATRES. Parenthesi hac præfatur se humano iam modo argumentari a testamenti inter homines stabilitate, quod firmum esse solet, ut nihil illi addi aut detrahi possit: atqui promissio Dei facta Abrahæ de salute in semine eius in Christo (non dicit in seminibus.) uno salvatore per fidem, fuit testamentum Dei, & conditum 430. annis ante legem. Ergo lex quæ accessit diu post testamentum, non potest mutare statum & vim testamenti. Stat ergo iustificationem promissam in testamento, faciendam per fidem Christi, nullo modo fieri per notitiam legis postea latæ, & hoc magis ex his verbis vers. 18. *si ex lege hereditas, iam non ex promissione facta Abrahæ*: lege Gen. XXII. 16. Hanc etiam salutem restringi & esse per solum Christum docet hic vers. 16. De numero 430. annorum dixi Act. VII. 6.

V. 19. QUID IGITUR LEX? Quorsum ergo lex, si non est ad evacuandam promissionem datam. Respondet esse propter transgressionem. Sane lex hæc lata quidem a Deo per ministerium Angelorum, & promulgata a Mose mediatore primo, inserviebat ad notitiam peccati & transgressionis, non autem ad implendam promissionem (vides hinc legem infirmam esse.) Iuvabat etiam lex ut per eam cognitis transgressionibus, homo agnosceret se egere misericordia & gratia ad implendam legem, & obtinendam iustificationem per Christum. Sic ergo lex quasi manuducebat ad Christum, tamquam alter pædagogus, donec veniret, qui per legem promissus erat Christus, qui est semen promissum. In cuius proinde adventu, lex quasi iam functa suo officio, cessare debuit; sicut cessavit functio primi mediatoris, qui fuit Moses inter Deum & populum Hebraicum, adveniente Christo mediatore inter Deum, & totum genus humanum.

V. 20. DEUS AUTEM UNUS EST. Varie hæc verba explicantur; sensus esse videtur: Duæ leges sunt; una Mosaica, & altera nova; utraque habet suum mediatorem, qui non est unius, sed duorum extremorum. In hoc tamen vario officio Deus manet unus & idem: non ergo mutatur in suis decretis: ac proinde propter legem Mosis, quæ tempore posterior est, non evacuavit suam promissionem. Et hoc ipsum explicat insequenter vers. 21. per interrogationem; & clare etiam vers. 22. ubi est repetita conclusio, & Synopsis rei probatæ.

V. 23. PRIUS AUTEM. Tantum abest mutatam esse Dei voluntatem, aut per legem evacuatam esse promissionem, ut lex plurimum inservierit promissioni, quoniam fa-

factum eſt Dei providentia ut lex præcurrens manuduceret inſtar pædagogi ad effectum promiſſionis: quando autem adolevit promiſſio non eſt opus pædagogo.

V. 25. OMNES ENIM. Iam ergo remoto pædagogo, & regnante promiſſione omnes filii promiſſionis & ſpirituales Abrahæ ſunt ſine diſtinctione filii Dei per fidem in Chriſto; ex quo Chriſtum induunt in baptiſmo; ac proinde filii promiſſionis. Docet aperte hic locus efficaciam baptiſmi contra figmenta Novatoris Calvini: & ſacramentum hoc non eſſe nudum ſignum.

C A P U T IV.

Ante Chriſtum natum, Iudæi, in modum heredis adhuc parvuli, ſub lege continebantur, tamquam ſub tutore: conatur autem eos a legis ſervitute revocare, cum fide acceperint filiorum adoptionem, commemorans quanto fervore ipſum ac prædicationem ipſius antea acceperant: & ſimul ad hoc typum adferens de duobus Abrahæ filiis, duo teſtamenta deſignantibus: per quod docet legis æmulatores a Chriſti hereditate eiiciendos.

1. DIco autem: Quanto tempore heres parvulus eſt, nihil differt a ſervo, cum ſit dominus omnium: 2. ſed ſub tuto-
ribus & actoribus eſt, uſque ad præfinitum tempus a pa-
tre: 3. ita & nos cum eſſemus parvuli, ſub elementis
mundi eramus ſervientes. 4. At ubi venit plenitudo tem-
poris, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, fa-
ctum ſub lege, 5. ut eos, qui ſub lege erant, redime-
ret, ut adoptionem filiorum reciperemus. * 6. Quoniam
autem eſtis filii, miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem:
Abba, Pater. 7. † Itaque iam non eſt ſervus, ſed filius. Quod ſi filius: &
heres per Deum. 8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non
ſunt dii, ſerviebatis. 9. Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti
ſitis a Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, qui-
bus denuo ſervire vultis? 10. Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & an-
nos. 11. Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis. 12. Eſtote ſi-
cut ego, quia & ego ſicut vos: fratres obſecro vos: Nihil me læſiſtis. 13.
Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis iam pridem: * &
tentationem veſtram in carne mea 14. non ſprevïſtis, neque reſpuiſtis: ſed ſi-
cut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. 15. Ubi eſt ergo bea-
titudo veſtra? Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, oculos
veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. 16. Ergo inimicus vobis factus ſum, ve-
rum dicens vobis? 17. AEmulantur vos non bene: ſed excludere vos volunt,
ut illos æmulemini. 18. Bonum autem æmulamini in bono ſemper: & non
tantum cum præſens ſum apud vos. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, do-
nec formetur Chriſtus in vobis. 20. Vellem autem eſſe apud vos modo, &
mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis. 21. Dicite mihi qui ſub
lege vultis eſſe, legem non legiſtis? 22. Scriptum eſt enim: Quoniam Abra-
ham duos filios habuit; (*a*) unum de ancilla, (*b*) & unum de libera. 23.
Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autem de libera, per
repromiſſionem: 24. quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo te-
ſtamenta. * Unum quidem in monte Sina, in ſervitutem generans: quæ eſt
Agar: 25. Sina enim mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, quæ nunc

eſt

est Ierusalem, & servit cum filiis suis. 26. Illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est; quæ est mater nostra. 27. Scriptum est enim: (c) Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filii desertæ, magis quam eius quæ habet virum. 28. (d) Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus: 29. sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita & nunc. 30. Sed quid dicit Scriptura? (e) Eiice ancillam, & filium eius: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. 31. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit.

(a) Gen. xvi. 15. (b) Gen. xxi. 2. (c) Isaiæ liv. 1. (d) Rom. ix. 8. (e) Gen. xxi. 10.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 6. Quoniam autem estis filii. Non addas *Dei*.

Vers. 19. Et tentationem vestram in carne mea non sprevistis. Non facile mutandum est pronomen secundæ personæ *vestram*, in primæ *meam*.

Vers. 24. Unum quidem in monte Sina. Alii libri pro *in* legunt *a*.

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 7. I*Taque non est servus.* In duobus insignibus manuscriptis pro *est* tertiæ personæ legitur *es* secundæ. Græco & Syro consentanee.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. usque ad 6. DIco AUTEM. Ostendit per Christum nos a legis imperio fore liberos. Quemadmodum, ait, pater parvulum, ad quem morte ipsius obventura est hereditas, non sinit suo iure agere, sed gubernatorum & rectorum fidei usque ad tempus moderandum tradit, qui perinde ac servum contineant: ille vero etsi hæres est, & in spe dominus omnium, interim tamen nihil a servo differt: ita & nos Iudæos quum parvuli essemus sensibus, ac carnalium tantum rerum spectatores, rectoribus ac gubernatoribus tradidit Deus moderandos, ipsis scilicet sacerdotibus, & prophetis, sub quibus tamquam servi eramus: utpote qui timore tantum agebamur ad bonum, ET SUB ELEMENTIS MUNDI, id est carnalibus ceremoniis serviebamus (de mundo enim dicitur quicquid carnale est.) Sub legis autem imperio nos ipsis regendos, non in perpetuum, sed ad certum præfinitumque tempus & illi soli notum tradidit: AT UBI VENIT PLENITUDO TEMPORIS, id est tempus ab eo statutum impletum est, misit Deus filium suum temporaliter factum, & natum ex muliere, factumque sub lege (quia legem servavit circumcisus) UT EOS QUI SUB LEGE ERANT, id est lege vincti & obnoxii tenebantur, REDIMERET, nosque per eum sibi in filios adoptaret: pro eo autem quod interpres habet TUTORIBUS ET ACTORIBUS, Græc. habent ἐπιτρόπους καὶ οἰκονόμους: quorum utrumque eum significat, qui a patre familias moderandæ domui ac familiæ præficitur.

V. 6. CLAMANTEM, id est clamare facientem. Clamare autem in Scriptura non tam pro vocem exaltare sumitur, quam pro toto animo, & vehementi desiderio in Deum ferri, etiamsi vox nulla præcesserit, sicut Dominus ad Moysem nihil antea locutum, ait. Exod. xiv. *Quid clamas ad me?* cui fere addi solet respondendi verbum pro exaudiri, Ionæ II. *Clamavi in tribulatione mea ad Dominum, & respondit mihi*, id est exaudivit.

V. 7. NON EST SERVUS; id est, per Christum iam non sumus servi, sed filii, ideoque & hæredes.

V. 9. EGENA ELEMENTA, legem Moysi eiusque inutiles ceremonias ad quæ pseudo-apostoli observanda Galatas compellebant, de quibus elementis dicit.

V. 10. DIES OBSERVATIS, ut puta dies sabbati, & Neomeniæ, & dies octavarum: ET MENSES, sicut primum in quo 14 die phase fiebat, & 7. TEMPORA, quia tribus anni vicibus Ierosolymam adoratum veniebant. ANNOS, scilicet 7 remissionis annum, & 50. iubilæi. Hæc omnia Iudæi religiose observabant: quod uno tempore statutum erat, nefas existimantes alio fieri. Non sic autem Christiani, inquit Hieronymus, quia in spiritu dies omnes festos, & quoque die verum phase celebrare possumus. Ambrosius cum quo videntur sentire Græca scholia, interpretatur per elementa mundi, solis & lunæ adorationes: ut dies observare dicantur, qui dies fastos ac nefastos superstitiose observabant: menses, qui lunationibus, ut ita loquar, tantum tribuunt. Tempora, qui negant veris initio quicquam fieri oportere. Annos, qui anni initium Iano bifronti dicant: sed præstat per egena elementa inutiles legis observationes intelligere, quibus subiicere Galatas pseudo-Apostoli Iudæi volebant: neque enim Iudæi coegissent ad idolorum cultum Galatas.

V. 12. ESTOTE SICUT ET EGO; id est, imitamini meipsum qui fervens olim ceremoniarum zelator, nunc per Christum illas negligo: QUIA EGO SICUT VOS, subaudi, aliquando fui legis nimium studiosus.

V. 13. & 14. PER INFIRMITATEM CARNIS, id est in corporalibus afflictionibus; in quibus assiduus erat ob persequentes adversarios; & ita Græci exponunt. Hieronymus ad Galatas exponit, *Evangelizavi vobis per infirmitatem carnis*, scilicet vestræ, id est prout infirmitas vestra ferre poterat, non de altioribus mysteriis, sed quatenus ferre valebatis. TENTATIONEM VESTRAM. Græci legunt pro vestram μυ, id est *meam*, & vocant tentationem Pauli afflictiones, vincula, plagas, & incarcerationes quas in carne sustinebat, quam inquit tentationem NON SPREVISTIS, id est nequaquam me ob huiusmodi afflictiones expulistis, SED VELUT ANGELUM DEI EXCEPISTIS. Græci habent τὸν πειρασμόν τὸν ἐν τῇ σαρκί μυ, id est *tentationem meam quæ est in carne mea*, scilicet afflictiones quas in carne mea fero. Hier. & Ambros. legunt vestram pro vestri passive; id est, cum ego virium vestrarum periculum faciens, vosque tentans, humiliter vobis abiecta & humilia prædicarem, hanc vestri tentationem, hoc virium vestrarum experimentum non sprevistis, id est non me ob huiusmodi quandam vestri diffidentiam expulistis. Vestram ergo tentationem in carne mea non sprevistis; id est, quod ego vos in carne constitutus tentavi & periculum virium vestrarum feci, non inique accepistis, neque me ob id sprevistis.

V. 15. UBI EST BEATITUDO VESTRA? Græci habent, τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; id est *quæ erat beatificatio vestra?* quod Græca scholia explicant, primum, non interrogative, sed admirative; quæ igitur & quanta erat vestra beatitudo a qua excidistis? alio modo exponunt, quæ erat beatificatio illa qua me beatum prædicabatis? quove illa iam abiit? nunc contra, quia vos increpo, odiosus sum vobis: & hic mihi videtur sensus magis quadrare præcedentibus & sequentibus, præmisit enim, *excepistis me ut angelum Dei, imo ut Christum Iesum*, quod ὑπερβολικῶς intelligere oportet. Ubi est igitur beatificatio vestra, id est laudes quibus me beare solebatis. TESTIMONIUM ENIM PERHIBEO, QUIA ETIAM IN MEI GRATIAM OCULOS VESTROS ERUISSETIS.

V. 17. AEMULANTUR VOS NON BENE; id est, fingunt se vestri ardere desiderio, sed non bono: VOLUNT *enim* VOS EXCLUDERE, id est a fide abducere ad legem, UT ILLOS AEMULEMINI in legalium observatione.

V. 18. BONUM AUTEM AEMULAMINI IN BONO SEMPER, Noster interpres legit καλὸν ζηλοῦσθε, Græci legunt καλὸν τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ, id est *bonum est æmulari semper in bono*; id est, bonum est semper studio affici in rem bonam. Quod autem habet interpres *bonum æmulamini semper in bono*, potest ad rem bonam & bonum præceptorem referri, quia prædixerat, *volunt vos excludere ut illos æmulemini*: bonum autem præceptorem æmulamini in re bona semper, non tantum in præsentia mea, sed in absentia etiam.

V. 20. VELLEM AUTEM ESSE: aut Gr. τὸ δὲ, & Latine *autem* superfluit, ut sæpe

fit;

fit; aut præcedens præpositio, *filioli mei*, &c. propter affectionem animi mansit ecliptica. CONFUNDOR IN VOBIS. Græce ἀπορῦμαι; id est, dubius sum animi, nescio quid dicturus sim de vobis. Ita Cyrillus exponit.

V. 22. & 23. ABRAHAM, &c. Veteris ac novæ legis, Iudæorumque & Christianorum ex ipsis Abrahæ uxoribus & filiis per allegoria intellectis discrimen aperit. Est autem allegoria, cum manente historiæ veritate aliud verbis, aliud sensu prætenditur. Abraham ergo, inquit, duos habuit filios, scilicet Ismael de Agar ancilla, & Isaac de libera Sarra. Ismael autem SECUNDUM CARNEM, id est, naturalem generationem de iuvene & fœcunda, Isaac vero præter naturæ ordinem ex nonagenaria, iam effœta Sarra divinæ promissionis virtute natus est, per quos cum matribus duo testamenta significantur, duæque leges, ac duo populi: unum testamentum, scilicet vetus, lex est Moysi in monte Sina vel Sinai data, quæ dicitur Paulo, *in servitutem generans*, quia Iudæi non ingenuo amore, sed servili timore legem perficerent: legem ergo veterem Agar præfigurabat, Iudæos Ismael. Videbatur additurus Paulus, alterum testamentum est in monte Sion in libertatem generans, sed istud ob sequens hyperbatum oblitus est iisdem verbis addere, quamquam in sententia subiunxit: Sarra autem libera legem Evangelicam præfigurat, & Isaac Christianos liberos per Christum a servitute Mosaica. Quemadmodum autem Ismael natu grandior fratrem Isaac persequebatur: ita & Iudæi in cultu Dei maiores natu Christianos persequebantur; unde sicut Ismael abiectus est, & hæreditate spoliatus; ita Iudæi, quia legem neglecto Evangelio retinent, eiecti sunt, & cælesti hereditate abdicati. Nos ergo qui sumus Sarræ liberæ, & Ecclesiæ filii, non debemus nos servituti legis subiicere. Hæc de allegoria, nunc connectenda lectio.

V. 24. HAEC ENIM SUNT DUO, &c. Interpres legit αὗτα, id est *hæc*. Græci habent αὗται, id est *hæ duæ*, scilicet, Agar & Sarra sunt duo testamenta, id est significant & figurant nobis duo testamenta. UNUM QUIDEM IN MONTE SINA. Interpres legit ἐπ' ὄρυς, id est *in monte*, Græci nunc habent ἀπ' ὄρυς, id est *a monte*: unum scilicet testamentum perfectum est a monte Sina ubi latum est, & ipsum IN SERVITUTEM GENERANS. QUAE EST AGAR, id est quæ figuratur per Agar; ubi τὸ *quæ* referri potest ad τὸ *servitutem*, vel ad τὸ διαθήκην, id est *testamentum*: hoc modo quæ servitus est Agar, si referatur ad διαθήκην, sensus est, quod testamentum est Agar, id est per Agar significatur. Et hoc modo relativum quæ, quod refert testamentum, iungitur cum feminino Agar.

V. 25. SINA ENIM. Græci habent τὸ γὰρ ἀγὰρ σινᾶ, asseruntque interpretes, Sina montem Arabiæ Arabice dici Agar, QUI mons, inquit, CONIUNCTUS EST EI, QUAE NUNC EST IERUSALEM. Quod vero ait, *quæ nunc est*, id est vocatur *Ierusalem*, hoc ait quia olim Iebus & Salem dicta est. Cum autem Ierusalem & Sina longissime distent; Græci interpretantur coniunctas non vicinitate locorum, sed similitudine: quia sicut in Sina lata est lex Mosaica, ita Ierosolymis in monte Sion lex evangelica.

V. 26. QUAE SURSUM EST IERUSALEM. Quidam interpretantur Ecclesiam triumphantem, alii militantem quæ *sursum* esse dicitur, quia non terrenis & carnalibus ducitur, ut synagoga; sed supernis & cælestibus bonis, QUAE, inquit, EST MATER NOSTRA, licet olim sterilis, nunc tamen multorum filiorum parens, cuius fœcunditatem esse ab Esaia prædictam asserit, dicente, *Lætare sterilis*, &c.

V. 27. DESERTAE. Desertam vocat Ecclesiam, & congregationem gentium quæ viro suo, Deo scilicet, repudiato, fornicabatur cum idolis: hæc tum sterilis erat, nullos gignens spirituales filios; ubi autem Christo adhæsit, quem Synagoga repudiavit, facta est multorum filiorum mater.

V. 28. SECUNDUM ISAAC PROMISSIONIS FILII SUMUS, id est ad Isaac imitationem; sicut enim ille præter ordinem naturæ in vim promissionis ipsi Abrahamo factæ natus est; ita nos fidem & obedientiam patris & filii Isaac imitantes, in vim promissionis factæ Abrahamo de benedicendis in semine Christi gentibus, promissionis filii spirituales per fidem facti sumus.

V. 31. QUA LIBERTATE. Græci coniunctim legunt initium sequentis capitis, *State*; ut sit sensus; State in ea liberta-

 te,

te, qua vos Christus liberavit, & nolite sub iugo servitutis legalis contineri & coerceri.

S A.

Vers. 1. DIco AUTEM; quasi dicat, Addam & hoc. CUM; pro, cum tamen.

V. 2. ACTORIBUS, id est curatoribus.

V. 3. ELEMENTIS, &c. quasi dicat, Rebus materialibus a lege praescriptis. Vide Col. II.

V. 4. VENIT, &c. id est impletum tempus a Deo definitum. Ex MULIERE. August. II. Trin. eo ipso est missus quo factus ex muliere. FACTUM SUB LEGE, id est legi subditum.

V. 5. ADOPTIONEM, scilicet amissam in Adam: August.

V. 6. FILII SUI, scilicet etiam a Filio procedit. Vide Rom. VIII. PATER. Explicatio est praecedentis verbi Chaldaei.

V. 7. EST. Graec. & Syr. *estis*. DEUM, id est Dei misericordiam: August. Graec. & Syr. *Dei per Christum*.

V. 8. NATURA, id est revera, seu, per se, seu hominum opinione.

V. 9. COGNITI, id est dilecti: August. INFIRMA, scilicet non valentia iustificare. ELEMENTA. Vide supra.

V. 10. TEMPORA. Graec. καιρὼς, id est *opportunitates*, scilicet ad festa celebranda, vel secundum legem operandum. ANNOS, scilicet observari volebat lex annum septimum & quinquagesimum.

V. 11. VOS; pro, vobis. SINE CAUSA, id est frustra.

V. 12. EGO, scilicet nunc sum. ET EGO, scilicet olim, cum legi servirem. LAESISTIS; quasi dicat, Non queror mihi factam iniuriam; sed vestram vicem doleo.

V. 13. PER INFIRMITATEM, &c. quasi dicat, Multa passus. IAMPRIDEM. Graec. *prius*. TENTATIONEM VESTRAM, id est probationem per afflictiones. Graec. *experimentum mei*.

V. 14. RESPUISTIS, &c. quasi dicat, Non ideo me minoris fecistis, aut contempsistis.

V. 15. BEATITUDO, id est status ille quem felicem dicebatis, vosque beatos.

V. 16. FIERI POSSET; pro, opus fuisset, seu expedisset.

V. 17. AEMULANTUR vos, id est studiosi vestri sunt, seu salutis vestrae cupidi. SED; pro, nam seu, immo. EXCLUDERE, scilicet libertate Evangelica. UT ILLOS, &c. quasi dicat, Illos imitando.

V. 18. AEMULEMINI, id est sectamini, seu imitamini.

V. 19. PARTURIO, id est do operam ut in Christo renascamini. FORMETUR, &c. id est Christi formam recipiatis perfectam, scilicet scientia & dilectione.

V. 20. MUTARE VOCEM, id est negare vos filios: August. CONFUNDOR. Graec. *perplexus sum*. Syr. *stupefactus sum*. IN VOBIS, id est de vobis, seu vestri causa.

V. 23. SECUNDUM CARNEM, id est modo naturali. REPROMISSIONEM; pro, promissionem.

V. 24. PER ALLEGORIAM, id est figuraliter. SUNT, scilicet significant. IN SERVITUTEM, id est servos. QUAE EST, &c. id est id quod per Agar repraesentatur.

V. 25. CONIUNCTUS, id est confinis, seu e regione situs, etsi distant longe. NUNC EST, id est vocatur; vel quasi dicat, Etiam nunc extat. SERVIT, scilicet ipsa Agar. FILIIS, scilicet Iudaeis, qui per eius filios significantur.

V. 27. DESERTAE, scilicet a Deo anteat Gentilitatis. EIUS QUAE, &c. scilicet Synagogae Deo desponsatae.

V. 28. SECUNDUM, id est, ad similitudinem.

MARIANAE.

Vers. 1. HERES PARVULUS EST. Per *parvulum* Iudaeos intelligit, per *tutores* legem & legis ministros.

V. 2. SUB .... ACTORIBUS, seu *procuratoribus*. Graec. οἰκονόμοις est usque ad tempus. Ita & vos eratis.

V. 2. SUB ELEMENTIS. Στοιχεῖα significat *alphabeti litteras*. Itaque eramus ut pueri alphabetarii: id etiam vox *elementa* significat Latinis; sed suo tempore misit Deus Filium suum.

V. 4. FACTUM EX MULIERE, secundum corpus. FACTUM SUB LEGE, ne videretur odio legis nos ab ea liberasse, servavit illam.

V. 5. UT EOS .... REDIMERET, liberaret, & quasi maiori aetate emanciparet eos qui erant sub lege, & e servis legis

bis faceret filios Dei. Misit & Spiritum sanctum,

V. 6. CLAMANTEM, id est clamare facientem. ABBA, PATER. Ut filii in omni lingua Deum *patrem* vocamus. *Abba* Syriaca vox est.

V. 7. NON SERVUS, SED FILIUS. Sic lege, non *es* in secunda persona, ut est Græc. & Syriace. SI FILIUS: ET HERES, id est liber & sui iuris, non subditus pædagogo. Iis

V. 8. QUI NATURA NON SUNT DII, serviebatis, id est non vere erant dii. In quibusdam rebus, quod natura non inest, nullo modo inest. Nunc cum Deum verum cognoscatis,

V. 9. IMMO COGNITI SITIS, id est dilecti ut filii: sic Hieronymus & Augst. ET EGENA ELEMENTA, id est ad alphabetum, ut pueri revertimini: sic vocat cærimonias legis egenas, quia iustificare non possunt observantes].

V. 11. TIMEO VOS. *Vos* redundat, nec est in Syr. timeo ergo, NE FORTE SINE CAUSA, id est frustra, in vanum laboraverim inter vos.

V. 12. ESTOTE SICUT EGO, id est me imitamini. EGO SICUT VOS, ob amoris magnitudinem vobis sum similis.

V. 13. PER INFIRMITATEM, id est in abiectione, sine ostentatione evangelizavi vobis.

V. 14. ET TENTATIONEM VESTRAM, id est offensionem ob meam humilitatem non curastis. Græc. & Syr. *tentationem meam*, scilicet abiectionem meam non sprevistis. Ita illa abiectio & *mea tentatio* dici potest active, & *vestra* passive. SED SICUT; pro, immo sicut Christum, me recepistis.

V. 15. BEATITUDO VESTRA; id est, exultatio propter me aut plausus, quo abiit?

V. 17. AEMULANTUR. Pseudoapostoli fingunt se vos amare. SED EXCLUDERE vos, a me scilicet, VOLUNT.

V. 18. BONUM AUTEM AEMULAMINI; id est, bonos præceptores amate. Græc. *bonum est æmulari semper in bono*; ut scilicet quæratis quod melius est semper, id est me, non solum cum ego sum præsens, sed etiam in absentia. Cupio

V. 20. MUTARE VOCEM MEAM. Vellem apud vos, ne me agnosceretis, quasi obvoluto capite ob pudorem. QUONIAM CONFUNDOR. Perplexus, stupefactus sum ob vestram levitatem. Abraham duos filios habuit.

V. 24. HAEC ENIM SUNT DUO TESTAMENTA. Græc. *Hæ*, scilicet mulieres, Sara & Agar, *sunt*, id est, significant *duo testamenta*, *alterum in Sina*, *alterum in Ierusalem*. Agar serva, legem, quæ servos cultores faciebat, & secundum carnem genuit legem carnalem. Sara libera, & quæ genuit filios per promissionem, legem libertatis & spiritus.

V. 25. QUI CONIUNCTUS, scilicet Sina Ierosolymæ. Græce συςοιχεῖ, *affinis est*. Cassianus Collat. XIV. 8. *Qui comparatur ei, quæ nunc est Ierusalem*. In quo? quia ut ab illo monte exivit lex, ita a Ierusalem Evangelium. Alioqui locis valde est remotus ille mons, coniunctus ergo est significatione & mysterio. ET SERVIT, scilicet Arabia]. Verum si aliquis diceret: Etiam Ierusalem servit: transit ab allegoria ad anagogem, scilicet supernam Ierusalem, ad quam nos ducit Evangelium.

V. 27. MULTI, id est plures. FILII DESERTAE, id est Gentilitatis, quam Synagogæ, quæ virum habebat Deum. Plures Saræ filii, quam Agar; sed sicut Ismael Isaacum.

V. 29. PERSEQUEBATUR. Genes. XXI. 9. *ludentem* dicit. Quod quid esset, eo loco dictum est. ITA ET NUNC, scilicet Iudæi filii carnis nos persequuntur, qui sumus filii promissionis.

MENOCHII.

Vers. 1. DICO AUTEM: quod dico tale est. QUANTO TEMPORE HERES PARVULUS EST: quamdiu heres pupillus in minori adhuc ætate constitutus est. NIHIL DIFFERT A SERVO: quia subiicitur tutoribus usque ad certum tempus, ut dicitur versiculo sequenti. CUM SIT DOMINUS OMNIUM: quamvis hereditatis iure, ac voluntate paterna, eorum omnium bonorum, quæ ab aliis administrantur, dominus sit.

V. 2. ACTORIBUS: hos græcus textus οἰκονόμους vocat, *œconomos*, & rei domesticæ curatores, & administratores.

V. 3. ITA ET NOS; scilicet, Iudæi. CUM ESSEMUS PARVULI: cum nos, qui eramus fidelium Ecclesia ad quos Abrahæ here-

hereditas, & benedictio pertinebant, *essemus parvuli*, id est rudes, & imperfecti, tum in cognitione, tum consequenter in amore Dei, iustitiæ, & salutis. SUB ELEMENTIS MUNDI ERAMUS SERVIENTES, id est sub littera, & quasi alphabeto legis veteris, corporalia signa, & carnales ceremonias Mosaicæ legis sectantes. Videri autem potest Apostolus alludere ad pueros elementarios, qui serviliter compelluntur addiscere elementa, litteras scilicet ac rudimenta litteraturæ, nescientes quid ex iis sit proventurum utilitatis. ELEMENTIS MUNDI. *Mundum* vocat per catachresin quicquid est visibile, caducum, temporarium, visibiles scilicet & corporales ceremonias legis veteris; uno verbo, res materiales a lege præscriptas.

V. 4. UBI VENIT PLENITUDO TEMPORIS; id est, ubi tempus impletum est, quod erat a Deo Patre præordinatum, ut liberaremur a servitute legis, & hereditatem filiis promissam acciperemus. FACTUM EX MULIERE: significat Christum sine patris semine conceptum, & formatum ex sola matris substantia, & purissimis sanguinibus. MULIERE: fœmina virgine. FACTUM SUB LEGE: quia licet Christus lege non teneretur, illam tamen sponte servavit, subiiciens se circumcisioni, aliisque ceremoniis in lege præceptis. *Factum* ergo significat non obligationem, sed visum; non ius, sed factum.

V. 5. REDIMERET: dato pretio eximeret a servitute legis, & suos faceret; hoc enim significat Græcum ἐξαγοράσῃ. UT ADOPTIONEM FILIORUM RECIPEREMUS: ideo filius Dei factus est ex muliere filius hominis, ut filios hominis faceret, & adoptaret in filios Dei. RECIPEREMUS: acciperemus.

V. 6. QUONIAM AUTEM ESTIS FILII: quoniam vero vos etiam, Galatæ, etsi sub illis rudimentis; atque ut sic dixerim, tutoribus non fuistis, æque tamen ac Iudæi effecti estis filii Dei. SPIRITUM FILII SUI: Spiritum sanctum, non qui vos filios faciat, sed qui vos filios iam factos clamare doceat, *Abba, Pater*. CLAMARE, id est magna piæ mentis devotione precari, & invocare fidenter Deum Patrem. ABBA, PATER: Hebraice אב *ab*, Chald. vero & Syriace אבא *Abba*, & terminatione Latina, & Græca, *Abbas*, idem est quod *Pater*.

V. 7. ITAQUE IAM NON EST SERVUS: aliquis inter vos, o Christiani Galatæ: est enallage personæ, transit enim a secunda ad tertiam. Aliqui textus Græci habent, οὐκ ἔτι εἶ δοῦλος, *iam non es servus*, in secunda persona. Iam non estis servi ab hereditate alieni, sed filii. ET HERES PER DEUM. In Græco est κληρονόμος Θεοῦ διὰ χριστοῦ, *heres Dei per Christum*, nam per Christum, cui inserti sumus, hereditas æterna Dei, & omnia bona obveniunt nobis a Deo, Deique gratia, & misericordia.

V. 8. SED TUNC: cum scilicet infideles essetis. IIS, QUI NATURA NON SUNT DII: sed fictione, falsaque opinione hominum, nimirum idolis. SERVIEBATIS: colentes ea latria, & sacrificiis.

V. 9. COGNITI SITIS A DEO: scilicet, quasi filii cogniti a patre, atque dilecti, qui vos ad sui notitiam, & amorem adduxit. AD INFIRMA, ET EGENA ELEMENTA. Quid nomine elementi intelligat, diximus supra vers. 3. Vocat autem infirma, & egena, quia gratiam, & sanctitatem non conferebant veteris legis ceremoniæ; sed erant inefficaces ad iustificandum ex opere operato; requirebatur enim opus operantis, id est fides, devotio, &c. ipsius suscipientis.

V. 10. DIES OBSERVATIS; scilicet Iudaicos, ut sabbata. ET MENSES: neomenias, id est novilunia. ET TEMPORA: stata festa variis anni temporibus. ET ANNOS: septimum remissionis, & quinquagesimum Iubilæi. Porro per observantias dierum, mensium, & annorum, intelligit omnes ceremonias legis veteris, quasi ex parte totum.

V. 11. TIMEO VOS: timeo vobis, aut de vobis, ne scilicet inanem sumpserim operam, ac laborem in conversione vestra.

V. 12. ESTOTE SICUT EGO: iudaicas observationes meo exemplo abiicite, ne legem servitutis patiamini vobis imponi. QUIA ET EGO SICUT VOS: nam & ego me vestræ infirmitati accommodavi, ut vos Christo lucrifacerem. Vel ego gentiliter vivendo me vobis gentilibus accommodo, quantum possum salva conscientia. OBSECRO VOS: ut quod dixi faciatis. NIHIL ME LAESISTIS; quasi dicat, Non iratus hæc dico; sed vos amans, & vestri miserans.

V. 13. PER INFIRMITATEM CARNIS: per labores, persecutiones, pericula, adversa,

TEN-

TENTATIONEM VESTRAM; id eſt, me tot contumeliis oneratum, & malis afflictum, & abiectum, qui vobis poteram eſſe tentationis obiectum, ut me, meumque Evangelium aſpernaremini, non ſpreviſtis, ſed tamquam Angelum, immo tamquam Chriſtum ipſum excepiſtis.

V. 15. UBI EST ERGO BEATITUDO VESTRA? In Græco eſt, μακαρισμὸς, *beatificatio*, qua me prædicabitis beatum. Ubi ſunt priſtinæ veſtræ de me voces, laudes, iudicia, quomodo tam cito, tam temere animos erga me, & Evangelium mutaſtis? TESTIMONIUM ENIM PERHIBEBO VOBIS: hoc vere de benevolentia in me veſtra teſtari poſſum. SI FIERI POSSET: ſi opus, aut expediens fuiſſet.

V. 17. AEMULANTUR VOS: iudaizantes depereunt vos, ambiunt vos, vos ſibi conciliare, ſibi ſuæque legi ſubiicere ſtudent. NON BENE: quia non ad bonum, & ad profectum veſtrum. SED EXCLUDERE VOS VOLUNT: a Chriſto, & Chriſtiana religione. Noſter interpres legit ἐκκλεῖσαι, *excludere*, ſed in quibuſdam Græcis textibus habemus ἐγκλεῖσαι, *includere*, & ſenſus videtur eſſe; vos ambiunt, & depereunt; & quaſi mariti zelotypi vos legalibus obſervantiis includere volunt, ut vos iis ritibus dediti viciſſim illos æmulemini, id eſt colatis, & ametis, illiſque adhæreatis.

V. 18. BONUM AUTEM AEMULAMINI, &c. ſenſus eſt, Illi volunt ut ipſos æmulemini, atqui bonum eſt & laudabile, ut æmulemini magiſtros veſtros, qualis ego in primis ſum, nec in quibuſcumque, ſed tantum in re bona: idque ſemper, & conſtanter, & non ſolum me vobis præſente.

V. 19. FILIOLI MEI: vos enim ego per Evangelium genui Chriſto. QUOS ITERUM PARTURIO: quos relapſos a Chriſto, eiuſque adoptione ad Iudaiſmum iterum parturio, ut a Iudaiſmo revocem, & Chriſto rurſum pariam. DONEC FORMETUR CHRISTUS, id eſt Chriſti fides, ſpes, libertas. IN VOBIS: ut ſcilicet non a lege, ſed a Chriſto, & Chriſti fide omnem gratiam, iuſtitiam, ſalutem expectetis.

V. 20. ET MUTARE VOCEM MEAM: ut affectus, quos Epiſtola ſcripta non capit, voce viva exprimerem, ut ſcilicet quaſi mater, nunc blandirer, nunc gemerem, nunc obſecrarem, nunc obiurgarem vos, ut ſolent matres ſe in omnes affectus verſare, nunc orare, nunc plorare, nunc gemere, nunc arguere, ut filios promoveant, eiſque perſuadeant id quod cupiunt. QUONIAM CONFUNDOR IN VOBIS: ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν, id eſt hæreo, inops conſilii ſum, & perplexus, non beneſciens quomodo ſcribere debeam, ut vos permoveam.

V. 21. LEGEM NON LEGISTIS? νόμον οὐκ ἀκούετε, *legem non audiſtis?* hoc maioris eſt energiæ; quaſi dicat, Si me non audiſtis, legem, ipſam quam ambitis, audite; ipſa vos a ſe ad Chriſtum amandabit.

V. 22. SCRIPTUM EST ENIM: Geneſ. XVI. 15. & XXI. 2. UNUM DE ANCILLA, ſcilicet Iſmael, quem Abrahamo peperit Agar Saræ ancilla, legitimi matrimonii iure ipſi Abrahamo copulata. UNUM DE LIBERA: ſcilicet, Iſaac ex Sara primaria uxore ſua.

V. 23. SECUNDUM CARNEM NATUS EST: nimirum per carnis vires, per carnalem & naturalem generationem, quæ habet ut ex iuvencula, qualis erat Agar, Abraham licet ſenex, prolem poſſet ſuſcipere. PER REPROMISSIONEM: ex Abraham, & Sara ſenibus, & Sara præſertim ſterili, filii naſci non poterant naturali virtute. Natus eſt ergo Iſaac Dei munere iuxta id quod Abrahamo promiſerat Deus Geneſ. XVII. 18.

V. 24. QUAE SUNT PER ALLEGORIAM DICTA. Allegoria eſt, cum ex eo quod dicitur aliud quiddam ſignificatur. Unde Auguſtinus Lib. XV. de Trinit. cap. IX. dicit, quoſdam Latinos interpretes ita vertiſſe: *quæ ſunt aliud ex alio ſignificantia*. HAEC ENIM: Sara videlicet & Agar. SUNT DUO TESTAMENTA: ſignificant duo teſtamenta, vetus ſcilicet, & novum. UNUM QUIDEM IN MONTE SINA; quaſi dicat: Vetus teſtamentum e monte Sina traditum, & promulgatum eſt. IN SERVITUTEM GENERANS, id eſt ſervos generans, ſcilicet Iudæos ſervientes umbris multiplicium onerosarum ceremoniarum, idque timore pœnarum, ac ſpe bonorum terrenorum. QUAE EST AGAR: quod teſtamentum vetus & ſervile ſignificatur per Agar ancillam. SINA ENIM MONS EST IN ARABIA: quaſi dicat: Agar & Sina eiuſdem rei ſignificationem gerunt, ſcilicet veteris teſtamenti. Convenienter a monte Sina vetus teſtamentum profluxit: nam Sina mons eſt horribilis in Arabia, longe extra fines terræ promiſſæ ſitus, proinde aptiſſi-

mus ad significandum veteris testamenti utilitatem; quæ est timorem & horrorem incutere, & parvos facere, promissionis extorres, & ab hereditate alienos. QUI CONIUNCTUS EST EI QUAE NUNC EST IERUSALEM: qui mons Sina cognationem habet cum terrena Ierusalem, eique congruit quoad mysticam significationem. Nam Sina vetus testamentum significat, terrena Ierusalem sedes est populi Iudaici, id est filiorum veteris testamenti, quia Iudæi illi, qui in Sina legem acceperunt, parentes fuerunt Iudæorum qui iam vivunt in Ierusalem, & sicut in natura, sic & in indole servi, moribusque Iudaicis utrique conveniunt. Qualis fuit Sina, talis fuit & Ierusalem: atqui Sina generavit servos; ergo & Ierusalem servos generavit, & generat, veteris scilicet testamenti. ET SERVIT CUM FILIIS SUIS; scilicet, Agar, ut patet ex pronomine feminino *αὐτῆς*, quod est in Græco.

V. 6. ILLA AUTEM QUAE SURSUM EST: Ecclesiam Christianorum intelligit, quæ dicitur *sursum esse*, quia Christus eius caput e cælo descendit, ac rursum in cælos ascendit, indeque Ecclesiam regit: quia perfectio Ecclesiæ in superis, ac cælestibus rebus est, nimirum in fide, spe, caritate: quia virtus sacramentorum eius e sursum provenit, & Deum ipsum in Ecclesia, quasi desursum advenientem, præsentem habet: quia conversatio eius in cælis est, & sperat, & anhelat ad bona cælestia, quæ sursum sunt. IERUSALEM: sic appellatur Ecclesia, quia Ierusalem idem est, ac *visio pacis*; hæc autem pax est in Ecclesia iuxta Domini verbum Ioan. XIV. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Vel nomine Ierusalem significatur Ecclesia, quia sicut in monte Sina lata est lex vetus, ita lex nova, qua fundata est Ecclesia in Ierusalem promulgata est. LIBERA EST: a iugo veteris legis prorsus soluta. MATER NOSTRA: eorum scilicet omnium, qui Christi fidem complexi sunt, quo fit ut quemadmodum olim Sara genuit Isaac plane ingenuum, & paternorum bonorum heredem; ita etiam huius matris, quam Sara indicabant filii, & liberi sint, & legitimi heredes, non quidem vi seminis, sed promissionis divinæ. In Græco est *μήτηρ πάντων ἡμῶν*, *mater omnium nostrum*; quasi dicat, Omnium sive Iudæorum, sive Gentilium, modo in Christum credant.

V. 27. SICUT SCRIPTUM EST: Isa. LIV. I. LAETARE STERILIS. Lætare Ecclesia ex Gentibus vocata, & collecta, quæ antea eras sterilis, & deserta a Deo, fide, & lege destituta. QUAE NON PARIS: quæ hactenus non solebas Deo filios parere: nunc autem illi desponsata paries. EXULTA ET CLAMA: lætare, erumpe, & clama, id est cum lætitia Deum lauda, & in clamorem, & cantica laudis erumpe. QUIA MULTI FILII DESERTAE, &c. quia tu, quæ hactenus solitaria fuisti, nec viro ad gignendos filios coniuncta, nunc fœcunda reddita Christo viro tuo plures paries filios, quam synagoga viro suo coniuncta, id est legem Mosaicam amplexata, toto veteris testamenti tempore filios peperit.

V. 28. SECUNDUM ISAAC: instar Isaac, qui non virtute carnis, sed promissionis divinæ natus est ex anu, & sterili Sara.

V. 29. IS QUI SECUNDUM CARNEM, &c. Ismaelem intelligit carnali virtute, & generatione prognatum ex Agar. PERSEQUEBATUR EUM, QUI SECUNDUM SPIRITUM, id est Isaac, qui natus est ex Spiritus sancti promissione, & virtute supra naturam ex Sara, quasi typus fidelium, & spiritualium filiorum legis novæ. Quomodo Ismael persecutus sit Isaac, diximus Genes. XXI. 9. ITA ET NUNC: Iudæi Christianos oderunt, & persequuntur.

V. 30. SED QUID DICIT SCRIPTURA? quæ hic citantur sunt verba Saræ Gen. XXI. 10. NON ENIM HERES ERIT; quasi dicat Apostolus: Sic Christiani, quia liberi, sunt heredes benedictionis, & iustitiæ Abrahæ.

V. 31. ANCILLAE, Synagogæ. LIBERAE Ecclesiæ. QUA LIBERTATE CHRISTUS NOS LIBERAVIT: per Passionem, & mortem suam.

T I R I N I.

Vers. 3. CUM ESSEMUS PARVULI, heredes quidem Abrahæ, sed rudes & imperfecti ante adventum Christi *serviebamus* SUB ELEMENTIS MUNDI, id est sub lege veteri Mosaica, quæ mundo data fuit a Deo quasi alphabetum & prima rudimenta veræ fidei & pietatis. Quia lex imperfecta erat, & (ut infra *a* dicitur)

tur) *egena atque infirma*, scilicet ad vestram iustitiam & salutem procurandam: Christus vero per novam legem suam perfecit omnia: ita S. Hier. Theodoretus & Anselmus.

V. 4. & 5. UBI VENIT PLENITUDO TEMPORIS; id est, postquam impletum est tempus præfixum a Deo Patre, ut hereditatem, seu benedictionem filiis atque heredibus Abrahæ promissam acciperemus; MISIT DEUS in terras unigenitum FILIUM SUUM, FACTUM (absque virili complexu) EX MULIERE, id est formatum ex sola feminæ virginis substantia. Qui, licet nulla lege teneretur, utpote Deus & Dominus omnium legum, sponte tamen sua FACTUS est SUB LEGE Mosaica, subiiciens se circumcisioni & aliis ceremoniis lege præscriptis, UT nos QUI SUB LEGE eramus, a servitute & obligatione legis REDIMERET, & [ex mancipiis legis faceret liberos & odoptaret in filios Dei. Unde & in vos, tamquam in genuinos filios suos

V. 6. MISIT DEUS SPIRITUM FILII SUI, id est Spiritum sanctum a Filio (quod nota contra Græcos,) æque atque a Patre procedentem, ut eodem cum Christo Spiritu instructi & impulsi *clametis* ABBA, seu PATER, id est, recurratis ad Deum, non tamquam servi ad dominum, sed tamquam filii, filiali affectu & amore ad carissimum parentem: ita Theophylactus & Anselm. *Clamat* autem Spiritus sanctus in nobis & nobiscum, perinde atque alibi *b* diximus, ipsum *postulare pro nobis*.

V. 9. COGNITI ergo & agniti A DEO pro legitimis & charissimis filiis, QUOMODO nunc ITERUM CONVERTIMINI AD INFIRMA ET EGENA ELEMENTA? nempe ad materiales ceremonias & sacra Iudaica, quæ prorsus *egena* sunt gratiæ, & *infirma* atque impotentia ad iustificandum: neque sunt pro filiis instituta, sed pro servis.

V. 10. OBSERVATIS cultu & superstitione Iudaica DIES, nempe sabbata; MENSES, id est neomenias; ET TEMPORA; Græce, καιρὼς, id est oportunitates, scilicet ad festa & sacra Iudaica suis quæque temporibus celebranda, verbi gratia, Paschatis in vere, Pentecostes in æstate, Tabernaculorum in autumno, Encæniorum in hieme: ET ANNOS, septimum remissionis, & quinquagesimum iubilæi. Sub his temporum ceremoniis vult Apostolus intelligi etiam reliquas omnes legis veteris ceremonias: non vero etiam festa Sanctorum, ut volunt hæretici, aut alias Christianas solemnitates; quia nulla hic illarum fit mentio, & est maximum inter has & illas discrimen, ut patet ad oculum, & fuse docent Nazianzenus, Hieron. Bellarminus *c* & alii doctores.

V. 11. TIMEO vos, seu de vobis, [ne inanem sumpserim operam ac laborem in vobis convertendis.

V. 12. ESTOTE Iudaicarum ceremoniarum contemptores SICUT EGO: QUIA ET EGO gentiliter (quoad possum) vivo sicut vos: quidni vero audeatis vos Gentiles, cum audeam ego Iudæus? ita S. Hieron. OBSECRO, ut sic faciatis. Non dico hæc iratus: NIHIL enim ME, sed vosipsos, LAESISTIS: vestri ergo miserans, urgeo quæ dixi.

V. 13. PER INFIRMITATEM CARNIS, id est multis cum doloribus, persecutionibus, ærumnis, EVANGELIZAVI VOBIS: ET tamen TENTATIONEM hanc VESTRAM (nempe me sic afflictum, qui vobis poteram esse tentationis obiectum & occasio,) *non sprevistis*. Cur ergo nunc spernatis? ita S. Hieronymus.

V. 15. UBI EST nunc illa BEATITUDO? græce, μακαρισμὸς, id est *beatificatio vestra*, qua propter meam præsentiam & prædicationem beatos vos censebatis, & beati ab aliis censebamini: ita Theophylactus.

V. 17. AEMULANTUR vos; id est, depereunt & ambiunt vos isti iudaizantes, sibi suæque legi Mosaicæ subiicere: sed NON BENE, id est zelo non bono, neque in vestrum bonum: nam EXCLUDERE VOS VOLUNT a me, a Christo, a sincera Christi doctrina, UT ILLOS vicissim vos AEMULEMINI, id est colatis, depereatis & ipsis adglutinemini. Sed vobis

V. 18. BONUM & utile est æmulari magistros, vestros non in malo, (quale est iudaizare,) sed IN BONO, puta in virtutibus Christiano dignis; idque non ad oculum, cum PRAESENS vobis *adsum*, sed SEMPER, ex animo & constanter. Ita vobis quanto possum affectu suadeo

V. 19. FILIOLI MEI, nuper a me Christo geniti per Evangelium, QUOS in iudaismum delapsos iam ITERUM PARTURIO, id est omnem operam do ut a iu-

daiſmo reducam ad Chriſtum, & ſic iterum pariam Chriſto: ita S. Chryſoſtomus.

V. 20. VELLEM MUTARE VOCEM MEAM; Syrus, *filiam vocis meæ*, id eſt orationem meam & verba mea; nempe nutricum more, nunc blandirer, nunc gemerem, nunc plorarem, nunc obſecrarem, nunc obiurgarem vos. QUONIAM CONFUNDOR. Græce, ἀπορῦμαι, id eſt anxius hæreo, inops conſilii, perplexus, nec ſat ſciens quibus verbis & rationibus vos permovere & ad officium reducere poſſim.

V. 23. QUI DE ANCILLA *d* Agar NATUS eſt, nempe *Iſmael*, SECUNDUM CARNEM; id eſt modo, via, virtute carnali, ſeu naturali procreatus *eſt*: QUI AUTEM DE LIBERA, Sara, nempe *Iſaac*, PER REPROMISSIONEM; & (ut infra *e*,) *ſecundum ſpiritum* natus eſt, id eſt ex ſingulari Dei promiſſione *f* & ſupernaturali virtute Spiritus Sancti.

V. 24. *Hæc* Agar & Sara SUNT, id eſt allegorice ſignificant, DUO TESTAMENTA, vetus & novum. UNUM IN MONTE SINA traditum *g*, nempe vetus teſtamentum, erat IN SERVITUTEM GENERANS, id eſt generabat ſervos, puta Iſraelitas ſolis umbris & figuris ſervientes, idque nudo timore pœnarum, & ſpe præmiorum temporalium. QUAE EST AGAR; id eſt, quod teſtamentum ſervile ſignificatur per *Agar* ſervam; ita S. Hieron. Chriſoſt. Anſelmus.

V. 27. SINA ENIM MONS EST horridus IN ARABIA ſitus, procul a finibus terræ promiſſæ: ſed myſtica ſignificatione CONIUNCTUS, affinis & ſimilis, EST terrenæ IERUSALEM, QUAE & qualis NUNC EST. Græce, συςοιχεῖ, id eſt cognationem & ſimilitudinem habet; quaſi dicat: Mons *Sina* ſimilis conditionis eſt cum noſtri temporis Ieroſolyma. Sicut enim ibi, ita & hic traditur lex mere ceremonialis, carnalis & ſervilis: utrobique generantur filii non liberi, ſed ſervi, non ſpirituales, ſed carnales: ita Theophyl. S. Thomas, Vatablus, Budæus & a Lapide.

V. 26. ILLA AUTEM per Saram figurata, immo & per terrenam Ieroſolymam allegorice adumbrata, Eccleſia novi teſtamenti ſeu Chriſti, primo, SURSUM EST, a terra & terrenis elevata, in ſublimi & excelſo poſita: nam ut de capite eius Chriſto, & de maiore ac potiore eius parte in cælis triumphante ſileam; etiam hæc quæ in terris militat, ſi doctrinam, ſi Sacramenta, ſi virtutes, ſi converſationem, ſi deſiderium, ſi ſcopum eius ultimum ſpectes, non tantum excedit terrena, ſed revera etiam cæleſtis eſt; unde & teſte Apocalypſi *h*, *de cælo deſcendit*: ita S. Hieron. Ambroſ. & Anſelmus. Secundo, eſt proprie dicta IERUSALEM, id eſt *viſio pacis*, propter fruitionem pacis quam ſolidam habet cum Deo, & cum ſua conſcientia, & habere conatur etiam cum omnibus hominibus. Tertio, EST LIBERA a ſervitute diaboli, peccati, legis Moſaicæ & mortis æternæ. Quarto, eſt fœcundiſſima, quia ex populo Gentili, antea ſterili (quia non Deo, ſed dæmoni pariebat proles,) innumeros Deo filios procreavit: unde & MATER NOSTRA iure merito vocatur. Et in hoc ſuperat Synagogam.

V. 28. Nos AUTEM Chriſtiani, SECUNDUM ISAAC, id eſt inſtar Iſaac, SUMUS FILII PROMISSIONIS, id eſt ſemen ſpirituale, ſeu filii legitimi, ad quos pertinet promiſſio facta Abrahæ.

V. 29. SED eo prorſus MODO QUO TUNC Iſmael PERSEQUEBATUR Iſaacum *k*, ITA ET NUNC carnales Abrahæ filii, Iudæi, vexant & perſequuntur ſpirituales eiuſdem filios, Chriſtum & Chriſtianos.

V. 30. SED iubente Deo *l*, eiecta eſt ancilla Agar cum filio ſuo Iſmaele ex domo Abrahæ. Qua eiectione ſignificabatur Allegorice repudiatio Synagogæ, ſeu eiectio e familia Chriſti & Dei, id eſt ex vera Eccleſia, inquit S. Hieron. Ambroſ Chryſoſt. Theodoret. Anſelmus & a Lapide. Qui etiam (contra hæreticos, non niſi unum admittentes in Scriptura ſenſum, puta litteralem, ſeu primo intentum a Spiritu ſancto) notant, præter ſenſum litteralem, ut ſæpe alias *m*, ita hoc loco, reperiri etiam ſenſum myſticum ſeu ſpiritualem, mediante ſenſu litterali intentum a Spiritu ſancto. Et quidem triplicem, puta Allegoricum, qui ſpectat ad Chriſtum vel Eccleſiam Chriſti: & hoc ſenſu dicit hic *n* expreſſe Paulus, Agar & Iſmael ſignificare Synagogam, Saram & Iſaac Eccleſiam Chriſti. Secundo, Tropologicum, qui mores ſpectat, quo ſenſu perſecutio qua Iſmael perſequebatur Iſaacum *o*, ſignificat perſecutionem qua Iudæi afflixerunt Chriſtianos. Tertio, Anagogicum, qui futuram vitam concernit; quo ſenſu poteſt accipi

quod

quod dicitur vers. 26. *Illa quæ sursum est Jerusalem*, &c. De quibus vide fusius Bellarminum *p*.

(a) Hic vers. 9.
(b) Rom. VIII. 16.
(c) Nazianz. orat. in S. Pentecoste. Bellar. de cultu Sanctorum.
(d) Gen. XVI. 15.
(e) Hic vers. 26.
(f) Gen. XVII. 17.
(g) Exod. XX &c.
(h) Apoc. XXI. 2.
(i) Isaia LIV. 1.
(K) Gen. XXI. vers. 9.
(l) Ibid. vers. 10. & 12.
(m) Hebr. XIII. 11. &c.
(n) Hic vers. 29.
(o) Vers. 29.
(p) Bellarm. de verbo Dei.

GORDONI.

Vers. 1. DICO AUTEM. Promovet quod cap. III. dicebat, nos non esse amplius sub pædagogo, novo exemplo tutelæ parvulorum qui sunt sub actoribus, *οἰκονόμοις*, vel curatoribus. Quamdiu puer, inquit, in puerili manet ætate, quamvis heres sit, tamen est ut servus sine libero rerum usu; sed adveniente statuto tempore liber est a tutela: ita Christiani post adventum liberatoris. Timeo iam, ait Paulus vers. 11. ne vos Galatæ vocati ab ignorantia ad lucem Evangelii a Christo, ac libertate donati, velitis amplecti servitutem, pædagogum, & elementa carnalia legis; quasi diceret: Meminisse oportet, quales olim fueritis, & quid assecuti sitis, ut appareat quam turpe sit esse degeneres, & occupari in veteribus, quæ finem habuerunt, neomeniis & similibus. Neque hic Paulus significat Galatas fuisse conversos a Iudaismo: nam vers. 9. vox, *iterum* designat tantum universe ad deterioris vitæ rationem, & Iudaicam.

Ac demum vers. 12. concludit, *Estote sicut ego*, procul estote a lege servili, meo, inquit, exemplo: nam ego sicut vos, ut vos lucrifacerem, gentiliter vixi, quantum patiebatur conscientia.

In hoc toto discursu usque ad versum 13. inter ea quæ notanda occurrunt, est illud vers. 4. de missione filii, non quidem mutatione loci secundum divinitatem, ut sciunt Theologi, & docent agentes de personarum missione. Quo loco etiam declarat Paulus fidem incarnationis fuisse redemptionem hominum, ut videas alioqui non venturum. Dicitur porro factus ex muliere, (quod habet exclusionem patris) secundum humanitatem; ex muliere, inquam, id est femina virgine: vox maternitatem subindicat, sed qualem Isaia prædixit; *virgo concipiet*. Denique *factus sub lege*, non ius, sed factum notat: nam sponte, & non obligatus se subiecit legis ceremoniis & circumcisioni.

V. 5. UT EOS QUI SUB LEGE. Satis docet hic locus, ut bene advertit Vasques, etiam in veteri lege fuisse adoptionem: non tamen ex propriis, aut vi circumcisionis, sicut certe habet Evangelium ex propriis; & per baptismum. Unde etiam palam fit, maiorem esse vim baptismi, quam circumcisionis; quippe quæ non habebat vim iustificandi. Dicuntur tamen veteres fuisse sub servitute, & nondum in pleno statu adoptionis, quia stabat iugum legis, quod sustulit Christus: August. Lib. III. contra duas epistolas Pelag. cap. IV.

V. 6. 7. 8. Sunt hi versus utcumque explicati: superest illud vers. 6. QUONIAM ESTIS FILII, MISIT. An non missio spiritus præcedit hanc adoptionem? Sunt certe hic tria diversa, missio, adoptio, & clamor filii adoptati ad patrem. Iam ex his tribus comparantur duo posteriora ita, ut facta per gratiam iustificantem adoptione, doceat spiritus missus clamare & orare. Ita Anselmus: vel si duo priora comparentur inter se, est argumentum ab effectu & signo ad causam ostendendam, si filii estis, signum est missum esse spiritum, &c. De voce *Abba*, vide Rom. VIII. 15.

V. 7. & 8. habent antithesin, quæ ostendit acceptum vocationis beneficium. Colebant Galatæ idola, quæ natura non sunt dii: nunc vero ab illa servitute vocatus (anallage personæ) evasit liber, filius & heres, κληρονόμος: quomodo ergo ad infirma elementa, &c.

V. 13. SCITIS AUTEM. Hic urget Galatas argumento a vetere eorum benevolentia & alacritate. Initio conversionis habebatis præ oculis infirmitatem meam, labores, pericula mea & opprobria quæ sustinui, quæ poterant vos tentare atque avertere a mea doctrina: & tamen benigne me ut Angelum excepistis: ubi nunc est hic animus, & tam bona voluntas? Tota hæc oratio pathetica est. AEMULANTUR

Ss 2

TUR VOS, verſ. 17. hi ſunt qui vos ſeducunt zelo perverſo, & vos excludunt a Chriſto: vos ambiunt, ut perdant: æmulamini meliora. MUTARE VOCEM, verſ. 20. his atque aliis verbis exprimit affectum: ſic ſane qui vehementer agunt, ut aliquid impetrent, mutant crebro vocem, ut affectum prodant & perſuadeant: nunc gemunt, nunc arguunt, nunc exclamant: hoc tantum; in præſentia: CONFUNDOR IN VOBIS.

V. 21. DICITE MIHI. Vis argumenti eſt: Vos qui tantopere ambitis Iudaiſmum, & ſubire onus legis, audite legem: ipſa hoc diſſuadebit. Ad declarandum adfert allegoriam de filiis Abrahæ. Lege hanc hiſtoriam Geneſ. XVII. 18. & cap. XXI. 9. Duo teſtamenta deſignant Agar & Sara. Reiicitur ancilla Agar cum filio ab hæreditate. Colligit eos qui novum teſtamentum, reiectis antiquæ legis cæremoniis amplectuntur, eſſe vere filios Iſaac ſecundum promiſſionem, ac proinde liberos a cæremoniis legis, unde eſt conſequens hoc, futuros hæredes per Chriſtum.

V. 24. QUAE SUNT DUO TESTAMENTA. Duo teſtamenta Dei leguntur; vetus Exod. XXI. data lege, & novum, conditumque in ultima cœna. Illud denotatur in hac allegoria per Agar & Sina montem Arabiæ. Alterum per Saram ſub veteri teſtamento naſcuntur filii ſervitutis. Per Saram filii libertatis & heredes promiſſionis. Ex ſterili quidem Sara ſunt, ſed multitudine felices, ut ait hic citatus Iſaias cap. LIV. per reductionem gentium ad Eccleſiam. Ac demum, ut dicebam verſ. 21. per ſtatum veræ libertatis a iugo legis. Hoc ergo novum teſtamentum eſt liberum; velut cæleſtis quædam Ieruſalem, ſicut Sara libera erat. Alterum vero ſervile, generans ſervos ut Agar, & ut Sina mons; quæ habent in ſervitute ſimilitudinem & cognationem cum hac (tempore Pauli) terreſtri Ieruſalem: utrobique enim generantur ſervi, ut iam ſatis apparet: Itaque τὸ, CONIUNCTUS verſ. 25. συστοιχεῖ, deſignat ſic convenientiam rerum in qualitate aliqua, ne putes eſſe ſermonem de coniunctione loci; ſic τὰ συστοιχα quæ ſunt eiuſdem ſortis & conditionis: eundem ſenſum clarius explicat Græcus codex.

CAPUT V.

Qui legis operibus iuſtificari cupit, expers eſt fructus Chriſti, in quo nec prodeſt circumciſio nec præputium, ſed fides viva: hortatur ergo ut caveant a ſeductoribus, ſtudeantque mutuæ dilectioni: caro autem ſemper repugnans ſpiritui trahit ad carnis opera, quæ ſeparant a regno cælorum: ſpiritus autem adfert fructus quibus illud conſequimur, etiamſi legis opera non præſtemus.

1. STate & nolite iterum iugo ſervitutis contineri. 2. (*a*) Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. 3. Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ. 4. Evacuati eſtis a Chriſto, qui in lege iuſtificamini: a gratia excidiſtis. 5. Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem iuſtitiæ expectamus. 6. Nam in Chriſto Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per caritatem operatur. 7. Currebatis bene: * quis vos impedivit veritati non obedire? 8. * Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos. 9. (*b*) Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. 10. Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud ſapietis: qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque eſt ille. 11. Ego autem, fratres, ſi circumciſionem

nem adhuc prædico: quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis. 12. Utinam & abscindantur qui vos conturbant. 13. Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, † sed per caritatem Spiritus servite invicem. 14. Omnis enim lex in uno sermone impletur: (c) Diliges proximum tuum sicut te ipsum. 15. Quod si invicem mordetis, & comeditis: videte ne ab invicem consumamini. 16. Dico autem: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis, 17. Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem, hæc enim sibi invicem adversantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis: 18. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. 19. Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, 20. idolorum servitus, veneficia: inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, 21. invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. 22. Fructus autem Spiritus est: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, 23. mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus huiusmodi non est lex. 24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. 25. Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus. 26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

(a) Act. xv. 1. 2. (b) I. Cor. v. 6. (c) Lev. xix. 18. Matth. xxii. 39. Rom. xiii. 8. I. Pet. ii. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 7. *Quis vos impedivit veritati non obedire?* Quod sequitur in quibusdam exemplaribus, *nemini consenseritis* omnium Correctorum iudicio superfluit.

Vers. 8. *Persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos.* Non est omittendum pronomen *hæc*, nec eius loco scribendum *vestra*.

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 13. *Sed per caritatem spiritus servite invicem.* Vox *spiritus* omittitur a multis manuscriptis latinis libris, sicut & a Græcis ac Syriacis.

NOTATIO.

Vers. 7. *Currebatis bene: quis impedivit veritati non obedire?* „ Sequitur, ait Hieronymus hoc caput enarrans, „ *Nemini consenseritis*; sed quia nec in Græcis libris, nec in his qui in Apostolum „ commentati sunt, hoc scriptum invenimus, prætereundum videtur „. Hæc Hieronymus. Neque etiam qui in Apostolum post Hieronymum sunt commentati, Augustinus, Chrysostomus, Theodoritus, Primasius, Theophylactus, Oecumenius, Lyranus huius pericopes meminerunt: neque in Græcis hodie libris, aut Syriacis invenitur. Latini Libri antiquitate ac fide dignissimi quique omittunt; nostri undecim, Brug. Lob, Leod. Mal. ma. mi. So. la. T. O. E. L. G., Parisiensium septem, Const. 2. Di. o. l. Ge. o. l. V. Quare Hentenius castigator textu expulit. Zegerus autem suspicatur ab hæreticis id olim etiam longe ante Hieronymi ætatem ex Græcis libris sublatum fuisse, quemadmodum de aliis non paucis Tertullianus censuit, quod non appareat, unde id adiectum fuisse potuerit. Auctores commentariorum, quæ Ambrosium, & Hieronymum mentiuntur, illud exponunt. Sed nihil inde amplius evincitur, quam id quod constat, lectum hoc olim apud Latinos fuisse, ut & hodie legitur in vulgaribus libris, lectumque est ab Auctore Glossæ, Carensi, Lombardo, Anselmo, Thoma, Gorrano, Brunone, Richelio.

COM-

COMMENTARIA

GAGNAE I.

Vers. 1. STATE, ET NOLITE ITERUM IUGO SERVITUTIS CONTINERI. Pro *state* Græc. est στήκετε, quod significat *firmi estote*; & posthac in fide ne vacillate; pro *contineri* autem, codices quidam Græci habent ἐνέχεσθε, quod verti potest ne immisceamini, neve implicemini iugo servitutis, scilicet legalis, quia ἐνέχειν, miscere significat; aut potius ne obnoxii sitis iugo servitutis legalis: est enim ἐνέχομαι, *reus & obnoxius fio*: nolite ergo vos reos constituere rursum servitutis legalis, iugum apprehendendo: alii codices ut Veronensis & Dionysianus, habent ἀνέχεσθε: quum autem ἀνέχομαι significet idem quod ἀναβαστάζω, id est *baiulare*, magis hoc loco videtur quadrare μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἀνέχεσθε; id est, *ne rursum iugo servitutis gravemini*.

V. 2. ECCE EGO PAULUS. Græci exponunt, nolite alias rationes quærere, mea Pauli pro omni ratione satis est auctoritas: dico ergo vobis quod si *circumcidimini*, id est si circumcisionem apprehenditis, & per eam salvatum vos iri putatis, CHRISTUS NIHIL VOBIS PRODERIT, quem spernitis velut salvandi impotem.

V. 3. DEBITOR EST UNIVERSAE LEGIS FACIENDAE. Hoc ait ut eos deterreat a circumcisione, quia cum infinita essent legis onera, qui caput legis circumcisionem rursum apprehendere cupit, ostendit legem nondum sibi esse mortuam, seque universæ legi peragendæ obnoxium.

V. 4. EVACUATI ESTIS, id est excidistis A CHRISTO, QUI IN LEGE IUSTIFICAMINI, id est iustificari quæritis: sic enim Græci exponunt, pro *evacuati estis*. Græce est κατηργήθητε, id est soluti estis a Christo, & Christum frustra apprehendistis.

V. 5. SPIRITU, non carnalibus ceremoniis.

V. 6. FIDES QUAE PER CARITATEM OPERATUR. Hic Græca scholia: non sufficit solum Christum credere, sed oportet efficacem esse hanc fidem & in opera exire.

Nemini consenseritis. Hoc Græci non habent, est autem sensus: Nemini consenseritis, nec crederetis, quantum ad fidem attinet, alteri quam mihi.

V. 8. PERSUASIO HAEC; id est, Christus, qui vos ad fidem vocavit, nequaquam vobis persuasit, ut circumcideremini.

V. 9. MODICUM FERMENTUM, id est perversa doctrina etiam modica, aut, ut Hieronymus exponit, pauci impostores & hæretici totam massam & congregationem vestram inficere possunt.

V. 11. CIRCUMCISIONEM, &c. Persuadebant pseudo-apostoli Galatis circumcisionis necessitatem, Paulumque circumcisionem adhuc prædicare, quam opinionem tollens: *si circumcisionem*, inquit, PRAEDICO, QUID ADHUC PERSECUTIONEM PATIOR a Iudæis, quibus utique gratus essem, si illam prædicarem? ERGO EVACUATUM EST, &c. id est si circumcisionem prædico, iam desinit esse scandalo Iudæis crucis prædicatio: ob quam tantum offendebantur, quia circumcisionem tolleret: sed adhuc offenduntur crucis prædicatione; non ergo circumcisionem prædico.

V. 13. IN LIBERTATEM; id est, nolite libertatem spiritus trahere in occasionem & argumentum carnis, id est carnalium concupiscentiarum sectandarum.

V. 15. MORDETIS ET COMEDITIS, id est graves inimicitias exercetis.

V. 19. FORNICATIO. Hic Græci addunt μοιχεία, id est *adulterium*, deinde πορνεία, id est *fornicatio*: unde intelligere oportet contra multos hodie illam permittentes, & adolescentulas caritatis prætextu seducentes, non adulterium modo; sed fornicationem a Paulo inhiberi.

V. 23. ADVERSUS HUIUSMODI. Idem sensus huius loci, qui & illius: iusto non est lex posita; id est, si omnes iusti essent, ac secundum spiritum viverent, nulla opus esset lege vetante, & ut Græca scholia explicant: qui quod rectum est, agit, monitore ac pædagogo, lege opus non habet, quippe qua superior est.

SA-

Vers. 1. STATE. Quidam cum superioribus iungunt. SERVITUTIS, id

in eſt legis veteris, quæ ſervos facit.

V. 2. CIRCUMCIDAMINI, ſcilicet credentes aliter non poſſe ſalvari: Auguſt. XIX. cont. Fauſtum.

V. 3. DEBITOR, ſcilicet id per ipſam circumciſionem profitetur.

V. 4. EVACUAVIT; quaſi dicat; Alieni, ſcilicet abieciſtis a vobis illum. Syr. *deſciviſtis*. IN LEGE, &c. id eſt per legem iuſtificari quæritis.

V. 5. SPIRITU EX FIDE, id eſt mente fide munita. SPEM IUSTITIAE, id eſt quod iuſtitia ut præmium ſperat.

V. 6. OPERATUR, id eſt exercetur.

V. 7. NON OBEDIRE, id eſt ne obedietis.

V. 8. PERSUASIO, ſcilicet de lege ſervanda. VOCAT; pro, vocavit.

V. 9. CORRUMPIT. Græc. ζυμοῖ, id eſt *fermentat*.

V. 10. IN VOBIS; pro, de vobis. ALIUD, ſcilicet quam quod doceo. PORTABIT IUDICIUM, id eſt dabit pœnas Deo.

V. 11 CIRCUMCISIONEM, id eſt Legis obſervationem. PATIOR, ſcilicet a Iudæis, vel ob Chriſti fidem, etiam ab aliis. EVACUATUM EST, id eſt ceſſavit]. SCANDALUM, ſcilicet ob quod multi Chriſtianos perſequuntur.

V. 12. ABSCINDANTUR, id eſt pereant prorſus, ſcilicet ne plus peccent.

V. 13. CARNIS, id eſt carnalis vitæ. SPIRITUS, id eſt ſpiritualem: quamquam non eſt Græc. nec Syr.

V. 4. LEX, ſcilicet ad mores pertinens: Auguſt.

V: 15. MORDETIS, ET COMEDITIS, id eſt læditis, ſeu levius, ſeu gravius.

V. 16. SPIRITU, id eſt ſecundum ſpiritum, ſeu ſpiritualiter. AMBULATE, id eſt agite; ſeu converſamini.

V. 17. FACIATIS, ſcilicet facile, vel perfecte: quamquam quis poteſt omnino, ut optat, non concupiſcere?

V. 18. SUB LEGE, ſcilicet Moyſis, vel tamquam ſervi coacte, ſed voluntarie.

V. 19. FORNICATIO. Græc. *adulterium*, *fornicatio*. IMMUNDITIA, ſcilicet contra naturam. IMPUDICITIA, ſcilicet viſu, tactu, &c. quamquam Græc. non eſt. LUXURIA; quaſi dicat, Et quodvis luxuriæ genus.

V. 20. AEMULATIONES, id eſt zeli inordinati. SECTAE. Græc. *hæreſes*.

V. 21. TALIA, ſcilicet cum ſunt mortalia, nec enim id ſemper.

V. 22. BONITAS, id eſt beneficentia.

V. 23. FIDES, ſcilicet in dictis, vel divinorum.

V. 24. VITIIS. Græc. *affectibus*. ET; pro, id eſt,

V. 26. PROVOCANTES, ſcilicet ad iram, vel malum.

MARIANAE.

Verſ. 1. STATE, ſeu *firmi eſtote*. IUGO SERVITUTIS CONTINERI: nolite, ſeu *implicari*. Syr. *mancipari*, id eſt legis cærimoniis & obſervationi ſubiici.

V. 2. ECCE EGO PAULUS; quaſi dicat: Mea auctoritas ſufficit, & pro ratione eſſe debet, hoc teſtor.

V. 3. DEBITOR EST UNIVERSAE LEGIS, qui ſe circumcidit, nempe ut qui baptizatur, legis Evangelicæ. Utrumque ianua eſt, & profeſſio Legis.

V. 4. EVACUATI, id eſt excidiſtis a Chriſto. QUI IN LEGE IUSTIFICAMINI, id eſt iuſtificari vultis. Nos iuſtificari ſperamus.

V. 5. SPIRITU EX FIDE. Evangelium vocat *ſpiritum* legi carnali comparatum. Per illud iuſtificari ſperamus, ea eſt ſpes noſtræ iuſtitiæ & iuſtificationis.

V. 6. FIDES, QUAE PER CARITATEM OPERATUR. Fides efficax eſſe debet, prodire in opera ſancta. Hæc apud Deum valet, non lex.

V. 8. PERSUASIO HAEC, ſcilicet ut circumcidamini, ut pſeudoapoſtoli perſuadent, non eſt ex Deo.

V. 9. TOTAM MASSAM CORRUMPIT parum fermenti. Græc. *fermentat*, id eſt acidam reddit, idipſum eſt *corrumpere*. Nempe perverſa doctrina, etiam modica; aut pauci corruptores totum populum inficiunt. Hoc ipſum dixit I. ad Corinth. v. 6. Confido tamen,

V. 10. QUOD NIHIL ALIUD SAPIETIS: ſupple, niſi quod verum eſt, aut quod vobis dico. Dicebant pſeudoapoſtoli, Paulum etiam circumciſionem prædicare: hoc negat.

V. 11. QUID ADHUC PERSECUTIONEM PATIOR? nempe a Iudæis, ſi illis in hoc conſentio. ERGO EVACUATUM, id eſt ſi cir-

circumcisionem prædico, crux Iudæis scandalo non erit. Illos præcipue offendebat quod Christi crux legem aboleret & circumcisionem. Verum hanc a lege libertatem, ne

V. 13. IN OCCASIONEM DETIS CARNIS. Metuebat, ne libertate Evangelica abuterentur. SED PER CARITATEM SPIRITUS, Vox *spiritus* Græce & Syr. non est, & sine illa sententia constat; nec Reg. & Lovan. habent, nec Gotth. SERVITE INVICEM, id est alii aliis subditi estote.

V. 15. ET COMEDITIS, id. est detrahitis, conviciamini invicem. Hoc significat *comedere*, etiam apud profanos Scriptores, ut affert Pet. Victorius Lib. XV. Variarum cap. x. explicans Terentii verba illa in Eunucho: *Hunc comedendum vobis propino*. Ergo si alii aliis detrahitis, timeo vobis.

V. 19. FORNICATIO. In Græcis præcedit μοιχεία, id est *adulterium*, suspicor falso, quia Syr. non habet, & Velesius obelo notat. IMPUDICITIA: nec hoc est Gr. nec in Gotth. nec Syr. sed alia tantum vitia, quæ commemorat, *fornicatio*, *immunditia*, & alia.

V. 23 ADVERSUS HUIUSMODI NON EST LEX, scilicet contra Spiritus opera. Lex non est certe negativa quæ prohibeat, ut prohibet opera carnis. Aut significat, quod alio loco dixit: *Iusto non est lex posita*. Nempe propter iustum non est introducta lex, ipsi sibi iusti sunt lex. Non ergo degeneremus.

V. 26. INVICEM PROVOCANTES: ad rixas scilicet & contentiones, & lites.

MENOCHII.

Vers. 1. STATE: firmi, & constantes persistite in fide, & libertate, quam per Christum semel adepti estis. ET NOLITE ITERUM IUGO SERVITUTIS CONTINERI; id est, cum libertate donati sitis, ne patiamini vobis rursum imponi iugum servitutis, id est legis Mosaicæ. CONTINERI: ἐνέχεσθε, id est *implicemini*, & quodammodo illaqueamini.

V. 2. SI CIRCUMCIDAMINI, CHRISTUS VOBIS NIHIL PRODERIT; si existimatis circumcisionem necessariam ad salutem, ideoque eam suscipitis; si spem iustitiæ, & salutis in ea ponitis, Christus, id est Christi redemptio, & ipse Christianismus vobis non proderit.

V. 3. TESTIFICOR: μαρτύρομαι, *contestor*, *denuncio*. DEBITOR EST UNIVERSAE LEGIS FACIENDAE, id est obligat se ad observandam totam legem Mosaicam, quia circumcisio erat legis professio.

V. 4. EVACUATI ESTIS A CHRISTO: κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. Verbum καταργέομαι significat aboleri, irritum, otiosum que fieri. Quare his verbis significatur quod paulo ante aliis verbis dixerat: *Christus vobis nihil proderit*. Evacuari autem a Christo, & eius beneficiis, & gratiæ expertem esse, & ab eo nihil utilitatis percipere. QUI IN LEGE IUSTIFICAMINI; id est, qui iustitiam ex circumcisione, aliisque legis operibus quæritis. A GRATIA EXCIDISTIS; id est, beneficium gratiæ Christi perdidistis, nam qui ex lege iustificari quærunt, non expectant iustitiam a Christo per fidem, ut veri Christiani faciunt.

V. 5. NOS ENIM: qui vere, & ex animo Christum colimus. SPIRITU EX FIDE, &c. ex fide, quæ partim spiritum impetrat, unde iustitia in nobis efficitur; partim ab ipso spiritu oritur, adeoque ex ipsa spiritali legis interpretatione expectamus iustitiam, & iustitiæ fructum, id est vitam æternam.

V. 6. NAM IN CHRISTO, id est in religione Christiana. NEQUE CIRCUMCISIO ALIQUID VALET: nihil valet, nihil confert ad iustitiam, & salutem, quod quis circumcisus sit, aut incircumcisus. SED FIDES QUAE PER CARITATEM OPERATUR; id est, fides non sola, nec inanis, & otiosa, sed quæ caritate perficitur, & in caritatis opera se diffundit.

V. 7. CURREBATIS BENE: in vita, & doctrina Christiana. QUIS VOS IMPEDIVIT: ἀνέκοψε, *cursum inhibuit*. VERITATI NON OBEDIRE? ut vos a Christiana veritate subtraheretis, & ad Iudaismum dilaberemini. NEMINI CONSENSERITIS: iudaizanti scilicet, & volenti vos abducere a cursu Evangelii, & trahere ad Iudaismum.

V. 8. PERSUASIO HAEC: qua Iudæi vobis persuadere, conantur legalia necessaria esse Christiano ad salutem. NON EST EX EO QUI VOCAT VOS: non est ex Deo Patre, qui vos ad fidem, gratiam, & salutem vocavit per Christum, sed potius ex Diabolo, eiusque ministris.

V. 8.

V. 9. MASSAM, id est farinam consperſam, & ſubactam, quam vulgo paſtam dicimus. CORRUMPIT: ſuo acore imbuit, inficit, corrumpit, & acidam facit: eſt adagium ſignificans parvum alicuius partis vitium, totum pervadere, ac depravare: ſignificat Apoſtolus paucos iudaizantes totam Galatarum Eccleſiam perdere.

V. 10. CONFIDO IN VOBIS, id eſt de vobis. IN DOMINO: in clementia, & gratia Domini. QUOD NIHIL ALIUD SAPIETIS, id eſt quod non credetis aliud, quam id quod ego vos docui. PORTABIT IUDICIUM, id eſt iuſtas pœnas luet; non effugiet debitum ſupplicium, quicumque tandem ille ſit. SI CIRCUMCISIONEM ADHUC PRAEDICO: ſi adhuc apud Iudæos iudaizo, ut fingunt qui mihi adverſantur, meo exemplo doctrinam ſuam ſtabilientes, quaſi ego, licet occulte, pro illis ſim. QUID ADHUC PERSECUTIONEM PATIOR? cur me impugnant, quem affirmant pro illis ſtare? ERGO EVACUATUM EST SCANDALUM CRUCIS. Si, inquit, ego circumciſionem adhuc prædico; debet ergo ceſſare offenſio Iudæorum, qua offenduntur ob crucis prædicationem. Non enim tam eos offendit prædicatio Chriſti crucifixi, quam legis per crucem abolitæ: vellent enim legem cum Chriſto retinere. EVACUATUM EST: κατήργηται; de cuius verbi ſignificatione dixi verſ. 4.

V. 12. UTINAM ET ABSCINDANTUR: ab Eccleſia, veſtroque conſortio, ne quaſi fermentum totam Eccleſiam corrumpant. Alii, ut Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus volunt ſenſum eſſe, ὄφελον καὶ ἀποκόψονται; Utinam qui vobis circumciſionem obtrudunt, non circumcidantur ipſi ſolum, ſed etiam abſcindantur illis prorſus genitalia. QUI VOS CONTURBANT: οἱ ἀναστατοῦντες, qui vos ſubvertunt, id eſt qui ſtudent vobis auferre libertatem in qua ſtatis, atque ex ea vos deturbare conantur.

V. 13. IN LIBERTATEM VOCATI ESTIS: ut per Evangelium ſitis liberi ab oneroſa, & inutili ſervitute legalium ceremoniarum. TANTUM LIBERTATEM, &c. monet Galatas ne libertatem in quam vocatos eos dixit male intelligentes, eo nomine abutantur ad ſerviendum carni. IN OCCASIONEM CARNIS: ut ſcilicet ſub prætextu huius libertatis plus æquo vobis ſumatis, & quaſi liberum ſit vobis quidlibet agere, carnalibus deſideriis ſerviatis. PER CARITATEM SPIRITUS: per caritatem, & amorem ſpiritualem. SERVITUTE INVICEM: alter alteri ſuccurrat, opituletur, ſerviat.

V. 14. OMNIS ENIM LEX: quæ ſcilicet ad proximum ſpectat. IN UNO SERMONE: brevi hoc præcepto ſervato impletur.

V. 15. SI INVICEM MORDETIS, ET COMEDITIS: ſi invicem roditis, & laceratis detractionibus, odiis, calumniis, invidiis. Veriſimile eſt, ut indicat Chryſoſtomus, occaſione falſi dogmatis a pſeudo apoſtolis introducti, multas inter ipſos exortas eſſe controverſias, & concertationes, quare opportune illos Apoſtolus admonet, ut caritatem colant. VIDETE NE AB INVICEM CONSUMAMINI. Hic enim eſt dimicationum, & controverſiarum exitus. *Seditio namque*, inquit Chryſoſtomus, *& contentio corruptionem & interitum affert, non modo iis qui læduntur, ſed ipſis etiam obtrectationis auctoribus.*

V. 16 DICO AUTEM; quaſi dicat, Summa totius epiſtolæ hæc eſto. SPIRITU AMBULATE: non lege, non carne; quaſi dicat: Radix omnis veſtri mali eſt defectus ſpiritus; ſi enim eum haberetis, excluderetis tam legalem, quam carnalem vitam. ET DESIDERIA CARNIS NON PERFICIETIS: quamvis caro ſollicitet ad peccata, non tamen facietis opere, aut conſenſu, id quod caro deſiderat, aut concupiſcit.

V. 17. CARO ENIM CONCUPISCIT ADVERSUS SPIRITUM; id eſt, carnalis concupiſcentia quam ex Adam traximus, excitat, & commovet in nobis prava deſideria Spiritui ſancto contraria. SPIRITUS AUTEM ADVERSUS CARNEM: quia ſancta deſideria, quæ carni contraria ſunt in nobis excitat. UT NON QUAECUMQUE VULTIS ILLA FACIATIS: velletis enim non concupiſcere, & non ſentire motus iræ, aut libidinis, & tamen quod optatis aſſequi non poteſtis.

V. 18. QUOD SI SPIRITU DUCIMINI: ſi ſpiritu ambulatis, & ſpiritus agit, & movet vos. NON ESTIS SUB LEGE: terrente, cogente, & vindicante, nam ſpiritu duca libenter faciatis quæ leges præſcribunt.

V. 19. OPERA CARNIS: opera, & actus ad quos excitat caro, hoc eſt, concupiſcentia. FORNICATIO: πορνεία, *ſcortatio*. IMMUNDITIA: ἀκαθαρσία, & mollities, qua ſe molles contra naturam contaminant. IMPUDICITIA: geſtus, oſcula, ta-

ctus impuri. LUXURIA: ἀσέλγεια, lascivia, quævis libido petulantior.

V. 20. IDOLORUM SERVITUS, cultus idolorum. VENEFICIA: cum scilicet potionibus, aut alia simili ratione occulte necantur homines, aut, quod addit Hieronymus, *magicis artibus impuro amore inflammantur*. INIMICITIAE: quibus occulta odia continentur. CONTENTIONES: lites externæ, altercationes, & pugnæ verbum. AEMULATIONES. ζῆλοι, *invidiæ*. Est prava quædam affectio cum livore, cum scilicet quis dolet alium esse consecutum id quod ipse cupiebat obtinere. IRAE: acres videlicet excandescentiæ, cum appetitione vindictæ coniunctæ. RIXAE: ἐριθεῖαι, *cum quis*, ut ait Hieronymus, *semper ad contradicendum paratus*, *stomacho delectatur alieno*, *& muliebri iurgio contendit*, *& provocat contendentem*. DISSENSIONES: διχοστασίαι, dissidia, ut cum quis dicit, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ. SECTAE: αἱρέσεις, *hæreses*, cum scilicet quis mavult in materia religionis suam opinionem, & electionem, quam Ecclesiam, & maiorum traditionem sequi.

V. 21. INVIDIAE: φθόνοι, invidia aliena felicitate torquetur, & a zelo differt, quod hic in bonam partem accipi potest, cum quis meliora æmulatur. HOMICIDIA: φόνοι, *cædes*. EBRIETATES; μέθαι, quæ tam a vino, quam ab aliis potionibus, quæ vario modo conficiuntur, possunt accidere. COMESSATIONES; κῶμοι, Anselmus interpretatur inhonesta & luxuriosa convivia, epulationes, quæ nimio cibo ventrem distendunt.

V. 22. FRUCTUS AUTEM SPIRITUS, &c. Opponit operibus carnis opera spiritus, quæ scilicet a Spiritu gratiæ proveniunt, & quæ Spiritus sanctus per suam gratiam in nobis producit. CHARITAS. Orditur a caritate, quæ omnium reliquorum fructuum, qui hic numerantur, radix est, & origo. GAUDIUM: quod oritur ex conscientia serena, sancta, purgata a peccatis, vitiis, animi perturbationibus. PAX: qua tranquilla mens nullis passionibus turbatur, tranquilla etiam, & amicabilis cum proximis conversatio, quæ inimicitiis opponitur. PATIENTIA. Græce μακροθυμία, quam etiam longanimitatem interpretari possumus, quæ est animi quædam lenitas qua quis quamvis gravia, & diuturna mala, forti, & constanti animo perfert, quæ merito cum caritate coniungitur, de qua scribit idem Paulus, *Caritas omnia sustinet*, I. Cor. XIII. 7. BENIGNITAS: χρηστότης: significat morum facilitatem, ac suavitatem, qua quis aliis se libenter accommodat, in bonum; nam *caritas benigna est*, ut loco citato ait D. Paulus. BONITAS: ἀγαθωσύνη, qua quis & a nocumentis abstinet, & prodesse, ac benefacere paratus est. LONGANIMITAS. Huic voci nihil respondet in textu Græco. Quid sit longanimitas hoc eodem versiculo diximus explicantes quid esset patientia.

V. 23. MANSUETUDO. Mansuetus, ait Anselmus, dicitur quasi manu assuetus, scilicet tractabilis, tractari, duci, pati, ferre assuetus: opponitur iræ, & animositati, quæ nihil vult pati. FIDES: fidelitas, & veracitas in promissis, quæ opponitur fraudi, & mendacio. MODESTIA. Virtus est, quæ modum ponit, & moderatur omnes actiones exteriores, scilicet incessum, vestitum, sermonem, risum, lusum, ac totum hominem exterius recte componit, provenitque ex interna mentis, & passionum moderatione. CONTINENTIA: ἐγκράτεια. Continentia generalis est virtus, aut potius complexio virtutum, qua continens vitiorum omnes illecebras, & tentationes frænat, & cohibet. CASTITAS. Anselmus ita continentiam a castitate distinguit, ut continentia *in luctamine sit*, *castitas in pace*, non enim castitas, sed continentia dicitur, ubi adhuc resistit adversitas voluptatis. Igitur iuxta Anselmum, continentia est castitas militans, & pugnans, & tentationibus exercita. ADVERSUS HUIUSMODI NON EST LEX. Nulla est lex, quæ hos fructus spiritus, & eorum observatores arguat, compescat, condemnet; ac proinde si spiritu ducimini non estis sub lege, ut dixit supra vers. 18.

V. 24. QUI AUTEM SUNT CHRISTI: qui Christi Spiritu aguntur. CARNEM SUAM CRUCIFIXERUNT, &c. concupiscentiam, & naturam vitiatam, cum vitiis suis habitualibus, & cum suis moribus actualibus, scilicet concupiscentiis crucifixerunt, & compresserunt, timore illo casto, qui permanet in sæculum sæculi, quo cavemus offendere illum, quem toto corde, animo, menteque diligimus.

V. 25. SI SPIRITU VIVIMUS: si internam habemus vitam, & animam gratiæ, Spiritus, & iustitiæ. SPIRITU ET AMBU-

LEMUS:

LEMUS: secundum spiritus, & gratiæ dictamen, ductumque incedamus, conversemur, operemur.

V. 26. NON EFFICIAMUR: non simus. PROVOCANTES: ad pugnas verborum. INVIDENTES: cum pares, aut ceteris superiores esse non possumus.

TIRINI.

Vers. 2. SI CIRCUMCIDAMINI, credentes id esse necessarium ad iustificationem & salutem (inquit S. Augustinus) CHRISTUS VOBIS NIHIL PRODERIT: etsi præ vobis feratis velle vos nihilominus etiam Christum colere, eique deservire. Ratio est, quia hic est error exploratus in fide, quæ solis Sacramentis novæ legis, non vero Mosaicæ vim iustificandi adscribit.

V. 3. CIRCUMCIDENS SE, DEBITOR EST, seu debitorem se facit, UNIVERSAE LEGIS Mosaicæ FACIENDAE: quia eo ipso se obligat ad omnes eius ceremonias & præcepta complenda. Sicut enim *baptismus* est publica professio fidei Christianæ & subiectio respectu novæ legis, ita *circumcisio* respectu veteris legis, inquit S. Anselmus.

V. 4. QUI LEGE IUSTIFICAMINI; id est, quicumque iustitiam quæritis ex circumcisione, aliisque legis Mosaicæ ceremoniis, etsi externa specie Christo adhærescatis; revera tamen EVACUATI ESTIS A CHRISTO & a beneficiis christianismi, & A GRATIA EIUS EXCIDISTIS, nihil ab eo utilitatis percipientes: caretis enim

V. 5. SPIRITU, id est spirituali vita, & vera *iustitia*, quæ EX FIDE procedunt: vos autem fide vera destruimini. Atqui

V. 6. IN CHRISTO, seu in religione Christiana, NIHIL VALET ad iustitiam consequendam, seu CIRCUMCISIO, seu PRAEPUTIUM, id est esse circumcisum, vel non circumcisum: SED FIDES in Christum, non sola, nec inanis aut otiosa, sed QUAE caritate perficitur, & PER CARITATEM in pia *opera* se diffundit.

V. 8. PERSUASIO HAEC, quod legales ceremoniæ necessariæ sint Christiano ad salutem, NON EST EX EO QUI VOCAT VOS, id est, non procedit a Deo, qui vos ad fidem, gratiam & salutem æternam per Christum vocavit; sed est ex diabolo eiusque ministris, qui saluti vestræ insidiantur. Unde

V. 10. CONFIDO DE VOBIS IN DOMINO, id est per Dei clementiam ac gratiam, QUOD NIHIL ALIUD, quam quæ vos docuimus, SAPIETIS aut credetis. QUI AUTEM VOS in hoc negotio CONTURBAT, PORTABIT IUDICIUM, seu condemnationem, iustas luiturus pœnas.

V. 11. SI EGO (ut spargunt pseudo-apostoli) ADHUC clam vobis, sed publice inter Iudæos, PRAEDICO CIRCUMCISIONEM, id est legis observationem esse necessariam; ut QUID ADHUC PERSECUTIONEM ab illis patior? Si enim EVACUATUM EST, id est omnino cessat, SCANDALUM CRUCIS, id est offendiculum quod ipsis parit Christus crucifixus. Nempe, locum non habebit immunitas ab oneribus legis Mosaicæ, quam per Christum crucifixum nos adeptos esse prædicavi, propter quam immunitatem tam multi Iudæorum scandalizantur. Neque enim tam illos offendit prædicatio Christi crucifixi, quam legis per crucem abolitio: parati enim essent Christum una cum Mosaica lege colere.

V. 13. Sed VOCATI ESTIS per Christum IN LIBERTATEM, seu immunitatem, ab onerosa & inutili legalium ceremoniarum servitute: TANTUM cavete NE Christianam hanc LIBERTATEM DETIS IN OCCASIONEM CARNIS, id est abutamini illa ad serviendum carnalibus desideriis, vel proximo deneganda necessaria auxilia. Etsi enim liberati sitis a iugo legis Mosaicæ, non estis tamen immunes a lege naturali & divina caritatis non solum erga Deum, sed & erga proximum.

V. 14. OMNIS ENIM LEX, *a* quæ proximum spectat, IN UNO SERMONE, id est brevi hoc præcepto servato, IMPLETUR. DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM *b*.

V. 15. SI mutuis odiis, detractionibus, calumniis (forte ex occasione horum de legalibus dissidiorum) INVICEM MORDETIS, roditis, laceratis, COMEDITIS, devoratis; VIDETE NE AB INVICEM CONSUMAMINI. *Contentio enim*, inquit S. Chrysost. *corruptionem & interitum affert, non modo iis qui læduntur, sed ipsis etiam obtrectationis auctoribus.*

V. 16. SPIRITU, id est secundum instinctum non carnis, non mundi, non dæmonis, sed Spiritus sancti, AMBULATE; quasi dicat: Radix omnis vestri mali est

quod non obsequamini Spiritui sancto : si enim huic obsequeremini, excluderetis facile tam legem Mosaicam, quam vitam omnem carnalem.

V. 17. CARO, id est, carnalis appetitus, & quævis concupiscentia, sive illa sit in appetitu sensitivo, sive in rationali, v. g. desiderium excellentiæ, vanæ scientiæ, ultionis, &c. Unde inter opera carnis enumerat etiam sectas, invidiam, iram, &c.

V. 19. IMMUNDITIA. Græce ,ἀκαθαρσία, id est mollities, qua quis contra naturam se contaminat. IMPUDICITIA : ἀσέλγεια, id est lascivia, per gestus, oscula, tactus impudicos, inquit S. Thomas & Anselmus.

V. 20. AEMULATIONES. Cum quis conatur alium divertere vel præpedire ab eo quod ipsemet ambit.

V. 21. QUI TALIA AGUNT eo modo ut peccatum fiat mortale, REGNUM DEI celeste NON CONSEQUENTUR.

V. 22. FRUCTUS SPIRITUS; id est, opera quæ ex gratia & instinctu Spiritus sancti proficiscuntur, per habitus nobis infusos, & opponuntur, operibus carnis iam recensitis : ita Thophyl. & Anselmus. Eiusmodi fructus sunt omnia opera omnium virtutum Christianarum. CARITAS primus ac nobilissimus fructus est, ac parens, radix & origo ceterorum fructuum *c*. GAUDIUM ex conscientia tranquilla, ex gloria Dei, vel ex bono proximi. BONITAS, qua quis & a nocumentis abstinet, & aliis prodesse studet.

V. 23. FIDES, seu fidelitas & veracitas in promissis, ut Anselmus exponit. CONTINENTIA : ἐγκράτεια, iuxta Aristotelem complexio est virtutum, qua quis vitiorum illecebras & tentationes cohibet ac refrænat. De singulis vide S. Augustinum & S. Thomam *d*. ADVERSUS eos qui HUIUSMODI fructus edunt, nulla EST LEX arguens, damnans, puniens : ac proinde *si spiritu ducimini, non estis sub lege*, ut supra dictum *e*. Præmia enim vos manent, & non pœnæ legis violatæ.

V. 25. SI SPIRITU VIVIMUS; animati & vegetati gratia, instinctu & ductu Spiritus sancti, ET iam AMBULEMUS SPIRITU, id est opera & fructus proferamus conformes gratiæ, instinctui & ductui ipsius, nempe fructus supra recensitos.

(a) Rom. XIII. 8.
(b) Matt. XXII. 39.
(c) I. Cor. XIII. 7.
(d) Augustin. tract. LXXVIII. in Ioannem. S. Tho. II. 2.
(e) Hic vers. 18.

GORDONI.

Vers. 1. *& 2.* STATE ET NOLITE. Exhortatio est ad constantiam in fide & libertate Christi, ne vel turpiter redeant ad idola & Dæmones, vel obruantur onerosis cæremoniis legis. SI CIRCUMCIDAMINI, vers. 2. si necessariam putatis ad salutem circumcisionem : redemptio Christi baptismus & religio tot signis probata non proderunt. Et vero baptismus sufficit. En valorem baptismi supra circumcisionem Calvinianam. Porro si circumcidamini, debitores eritis & obligati ad totam legem : est enim circumcisio professio legis; sicut baptismus inter Christianos. His duabus rationibus dissuadet Iudaismum : nam præter gravissimum onus legis quod suscipitis, evacuati estis a Christo, vos qui in lege iustificamini, hoc est iustificari vos putatis.

V. 5. & 6. NOS ENIM EX FIDE. Firmat quod dixit, eum qui necessarium putat Iudaismum, evacuari Christo, nec esse Christianum, ex antithesi in vitæ genere : nam Christianus secundum spiritum vivit fide Christi, spe & caritate; Iudæus vero externis cæremoniis. *Ex fide*, spem iustitiæ expectamus : sic nempe progreditur Christianus a fide & spe ad iustitiam. Ad hunc vero scopum non proficit circumcisio, neque præputium aut gentilismus. Manet itaque res tota & salus in fide operante per caritatem. Videt ex his clarissimis verbis Novator non sufficere solam fidem : requiritur fides operans, ut in Magdalena, & operans per caritatem : sicut dispositio operatur per formam, sic fides ἐνεργουμένη redditur, quasi intus operans, seu vinterna.

V. 7. *usque ad* 12. CURREBATIS BENE. Oratio hæc pseudoapostolos respicit : non sunt a Deo, fermentum sunt, corrumpunt, depravant vos; non effugient supplicium a Deo. Si fingunt apud vos, adhuc me iudaizare; fallunt vos. Sane si iudaizo cum ipsis, quid adhuc me persequuntur. ABSCINDANTUR (qui vos ita conturbant) ab Ecclesia, vestroque consortio subversores isti. Alii cum Augustino. Si tantopere volunt circumcidi, etiam abscindatur illis

totum genitale membrum ; aut si dicas iocosa urbanitate, id additum a Paulo, & ex zelo iustitiæ. Ita aliqui temperant imprecationem.

V. 13. In libertatem vocati estis. Ponite ante oculos libertatem sanctam, qua liberati estis a duro onere sub idolis, & servitute Iudaica, si Christum sequimini. Hæc est Christiana libertas, quam sæpe hac epistola opponit servituti, in qua sunt Iudæi. Cæci sunt hic Novatores qui non vident antithesin hanc afferre solam libertatem a legalibus ceremoniis. Impium etiam illud, dum volunt hinc liberos esse Christianos ab omni inter homines positivo præcepto superiorum, etiam parentum & prælatorum. Hoc sane est abuti libertate naturali; & pereunt respublicæ, si semel persuasum est hominibus se his præceptis non teneri in conscientia. Quem errorem clare damnat Paulus Rom. xv. 5. Nec est quod quispiam obiiciat non esse maiorem nunc libertatem, quam sub Mose: nam Christiani universe habent quæ obligant præcepta decalogi, & quinque Ecclesiæ leges. Qui vero astringuntur ad canones plures, hoc libere elegerunt, idque ob finem optimum, & quia utilitatem offerunt longe aliam, quam Mosaicæ cæremoniæ. Longe ergo aliud est iugum legis, & iugum caritatis.

V. 14. Omnis enim lex. Hactenus de doctrina: reliquo capite de caritate servanda & moribus. Vocati ergo ad veram libertatem, nolite ea abuti. Id vero ne contingat; exerceri vos oportet in caritate: hæc enim vobis est instar totius legis. Tota enim lex quæ respicit proximum, hoc verbo continetur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Similia sunt quæ subiungit.

V. 16. & 18. Dico autem. Hic scopus, hæc summa est totius epistolæ, si spiritum sequimini (ubi dominatur caritas) nec legalia, nec carnalia desideria vos perturbabunt: en utramque partem epistolæ. Et verum hoc est. Spiritus enim iste quem proponit, omnia hæc novitatis, superbiæ, contentionis & impudicitiæ desideria retundit continua mortificatione, ut hac nunc utar recepta voce. Quæ porro sic spiritu vincuntur, specialius Paulus recenset vers. 19. & 20. quæ vitia suis locis explicant fuse Theologi.

In hac serie rerum, quæ militant adversus spiritum, per carnem intelligitur concupiscentia, & ea residens non tantum in appetitu sensitivo, sed etiam in rationali (ex August. VIII. Confess. cap v.) quando sequitur vitiosum motum carnis, quo iam modo peccata omnia dicuntur opera carnis: quamvis sub alia ratione sint etiam peccata spiritualia, ut vocant Theologi.

Sed quid est vers. 18. spiritu viventem non esse sub lege? Certe non loquitur de lege ceremoniali: nam nec etiam Christiani qui non vivunt spiritu, sunt sub hac lege ceremoniali. Sensus ergo est, spiritu viventem non teneri reum legis, & obstrictum pœnis legis: nam adiutus gratia implet opera legis. Liber ergo est a lege terrente, cogente & castigante.

V. 22. Fructus autem spiritus. Hic explicat ex fructibus, quid sit spiritu vivere. Est vero vitam & mores instituere ex dictamine rationis, & gratiæ datæ a Spiritu sancto, qui suadet fidei, spei, charitatis, & pietatis opera. Fructus qui hic recensentur vers. 22. & 23. ut variarum sunt virtutum, ita variis in locis eos explicant Theologi.

V. 24. Qui autem sunt Christi. Epilogus est, & exitus belli inter carnem & spiritum. Ubi qui spiritu reguntur, concupiscentias omnes recensitas cruci affixerunt. Et hæc victoria est quæ vincit mundum. Restat, inquit, ut si spiritu vivimus per habitum, spiritu etiam ambulemus & progrediamur per opera.

CA-

CAPUT VI.

Cum humilitate iuvandus est proximus, nec aliorum laudes curandæ: semperque bene operandum est, ut tempore suo metamus vitam æternam: rursum monet ut caveant a seductoribus, qui cum legem suadeant, ipsi illam non observant: Paulus autem in solo Christo crucifixo gloriatur, ad quem nec circumcisio, nec præputium quidquam faciunt.

1. FRatres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,
vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu
lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu teneris. 2. Al-
ter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Chri-
sti. 3. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil
sit, ipse se seducit. 4. Opus autem suum probet unus-
quisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, &
non in altero. 5. (*a*) Unusquisque enim onus suum por-
tabit. 6. † Communicet autem, is qui catechizatur verbo, ei qui se catechi-
zat, in omnibus bonis. 7. Nolite errare: Deus non irridetur. 8. Quæ enim
seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de car-
ne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet
vitam æternam. 9. (*b*) Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore
enim suo metemus non deficientes. 10. Ergo dum tempus habemus, operemur
bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. 11. Videte qualibus lit-
teris scripsi vobis mea manu. 12. * Quicumque enim volunt placere in carne,
hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non pa-
tiantur. 13. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt
vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. 14. Mihi autem absit gloriari,
nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus
est, & ego mundo. 15. In Christo enim Iesu, neque circumcisio aliquid va-
let, neque præputium, sed nova creatura. 16. Et quicumque hanc regulam
secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. 17. De
cetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore
meo porto. 18. Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum spiritu vestro, fra-
tres. Amen.

(*a*) I. Cor. III. 8. (*b*) I. Thess. III. 13.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

Vers. 12. *Quicumque enim volunt placere in carne*, Multi libri omittunt *enim*.

Lectionum Varietas.

Vers. 6. *Communicet autem is qui catechizatur verbo*. Pro ablativo *verbo* clarius est in aliis libris, accusativus *verbum*, Græco conformiter.

COM-

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verf. 1. SI PRAEOCCUPATUS FUERIT HOMO. Græce eſt προληφθῇ, & quum προλαμβάνομαι ſignificet etiam opinione præſumo & exiſtimo, mihi videtur Græcorum hic eſſe poſſe ſenſus: Si quis opinione præſumitur & exiſtimatur eſſe in aliquo delicto, nolite ſtatim illum vel traducere vel acriter nimis obiurgare, vos QUI SPIRITUALES ESTIS: SED HUIUSMODI INSTRUITE IN SPIRITU LENITATIS: ubi pro inſtruite Græce eſt καταρτίζετε: & quum καταρτίζω, ſignificet hominem animo perturbato componere, ac ſibi reſtituere, poteſt eſſe ſenſus: Si quis præoccupatus eſt & antequam cavere poſſet, in delicto inventus eſt & deprehenſus; nolite acrius obiurgare, ſed potius in ſpiritu lenitatis illum componite, ne acrius obiurgatus mentem animumque deſpondeat. CONSIDERANS TEIPSUM. Hic ſolœciſmus eſt, inſtruite conſiderans, pro conſiderantes voſmetipſos; nam Græce participium ſingulare eſt, ſcilicet σκοπῶν, cum verbo plurali, unde ſe vere Paulus fatetur imperitum ſermone.

V. 4. OPUS AUTEM SUUM PROBET, id eſt vitam ipſe ſuam ſcrutetur, nec anxie diſquirat de aliena; & ſic, ſi non reprehenderit eum cor eius, de ſeipſo gloriari poterit apud Deum, ET NON IN ALTERO GLORIAM HABEBIT, Græce εἰς ἕτερον, id eſt *adverſus alterum*; ſicut Phariſæus gloriabatur, dicens, *non ſum ſicut ceteri hominum, raptores, adulteri, velut etiam hic publicanus*.

V. 6. COMMUNICET, &c. id eſt qui per prædicationem fidei myſteriis ducetur, *communicet* IN OMNIBUS BONIS, id eſt de ſuis facultatibus elargiatur ei, QUI SE CATECHIZAT, id eſt inſtruit.

V. 7. NOLITE ERRARE. Arguit eos, qui falſo poteſtatem prætendebant, ne doctores ſuos alerent. Nolite, inquit, errare, novit Deus veſtras facultates. NEQUE IRRIDETUR, id eſt tamquam deceptus ludibrio haberi poteſt. Hic enim Græci irrideri, pro falli ſumunt.

V. 8. QUI SEMINAT, &c. id eſt qui carnalia tantum ſeminat; ſuiſque concupiſcentiis ſervit, de his CORRUPTIONEM METET, id eſt mortem æternam reportabit. QUI AUTEM IN SPIRITU SEMINAVERIT, id eſt ſpiritualia bona fecerit, de his VITAM AETERNAM METET.

V. 9. NON DEFICIAMUS. Græce μὴ ἐκκακῶμεν, id eſt ne deſides ſimus, neque defatigemur in benefaciendo.

V. 12. QUICUMQUE ENIM VOLUNT PLACERE, Iudæis ſcilicet IN CARNE, id eſt per carnalem circumciſionem, quam prædicant, & per veſtram circumciſionem, hi vos cogunt circumcidi: non quod in circumciſione virtutem eſſe putent, neque quod legis ſint zelatores, ſed tantum ne circumciſionem deſtruendo, perſecutiones patiantur, quas crucem & evangelium prædicantibus Iudæi inferunt. IN CARNE VESTRA, id eſt carnaliter de vobis tamquam ſibi acquiſitis diſcipulis glorientur.

V. 15. NOVA CREATURA, id eſt anima fide, ac baptiſmo renovata, in novitate vitæ ambulans, ſecundum ſpiritum non in vetuſtate litteræ ſecundum carnem.

V. 16. HANC REGULAM, id eſt hunc vivendi modum, ut in novitate vitæ ſecundum Chriſtum ambulent, &c. & in eo ſolo glorientur. SUPER ISRAEL DEI, id eſt veros Chriſtianos: neque enim omnes qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt Iſraelitæ, Rom IX.

V. 17. NEMO MIHI MOLESTUS SIT, id eſt nemo mihi moleſtiam adferat, & hypocriſeos inſimulet, aut levitatis, quod circumciſionem nunc tollo, nunc prædico. EGO ENIM STIGMATA DOMINI IESU, id eſt plagas, verbera, & afflictiones, ob prædicationem illius, & circumciſionis ſublationem IN CORPORE MEO PORTO: ſic enim Photius Græcus exponit.

S. A.

Verf. 1. PRAEOCCUPATUS, ſcilicet lapſus. INSTRUITE, id eſt reducite. Syr. *erigite*. CONSIDERANS, &c. quaſi dicat, Cavens ſimul tibi; vel, cogitans infirmitatem tuam. TENTERIS, id eſt tentatione vincaris; quaſi dicat, Vide ne & tu labaris; vel, cogita te etiam poſſe tentari.

V. 2.

V. 2. ONERA id est molestias. PORTATE, id est sufferte, vel quasi dicat, Iuvate invicem. LEGEM, scilicet de dilectione, *Hoc est*, inquit, *praeceptum meum ut diligatis invicem*.

V. 3. ALIQUID ESSE: adeoque non potest ferre alios.

V. 4. OPUS; pro, opera. PROBET, id est exploret. HABEBIT; quasi dicat, Videbit an in se habeat unde possit gloriari. ALTERO, scilicet laudante, vel peccante, cui se ideo praefert.

V. 5. ONUS, id est peccatorum sarcinam, de qua Deo reddet rationem.

V. 6. CATECHIZATUR, id est mysteria fidei docetur. VERBO, scilicet fidei. BONIS; quasi dicat: Communicet ei bona temporalia, si ille eget.

V. 8. CORRUPTIONEM, id est interitum, seu supplicium.

V. 9. DEFICIENTES, id est fraudati; vel quasi dicat, Fructum quo fruemur perpetuo.

V. 10. AD; pro, erga. DOMESTICOS FIDEI, id est fideles iustos: Hieron. epist. 150.

V. 13. QUALIBUS, scilicet quanto affectu erga vos, qui totam, praeter morem, mea manu scripsetim.

V. 12. IN CARNE, id est hominibus. CRUCIS, id est ob crucem, seu sectatorum crucis.

V. 13. IN CARNE, &c. id est ob persuasam vobis circumcisionem.

V. 14. CRCIFIXUS, scilicet ut nocere non possit: August. MUNDO, scilicet ut illius nihil concupiscam. Potest & sensus esse: Nec ego a mundo quidquam expecto, nec ille a me: vel, Crucifixi in me mundana omnia, & mundus in se mea, scilicet divina.

V. 15. NOVA, scilicet per gratiam.

V. 16. REGULAM, id est formam vitae, scilicet renovatae per Christum. ET SUPER; pro, id est super. ISRAEL Dei, id est verum Israelem.

V. 17. STIGMATA, id est notas impressas servorum more, scilicet saepe flagellatus ob Christum, multaque passus corpore; quasi dicat: Ne mihi quis Christum tentet eripere, frustra enim fecerit.

V. 18. AMEN. Graec. additur & Syr. *Missa e Roma*.

MARIANAE.

Vers. 1. SI PRAEOCCUPATUS FUERIT HOMO, id est aliquis, si contra ea, quae diximus, deliquerit, legem observans. QUI SPIRITUALES ESTIS, id est fortiores, nec legem carnalem curatis. INSTRUITE, sive *instaurate*, *restituite* καταρτίζετε; Ambrosius, *humiliate*; nempe verbum Graecum non a κατὰ, ut alii, sed a κάτω id est *infra* deduxit; quasi dicat, infra ponite. Vestra lenitate facite, ut se humiliet. CONSIDERANS, id est cavens tibi, ne in idem aut simile delictum incidas. *Considerans*; pro, considerantes.

V. 2. ALTER ALTERIUS ONERA PORTATE. De verbis βαστάζειν & αἴρειν, quomodo non solum *ferre*, sed *auferre* significent, ex Tertulliano & Basilio dictum est Matth. VIII. 17. Sane culpas aliorum ferendo mansuetudine saepe tollimus. ET SIC ADIMPLEBITIS LEGEM CHRISTI. Lex Christi caritas est, Ioan. XV. 12. Et ne quis ex superbia fratris imbecillitatem non curaret, addit:

V. 3. SI QUIS EXISTIMAT: nihil sumus.

V. 4. OPUS AUTEM SUUM, se examinet. IN SEMETIPSO, id est in sua conscientia poterit gloriari, si quid scilicet boni fecit: II. ad Corinth. 1. 12. *Gloria nostra est testimonium conscientiae nostrae*. ET NON IN ALTERO, id est non comparatione eius qui deliquit. Graec. clarius, *&* *non in alterum*, ut Pharisaeus contra publicanum.

V. 5. ONUS SUUM PORTABIT. *Quisque suos patitur manes*, & delicta habet, ne infletur contra alium.

V. 6. COMMUNICET; id est, qui instituitur, operario, catechistae, ne victum neget, tribuat potius omnia necessaria. Neque inopiam excusetis. Novit Deus quae habetis; non irridetur, nec fallitur.

V. 8. QUAE ENIM SEMINAVERIT HOMO. Messis respondet sementi. Si in vitia expenditis, metetis corruptionem & mortem. Si in spiritu, id est in bonis, quale est ministri alimentum, merces erit vita aeterna.

V. 9. NON DEFICIAMUS, id est non desistamus, aut non defatigemur. Syr. *ne taedio sit bonum*, sic enim tempore suo metemus.

V. 11. QUALIBUS, quantis litteris scripsi, id

id est quam prolixis, si consideratis mea manu scriptas. Summa est earum.

V. 12. QUICUMQUE ENIM. Τὸ *enim* redundat, nec est Græc. nec in Reg. aut Lovan. VOLUNT PLACERE, scilicet Iudæi. IN CARNE, id est per carnis circumcisionem id agunt,

V. 13. UT IN CARNE, quasi victoria parta ob susceptam a vobis carnis circumcisionem glorientur, triumphent Iudæi.

V. 14. MIHI MUNDUS CRUCIFIXUS EST, &c. Mundus me spernit, & ego mundum.

V. 15. NOVA CREATURA, id est homo fide & baptismo innovatus: id tantum Christo placet, non circumcisio.

V. 16. ET SUPER ISRAEL DEI, id est veros Christianos, pax erit.

V. 17. NEMO MIHI MOLESTUS SIT, inconstantiæ scilicet arguens, quasi modo probem, modo reiiciam legem. Nam persecutiones, quas patior a Iudæis, ea STIGMATA, id est quasi notæ, quæ servis imprimuntur, signa sunt meæ voluntatis & doctrinæ. *Stigmata*, nota alicui inusta est.

MENOCHII.

Vers. 1. SI PRAEOCCUPATUS FUERIT HOMO, &c. si quis a pseudo-apostolis in fraudem aliquam actus, & seductus fuerit. Dicit autem præoccupatum Græce προληφθῇ, ad extenuandam culpam: sensus enim est, Si quis impetu aliquo abreptus, aut imbecillitate victus, vel ignoratione seductus culpæ affinis repertus fuerit. HOMO, id est aliquis: est Hebraismus, nam apud Hebræos, *ise*, *hominem* significat, & *aliquem*. VOS QUI SPIRITUALES ESTIS: qui geritis vos pro spiritualibus, & perfectis. INSTRUITE: καταρτίζετε, instaurate, redintegrate, restituite; quasi dicat: Sicut restaurantur artus, & membra hominis lapsu luxata; ita fidem, & mores lapsos proximorum, & quodammodo luxatos restaurate. IN SPIRITU LENITATIS: non duriter, & severe agendo, sed humaniter, & mansuete. CONSIDERANS TE IPSUM, &c. Est enallage numeri, singulare pro plurali, considerantes vosmetipsos: solet enim Deus permittere eos tentari, qui duri sunt, & inclementes in peccatores, & quidem eodem genere tentationis.

V. 2. ALTER ALTERIUS ONERA PORTATE. *Onera* vocat peccata, quæ reatu suo nos deprimunt, & pœnis obnoxios reddunt. Portamus onus, id est peccata proximi, eumque hoc onere levamus per compassionem, & lenitatem, lenemque instructionem, & correptionem, per orationem Deum precantes ut eum sarcina illa liberet, &c. ET SIC ADIMPLEBITIS LEGEM CHRISTI: legem fraternæ dilectionis, quæ dictat mutua onera ferenda esse.

V. 3. NAM SI QUIS EXISTIMAT SE ALIQUID ESSE. Hoc dicitur contra superbiam eorum, qui sibi placentes, & existimantes se aliquid esse durius tractabant infirmos. IPSE SE SEDUCIT: seipsum decipit, in errore versetur, nam nihil est, quia sua duritie, fastu, & arrogantia ostendit se nullius esse virtutis.

V. 4. OPUS SUUM PROBET UNUSQUISQUE: ad semetipsum oculos convertat, & suas imbecillitates, lapsusque consideret, & alios eadem caritate, & lenitate tractet, qua cupit ipse tractari. ET SIC IN SEMETIPSO TANTUM GLORIAM HABEBIT, &c. Non gloriabitur respiciens alterum graviter lapsum, quod eo sit melior, ut Pharisæus gloriabatur, se præferens Publicano; sed modeste in se, suaque conscientia, in operibus Dei gratia factis gloriabitur.

V. 5. ONUS SUUM, id est meritas operum pœnas portabit, ut etiam, si bene se gesserit, eorumdem præmia referet.

V. 6. COMMUNICET AUTEM IS QUI CATECHIZATUR VERBO, &c. id est, qui instruitur in doctrina fidei tribuat doctori suo bona temporalia, quæ viderit ei esse necessaria, quia iustum est, ut qui spiritualia ministrat, temporalia recipiat.

V. 7. NOLITE ERRARE, DEUS NON IRRIDETUR; id est, nolite vosmetipsos fallere vanis excusationibus, quæ valere possunt apud homines, sed non apud Deum, cui fucus fieri non potest.

V. 8. QUAE ENIM SEMINAVERIT HOMO, &c. id est, omnium operum suorum quæ fecerit iustam retributionem accipiet. QUONIAM QUI SEMINAT IN CARNE: qui semen operum suorum proiicit in terram carnis suæ, id est illa facit in obsequium carnalis concupiscentiæ suæ. DE CARNE METET ET CORRUPTIONEM: propter opera hæc carnalia referet interitum, miseriam, & mortem sempiternam. QUI AUTEM SEMINAT IN SPIRITU, id est operatur spiritualia.

V. 9. NON DEFICIAMUS: ἵνα ἐκκακῶμεν,

non fatigemur, non lassemur, ne patiamur nos vinci tædio, aut segnitie. TEMPORE ENIM SUO, id est in die iudicii, & retributionis extremæ. METEMUS NON DEFICIENTES: ἐκλυόμενοι, viribus semper integris, & numquam fatigatione solutis.

V. 10 ERGO DUM TEMPUS HABEMUS: seminandi, benefaciendi, merendi in hac vita. In Græco est καιρὸν, id est *opportunitatem*. AD OMNES: omnibus benefaciendes. DOMESTICOS FIDEI: Christianos, qui domestici fidei dicuntur, quia in unam domum Ecclesiæ per fidem congregati sunt.

V 11. VIDETE QUALIBUS LITTERIS SCRIPSI VOBIS MEA MANU: πηλίκοις, id est *quantis*, quam longis litteris vobis scripsi mea manu; quasi dicat, Ego Paulus, qui alias scribere soleo manu aliena, & tantum dictatis subscribere, hanc epistolam totam, & satis longam mea manu scripsi, ut magis intelligatis quantum mihi sit curæ vestra salus. QUICUMQUE VOLUNT PLACERE IN CARNE: εὐπροσωπῆσαι, id est in speciem placere. IN CARNE, id est hominibus, & Gentilibus suis Iudæis. UT CRUCIS CHRISTI PERSECUTIONEM NON PATIANTUR: ne propter crucem Christi persecutionem patiantur a Iudæis fratribus suis.

V. 13. NEQUE ENIM QUI CIRCUMCIDUNTUR, id est non faciunt hoc zelo legis, nam ii ipsi qui circumcisionem vobis obtrudere conantur, legem servant. UT IN CARNE VESTRA GLORIENTUR, ut scilicet, apud Iudæos glorientur de vestra circumcisione, quod scilicet vos ad circumcisionem, & Iudaismum converterint.

V. 14. MIHI AUTEM ABSIT GLORIARI NISI IN CRUCE, &c. id est, in fide grata memoria, prædicatione beneficii crucis. MIHI MUNDUS CRUCIFIXUS EST: ego mundum abominor ut cadaver crucifixi. ET EGO MUNDO: & vice versa mundus, & homines mundani me, ut crucifixum, abominantur, & horrent.

V. 15. IN CHRISTO ENIM IESU: in Christi fide, religione, Ecclesia, ad bene, & Christiane vivendum. NEQUE CIRCUMCISIO ALIQUID VALET, id est in negotio salutis per Christum obtinendæ; neque circumcisio, neque præputium. SED NOVA CREATURA. Novam creaturam appellat animam baptismo, & gratia Christi regeneratam, quæ effecta est nova creatura spiritualis.

V. 16. HANC REGULAM: hanc doctrinam, quam tradidi. PAX SUPER ILLOS, ET MISERICORDIA: pacem illis a Deo imprecor, & misericordiam cum dicit, *super illos*, Gentiles intelligit. ET SUPER ISRAEL DEI, id est Iudæos credentes Christo.

V. 17. DE CETERO NEMO MIHI MOLESTUS SIT: nemo mihi ob Apostolatum meum litem intendat, nam cuius servus sim, patet ex stigmatibus corpori meo impressis. STIGMATA DOMINI IESU, &c. Olim servis stigmata, id est notæ aliquæ inurebantur, ex quibus cuius essent agnoscerentur. Ad hæc alludit Paulus, atque se esse Christi servum, & Apostolum, quod facile agnosci possit ex stigmatibus, & cicatricibus quas in corpore gestabat, propter vulnera, & plagas Christi causa susceptas.

V. 18. CUM SPIRITU VESTRO, id est vobiscum sit: sic quotidianæ illi salutationi, quæ in Ecclesiastico officio adhibetur, *Dominus vobiscum*, respondetur, *& cum Spiritu tuo*.

TIRINI.

Vers. 1. SI PRAEOCCUPATUS FUERIT HOMO; id est, si quis, seu a dæmone, seu a carne, seu a falsis fratribus in fraudem actus vel seductus fuerit: VOS QUI tam vestra, quam aliorum opinione SPIRITUALES, id est perfecti, ESTIS, & spiritu Dei agimini, INSTRUITE; Græce, *instaurate*, redintegrate, pristinæ virtuti restituite, HUIUSMODI hominem, non duriter aut severe ipsum corripiendo; sed IN SPIRITU LENITATIS, id est cum omni humanitate ac mansuetudine; CONSIDERANS (enallage, numeri singularis pro plurali,) id est *considerantes* vosmetipsos, NE ET *vos tentemini*, & ad similem lapsum deducamini. Solet enim Deus simili pœna permittere puniri duros & inclementes in peccatores.

V. 4. QUISQUE OPUS SUUM, id est opera, vitam, mores suos PROBET, id est exploret, consideret, examinet, UT SIC IN SEIPSO propriisque operibus suis GLORIARI possit secundum Deum, NON vero solum IN ALTERO laudante te, vel in contemptu alterius gravius te peccantis, ut Pharisæus iste in contemptu Publicani *b*: ita Anselmus.

V. 6. QUI CATECHIZATUR VERBO, id est qui in mysteriis fidei instruitur, COMMUNICET instructori suo (si is indigeat,)

de

de OMNIBUS BONIS suis temporalibus: iustum enim est, ut qui spiritualia ministrat, temporalia recipiat. De munere cathechizandi rudes & pueros (quod adeo commendat Episcopis omnibus & Parochis Concil. Tridentinum *c*,) & de eius antiquitate, utilitate, dignitate, necessitate, vide Antonium Possevinum & Ioannem Gersonem *d*, qui etsi Cancellarius Parisiensis, numquam ab eo munere obeundo divelli potuit.

V. 8. QUI SEMINAT IN CARNE, seu carni suæ, id est opera sua facit in obsequium proprii appetitus & carnalis concupiscentiæ suæ; METET etiam DE CARNE, quales illa proferre solet fructus, nempe CORRUPTIONEM, miseriam, interitum & mortem sempiternam. QUI AUTEM SEMINAT IN SPIRITU, seu spiritui suo, id est operatur spiritualia, METET VITAM & gloriam AETERNAM.

V. 11. QUALIBUS; Græce, *quantis*, seu quam prolixis, LITTERIS SCRIPSI VOBIS, o Galatæ, non aliena (ut soleo) sed MEAMET MANU! Inde VIDETE ac colligite quam mihi sit curæ vestra salus.

V. 12. QUI VOLUNT PLACERE Iudæis IN CARNE, id est in observatione carnalium seu externarum ceremoniarum legis Mosaicæ: Græce, εὐπροσωπῆσαι, id est secundum faciem, vel in speciem externam placere; HI COGUNT VOS CIRCUMCIDI; quasi dicat: Non id urgent studio complendæ legis, sed idcirco dumtaxat, ut ex vestra circumcisione vanam (quasi bene gestæ rei) glorialem, & bonam gratiam suæ gentis aucupentur; & UT a Iudæis contribulibus suis NON PATIANTUR PERSECUTIONEM CRUCIS CHRISTI, seu qualem pati soleut præcones crucifici Christi

V. 14. MIHI e contrario ABSIT, ut in alia re *glorier* vel gaudeam, quam IN CRUCE CHRISTI, id est in fide, grata memoria, prædicatione beneficii crucis, & tribulationibus atque ærumnis eius causa subeundis. PER & propter QUEM crucifixum Christum *e*, MUNDUS MIHI CRUCIFIXUS EST: nam mundum abominor ac si cadaver esset latronis crucifixi: sicut vice versa EGO crucifixus sum MUNDO, qui me simili modo abominatur & exhorret. Quod apud Cassianum *f* pulchre explicat Abbas Panufius, item S. August. Ambros. Theophyl. Anselm. Bernardus *g*, & S. Thomas.

V. 15. IN CHRISTO ENIM, id est in religione Christiana, ut supra *h* vidimus, nil iuvat ad iustitiam vel salutem, nisi NOVA CREATURA, id est anima per gratiam Christi interius renovata, & exterius baptismo regenerata, & in *nova* ac spirituali vita ambulans.

V. 16. QUICUMQUE HANC REGULAM quam tradidi de vera iustificatione, libertate, doctrina & vita spirituali, SECUTI FUERINT, PAX sit SUPER ILLOS (tam Gentiles quam Iudæos conversos intelligit) *&*, seu *id est i*, SUPER ISRAEL DEI; quasi dicat: Hi demum sunt veri Israelitæ ex mente Dei, & spirituales filii Abrahæ, eiusque in solidum heredes: ita S. Thomas, & Haymo.

V. 17. NEMO iudaizantium, vel etiam aliorum, *deinceps* MIHI MOLESTUS SIT, rogando an servus Moysis sim, an Christi. Nam cuius servus sim, sat patet ex stigmatibus & notis (quibus, seu manui, seu brachio, seu fronti inustis, servi dignosci solent, cuius sint domini,) corpori meo infixis. *Gesto* enim & iacto non stigma circumcisionis, ut faciunt servi Moysis, sed STIGMATA *Christi*; id est, plagas & cicatrices ex verberibus, vulneribus & ærumnis propter Christum toleratis, quibus instar fortissimi ac fidelissimi militis Christi merito gloriari possum: ita S. Hieron. Ambros. Chrysost. Theophyl. Anselmus, S. Thomas & Haymo. Quinque vulnera Christi, manibus, pedibus & lateri S. Pauli infixa fuisse, ut fuerunt infixa S. Francisco, nullus veterum meminit.

V. 18. GRATIA IESU CHRISTI sit, maneatque æternum CUM SPIRITU VESTRO, id est vobiscum k. Hinc sumpta videtur formula qua quotidianæ salutationi in Ecclesiastico officio, *Dominus vobiscum*, respondetur, *Et cum spiritu tuo*, id est etiam tecum.

(a) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. 44.
(b) Lucæ XVIII. 11.
(c) Trid. sess. XXIV. cap. IV. & VII.
(d) Possevinus Lib. IV. Bibliothecæ sanctæ cap. VI. VII. VIII. I. Ioan. Gerson. parte II. operum de pueris ad Christum trahendis.
(e) Galat. II. 19.
(f) Cassian. Lib. IV. de Institutis renunziantium cap. XX. IV. & XXXV.
(g) Bern. serm. VII. in Quadragesima.
(h) Hic cap. III. 6.
(i) Ephes. I. I. Coloss. II. 4. &c.
(k) Proleg. de Idiotism. Hebr. num. 28.

GORDONI.

Vers. 1. PRomovet quod instituit agere de moralibus documentis. Primum est de modo quo quilibet se gerere debet erga infirmos, & præoccupatos in aliquo delicto. Et videtur universe loqui non tantum de seducto aliquo a pseudoapostolis, sed in quovis alio delicto; *τὶ*, *præoccupatos* ex Græco, quasi abreptos impetu ab imbecillitate. Vos SPIRITUALES, perfectiores, iuvate non duriter, sed ex clementia. Quod sequitur vers. 2. hortatio etiam est ad lenem instructionem. Lex enim fraternæ dilectionis ad hoc invitat, quam vocat hic legem Christi. Peccata sunt onera portanda compassione & auxilio.

V. 3. & 4. SI QUIS EXISTIMAT. Est hoc monitum Apostoli contra duritiem, fastum & arrogantiam eorum, qui durius tractabant infirmos, cum nihil sint, ostendunt sane se nullius esse virtutis. Expedit ergo ut qui tales sunt, oculos ad se convertant, & expendant quid illis desit, videantque quid sibi ab aliis fieri velint: & studeant, sic habere in seipso dona Dei, unde possint in se gloriari; non autem ut Pharisæus ille supra Publicanum; & memores sint, quemque onus suum portaturum, cum datur in iudicio præmium. Lege August. Lib. II. de Serm. Dom. in monte c. XX.

Sed ut passim, ita hic errant Novatores: quisque portabit suum onus; ergo non orandum pro his qui sunt in Purgatorio. Puerile argumentum. Immo quia quisque in purgatorio portat suum onus & pœnam, ideo pro iis (quod suadet caritas) orandum, ut liberentur. Peccat porro Novator, non advertens Paulum hic loqui de onere & pœnis in extremo iudicio, non vero de Purgatorio.

V. 6. COMMUNICET AUTEM. Dixit hactenus quomodo qui instruit alium, gerere se debeat, tum circa eum qui instruitur ac iuvatur; tum circa seipsum. Iam ostendit quomodo qui instruitur, & iuvatur a catechizante, debeat se gerere erga suum instructorem. Certe æquum est ut is qui instruitur in doctrina spirituali, tribuat doctori suo temporalia bona.

V. 7. & 8. NOLITE ERRARE. Subindicavi ab Apostolo dari hic monita, velut cum proponuntur diversa præcepta, ubi non solet quæri connexio unius ab alio, ut tamen fit cum de doctrina agitur. Et quicquid de connexione sit, certe monet hic synceritatem in omni opere esse retinendam sine fuco aut fictione: falli quidem posse homines, sed Deum qui penetrat corda, non posse irrideri. Et proinde apud Deum operi respondebit præmium, quod explicat similitudine seminantis. Sunt enim qui seminant in carne & peccata: alii in benedictionibus. Si nexum quæras sermonis, referri hæc possunt ad illud vers. 4. PROBET AUTEM.

V. 9. 10. & 11. BONUM AUTEM. Exhortatio ad perseverantiam, pulsa segnitie in tam sublimi opere salutis. Tempus breve est, vers. 10. sed opportunum bono operi, & erga omnes. Et ne putetis hanc esse vulgarem, aut commendationem, aut exhortationem. Volui, inquit, hanc totam epistolam mea manu exarare. Notanda hic analogia. Operantes qui non deficiunt, metent sine fine, seu numquam deficient. Vita æterna est.

V. 12. QUICUMQUE VOLUNT PLACERE IN CARNE. Hoc recte ex Græco explicatur: *εὐπροσωπῆσαι*, in speciem placere, & per consilia carnis, cui opponitur in cruce placere, vers. 14. Illi sunt qui timentes persecutiones crucis persuadent circumcisionem, UT GLORIENTUR (vers. 13.) IN CARNE VESTRA. Hoc est apud Iudæos, quod converterint ad Iudaismum, cum tamen nec ipsi legem servent. Ita vane hodie gloriantur Sectarii, gloriantes cum carnales pertrahunt ad hæresim. Numquam hæresis est primum peccatum.

V. 14. MIHI AUTEM ABSIT. Docet exemplo: Ego, inquit, mundum habeo ut crucifixum, sicut me ut crucifixum abominatur. Gloriabor in cruce, fide Christi & gratia, & in hac via salutis non est locus circumcisioni, immo nec præputio & gentilismo; sed novæ creaturæ, & per gratiam in baptismo regeneratæ. Et qui sequitur hanc regulam, pace fruetur æterna.

V. 17. DE CETERO. Nemo deinceps vel Iudæus, vel alius sit solicitus, & urgeat, an sim Christi Apostolus. Crucem aperte profiteor: & hoc ipsum, qualiscumque sim, indicant satis perpessiones & stigmata persecutionum, unde facile agnosci possum, ut cognoscitur servus cuius Domini sit ex stigmate. Gratias, &c.

EPI-

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS.

EX cap. quarto & sexto huius Epistolæ liquet eam scriptam fuisse Romæ; sed utrum in prioribus, an in posterioribus Pauli vinculis ea præscripta fuerit, dubitatur. Per Tychicum quidem missa fuit, uti & Epistola ad Colossenses: sed ex Epistola II. ad Timotheum, quæ posteriorum vinculorum tempore scripta est, discimus eumdem Tychicum ab Apostolo missum esse Ephesum: cumque titulus nomen tantummodo Pauli, non Timothei nomini sociatum præ se ferat, videtur viris doctis scripta in posterioribus vinculis.

Ephesus erat Asiæ minoris Metropolis, templo Dianæ celebris: eo confluebant totius Orientis populi: per tres annos Paulus Evangelium ibi prædicaverat, ut Mileti huius Ecclesiæ & circumiectæ regionis Pastoribus testatus est; idque repetitis vicibus, ut verisimile est: seditione ab argentariis exorta hinc exire coactus est. Missa est hæc Epistola per Tychicum ex Græca subscriptione. Hanc Epistolam scripsit, ut fideles in suscepta fide & in mutua dilectione confirmaret; atque eos adversus turbam Philosophorum, magorum, Simonis discipulos, & falsos fratres e Iudæis male conversos muniret. In duas dividitur partes: in priori, quæ est dogmatica, de gratuita prædestinatione ad fidem, iustitiam, & salutem differit, ut firmi perstarent in doctrina, quam prædicaverat. Beneficia Incarnationis Dominicæ & Redemptionis in memoriam revocat. In posteriori Epistolæ parte, quæ a capite quarto incipit, præclara morum tradit præcepta. Epistola sublimis est ob materiæ dignitatem, stylus paulo obscurior; nulla enim alia Pauli Epistola tanta habet mysteria reconditis ensibus involuta, teste Hieronymo.

CAPUT PRIMUM.

Deum benedicit Apostolus, qui prædestinatos plurimis, iisque maximis per Christum filium affecit beneficiis: agitque Deo gratias ob fidem ac dilectionem Ephesiorum erga proximos, orans ut perfectam adipiscantur sapientiam: ostendens etiam Christi a mortuis suscitati exaltationem, qui constitutus est caput super omnem Ecclesiam.

1. PAULUS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, omni-
bus sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu.
2. Gratia vobis & pax a Deo Patre nostro, & Domino
Iesu Christo, 3. (*a*) Benedictus Deus & Pater Domini no-
stri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione
spirituali in cælestibus in Christo, 4. sicut elegit nos in
ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & im-
maculati in conspectu eius in caritate. 5. Qui prædesti-
navit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum
propositum voluntatis suæ, 6. in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratifica-
vit nos * in dilecto filio suo. 7. In quo habemus redemptionem per sangui-
nem eius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ eius, 8. quæ su-
perabundavit in nobis, in omni sapientia & prudentia: 9. ut notum faceret
nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod propo-
suit in eo, 10. in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in
Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso: 11. In quo etiam &
nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur
omnia secundum consilium voluntatis suæ: 12. ut simus in laudem gloriæ e-
ius nos, qui ante speravimus in Christo: 13. In quo & vos, cum audissetis
verbum veritatis, (Evangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati e-
stis Spiritu promissionis sancto, 14. qui est pignus hereditatis nostræ, in re-
demptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. 15. Propterea & ego au-
diens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes san-
ctos, 16. non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in ora-
tionibus meis: 17. ut Deus, Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vo-
bis spiritum sapientiæ & revelationis; * in agnitione eius; 18. illuminatos o-
culos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ divitiæ glo-
riæ hereditatis eius in sanctis, 19. & quæ sit supereminens magnitudo virtu-
tis eius in nos, qui credimus (*b*) secundum operationem potentiæ virtutis e-
ius, 20. quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & consti-
tuens ad dexteram suam in cælestibus, 21. supra omnem principatum, & po-
testatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur
non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. 22. (*c*) Et omnia subiecit sub
pedibus eius: † & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, 23. quæ est
corpus, * & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

(a) II. Cor. 1. 3. I. Pet. 1. 3. (b) Infra III. 7. (c) Psalm. VIII. 7.

BRU-

BRUGENSIS.

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 6. In dilecto filio ſuo. Non omittas *fi-lio ſuo*.
Verſ. 17. In agnitione eius. Quidam libri pro ſexto caſu, ſcribunt quartum *agnitionem*.
Verſ. 23. Et plenitudo eius. Non eſt omittenda coniunctio &.

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 22. ET *ipſum dedit caput ſupra omnem eccleſiam*. Quædam manuſcripta habent *ſuper omnia ipſi eccleſiæ*, conſentanee Græco & Syro.

NOTATIO.

Verſ. 6. IN *qua* (*gratificat* o.) *gratificavit* (*glorificavit* o.) *nos in dilecto filio ſuo*. Græci libri *filio ſuo* non legunt; tantum ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Quamobrem Hieronymus in huius loci commentariis: „ Nec putandum, inquit, quod in Latinis codicibus habetur, ſcriptum eſſe *in dilecto filio ſuo*, ſed ſimpliciter in dilecto. Conſentiunt qui Hieronymum ſecuti videntur; Primaſius, & Sedulius, atque Interpretes Græci Chryſoſtomus, Theodoritus, & Oecumenius; a quibus non facile ſeparandus eſt Theophylactus. Duo Latinorum manuſcriptorum Germani latum, & Societatis latum ad hunc ſcribunt modum; ſed quod vereor aut ex Græco, aut ex Hieronymi commentario immutata. Cetera omnia quotquot vidimus Latina exemplaria *filio ſuo* addunt; quibus Ambroſiaſtri, Haymonis, Auctoris Gloſſæ, huiuſque ſcholæ lectio conſonat. Syri habent *per dilectum ſuum*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 3. QUI BENEDIXIT NOS, id eſt, qui nos per Chriſtum abunde cumulavit omnibus bonis ſpiritualibus & cæleſtibus, quæ nobis in cælo repoſuit; ſicut Iudæorum benedictio in terrenis bonis erat; nam quod ad homines attinet, benedicere Deo, laudare eſt: unde paulo ante dixit, *Benedictus Deus*, id eſt laude dignus; benedicere autem Dei hominibus, eſt illis benefacere: unde quod interpres vertit IN OMNI BENEDICTIONE SPIRITUALI, nos in paraphraſi, in omni bonorum ſpiritualium largitate: rurſum quod ait IN CAELESTIBUS, intelligit bona olim nobis in cælo repoſita: nunc enim bonis ſpiritualibus gratia ſcilicet, ac reliquis ſpiritus ſancti donis nos muneratur, & poſt mortem, ſi quidem iis recte uſi fuerimus, gloriam in cælo largitur.

V. 4. UT ESSEMUS SANCTI ET IMMACULATI, aut magis inculpati; nam Græce eſt, ἀμώμους, quod ſignificat inculpatos & irreprehenſibiles, IN CONSPECTU EIUS; id eſt, non modo coram hominibus, qui de facie iudicant, ſed coram Deo, qui cor intuetur. IN CARITATE: referendum eſt iſtud ad id quod præceſſit, ELEGIT NOS, in caritate. Græc. ἐν ἀγάπῃ, id eſt, in dilectione, ſive pro ſua in nos dilectione.

V. 5. 6. & 7. QUI PRAEDESTINAVIT: id eſt, qui iuxta æternam prædeſtinationem ſibi nos per Ieſum Chriſtum adoptavit in filios: nam quod interpres vertit *in ipſum*, pro quo quidam Græc. εἰς αὐτόν reciproce, quodque Eraſmus vertit *in ſe*, mihi referendum videtur non ad prædeſtinandi verbum, ſed adoptionis, quaſi prædeſtinavit ut ſibi in filios adoptaret; neque enim admodum quadrat in ſeſe, utrocumque referas; prædeſtinavit autem IN LAUDEM GLORIAE GRATIAE SUAE, id eſt laudaremus & glorioſam prædicaremus gratiam ſuam, qua nos ſibi gratos effecit in Chriſto, IN QUO HABEMUS REDEMPTIONEM PER SANGUINEM ipſius, ipſam videlicet peccatorum remiſſionem.

V. 9. & 10. UT NOTUM FACERET: ſuperabundavit, inquit, gratia in nobis, adeo ut notum faceret nobis ſacramentum & myſterium voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ſuum, quod propoſuerat complere (ut Græci ſubaudiunt) in eo, id eſt per Chriſtum; ſacramentum, inquam, quod eſt INSTAURARE OMNIA IN CHRISTO *cæleſtia & terreſtria*, id eſt omnes homines & angelos unire & coniungere, & ad Chriſtum tamquam unum caput redigere, IN DISPENSATIONE PLENITUDINIS TEM-

TEMPORUM, id eſt quum tempus ad id a patre deſtinatum completum eſſet. Pro eo autem quod interpres habet *inſtaurare*, Græc. legunt ἀνακεφαλαιῶσθαι, quod ſignificat ſummatim colligere. Dei filius autem ante incarnationem nondum erat caput noſtrum, quia non habebat eandem cum membris humanam naturam.

V. 11. SORTE VOCATI SUMUS. Græc. ἐκληρώθημεν, id eſt in ſortem & hereditatem aſciti ſumus.

V. 12. LAUDEM GLORIAE, &c. id eſt ut ſimus argumentum & occaſio laudandi & glorificandi Dei de noſtra converſione.

V. 13. & 14. IN QUO ET VOS, &c. id eſt ſperaſtis. SIGNATI ESTIS SPIRITU, &c. Græce pro ſignati eſtis, eſt ἐσφραγίσθητε, id eſt *obſignati & ſigillati eſtis*: ſicut enim hic exponunt Græca ſcholia, ut ſuos agnoſceret, ac notabiles redderet Spiritu ſancto obſignavit Deus, quando velut ſigillum divinæ adoptionis Spiritus S. gratiam illis infundit, qui quidem Spiritus S. eſt pignus hæreditatis noſtræ IN REDEMPTIONEM ACQUISITIONIS, id eſt velut pignus quo certi ac ſecuri ſumus nos populum ſuum ſibi acquiſitum redemptum iri, nos enim Dei acquiſitio ſumus & poſſeſſio, ut hic Photius ait, περιποίησιν ἡμᾶς καλεῖ, διὰ τὸ περιπεποιῆσθαι ἡμᾶς τὸν Θεόν, id eſt acquiſitionem nos vocat, quod ſibi nos Deus acquiſierit & compararit, deinde ὃν ἀῤῥαβῶνα φησὶ ἐν πρὸς τοῦτο ἐστι, τοῦ ἀπολυτρώσασθαι τὴν περιποίησιν αὐτοῦ, id eſt arrabo: eſt igitur & pignus ad hoc videlicet ut poſſeſſionem ſuam redimeret. IN LAUDEM GLORIAE IPSIUS, id eſt ut inde laudetur ipſe & glorificetur.

V. 16. GRATIAS AGENS, id eſt gratias agere. Græc. enim participiis pro infinitivis utuntur.

V. 17. & 18. UT DEUS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, &c. Poſſemus hic iuterpretari, *pater gloriæ*, id eſt a quo omnis in homines gloria manat, ut græci videntur exponere; mihi autem videtur eſſe Hebraiſmus, ut Deus glorioſus dicatur, atque ita ſit ſenſus, Ut Deus glorioſus Domini noſtri Ieſu Chriſti pater, det vobis ſpiritum, & det vobis illuminatos oculos cordis veſtri, id eſt cordis oculos illuſtret, UT SCIATIS QUAE SIT SPES VOCATIONIS EIUS, id eſt ad quam vos vocavit, quidque ab eo vocati ſperare debeant, ET QUAE DIVITIAE, id eſt quam glorioſam, & opulentam hereditatem habituri ſunt ſancti.

V. 19. 20. & 21. QUAE SIT SUPEREMINENS, id eſt quam excellentem virtutis ſuæ magnitudinem in nos qui nunc credimus, oſtenderit, qua nos, ſcilicet (ut græci de Pauli perſona exponunt) tam ferinis moribus & Chriſtiani ſanguinis ſitibundos, in Chriſti fidem adduxit & cæleſtia philoſophari fecit. SECUNDUM OPERATIONEM POTENTIAE VIRTUTIS EIUS, QUAM OPERATUS EST IN CHRISTO, id eſt iuxta Photium (ſi τὸ *ſecundum operationem* referatur ad *credimus*) per eam virtutem & efficacem potentiam, qua Chriſtum ſuſcitavit a mortuis, quod ſcilicet Chriſti reſurrectio a morte corporali cauſa extiterit reſurrectionis noſtræ ſpiritualis; quodque in ipſum credimus. Si vero referatur ad τὸ *ſupereminens magnitudo*, tune κατὰ pro καθάπερ, ſumitur; & ſenſus eſt, Ut ſciatis quam ſit excellens magnitudo virtutis eius, qua credimus. *Secundum operationem*, id eſt quæ non eſt diſſimilis neque inferior illa potente & efficaci virtute, quam operatus eſt Deus in Chriſto: quod ſcilicet non minoris ſit potentiæ infideles a morte ſpiritali, quam Chriſtum a morte corporali ſuſcitare. Quum autem infirmitatis, & mortis Chriſti meminiſſet Paulus, ſtatim ab ſublimia tranſvolat, dicens eum ſedere *ad dexteram patris*, id eſt eadem æqualitate cum patre, & præfectum ſuper omnem principatum, poteſtatem, virtutem, & dominationem, per quæ intelliguntur angelorum ordines: & quoniam omnium angelorum officia nemo novit, nec nominare poteſt, ſubdit, ET SUPER OMNE NOMEN QUOD NOMINATUR, non hic tantum, SED IN FUTURO SAECULO; id eſt, & ſi quod eſt aliud ſpirituum cæleſtium nomen aut officium nobis ignotum, olim autem in gloria revelandum poteſt etiam principatus & dominationis nomine quæcumque poteſtas intelligi. Quod vero ſequitur, *& omne nomen*, poteſt intelligi pro quavis dignitate, ſicut Latini dicunt magni nominis hominem quem etiam ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, id eſt a nomine, Græci ὀνομαστοὺς vocant, id eſt clarum & celebrem. Græci exponunt ſupra omne nomen, ſupra omne quod dici nominarive poteſt.

V. 22. & 23 CAPUT SUPRA, &c. Græci le-

legunt, dedit illum caput Ecclesiæ super omnia, & tunc sensus est, quod super omnia visibilia aut invisibilia præfecit illum Ecclesiæ suæ caput, aut quod supra omnia bona quæ contingere nobis possunt, & tamquam summum bonum Ecclesiæ illum præfecit in caput; quæ quidem Ecclesiam, inquit, EST CORPUS EIUS ET PLENITUDO EIUS, id est complementum. Caput enim, inquit Oecumenius, corpore completur & perficitur, & ipsum etiam corpus capite. QUI OMNIA, &c. Gr. τῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρυμένου, id est omnia omnibus adimplentis vel impleti. Participium enim medium active & passive sumi potest. Græci explicant πληρουμένου ἀντὶ τῦ πληρῦντος, id est implentis; ut sit sensus, quod ecclesia est plenitudo capitis Christi, qui omnia adimplet in omnibus, quia (ut inquit Hieronymus) singulas in omnibus virtutes omnes aliquando esse faciet in singulis: si exponimus πληρυμένη passive, non video quomodo ordinetur τὰ πάντα, nisi adverbialiter ut sumatur pro omnino, & sit sensus, quod post resurrectionem omnino erit Christus in omnibus fidelibus. Si legimus omnia adimpletur, τὰ omnia sumendum est in recto, ut sit sensus, quod Christus qui est omnia in omnibus, id est qui in omnibus est ac sufficit pro omni bono, adimpletur, id est completur & consumatur omnibus membris sui corporis, id est Ecclesiæ quam dixit esse plenitudinem Christi omnia in omnibus complentis, vel omnino omnibus suis membris completi.

S A.

De Dei electione, & gratia, deque hominis Christiani moribus.

V. 1. FIDELIBUS, id est credentibus.

V. 2. GRATIA, scilicet multiplicetur.

V. 3. BENEDICTUS, id est benedicatur, seu laudetur. IN OMNI; pro, omni. IN CAELESTIBUS, pro, & cælesti, vel ad cælestia ducente, vel e cælo. IN CHRISTO, id est per Christum.

V. 4. IN IPSO, scilicet tamquam eius membra. IMMACULATI. Græc. *inculpati*, seu *irreprehensibiles*.

V. 5. IN ADOPTIONEM, &c. id est ut adoptaret in filios. IPSUM, id est se, scilicet ut sui essemus; vel in Christum, scilicet ut eius membra essemus. PROPOSITUM. Græc. εὐδοκίαν, id est *beneplacitum*.

V. 6. GLORIAE, id est gloriosæ, seu gloriosam, id est illustrem. IN QUA, id est per quam. GRATIFICAVIT, id est sibi gratos fecit. IN; pro, per.

V. 7. REMISSIONEM. Appositio.

V. 9. SACRAMENTUM, id est arcanum. EIUS, id est suum. PROPOSUIT IN EO, id est exhibuit in Christo.

V. 10. IN DISPENSATIONE, &c. id est cum tempora ab eo dispensata seu ordinata impleta essent. INSTAURARE, id est restituere, seu renovare. Græc. *recapitulare*; quasi dicat, Perfecte concludere. IN; pro, per. IN CAELIS, scilicet etiam Angeli per Christum perficiuntur: est enim etiam ipsorum caput in quantum homo; restaurata est etiam ruina Angelorum. IN IPSO: abundat, more Hebræo.

V. 11. IN QUO, id est per quem, scilicet Christum. SORTE, id est beneficio proveniente ex occulto Dei iudicio; vel pro, in sortem, id est hereditatem. PROPOSITUM. Quod nobis velut sors est, Deo est propositum. CONSILIUM, id est decretum. VOLUNTATIS; quasi dicat, Liberum.

V. 12. ANTE, scilicet eius adventum. Loquitur de Iudæis.

V. 13. SALUTIS; pro, de salute. IN QUO; pro, in quo inquam, id est per quem. PROMISSIONIS; pro, promisso.

V. 14. PIGNUS. Græc. *arrhabo*. IN REDEMPTIONEM, &c. quasi dicat, Redempti, & ei acquisiti.

V. 17. DEUS. Iunge cum *gloria*, id est gloriosus.

V. 18. CORDIS, id est mentis. SPES; quasi dicat, Quanta bona sperentur a vocatis a Deo.

V. 19. POTENTIAE; pro, potentis.

V. 21. NOMEN, id est rem.

V. 22. DEDIT, id est fecit. OMNEM ECCLESIAM. Græc. *omnia ipsi Ecclesiæ*.

V. 23. PLENITUDO, id est completum, scilicet constat totum corpus capite & membris. OMNIA; pro, per omnia. ADIMPLETUR. Græc. *adimplet*.

M A R I A N AE.

Vers. 1. PER VOLUNTATEM DEI, id est gratiam, Apostolus. OMNIBUS SANCTIS, id est fidelibus, non omnibus Ephesinis scribit. EPHESI. Ephesus Ionia

niæ urbs Asiatica, Dianæ celebri templo famosa, dedita idololatriæ: Act. xix. 13. Ambrosius epist. xvi. hanc Pauli Epistolam redegit in compendium.

V. 3. Benedictus Deus. Inchoat a gratiarum actione, ut vocationis beneficii magnitudinem commendet. Et Pater; pro, qui Pater; ut Genes. ix. 13. *Arcanum meum ponam in nubibus, & erit signum*; pro, qui erit. In caelestibus, quo ad res cælestes benedixit nos, Iudæis terrenis benedixit. In Christo, id est per Christum.

V. 4. Sicut elegit nos in ipso, id est per ipsum Christum. Vides quatuor prædestinationis causas: Efficientem, Dei electionem; Meritoriam, Christum; Formalem, adoptionem; Finalem, vitam æternam. Et immaculati, seu, *ut inculpati*. In conspectu eius, id est vere, sine fictione essemus. In caritate, id est per caritatem: ea est vera sanctitas.

V. 5. In ipsum: εἰς αὐτόν, id est sibi prædestinavit nos in suam amicitiam.

V. 6. In laudem gloriae; pro, in laudem gloriosam suæ gratiæ. In dilecto filio suo. *Filio suo* non est Græc. neque Syr. reiicit Hieronymus in Comment. negatque haberi in Latinis codicibus. Consentiunt Chrysostomus & alii Græci Expositores. Unus Velesius id addit. Dixisset unde.

V. 8. In omni sapientia, id est cum omni sapientia, quam una cum gratia contulit nobis.

V. 9. Ut notum faceret nobis sacramentum, id est mysterium absconditum. Illud est quod sequitur, velle per Christum omnia instaurare, sive recapitulare ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est illi omnem potestatem conferre.

V. 10. In dispensatione. Græc. Syr. Gotth. *in dispensationem*, id est quo tempore ipse disposuit, ut hæc instauratio fieret.

V. 11. Sorte vocati sumus; pro, in sortem, scilicet eorum quæ instaurantur.

V. 12. In laudem gloriae eius, id est simus occasio & argumentum laudandi & glorificandi Deum.

V. 13. In quo .... signati estis, seu *sigillati estis* nota inusta, uti pecus Christi, ἐσφραγίσθητε. Idque Spiritu, quem scilicet accepistis.

V. 14. Qui est pignus. Græc. ἀῤῥαβών, *pignus*, & pars mercedis. In redemptionem acquisitionis, id est, quo pignore certi sumus nos redemptos esse, & acquisitos Deo. Propterea & ego audiens

V. 15. Fidem. Iungit eam cum dilectione, alioqui vana est, id est mortua.

V. 16. Gratias agens; pro, agere gratias non cesso pro vobis.

V. 17. In agnitione eius; pro, in agnitionem, id est ut eum agnoscatis, scilicet Christum. Oro igitur

V. 18. Illuminatos, supple, ex superiori vers. det, aut faciat illuminatos oculos. Ut sciatis, quae sit spes.... in sanctis, scilicet quam spem sancti & fideles habent.

V. 19. Et quae sit supereminens; id est, excellens virtus, quam in nostra conversione ostendit, non minorem ea operatione & potentia, qua Christum suscitavit, quem evexit.

V. 21. Supra omnem .... virtutem, id est supra omnes Angelorum ordines Christum constituit. Et dedit, ut esset

V. 22. Caput supra omnem Ecclesiam. Antequam Verbum esset homo, non erat caput Ecclesiæ, quia non eiusdem naturæ. Quæ Ecclesia est

V. 23. Corpus ipsius. Si Christus caput, corpus habere debet. Et plenitudo eius. Corpore completur caput, & corpus capite, ut Oecumenius ait. Hæc mystica compositio ex capite & membris constat. Utrumque alterius est complementum, non secus atque in humano corpore.

MENOCHII.

Vers. 1. Per voluntatem Dei, id est voluntate, & iussu Dei, non meritis meis ad Apostolatum Iesu Christi vocatus, & assumptus. Sanctis: Christianis.

V. 2. Gratia vobis: subintellige, multiplicetur.

V. 3. In omni benedictione spirituali: non carnali, & temporali, quam fere solam Iudaicus populus agnoscebat, & optabat, sed spirituali, non in pinguedine terræ, sed in donis, charismatisque cælestibus. In Christo, id est per Christum, per quem nobis confertur quidquid habemus donorum spiritualium.

V. 4. Sicut elegit nos. Hæc est an-

tiquissima, & liberalissima Dei benedictio fons, & origo ceterarum; sensus est: Secundum quod elegit nos per ipsum Christum, antequam mundus fieret, hoc est, ab æterno; quasi dicat, Effectus electioni respondet; præstat nobis Deus in tempore beneficia per Christum, quæ per eum se nobis daturum ab æterno decrevit. SANCTI, id est puri, casti, immaculati. IMMACULATI: inculpati, irreprehensibiles.

V. 5. QUI PRAEDESTINAVIT NOS, &c. sensus est, quasi dicat; Divina gloria finis est nostræ prædestinationis, qui prædestinavit nos, quos ob Christi merita adoptaret in filios. IN IPSUM: εἰς αὐτὸν, *in sese*, ut sit sensus, Prædestinavit nos per Iesum Christum, ut filios adoptaret sibi, sese unum spectans, & gloriam suam. Alii pronomen, *ipsum* referunt ad Christum, nam quidquid gratiæ, & gloriæ hominibus collatum est, id totum in Christi gloriam refertur, tamquam in caussam non modo meritoriam, sed etiam finalem nostræ prædestinationis, Probat hoc Suarez tom. I. in 3. par. disp. V. sect. II. Si autem sequamur hanc explicationem scribendum erit in textu Græco εἰς αὐτὸν, cum spiritu leni, non αὑτὸν, cum aspero, ut nunc habemus. SECUNDUM PROPOSITUM VOLUNTATIS SUAE: κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Gr. voci εὐδοκία nil habet sermo Latinus quod proprie respondeat; sonat autem propensam benevolentiam, ac favorem gratuitum, & sensus est prædestinasse nos Deum in adoptionem filiorum, non ex nostris meritis prævisis, sed ex altissimo divinæ providentiæ beneplacito, nullis nostris operibus provocato.

V. 6. IN LAUDEM GLORIAE GRATIAE SUAE: quo sic adoptati gloriosam eius, & illustrem in nos gratiam debitis laudibus celebremus, & grata memoria prosequamur. IN QUA GRATIFICAVIT NOS. In Græco est, ἐχαρίτωσεν ὑμᾶς, quod verti potest, *Gratia nos implevit*, est enim idem verbum, quod Luc I. 28. redditur, *Gratia plena*. IN DILECTO FILIO SUO: tam gratus fuit Christus, ut sua gratia nobis meruerit omnem gratiam. In dilecto Filio suo nos gratia cumulavit.

V. 7. IN QUO HABEMUS REDEMPTIONEM, id est, per quem dilectum redempti sumus e captivitate peccati, mortis, ac diaboli. PER SANGUINEM EIUS: quem effudit in pretium, ut nos redimeret. REMISSIONEM PECCATORUM; quasi dicat, Habemus redemptionem, quæ est remissio peccatorum. SECUNDUM DIVITIAS GRATIAE EIUS. Hæc fecit nobis Deus iuxta divitias gratiæ suæ, id est pro copiosa, & profusa erga nos beneficentia sua.

V. 8. QUAE, scilicet gratia. SUPERABUNDAVIT IN NOBIS: abunde in nos a Deo effusa est. IN OMNI SAPIENTIA, ET PRUDENTIA, id est cum omni sapientia, & prudentia. Sapientiam intelligit Christianam, quæ summa est, fidem scilicet Dei trini, & unius, aliorumque divinorum mysteriorum, quibus iustificari, & salvari debemus: maxime autem intelligit fidem Christi redemptoris. Porro sapientia, & prudentia distinguntur, nam sapientia refertur ad rerum tum divinarum, tum humanarum cognitionem, prudentia vero ad rerum agendarum usum.

V. 9. UT NOTUM FACERET NOBIS SACRAMENTUM VOLUNTATIS SUAE: secretum mysterium voluntatis suæ, nimirum incarnationem divini verbi, & in omnes Gentes ex Christi meritis effusam gratiam. SECUNDUM BENEPLACITUM EIUS: rursus excludit merita, & ad gratuitam, & spontaneam Dei liberalitatem refert: hoc proprie sonat εὐδοκία, de qua supra. QUOD; scilicet, beneplacitum, ut patet ex Græco εὐδοκίαν αὐτοῦ ἣν προέθετο. PROPOSUIT IN EO: sensus est, Beneplacitum Dei, hoc est voluntatem salutis hominum, & reparationis universi positam fuisse ab ipso Deo in Christo, quia ipsum constituit reconciliatorem, ac redemptorem mundi. Hunc sensum sequendo legi debet in textu Græco ἐν αὐτῷ, non ἐν αὑτῷ cum spiritu aspero, quem spiritum si retineamus, sensus erit, Deum hoc beneplacitum in seipso proposuisse, & constituisse.

V. 10. IN DISPENSATIONE PLENITUDINIS TEMPORUM, id est *Ubi venit plenitudo temporis*, ut dicitur ad Galat. IV. 4. quasi dicat, Cum dispensata, id est erogata, expensa, evoluta esset plenitudo temporis, id est impletum tempus constitutum a Deo. INSTAURARE OMNIA IN CHRISTO. ἀνακεφαλαιώσασθαι, *recapitulare*, ut legunt Hieronymus, & Augustinus, sensus est; Proposuit Deus omnes homines, & Angelos, cum inter se admodum essent disiuncti, immo inimici, unire, & ad unum ca-

caput Christum revocare, & sub illo coniungere. IN IPSO: redundat, more Hebræo. Idem enim est hoc loco, *in ipso*, quod, *in Christo*.

V. 11. IN QUO, id est per quem, scilicet Christum. ETIAM NOS SORTE VOCATI SUMUS: sortem adepti sumus, sors nobis obvenit, intellige vocationis, adoptionis filiorum, hereditatis, aut quid simile. PRAEDESTINATI SECUNDUM PROPOSITUM EIUS: ne quis *fortem* aliorsum traheret, sibique persuaderet temere, ac fortuito electionem factam, sapienter hoc adiecit. Ceterum huius sententiæ explicationem habes supra vers. 5. SECUNDUM CONSILIUM, id est decretum, in Deum enim deliberatio, inquisitio, aut consultatio cadere non potest.

V. 12 UT SIMUS IN LAUDEM GLORIAE EIUS; id est, ut simus materia, & seges divinæ laudis, & gloriæ. Vide dicta vers. 6. NOS QUI ANTE SPERAVIMUS IN CHRISTO: nos, scilicet, filii Abrahæ, cuius posteritati promissus est Christus; atque adeo illum, tamquam vere nostrum communione sanguinis, & iure promissionis, & venturum credidimus, & multis sæculis expectavimus.

V. 13. IN QUO ET VOS; scilicet, speratis, non quidem olim ut nos, sed nuper, cum ex nobis Christi ministris audissetis verbum veritatis, quod idem est Evangelium, id est bonum nuncium salutis vestræ. CREDENTES: πιςεύσαντες, id est postquam credidistis. SIGNATI ESTIS SPIRITU PROMISSIONIS SANCTO; id est, Spiritum sanctum accepistis, quæ certa nota est, certumque testimonium vos esse filios Dei, ad quos remissa spectet hereditas.

V. 14. QUI EST PIGNUS HEREDITATIS: ἀρῥαβὼν, id est arrha, quæ datur quasi pars anticipata futuræ plenæ solutionis. Hic autem Spiritus datur quasi pars, & prægustus futuræ nostræ hæreditatis, & felicitatis, quam obtinebimus in cælis. IN REDEMPTIONEM ACQUISITIONIS. Vox acquisitionis, in Græco est περιποιήσεως: est autem περιποίησις, *acquisitio*, & etiam *res acquisita*, quemadmodum apud Italos vox *Acquisto* utramque habet significationem, activam scilicet, & passivam. Hic ergo *Acquisitio* passive sumitur & significat acquisitam possessionem. Est autem hæc possessio populus peculiaris, singulariter a Deo electus, iuxta illud Psalm. CXXXIV. 4. *Iacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi*. Sensus ergo est, ut *Acquisitio*, id est populus electus redemptionem perfectam assequatur, ita ut nihil remaneat servitutis, nec peccati, nec miseriæ, morte ipsa penitus absumpta. IN LAUDEM GLORIAE IPSIUS: ut nimirum divina eius gloria illustretur.

V. 17. UT DEUS: quibus orationibus postulo ut Deus, &c. GLORIAE: hæc vox *Gloriæ* nectenda est cum voce *Deus*, ut totius verborum ordo rectus sit huiusmodi: *Ut Deus gloriæ*, (id est gloriosus) *Domini Iesu Christi Pater*; est enim hyperbaton, id est ordo transpositus, & inversus. SPIRITUM SAPIENTIAE, ET REVELATIONIS: det vobis sapientiam, qua mysteria divina patefiant, ut ipsum Deum magis semper, ac magis cognoscatis.

V. 18. ILLUMINATOS OCULOS CORDIS VESTRI: det vobis habere oculos intellectus vestri illuminatos. UT SCIATIS QUAE SIT SPES VOCATIONIS EIUS; id est, ut magis, ac magis cognoscatis, quæ, & quanta sint bona ad quæ ipse vos vocat, & quæ vos iubet sperare. *Spes* enim pro re speranda, more Hebræo posita est. ET QUAE DIVITIAE, &c. id est, & quam opulenta, splendida, magnifica sit gloria cælestis, quæ est hereditas, sanctis, hoc est, fidelibus in Christo sanctificatis, tamquam filiis adoptionis, ab ipso promissa.

V. 19. ET QUAE SIT SUPEREMINENS, &c. sensus est: Item ut cognoscatis excellentem magnitudinem potentiæ Dei, quam ostendit erga nos, qui credimus Evangelio, tam ardua fidei mysteria, tamque ab humano sensu remota nobis persuadens, & a statu peccati ad gratiam vocans. SECUNDUM OPERATIONEM POTENTIAE VIRTUTIS EIUS, &c. quasi dicat: Illa Dei virtus, potentia, & energia, qua nos resuscitavit ad idololatria, peccatis, & morte inferno, similis illi est, quam Deus ostendit in Christo, cum illum a morte suscitavit, & ad suam dexteram evexit.

V. 21. SUPER OMNEM PRINCIPATUM, &c. Principatus, virtutes, & dominationes, sunt nomina chororum Angelicorum. ET OMNE NOMEN: nomen hic accipit pro prersona quavis excellenti, sive humana illa sit, sive Angelica, & sensus est: Sive quod aliud est hominum, aut cælestium spirituum dignitatis, & excellentiæ nomen, aut officium nobis ignotum.

V. 22. ET OMNIA SUBIECIT SUB PEDIBUS

DIBUS EIUS: tam Angelos, quam homines Christi potestati subdit. DEDIT: constituit. SUPER OMNEM ECCLESIAM: Angelorum scilicet & hominum, militantem, & triumphantem.

V. 23. QUAE EST CORPUS IPSIUS: corpus mysticum. ET PLENITUDO EIUS, id est integritas, perfectio, & quasi complementum, quia sicut caput membra, sic membra caput ipsum perficiunt; non enim perfectum est corpus, nisi caput, & membra inter se unita sint, & colligata. QUI OMNIA IN OMNIBUS ADIMPLETUR. Ante vocem *omnia* subintelligenda est in Græco textu præpositio κατὰ per ellipsim, ut sit sensus; Ecclesiam esse plenitudinem eius, qui secundum omnia in omnibus sui corporis membris adimpletur, nam ut ait Chrysostom. *Nisi multi in Ecclesiæ mystico corpore numerentur, & sit alius quidem manus, alius vero pes, alius denique aliqua alia corporis pars; neque est integrum corpus, neque impletur, aut perficitur caput.*

TIRINI.

Vers. 1. BENEDIXIT NOS IN OMNI BENEDICTIONE SPIRITUALI, & non sola carnali seu corporali, qua tantopere gloriabatur populus Iudaicus: nec sola pinguedine terræ sed divitiis & delitiis CAELESTIBUS gratiæ ac gloriæ, præparatis nobis IN CHRISTO id est per & propter Christum, eiusque merita.

V. 4. SICUT IN IPSO, id est intuitu meritorum eiusdem Christi, ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM, seu ab æterno, ELEGIT NOS, UT, si vellemus ipsius gratiæ cooperari, fieremus & ESSEMUS SANCTI, id est iusti ET IMMACULATI; Græce. ἀμώμης, id est inculpati, irreprehensibiles; non (ut volunt Hæretici) remanente adhuc peccati macula, ac tantum non imputata nobis, sed vere ac sincere deleto stirpitus peccato IN CONSPECTU *Dei*. Hinc patet Apostolum hic non loqui de electione absoluta nisi quantum est ex parte ipsius Dei. Nam ex nostra parte requirit consensum & cooperationem, ut alibi dicit de suamet electione *a*. Item, non loqui de immediata electione ad gloriam, ut vult Suarez; sed ad fidem, iustitiam, sanctitatem. Et eodem modo usurpat verbum PRAEDESTINAVIT, versu sequ. nempe inchoate, seu ad iustitiam, ut dixi. Et patet, quia omnes Ephesios, immo omnes Christianos, dicit hic prædestinatos & electos: certum tamen est, multos illorum fuisse reprobos & postea damnatos: quod complete & absolute prædestinatis vel electis ad gloriam accidere non potest: de quo vide Chrysost. *b* Exponit autem his versibus Apostolus omnes causas prædestinationis nostræ. Primo, causam efficientem, scilicet Deum, cum ait, QUI *prædestinavit*; secundo, causam meritoriam, PER IESUM CHRISTUM; tertio, materialem, NOS; quarto, formalem, SECUNDUN PROPOSITUM VOLUNTATIS SUAE (de quo alibi *c*) ET IN seu ex, CARITATE: quinto causam exemplarem, IN IPSUM, scilicet Christum, id est ut Christo capiti nostro & exemplari, nos membra & imagines illius conformemur, hic per Dei cognitionem, gratiam & amorem, in futuro per gloriam; sexto, causam finalem, IN LAUDEM GLORIAE GRATIAE SUAE, id est ut laudetur gloriosa & splendida gratia Dei. Septimo, effectus prædestinationis & electionis huius divinæ recenset vers. 7. REDEMPTIONEM ET REMISSIONEM PECCATORUM: & vers. 11. *vocationem* nostri, seu conversionem ad fidem & iustitiam: & vers. 6. gratificationem nostri, per infusionem gratiæ sanctificantis, qua grati & gratiosi reddimur Deo & toti curiæ cælesti: & vers. 5. ADOPTIONEM FILIORUM ad cælestem & æternam hereditatem; denique vers. 8. *omnem*, id est summam maximeque sublimem, *sapientiam*, seu cognitionem rerum divinarum, *& prudentiam* rerum ut oportet agendarum: ita S. Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus. Sanctus Thomas.

V. 9. UT per hanc sapientiam NOTUM FACERET NOBIS SACRAMENTUM, id est mysterium, seu arcanum, VOLUNTATIS SUAE QUOD SECUNDUM BENEPLACITUM EIUS, seu suum, PROPOSUIT ac decrevit IN EO; id est & propter Christum, exhibere toti universo, nempe,

V. 10. IN DISPENSATIONE PLENITUDINIS TEMPORUM, id est cum tempora a Deo dispensata (id est ordinata ut affluerent antequam mitteretur Christus) essent plene evoluta: INSTAURARE, id est restituere, renovare; Græce, ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est *recapitulare*, OMNIA QUAE IN CAELIS, ET QUAE IN TERRA SUNT, IN IPSO, id est in Christo, & per meritum Christi.

Nem-

Nempe angelos omnes & homines, cum inter se essent admodum disiuncti, immo inimici, voluit Deus arctissima rursus amicitia uniri, & in uno ac sub uno capite Christo coniungi, atque ita ruinas angelorum per homines instaurari, inquit S. Chrysost. Theophyl. Anselmus.

V. 11. IN QUO, id est per & propter quem Christum, ETIAM NOS SORTE VOCATI SUMUS; Graece, ἐκληρώθημεν, id est sortiti sumus, vel *sortem*, id est partem nobis hereditariam, assecuti sumus, nempe cum reliquis filiis Dei, puta angelis, inquit S. Hieron. & Ambros. Vel, ut S. August. Anselmus, Beda, D. Thomas, sine ullis meritis nostris, quasi iacta omnibus sorte, cecidit super nos felix illa sors ut ad christianismum vocaremur. Ex nostra enim parte (quia nihil agebamus ut vocaremur, immo ne quidem de eo cogitabamus) mera fuit sors & plane fortuitum, eo vocari: sed ex parte Dei nullo modo fuit sors, sed destinata *electio*, PROPOSITUM ET CONSILIUM, id est decretum, ut mox sequitur. Porro licet sors (modo iam dicto) nobis fuerit, *vocari a Deo*, non fuit tamen sors, *credere vocantem Deum*, quia hoc, ut ante dixi e, requirebat insuper assensum liberi arbitrii nostri ante gratia praeventi. Ex quibus patet, praedestinationem divinam quoad primum eius effectum, qui est vocatio, seu collatio primae gratiae praevenientis, non pendere ex bono usu liberi arbitrii, vel ex meritis nostris, sed ex mero beneplacito Dei; quoad reliquos tamen subsequentes effectus, dici potest obiective dependere a libero nostro arbitrio & merito. Nam habito illo primo effectu, ad reliquos requiritur noster consensus, & possumus illos promereri, verbi gratia iustificationem de congruo, glorificationem etiam de condigno; ut Scholastici docent.

V. 12. UT SIMUS IN LAUDEM GLORIAE EIUS, id est ut simus materia & seges laudis & gloriae divinae, praesertim NOS Iudaei, QUI ANTE adventum eius illum exspectavimus, utpote nobis a Deo promissum, per ipsum SPERAVIMUS redemptionem ac salutem.

V. 13. IN QUO, seu per quem, ET VOS Gentiles sperastis salutem, simulatque *audito* Evangelio in ipsum *credidistis*, & *signati*; Graece, ἐσφραγίσθητε, id est sigillati ESTIS SPIRITU PROMISSIONIS SANCTO, id est Spiritu sancto promisso Ecclesiae a Christo: ita S. Anselmus.

V. 14. QUI Spiritus sanctus per caelestia charismata sua, tum externa & visibilia (v. g. donum linguarum, miraculorum, &c.) tum interna & invisibilia (puta caritatem, iustitiam, pacem & gaudium conscientiae) est nobis PIGNUS & arrha futurae gloriae, & HEREDITATIS caelestis e, IN REDEMPTIONEM ACQUISITIONIS; id est, ac acquisitio, id est possessio & peculium Dei, puta Ecclesia Christi, quam ipse suo sanguine sibi acquisivit, perfecte seu complete aliquando redimatur & liberetur ab omni malo, ita ut nihil remaneat, seu peccati, seu servitutis, seu alterius miseriae: ita Photius & Theophyl.

V. 17. DEUS GLORIAE, seu gloriosus, CHRISTI PATER, DET VOBIS SPIRITUM SAPIENTIAE ET REVELATIONIS, id est det amplam sapientiam, qua divina mysteria certius vobis patefiant, & Deus magis quotidie ac magis a vobis *agnoscatur*, ametur & colatur: Det item vos habere

V. 18. *illuminatos* OCULOS CORDIS & intellectus VESTRI UT perfectius in dies SCIATIS QUAE SIT SPES f VOCATIONIS EIUS; id est, quae & quanta sint bona ad quae ipse nos vocavit, & quae sperare iussit:

V. 19 & 20. ET QUAE SIT SUPEREMINENS MAGNITUDO VIRTUTIS EIUS IN NOS; id est, quanta potentia usus fuerit Deus in nobis ab infidelitate ad Christum, a statu peccati ad iustitiam traducendis, SECUNDUM OPERATIONEM, &c. quasi dicat: Tanta potentia usus est Deus in nobis sic spiritualiter resuscitandis, quanta usus fuit IN CHRISTO corporaliter *a morte resuscitando*, & AD DEXTERAM SUAM evehendo, SUPRA OMNE NOMEN, id est supra omnem personam celebrem & excellentem, sive humana illa sit, sive angelica, sive quod aliud sit dignitatis seu excellentiae nomen vel officium nobis ignotum. Sic Hebraei *viros nominis* vocant viros celebres & excellentes.

V. 22. IPSUM DEDIT, id est constituit, CAPUT & principem SUPRA OMNEM ECCLESIAM, tam Gentium, quam Iudaeorum; tam angelorum, quam hominum; tam triumphantem, quam militantem: Christus enim, etiam ut homo, propter unionem hypostaticam cum Verbo divino, nobi-

nobilior est omnibus angelis, & omnibus præest, imperat & dominatur, inquit S. Hieron & Augustinus *g*. Immo S. Thomas, Albertus, Ruardus, Arboreus, & plures alii quos citat, & sequitur Suarez *h* ac Valentia, volunt probabile esse, Christum etiam angelis meruisse omnem gratiam & gloriam; & bonos omnes per fidem in Christum mediatorem sanctificatos & gloriam adeptos esse: qui vero Christo homini hanc mediatoris dignitatem superbe inviderunt, & angelicæ naturæ tamquam digniori arrogare voluerunt, dæmones factos & damnatos fuisse. Sed hoc Scholasticis disputandum relinquo. Porro

V. 23. *Ecclesia* EST CORPUS Christi mysticum; ET PLENITUDO EIUS; Græce, πλήρωμα, id est perfectio, vel complementum capitis sui Christi. Caput enim perficitur & completur accessu corporis, inquit S. Chrysost. Ambros. Theodor. Theophyl. Anselm. S. Thomas. QUI OMNIA, seu quoad omnia, nempe dona gratiæ & gloriæ, IN OMNIBUS membris suis ADIMPLETUR, id est perficitur & completur. Græcum πληρυμένυ est vocis mediæ, & potest cum Vatablo & Erasmo verti, *omnia in omnibus adimplet*. Christus enim se quasi mancum & mutilum caput existimaret nisi corpus suum (id est Ecclesiam) haberet sibi adiunctum, & dona sua continuo in illud derivaret.

(a) Galat. I. 25.
(b) Chrysost. hic in morali, hom. III.
(c) Rom. VIII. 28. & 29.
(d) Hic vers. 14. & Galat. I. 15.
(e) II. Cor. I. 21.
(f) Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 46.
(g) August. Enchiridii cap. LVI.
(h) Suarez III. p. disput. XLII. sect. I.

GORDONI.

Vers. I. PAULUS. Erat voluntate Dei constitutus Apostolus, ut multiplicetur gratia Ephesiis. IN CHRISTO; per meritum Christi; τὸ *in* designat hic causam efficientem. De forma huius salutationis vide Rom. I. 4. Illud, A DEO PATRE recte explicatur Ion. XX. *Ascendo ad Patrem meum*, &c. *&* *Deum meum*. Nam recte Vasquez probat Patrem æternum, esse & Patrem & Deum Christi.

V. 4. SICUT ELEGIT NOS. Sic etiam elegit nos per eundem Christum ab æterno gratuita electione respectu nostri. Elegit vero ut essemus sancti & immaculati coram ipso, & adoptavit sibi in filios, per Christum, ut hoc modo adoptati singularem eius gratiam laudaremus. Quibus verbis Apostolus narrat, & docet omnia quæ hic recensentur sive ab æterno decreta, sive in tempore executioni mandata evenire nobis in Christo, hoc est ut dixi per Christum meritaque eius. Hoc satis docent Latinæ voces: ac proinde in Græco legendum est (ut habent emendati codices) vers. 4. ἐν αὐτῷ, non autem cum spiritu denso; ut sit sensus; elegit non in ipso, hoc est, in Christo, & ex meritis Christi, ut iam clarius subiicio.

Est inter Theologos quæstio duplex, una an ex prævisis meritis propriis eligantur homines ad gloriam; de qua alibi. Alia huius loci, an ex meritis Christi facta sit tota nostra prædestinatio: volunt enim aliqui omnes salvandos fuisse ex pura Dei voluntate electos ad gloriam, ante prævisa merita Christi: deinde hos post decretum de Christo accepisse gratiam per merita Christi. Probari solet hæc opinio ex versu II. ubi significatur prædestinationem ad gloriam esse secundum propositum.

Potior sententia multis videtur illa Augustini de prædest. cap. XV. solam Christi electionem esse ex beneplacito Dei: ceteros autem omnes prædestinari ex meritis Christi, etiam quatenus electio est discretio, seu unius prælectio neglectis aliis, ut quidam Theologi se explicant. Dico certe electionem nostram & prædestinationem cadere sub meritum Christi, esseque eandem rationem prædestinationis, electionis ac gratiæ, & proinde si ex meritis Christi confertur nobis gratia, sequitur nos electos quoque esse ob eadem merita, ut bene probat Vasquez I. part. disp. XCIV. per quatuor priora capita.

V. 5. *&* 6. QUI PRAEDESTINAVIT NOS. Sensus est Deum prædestinasse nos per Christum in filios adoptivos sibi, & in hac spectasse gloriam suam: & hoc totum factum esse ex sublimi divinæ providentiæ beneplacito, ex nullius nostris meritis. Quidam τὸ IN IPSUM ad Deum referunt; & sic legere oportet εἰς αὐτὸν, ut nunc legimus: si refert Christum, deberet esse spiritus lenis. Explicant aliqui claritatis causa hæc verba Pauli per distinctionem prædestina-

ftinationis in prædeſtinationem completam & incompletam, & hic agi de poſteriore. PROPOSITUM vocatur verſ. 11. πρόθεσις: at verſ. 9. εὐδοκία. At quid eſt illud verſ. 6. GRATIFICAVIT? non eſt gratioſos habuit (per imputationem) ſed gratioſos fecit, ut notat Chryſoſtomus, ἐχαρίτωσε.

V. 7. IN QUO HABEMUS REDEMPTIONEM. Senſus planus eſt: in quo Chriſto habemus redemptionem a captivitate mortis & Diaboli per ſanguinem, qui operatur remiſſionem peccatorum ſecundum divitias gratiæ ſuæ, quæ ſuperabundavit, ſeu abunde in nos effuſa eſt cum omni ſapientia: ſapientiam intelligit Chriſtianam, nempe in fide & conveniente uſu divinorum myſteriorum. SECUNDUM BENEPLACITUM, (verſ. 9.) hoc eſt ſecundum voluntatem de ſalute hominum quando adveniente tempore definito inſtauranda erant omnia in Chriſto, quem conſtituit Deus reconciliatorem mundi. ET QUAE IN TERRA SUNT IN IPSO, verſ. 10. ἐν αὐτῷ, hoc eſt in Chriſto.

V. 9. 10. & 11. Sacramentum voluntatis Dei & arcanum eſt vocatio. Eſt ſane myſterium reconditum: ab hoc ſacramento prodit illa ſeparatio, de qua verſ. 10.

V. 11. IN QUO; ſcilicet Chriſto, ſeu per quem Chriſtiani nos ſorte vocati ſumus: ſors vocationis ad hereditatem obvenit per adoptionem; & hæc facit Deus ex propoſito (ne putes temere fieri) ſecundum conſilium ſeu decretum (Deus enim non deliberat ut homo) & in laudem gloriæ, ut dixi verſu 5. ſcopus enim prædeſtinationis noſtræ eſt gloria Dei, verſ. 12.

V. 12. 13. 14. NOS QUI ANTE SPERAVIMUS. Peractum ſcilicet eſt reconciliationis miniſterium, ut ſint omnia in hac reconciliatione ad gloriam Dei, tam per nos qui nati ſub lege Moſaica, hac ſpe vivebamus; quam etiam vos, reconciliati nuper, qui audito verbo Evangelii, & credentes ſignati Spiritu ſancto, accepiſtis pignus hereditatis, & alia in hunc ſenſum ſubiungit. Vocat hic verſ. 14. redemptionem acquiſitionis, acquiſitam poſſeſſionem: datur enim gratia & ſpiritus Dei, velut arrha & pars ſolutionis aut velut promiſſa pars hæreditatis. Datur ergo in redemptionem acquiſitionis plenam, ſeu donec populus fidelis veniat in plenam redemptionis acquiſitionem, quæ eſt redemptio non iam tantum inchoata, ſed completa.

V. 15. EGO AUDIENS. Reliquum capitis eſt de gratiarum actione, pro acceptis donis, & oratione ut cognoſcant ſpem vocationis, quanta eos bona expectent; quam potens denique ſit Deus, qui tam Angelos quam homines ſubiecit Chriſto ut capiti Eccleſiæ quæ eſt Chriſti corpus myſticum. Eſt vero hæc Eccleſia plenitudo Chriſti, (πλήρωμα) & quo fuerint numeroſiora & ſanctiora eius membra, eo magis quaſi impletur Chriſtus: perfectione enim membrorum, ut ſignificat Chryſoſtomus, perficitur caput. Chriſtus autem perficit Eccleſiam in membris, & qui eſt omnia in omnibus (adeo præeſt omnibus:) ab illis quoque quodammodo perficitur. Vide Coloſſ. 1. 13.

CA-

C A P U T II.

Peccatis antea mortui per Christum vivificati sunt, non suis operibus, sed gratis per fidem: ostendit Gentes quae prius alienae erant a Dei promissionibus, iam per Christum & fidem, quae Dei donum est, factas esse sanctorum concives, idemque habere fundamentum cum Patriarchis ac Prophetis.

1. ET * vos, cum essetis mortui delictis & peccatis vestris,
2. in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mun-
di huius, secundum principem potestatis aeris huius, spi-
ritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae, 3. in qui-
bus & nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis
carnis nostrae, facientes voluntatem carnis & cogitatio-
num, & eramus natura filii irae, sicut & ceteri: 4. Deus
autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam ca-
ritatem suam, qua dilexit nos, 5. & cum essemus mortui peccatis, convivifi-
cavit nos in Christo, (cuius gratia estis salvati) 6. & conresuscitavit, &
consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu: 7. ut ostenderet in saeculis su-
pervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo
Iesu. 8. Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim
donum est; 9. non ex operibus, ut nequis glorietur. 10. Ipsius enim sumus
factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus ut in
illis ambulemus. 11. Propter quod memores estote, * quod aliquando vos
Gentes in carne, qui dicimini praeputium, ab ea quae dicitur circumcisio in
carne, manu facta: 12. * quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a
conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non ha-
bentes, & sine Deo in hoc mundo. 13. Nunc autem in Christo Iesu, vos,
qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. 14. Ipse
enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriae
solvens, inimicitias in carne sua: 15. legem mandatorum decretis evacuans,
ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, 16.
* & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimici-
tias in semeptipso. 17. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fui-
stis; & pacem iis, qui prope: 18. (a) quoniam per ipsum habemus accessum
ambo in uno Spiritu ad Patrem. 19. Ergo iam non estis hospites, & adve-
nae: sed estis cives sanctorum, & domestici Dei: 20. superaedificati super fun-
damentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo
Iesu: 21. in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in
Domino: 22. in quo & vos coaedificamini * in habitaculum Dei in Spiritu.

(a) Rom. v. 2.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 1. Et vos cum essetis mortui. Non est addendum verbum *convivificavit.*

Vers. 11. Quod aliquando vos gentes in carne. Nec hic addendum est vel pronomen *qui*, vel verbum *eratis* ante *gentes.* Sequitur: *Qui dicimini praeputium.* Non

est mutandum præsens *dicimini* in imperfectum *dicebamini*.

Verſ. 12. *Quia eratis in illo tempore*. Coniunctio *quia*, seu *quod* non est vertenda in pronomen *qui*.

Verſ. 16. *Et reconciliet ambos*. Præferendum est *&* copulativum *ut* accusativo.

Verſ. 22. *In habitaculum Dei in ſpiritu*. Non addas *sancto*.

NOTATIO.

Verſ. 16. ET (*ut* o.) *reconciliet* (*reconcilians* o. *reconciliat* o.) *ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitiam* (*inimicitias* o) *in semetipso*. Quod Græcis est ἐν αὐτῷ pro eo quod nos habemus *in semetipso*, tum ad corpus, tum ad crucem, quæ Græce σαυρὸς dicitur, referri posse, Theophylactus monet. Hieronymus & *in semetipso*, & *in ea*, ideſt cruce propter pronominis ambiguitatem intelligi posse docet; ipse autem ad crucem referre & proinde *in ea* vertere mavult. Quo plane modo intellexerunt & Syri, qui quod de cruce habetur sequentibus verbis coniunxerunt, pronomine illo omiſſo, hunc in modum: *Et in cruce sua interfecit inimicitiam*. Latini codices & olim, & nunc *in semetipso* legunt: quos præter posteriores enarratores Haymonem, & alios Auctor enarrationum apud Ambrosium, & Primasius sequuntur; his Testamentum Grecum, quod cura interpretatione Latina contextus lineis inserta in Regiis Bibliis extat, atque id quod ex eo editum est anno 74. omnino conforme est: nam ἐν ἑαυτῷ legit, id quod non aliud quam *in semetipso* significat.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. ET VOS QUOQUE CONVIVIFICAVIT. Græci non legunt convivificavit, & tunc longum hoc hyperbatum continue legendum usque ad τὸ *Deus autem*; atque cum eclypsis fit, supplendum, vivificavit, aut quid simile; quamquam Hieronymus continue legit usque ad τὸ *convivificavit nos*, & quia repugnaret particula *autem* in illo loco, *Deus autem dives est*, ait illam superfluere sicut plerumque græcis τὸ δὲ otiosum est; & hoc modo sensus esset, *& vos quum mortui essetis*, &c. *Deus qui dives est*, &c. id est etiam nos quoque quum perinde essemus mortui convivificavit Christo.

V. 2. & 3. SECUNDUM SAECULUM MUNDI, id est mundanum hoc sæculum, eiusque desideria, id est ex more huius sæculi. SECUNDUM PRINCIPEM POTESTATIS AERIS HUIUS, SPIRITUS, Tres genitivi subsequentes difficultatem loci faciunt: quidam interpretantur iuxta principem qui est potestas aeris qui est spiritus; sed hoc perperam, refragantibus in hunc locum græcis scholiis & Theophilacto qui ait: Et ideo Paulus principem potestatis dicit, non quod ullam habeat in aere ditionem; sed quia in illo se insinuet: in aere enim tamquam in vento & spiritu diversatur; ideo hic mihi videtur esse sensus: Secundum principem potestatis aeris spiritus; nam græcis deest τὸ *huius*, id est secundum voluntatem & impulsionem eius, qui dominatur potestatibus spirituum aeriorum: sic enim Græci ἄρχων ἐστὶ τοῦ ἀέρος. τοῦ πνεύματος. τουτέστι τοῦ ὄντος ἐν τῷ ἀέρι πνεύματος οἷοι, τῶν ἀερίων πονηρῶν πνευμάτων, id est princeps est aeris spiritus, hoc est diversantis in aere spiritus: videlicet aeriorum nequam spirituum: vocantur autem dæmones spiritus aerii, vel quod plerumque in aere quo facilius nobis imponant, degunt: vel quod (ut quibusdam videtur) corpora habeant non materialia, sed aeria & spiritualia, aut potius quod aeria sibi ad nos fallendos corpora effingunt. FILIOS DIFIDENTIAE, id est inobedientes & incredulos. Nam utrumque significat ἡ ἀπείθεια, vel qui diffidunt se in Christo sine lege salvari posse. IN QUIBUS ET NOS, id est inter quos diffidentiæ filios, & nos quoque Iudæi aliquando conversati sumus, nam & increduli ipsi fuimus: neque enim τὸ *quibus* refertur ad τὸ *peccatis*, quod græce est femininum ἁμαρτίαις, sed ad τὸ *filios*, quod Græce est masculinum ἐν υἱοῖς, de quorum incredulorum numero & nos aliquando fuimus FACIENTES VOLUNTATEM CARNIS ET COGITATIONUM, Græce θελήματα, id est *voluntates*. Græci id sic explicant, ὡς εἰ εἶπε καὶ σωματικῶς καὶ ψυχικῶς ἁμαρτάνοντες, id est animo & corpore peccantes, ut voluntates

car-

Carnis peccata fint carnalia, quæ in corpore verfantur: voluntates cogitationum, peccata animi, & fpiritualia: ut odium internum, invidia, blafphemia, hærefis, fic Hiero. ET ERAMUS NATURA; id eft, eramus enim natura filii iræ, id eft ira & ultione divina d gni: quomodo Hebræi vocant filium mortis, hominem morte dignum, non quod natura talis fit creata, & ideo intelligendum natura, id eft naturali inclinatione, vel ab ipfa nativitate, ob peccatum origtnis.

V. 5. 6. ET CUM MORTUI ESSEMUS; id eft, quum pariter vobifcum qui idololatræ eratis, ob delicta noftra mortui effemus, &, id eft etiam NOS CONVIVIFICAVIT CHRISTO; hoc eft, per Chriftum, vel ad fimilitudinem Chrifti, ut ficut a morte corporali Chriftum fufcitavit, fic nos a fpirituali: ET CONRESUSCITAVIT: fi de morte animæ intelligit, id nunc factum intelligendum eft: fin de morte corporis, accipiendum in fpe.

V. 7. SAECULIS SUPERVENIENTIBUS, &c. id eft ut toto fequenti tempore OSTENDERET DIVITIAS GRATIAE SUAE IN BONITATE, id eft benignitate qua erga nos ufus eft per Chriftum Iefum.

V. 9. NON EX OPERIBUS, fcilicet fidem præcedentibus; inde Græca fcholia hoc loco habent: *οὐκ ἐξ ἔργων, ἵνα μή τις καυχήσηται: οὐκ ἐπειδὴ οὐκ ἐβούλετο ἐξ ἔργων σωθῆναι ἀλλ' ὅτι οὐδεὶς ἴσχυεν ἐξ ἔργων σωθῆναι, εἰ μὴ διὰ πίστεως*, id eft non ex operibus, ut nequis glorietur; non quod noluerit ex operibus falvare, fed quod nemo ex operibus nifi per fidem & cum fide falvari poffit. Excludit ergo opera fidem præcedentia, ne putarent fine fide fuis fe ad gratiam virtutibus vocatos, quæ fine fide innane tantum nomen funt virtutis.

V. 10. CREATI IN CHRISTO IESU, &c. id eft bona opera facienda per Chriftum Iefum regenerati: non enim (ut inquit Photius) de prima noftri fictione & conditione loquitur, fed de fecunda per baptifmum. Photius autem interpretatur *τὸ creati in operibus bonis ἐπὶ τῷ ἀγαθοεργεῖν κτισθέντες*, id eft ab bene recteque vivendum creati; quia autem præmifit Paulus, *gratia falvati eftis per fidem, non ex operibus*, ne quis putet hoc loco opera excludi fidem fequentia, fed præcedentia tantum: audiat quid in hunc locum Photius Græcus, ait: *εἶτα, ἵνα μὴ ἀκούσαντες, ὅτι οὐκ ἐξ ἔργων ἐσώθημεν, ἀλλὰ τῇ χάριτι, ῥᾳθυμότεροι γενώμεθα: δείκνυσιν, ὅτι μετὰ τὴν πίστιν, καὶ ἔργων χρεία*: id eft, deinde ne quum audierimus, quod non ex operibus fed gratia falvati fumus, negligentiores evadamus; oftendit poft acceptam fidem opus effe operibus QUAE, inquit, PRAEPARAVIT DEUS UT IN ILLIS AMBULEMUS, id eft ut ea agamus.

V. 11. & 12. PROPTER QUOD MEMORES ESTOTE, QUOD ALIQUANDO VOS QUI ERATIS, &c. Quamquam Græcis non fit *qui*, non male tamen additum eft ab interprete explicandi gratia, fecundo vero loco pro eo quod quidam habent, *qui eratis in illo tempore*, veteres codices habent, *quod eratis*: eft autem repetitio fuperflua ficut & Græcis, fed propter longum hyperbaton, prioris oblitus: rurfum Paulus addidit; fenfus ergo eft. Memores eftote quod vos qui eratis gentes in carne qui dicebamini, &c. eratis in illo tempore, &c. VOS ERGO QUI ERATIS GENTES IN CARNE, id eft carnalia fectantes defideria, QUI DICEBAMINI PRAEPUTIUM, id eft per ignominiam vocabamini præputiati, AB EA QUAE DICITUR CIRCUMCISIO IN CARNE MANU FACTA, id eft a Iudæis carnaliter tantum circumcifis: hoc autem loco *τὸ manufacta* refertur non ad *τὸ carne*, fed ad *τὸ circumcifio*: nec otiofum eft quod de circumcifione Iudæorum loquens ait, *quæ dicitur*, quafi dicatur tantum, non item vera fit circumcifio: deinde quod manufactam & in carne effe dicit, ad diftinctionem fpiritualis in corde circumcifionis. Mementote, inquit, quod eratis tunc SINE CHRISTO, id eft fine Chrifti fide explicita, vel implicita, ALIENATI A CONVERSATIONE ISRAEL. Græce, *τῇ πολιτείας*, quod eleganter interpres vertit converfationem melius quam qui rempublicam & civilitatem. Neque enim incommodum fuiffet Ephefiis extra Rempublicam Ifrael fumfe modo unum Deum cum Ifrael veri fuiffent: cum ergo *πολιτεία ἀντὶ τῆς διαίτης* fumatur, id eft pro vitæ ratione & inftituto: *πολιτεύεσθαι* autem converfari fignificet, recte vertit interpres *alienati a converfatione Ifrael*, id eft alium vivendi ritum habentes: illi unum Deum adorabant, vos fimulachra muta colebatis; eratis quoque HOSPITES TESTAMENTORUM,

Yy 2 græ-

græce ξένοι τῶν διαθηκῶν, id eſt alieni a teſtamentis & extranei; hos, ad quos nihil ſpectabant teſtamenta & pacta Iudæis facta; utrumque enim ſignificat ἡ διαθήκη. Sunt qui ſequens verbum promiſſionis iungunt cum præcedentibus, ut ſit ſenſus, hoſpites teſtamentorum promiſſionis, id eſt extranei nec partem habentes in promiſſis teſtamenti, & pactis, neque ſpem habentes reſurrectionis. Alii legunt PROMISSIONIS SPEM NON HABENTES, id eſt non ſperantes in promiſſionibus Iudæorum, & eratis SINE DEO IN HOC MUNDO, quia etſi plures Deo colebant, nullus tamen erat illis verus Deus.

V. 13. NUNC AUTEM: nunc autem quum in Chriſtum credidiſtis vos qui per idololatriam procul eratis a Deo, ad eum per Chriſti ſanguinem appropinquaſtis.

V. 14 15. & 16. MEDIUM PARIETEM, &c. τὸ INIMICITIAS referunt ad τὸ *parietem*, ut inimicitiæ ſint veluti paries quidam munitus & vallum dividens inter hoſtes. Hunc autem *parietem inimicitiarum*, quidam interpretantur peccata hominum, qui dividebant inter Deum & nos, quem diruit Chriſtus in carne ſua & morte: atque ita hoc pariete diſſoluto, Chriſtus pax noſtra, quia nos patri reconciliavit, FECIT UTRAQUE UNUM, dum hominem tot interſtitiis a Deo diſſidentem aſſumpſit in Deum, fecitque ut eſſet idem Deus & homo. Alii has *inimicitias*, quod magis quadrat ob ſequentia, interpretantur inimicitias Iudæorum & Gentilium, quia Iudæi gentes execrabantur, gentes autem Iudæos odio habebant. Has Chriſtus inimicitias ſolvens, *fecit utraque unum*, dum ex duobus diverſi ritus & cultus populis unicum fecit Chriſtianum populum. Quidam *medium parietem maceriæ* interpretantur circumciſionem carnalem. Erat enim velut paries diſtinguens Iudæos a gentibus; & bene paries maceriæ, quia ſicut maceria ex lapidibus conſtat non cœmentatis, atque adeo facile ſolubilis eſt: ſic facile ſolubilis erat circumciſio quam Chriſtus in carne ſua, id eſt per paſſionem ſuam ſolvens, per fidem fecit utraque unum. Circumciſionem autem vocat Paulus inimicitias, quia cauſa eſſet mutui inter Iudæos & gentes odii. Chriſtus ergo medium parietem ſolvens, inimicitias videlicet inter Iudæum & Gentilem, & utriuſque cum Deo, vere pax noſtra eſt, qui fecit utraque unum. LEGEM MANDATORUM, id eſt legem Moſaicam, quæ infinitis conſtabat mandatis, DECRETIS, id eſt dogmatis Evangelicis abrogans. Ita enim Chryſoſtomus & Photius Græcus; abrogans legem (inquit) dogmatis, ſive fide ipſa, ſive iis quæ ipſe promulgavit, dogmatis, dicens: Ego autem dico vobis. Non eſt ergo legendum legem in dogmatis ſitam, Nam hoc modo Græci dicerent τὸν νόμον τὸν ἐν δόγμασι. Græci autem hoc loco non habent ſecundum articulum & ideo, ἐν δόγμασι, ſignificat hic per decreta. UT DUOS, ſcilicet populos, tamquam duos homines CONDAT, id eſt creet: Græc. κτίσῃ, IN UNUM NOVUM HOMINEM, id eſt per unitatem fidei duos populus quodammodo faciat unum novum hominem in novitate vitæ ambulantem, & facta pace reconciliet ambos populos Deo IN UNO CORPORE Eccleſiæ PER CRUCEM & paſſionem ſuam, INTERFICIENS INIMICITIAS, ſive Iudæorum & gentium mutuas, ſive omnium hominum cum Deo, interficiens, inquam, IN SEMETIPSO, id eſt per ſemetipſum, ſcilicet per mortem ſuam. Quo loco Interpres legit ἐν ἑαυτῷ; id eſt *in ſemetipſo*: alii Græci legunt ἐν αὐτῷ, ſpiritualem, & referunt ad τὸ σταυρῷ, ut ſit ſenſus, ut ambos Deo reconciliet per crucem, interficiens inimicitias in ea, ſcilicet cruce.

V. 17. VOBIS QUI LONGE FUISTIS, id eſt qui procul eratis a Deo per idololatriam, ET HIS QUI PROPE, id eſt Iudæis: qui propiores erant, per unius Dei cultum.

V. 19 *& ſequ.* HOSPITES. Græce, ξένοι, *extranei*. CIVES SANCTORUM. Græce, συμπολῖται, id eſt concives & in ius cœleſtis patriæ recepti cum veris civibus ſanctis Angelis. DOMESTICI DEI, id eſt familiares, SUPER FUNDAMENTUM APOSTOLORUM, id eſt fidem a Prophetis prædictam, & ab Apoſtolis prædicatam. ANGULARI LAPIDE. Angularis lapis Chriſtus dicitur, quod ei totum innititur ſpirituale ædificium: IN QUO OMNIS AEDIFICATIO cæleſtis Eccleſiæ CONSTRUCTA, CRESCIT & exurgit IN TEMPLUM SANCTUM Deo: dum fideles per gratiam Dei templum efficiuntur, IN QUO, inquit, ET VOS COAEDIFICAMINI IN HABITACULUM DEI IN SPIRITU ſancto; id eſt, ut per habitantem in vobis ſpiritum ſanctum, templum & domicilium Dei ſitis.

S A.

S A.

Verſ. 2. SAECULUM, id eſt morem. Syr. *vanitatem*. PRINCIPEM. Syr. *voluntatem principis*. POTESTATIS, id eſt poteſtatem habentem. AERIS, &c. quaſi dicat, Qui in aere hoc verſatur. SPIRITUS. Syr. *qui eſt ſpiritus*. DIFFIDENTIAE, id eſt diffidentes, ſeu inobedientes.

V. 3. IN QUIBUS, ſcilicet peccatis; vel, inter quos, ſcilicet homines. FILII IRAE, id eſt digni ſupplicio, ſcilicet iam inde a nativitate, ſeu conceptione ob peccatum originale.

V. 4. DIVES, id eſt abundans. NIMIAM. Græc. *multam*.

V. 5. PECCATIS, id eſt, per, vel, ob peccata. IN CHRISTO, id eſt cum Chriſto, ſcilicet fecit participes vitæ Chriſti.

V. 6. CONSEDERE. Factum dicit quod certo erat futurum: Auguſt. CAELESTIBUS. Syr. *cælis*. IN; pro, cum; vel, per.

V. 7. SUPERVENIENTIBUS, id eſt ordine ſuccedentibus, vel futuris. BONITATE, id eſt benignitate. SUPER; pro, in.

V. 8. SALVATI. Syr. *redempti*. DONUM EST, ſcilicet fides, & gratia.

V. 9. OPERIBUS, id eſt operum merito, ſcilicet iuſtificati.

V. 10. FACTURA, id eſt opus. Syr. *creatura*. IN; pro, per. IN OPERIBUS; pro, ad opera.

V. 11. CARNE, ſcilicet incircumciſi: vel quaſi dicat, Carnaliter viventes. PRAEPUTIUM; pro, præputiati. AB EA, id eſt ad differentiam eius; vel pro, ab iis, ſcilicet Iudæis qui dicuntur circumciſi.

V. 12. CONVERSATIONE, id eſt ratione vivendi. HOSPITES, id eſt extranei. DEO, id eſt Dei cognitione; quaſi dicat, Qui Deum verum non colebatis.

V. 13. IN; pro, per. IN SANGUINE, id eſt per mortem.

V. 14. PAX, id eſt pacis auctor. UTRAQUE, id eſt Iudæos & Gentiles. PARIETEM, &c. quaſi dicat, Cauſam diſſidii abſtulit. INIMICITIAS. Græc. *inimicitiam*. Explicatio præcedentis. Syr. *& odium*. IN; pro, per.

V. 15. DECRETIS, id eſt per decreta ſua. Syr. *præceptis ſuis*. EVACUANS, id eſt abrogans. CONDAT; pro, conderet, id eſt faceret, ſeu uniret.

V. 16. UNO CORPORE; pro, unum corpus; quaſi dicat, Ut ex utriſque unum corpus faceret: vel, in ſuo corpore.

V. 17. PROPE, ſcilicet Iudæis.

V. 18. ACCESSUM, id eſt aditum. SPIRITU, ſcilicet coniuncti.

V. 20. FUNDAMENTUM, ſcilicet Chriſtum; vel ipſos Apoſtolos & Prophetas; ſunt enim & hi fundamentum ſecundarium. SUMMO, id eſt extremo.

V. 21. OMNIS, id eſt tota, vel quæque. CONSTRUCTA. Græc. *compacta*; ſeu *coaptata*. IN DOMINO; pro, Domini; vel per Dominum.

V. 22. IN SPIRITU: pro, per Spiritum.

MARIANAE.

Verſ. 1. ET vos. Quidam codices addunt, *convivificavit nos Chriſto*. Quod ſi ſequimur, ut ſequitur Hieronymus, cum eo in 4. verſ. vocem *autem* dicemus redundare. CUM ESSETIS MORTUI, ſeiuncti a Chriſto, qui vita eſt.

V. 2. SECUNDUM SAECULUM. Syr. *ſecundum mundanam vanitatem mundi*. SECUNDUM PRINCIPEM POTESTATIS AERIS, id eſt dæmonum qui in aere verſantur. SPIRITUS, in genitivo, pro, ſpirituum, ſcilicet principem. QUI NUNC OPERATUR IN FILIOS DIFFIDENTIAE: qui futuræ vitæ ſpem non habent. Aut *filios inobedientiæ*: ἀπειθεία, *diffidentiam* & *inobedientiam* ſignificat.

V. 3. VOLUNTATEM CARNIS ET COGITATIONUM facientes, id eſt deſideria & peccata, tam carnalia quam ſpiritualia faciebamus. ERAMUS NATURA FILII IRAE. Non quod natura talis ſit creata, ſed natura, id eſt a nativitate propter Adæ peccatum. Iulianus Pelag. egebat, *eramus prorſus filii iræ*, ut parvulos a peccato eximeret, & quoniam vox φύσει id etiam ſignificat. Verum Auguſtinus VI. contra eum cap. IV. ait non inveniri Latinum codicem qui non legat *natura filii iræ*. Et videtur naturam gratiæ opponere, quia ſubdit verſ. 5. *gratia eſtis ſalvati*: ſic *natura filii iræ*, perinde erit atque, ex nobis eramus filii iræ, id eſt obnoxii iræ & ſupplicio. Deus caritate

V. 4. QUA DILEXIT NOS. *Qua* redundare videtur; nec eſt in Gotth. & ſine ea currit oratio.

V. 5.

V. 5. CONVIVIFICAVIT NOS IN CHRISTO, id est per Christum. Aut Christo nos sociavit. CUIUS GRATIA ESTIS SALVATI. Repente a prima persona transit ad secundam. Syr. in prima perstat. Goth. *gratia salvi facti sumus*.

V. 6. IN CHRISTO IESU, id est per Christum: sic vers. 7. consedere facit in gloria.

V. 8. GRATIA ENIM ESTIS SALVATI. Syr. & Goth. *sumus*.

V. 9. NON EX OPERIBUS, scilicet legis. Aut loquitur de prima gratia, quæ gratis datur, non ob opera & merita.

V. 10. IN OPERIBUS BONIS creati, id est opera bona, ut scilicet ea faciamus. QUAE PRAEPARAVIT, seu *præcepit*. Aut sic, *præparavit*, id est occasionem, opportunitatem tribuit faciendi bona opera. Memores estote, quod

V. 11. DICIMINI PRAEPUTIUM. Sic Iudæi Gentes per ignominiam vocabant. CIRCUMCISIO IN CARNE. Sic a circumcisis vocabamini: sic vocat externam circumcisionem, ut a cordis circumcisione secernat.

V. 12. ALIENATI A CONVERSATIONE, πολιτείας, *a republica*, ab institutis. Syr. *gubernationibus Israel*. HOSPITES, extranei a Testamentis & promissionibus. ET SINE DEO. Quomodo *sine Deo*, qui tot deos colebant? immo quia plures, nullum habebant. Clemens Alexandrinus in Oratione ait: *Quia non re, sed nomine erant dii*. Quidam in lignorum penuria Herculis statuam in ignem proiecit, dicens: Ecce tertiumdecimum certamen, nunc pugna cum Diagora. Nempe Diagoras deos esse negarat.

V. 14. ET MEDIUM PARIETEM, scilicet appositive, INIMICITIAS. Græc. & Goth. *inimicitiam* solvit Christus. IN CARNE SUA, id est per carnem suam.

V. 15. LEGEM MANDATORUM, id est veterem, in qua 613. præcepta numerantur. DECRETIS, nova lege EVACUANS, id est abrogans.

V. 16. AMBOS, scilicet Iudæos & Gentes. IN UNO CORPORE, scilicet Ecclesia. INIMICITIAS. Græc. & Goth. *inimicitiam*, scilicet quæ erat cum Deo, & inter Iudæos & Gentes sua morte abstulit. IN SEMETIPSO. Græc. quidam legunt ἐν αὐτῷ. sic Noster legit, & significat *morte sua*. Alii ἐν αὐτῷ spiritu tenui, & refertur ad crucem, *in ipsa cruce*. Sententia non discrepat. Hieronymus tamen hic eam pronominis ambiguitatem notat. Nos nostram lectionem sequimur, quæ omnium Latinorum codicum est.

V. 17. IIS, QUI PROPE, scilicet Iudæis, propter promissiones & legem, pacem attulit, & Gentibus.

V. 19. IAM NON ESTIS HOSPITES, id est extranei. SED ESTIS CIVES SANCTORUM, contra id quod dixerat vers. 12. *alienati a republica*, seu *civitate Israel*, id est sanctorum. ET DOMESTICI familiares Dei, de eius familia. Superædificati

V. 20. ANGULARI LAPIDE, qui nectit utrumque parietem, Iudæos scilicet & Gentes.

V. 22. IN SPIRITU, id est spiritualiter estis habitaculum Dei. Aut *in Spiritu*, id est per Spiritum sanctum.

MENOCHII.

Vers. 1. ET VOS CUM ESSETIS MORTUI DELICTIS, &c. cum essetis privati vita gratiæ per delicta, & peccata vestra. Supple convivificavit Christo, conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus.

V. 2. AMBULASTIS: conversati estis. SECUNDUM SAECULUM MUNDI HUIUS, id est secundum consuetudinem sæcularium mundanorum viventium in hoc mundo, qui totus positus est in maligno, ut dicitur Ioan. v. SECUNDUM PRINCIPEM POTESTATIS AERIS HUIUS, id est secundum instinctum, suggestionem, voluntatem diaboli, qui est princeps potestatis aeris huius, cui potestas aeris concessa est. SPIRITUS: πνεύματος, est genitivi casus. QUI NUNC OPERATUR IN FILIOS DIFFIDENTIAE: qui scilicet princeps mundi huius spiritus est, miram efficacitatem habet ad flectendum quo velit filios contumaces, & incredulos. DIFFIDENTIAE: ἀπειθείας, *inobedientiæ*.

V. 3. IN QUIBUS: inter quos. ET NOS CONVERSATI SUMUS, &c. id est nos omnes tam Iudæi, quam Græci priusquam veniremus ad Christum in delictis, & peccatis vitam egimus. FACIENTES VOLUNTATEM CARNIS, ET COGITATIONUM: appetitui indulgentes, & servientes non rationi, sed sensui, & eius desideria, & fuge-

gestiones sequentes. ERAMUS NATURA, id est ex naturæ nostræ corruptione, & propensione ita carni, & concupiscentiis dediti, ut essemus filii iræ. FILII IRAE, id est digni & obnoxii iræ, ac vindictæ Dei, sic phrasi Hebræorum dicitur *filius mortis*, is qui morte dignus est. SICUT ET CETERI: sicut & ceteri fere mortales.

V. 4 QUI DIVES EST IN MISERICORDIA: qui misericordia abundat, qui admodum misericors est. NIMIAM: magnam, eximiam.

V. 5. CONVIVIFICAVIT NOS IN CHRISTO; id est, nos ad similitudinem Christi communi cum eo vita spirituali donavit. IN CHRISTO, id est cum Christo, vel ad instar Christi.

V. 6. ET CONRESUSCITAVIT, ET CONSEDERE FECIT, &c. Dicitur Christus nos in cælos invexisse, ibique collocasse, & sedere fecisse per spem, affectum, tendentiam, & vitam cælestem per quam reipsa post mortem nos in cælos invehet, & sibi consedere faciet, hoc enim præteritum *consedere* facit, partim præteritum, partim futurum significat, & faciet.

V. 7. IN SAECULIS SUPERVENIENTIBUS: in sequentibus temporibus. ABUNDANTES DIVITIAS GRATIAE SUAE, id est excellentem, & exuberantem beneficentiam suam; utque ea manifestata ipse glorificetur. IN BONITATE: ἐν χρηστότητι, *in benignitate*, sive per benignitatem supple, quam ostendit. SUPER NOS: erga nos. IN CHRISTO; per Christum.

V. 8. GRATIA ENIM SALVATI ESTIS, id est gratis iustificati estis. Vel auxilio divinæ gratiæ. PER FIDEM: nam sicut ex parte Dei iustificatio initium sumit a præveniente illius gratia: ita ex parte nostra liber intervenit assensus fidei, & hoc est primum nostræ salutis exordium, ideoque per fidem iustificari dicimur, quia fides est humanæ salutis initium, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire. ET HOC NON EX VOBIS, &c. nam quamvis libere assentiamur illustrationi divinæ, tamen hic ipse voluntarius assensus, etsi noster est, simul etiam est Dei donum, ac non ex merito operum præcedentium, sed ex gratuita, & spontanea Dei liberalitate nobis provenit.

V. 9. UT NE QUIS GLORIETUR: se suis operibus meruisse, & adeptum esse iustitiam, & salutem.

V. 10. IPSIUS ENIM SUMUS FACTURA, &c. Reddit causam cur neminem oporteat gloriari; quia sicut creationem hominis nihil omnino præcessit nisi mera, & gratuita, Dei voluntas fabricandi corpus, animumque ex nihilo creandi; sic iustificationem, quæ altera quasi creatio est, nullum omnino meritum antecedit. FACTURA: ποίημα, figmentum, opus. IN CHRISTO JESU: per Christum redemptorem nostrum. IN OPERIBUS BONIS, id est ad opera bona facienda. QUAE PRAEPARAVIT DEUS UT IN ILLIS AMBULEMUS: quos Deus æterno suo consilio præparavit, ut in illis versaremur.

V. 11. PROPTER QUOD: ut scilicet beneficii magnitudinem melius intelligatis. ALIQUANDO VOS GENTES: aliquando Gentiles fuistis, & Ethnici. IN CARNE, id est carnaliter vixisse. QUI DICIMINI PRAEPUTIUM, &c. qui ab eo populo apud quem unius, summique Dei cognitio, cultusque vigebat, probroso agnomine dicebamini *incircumcisi*, *præputiati*, & *carnales*. AB EA QUAE DICITUR CIRCUMCISIO, &c. id est, a Iudæis, qui vocantur circumcisi, ob carnem præputii circumcisam.

V. 12. SINE CHRISTO: sine Christi cognitione, lege, gratia, religione. ALIENATI A CONVERSATIONE ISRAEL; hoc est, a civili commercio Israelitarum, severe enim erat Iudæis interdictum Deuteronom. VII. 2. *Non inibis cum eis fœdus*: sic dicebat Samaritana Ioan. IV. 9. *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*. HOSPITES TESTAMENTORUM, id est peregrini, sive extranei, & alieni a testamentis, id est a pactis, quæ Deus cum Iudæis inivit. PROMISSIONIS SPEM NON HABENTES, id est promissionis Messiæ venturi, de quo nihil, ne per umbram quidem, audiverant. SINE DEO: vel quia plerique eorum ex Gentilismo in Atheismum fuerant devoluti; vel quia muta colentes simulacra, tunc maxime erant sine Deo, cum plures sibi Deos asciscebant.

V. 13. IN CHRISTO IESU: per Christum, Christi gratia, & beneficio. QUI ALIQUANDO ERATIS LONGE: a Deo, a spe promissionum a conversatione Israel, &c. FACTI ESTIS PROPE: accessistis tandem

ad Deum, per Christi sanguinem; vel potius ipse Deus appropinquavit vobis, Isai. XLVI. 12. *Audite me duro corde, qui longe estis a Iustitia. Prope feci iustitiam meam non; elongabitur.*

V. 14. IPSE ENIM EST PAX NOSTRA: quia inter nos, & Deum pacem conciliavit, & inter duos populos hostiliter inter se dissidentes Iudæos scilicet & Gentiles. QUI FECIT UTRAQUE UNUM, id est utrumque populum Iudaicum, & Gentilem, & in sua Ecclesia univit. MEDIUM PARIETEM MACERIAE SOLVENS: medius paries dividens Iudæos a Gentilibus, erant inimicitiæ mutuæ; mutuus contemptus, & odium. Has inimicitias, & odia abolevit Christus *in carne sua;* moriens vero utrisque afflans communem charitatis legem, & Spiritum. In Græco est μισο τοιχιον τȣ φραγμȣ, id est interstitium maceriæ, maceriam, quæ media erat, & Iudæos a Gentilibus separabat.

V. 15. LEGEM MANDATORUM DECRETIS EVACUANS. Sententia est, Mosaicam legem, quæ in decretis sita erat, Græce ἐν δόγμασι, in dogmatis, & placitis, quæ ex mero decernentis placito obligabant, in cruce fuisse abolitam, abrogatisque decretis antiquatam; ac proinde maceriam divisionis omnino dirutam. Vel; ἐν δόγμασι, *in decretis*, id est per alia decreta, hoc est per legem novam. UT DUOS CONDAT IN SEMETIPSO, &c. ut scilicet duos populos Iudaicum scilicet & Gentilem, quasi duos homines, sibi, & corpori suo, id est Ecclesiæ suæ, cuius ipse caput est, inserat, & incorporet, faciatque utrumque hunc hominem, id est populum, velut novum quemdam hominem in novitate vitæ ambulantem. FACIENS PACEM: inter duos illos populos.

V. 16. ET RECONCILIET AMBOS], &c. utrumque populum, est eiusdem sententiæ repetitio, & inculcatio.

V. 17. ET VENIENS: Christus scilicet in hunc mundum. EVANGELIZAVIT PACEM VOBIS: læto præconio pacem promulgavit. VOBIS QUI LONGE FUISTIS: vobis Gentilibus, qui longe fuistis a Deo, Christo, & salute. IIS QUI PROPE: Iudæis Deo propinquis per eius notitiam, & legem, qua in Dei cultu continebantur.

V. 18. QUONIAM PER IPSUM, scilicet Christum pacificatorem, & mediatorem nostrum. ACCESSUM: aditum, introductionem. AMBO: tam Iudæi, quam Gentiles. IN UNO SPIRITU, id est per eundem Spiritum ductorem, & impulsorem. AD PATREM: ad Deum Patrem, ut recepti ab eo in gratiam, & pro filiis agniti, clamemus orantes, *Abba, Pater.*

V. 19. ERGO IAM NON ESTIS: ut eratis in Gentilismo. HOSPITES, ET ADVENAE: peregrini, & extranei. SED ESTIS CIVES: συμπολῖται, *concives* sanctorum, id est in eamdem cum illis civitatem adscripti. ET DOMESTICI DEI, id est una cum illis pertinentes ad domum, cuius paterfamilias est Deus.

V. 20. SUPER FUNDAMENTUM APOSTOLORUM: super Apostolos, & Prophetas, qui sunt fundamentum Ecclesiæ. Apostolorum enim & prophetarum fidei, doctrinæ, prædicationi, institutioni, quasi fundamento Ecclesia incumbit. IPSO SUMMO ANGULARI LAPIDE CHRISTO IESU: existente Christo lapide angulari. Alludit Paulus ad locum Isaiæ cap. XXVIII. 16. *Et ecce ego mittam in fundamentis lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum*, &c. & ad Psalm. CXVII. 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Porro duas ob causas Christus angularis lapis nominatur. Prima est, propter soliditatem, firmitudinem, ac robur: solent enim anguli in ædificiis esse firmissimi, solidissimique lapides, ac propterea ædificiorum ossa nuncupantur. Secunda, quia ut angularis lapis geminum utrinque parietem complectitur; ita Christus utrumque populum Gentilem, & Iudaicum, inter se connectit, & in se ipso continet, atque sustentat. Dicitur *summus*, id est ἄκρος, quod omnibus angulis convenit, sunt enim parietum summi, id est extremi, in quos scilicet desinunt, & uniuntur.

V. 21. IN QUO: per quem, scilicet Christum. OMNIS AEDIFICATIO: totum ædificium, tota fabrica. CONSTRUCTA: συναρμολογȣμένη, compaginata, compacta, coagmentata. CRESCIT IN TEMPLUM: in Ecclesiam, quæ est domus sancta, & templum Dei. IN DOMINO: per Dominum. Vel in *Domino*, id est Domini, ut sitis templum sanctum Domini.

V. 22. IN QUO: per quem, scilicet Christum

ftum iam dictum. Vel, *in quo*, scilicet templo. ET VOS COAEDIFICAMINI IN HABITACULUM DEI: vos cum aliis Christianis simul inædificamini huic fabricæ, ut sitis lapides, partes, & membra huius templi, illudque semper altius assurgat, fiatque ingens Dei habitaculum. IN SPIRITU: per Spiritum sanctum, qui sua gratia, & caritate quasi glutino vos coagmentat, & continet.

TIRINI.

Vers. 1. CUM ESSETIS MORTUI DELICTIS; id est, cum per delicta vestra privati essetis vita gratiæ, supple, ex vers. 5. *convivificavit vos in Christo*, &c.

V. 2. AMBULASTIS SECUNDUM SAECULUM MUNDI, id est conversabamini secundum consuetudinem; Syrus, *vanitatem* sæcularium mundane viventium: SECUNDUM PRINCIPEM POTESTATIS AERIS HUIUS, id est, iuxta instinctum & ductum diaboli, qui in hoc aere dominatur & potestatem exercet, miscendo ventos, ciendo tonitrua, fulgura & alias tempestates, item tentando & vexando homines, &c. ductum in quam, πνεύματος, id est *spiritus* maligni, QUI NUNC pene pro libito OPERATUR, id est vim & malignitatem suam exerit, IN FILIOS DIFFIDENTIAE; Græce, ἀπειθείας, id est in homines incredulos, infideles ac rebelles Deo: ita S. Thomas.

V. 3. IN QUIBUS iisdem delictis etiam NOS OMNES, tam Iudæi, quam Græci, vitam egimus, NATURA FILII IRAE *a*, id est a primo exortu naturæ (quæ per Adamum & originale peccatum corrupta est,) obnoxiæ iræ, indignationi, vindictæ divinæ: ita S. Chrysostomus, Augustinus, Anselmus, Beda, S. Thomas. Sed

V. 5. & 7. DEUS CONVIVIFICAVIT ET CONRESUSCITAVIT NOS IN CHRISTO; id est, fecit nos participes spiritualis resurrectionis & novæ vitæ Christi, & simul cum ipso CONSEDERE FECIT IN CAELESTIBUS thronis, iam per certam spem, reipsa autem post mortem. Prophetæ enim factum dicunt quod certo futurum vident: quia in divina præscientia videntur omnia ut iam facta, inquit S. Augustinus, Hieronymus & Gregorius *b*.

V. 8. GRATIA, seu beneficio gratuiti auxilii divini, ESTIS SALVATI (inchoati, id est iustificati) PER FIDEM, quæ ex libero arbitrii nostri consensu, & cooperatione cum Dei gratia præveniente elicitur: unde NON est EX NOBIS solis, neque ex merito operum præcedentium, sed DEI DONUM EST liberale ac gratuitum: quia etiam iste voluntarius & liber assensus noster non posset a nobis elici, nisi gratuita illustratione divina præveniremur, excitaremur ac roboraremur. Unde recte colligunt Scholastici, initium iustificationis & salutis nostræ non posse dici *ex nobis esse*, sed necessario divinæ gratiæ adscribendum.

V. 10. IPSIUS ENIM SUMUS FACTURA, seu figmentum, ut corporale, ita & spirituale: nam sicut mera & gratuita Dei voluntate creati primum sumus, id est corpus & animam accepimus; ita & ex eiusdem solius beneficio gratiam divinam prævenientem ac cooperantem accepimus, cuius auxilio fidem & iustificationem nacti sumus, & sic spiritualiter recreati, seu regenerati sumus, idque IN OPERIBUS BONIS; hebraismo, id est *ad bona opera* (ut Syrus, Chrysostomus, Oecumen. immo & Beza vertit) *exercenda*, *in* quibus deinceps AMBULEMUS & versemur; QUAE PRAEPARAVIT nobis DEUS, nempe præordinando ab æterno, nobis dare gratias ad illa bona opera exercenda utiles ac necessarias, easdemque nobis in tempore subministrando, & per illas nobiscum cooperando.

V. 11. *Dicimini* PRAEPUTIUM, id est præputiati, circumcisi, & IN CARNE, id est carnales: nempe probrosis his nominibus per contemptum vocabamini *a circumcisione* IN CARNE, id est a Iudæis carnaliter circumcisis.

V. 12. QUIA ERATIS HOSPITES TESTAMENTORUM, id est extranei & alieni a pactis inter Deum & Iudæos initis: NON HABENTES SPEM PROMISSIONIS venturi Messiæ, ut habebant Iudæi, immo ERATIS SINE CHRISTO ET DEO, id est sine cognitione & cultu veri Dei aut Christi: ita S. Hieronymus.

V. 14. IPSE Christus EST PAX NOSTRA, non formaliter, sed causaliter *c*, quia FECIT UTRAQUE UNUM, id est utrumque populum, Iudaicum & Gentilem, univit in una Ecclesia sua sub uno capite, inquit S. Hieron. *medium parietem*; Græce,

μεσότοιχον, id est *interstitium*, *maceria*, id est maceriam, seu murum qui medium erat & separabat Iudæos a Gentilibus; INIMICITIAS, id est causam perpetuarum inimicitiarum, odiorum ac dissentionum, SOLVENS, id est destruens, tollens per mortem quam obivit IN CARNE SUA. Quæ vero hæc maceria, seu murus?

V. 15. LEX MANDATORUM, id est lex Mosaica, quæ mandabat tantum, nec gratiam conferebat qua mandata complerentur. Hanc cum suis omnibus cæremonialibus DECRETIS *evacuavit*, id est abolevit Christus, UT DUOS illos populos antea ob illa decreta discordes, CONDAT, seu concordes iam factos recondat, IN SEMETIPSO, & sibi, unico Ecclesiæ capiti, utrumque populum subiiciat, sed factum iam unum corpus Ecclesiæ, & quasi UNUM HOMINEM NOVUM, seu in novitate vitæ ambulantem: ita S. Hieron. Chrys. Theophyl.

V. 18. QUONIAM utrique PER Christum tamquam per communem pacificatorem, mediatorem ac redemptorem, HABEMUS aditum & ACCESSUM liberum, ut solent filii ad PATREM, duce UNO eodemque SPIRITU *sancto*.

V. 19. ERGO IAM NON ESTIS amplius HOSPITES *testamentorum* (ut supra vobis opprobrabatur) SED CIVES; Græce, συμπολῖται, id est *concives*, SANCTORUM Patriarcharum, Prophetarum immo & angelorum: ET DOMESTICI DEI, id est spectantes ad unam eamdemque non civitatem tantum, sed & domum ac familiam, non terreni alicuius hominis, sed immortalis Dei, nempe membra unius & eiusdem Ecclesiæ Christi, quæ unica est civitas, familia & domus Dei: ita Chrysost. Theophyl. Anselmus

V. 20. SUPERAEDIFICATI SUPER *Apostolos & Prophetas*, & super ipsorum instructionem ac doctrinam, tamquam super secundarium FUNDAMENTUM totius fabricæ Ecclesiæ; CHRISTO existente primario, altissimo, seu imo fundamento, & LAPIDE SUMMO ANGULARI. Græce, ἀκρογωνιαίου, id est extreme angulari, qui præcipuus est in ædificio, ut in Psal. & Isaia *d* fusius exposui, ad quos hic alludit S. Paulus.

(a) Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 40.
(b) Gregor. Lib. VI. Moral. cap. VIII.
(c) I. Cor. I. 30.
(d) Ps. CXVII. 22. Isaiæ XXVIII. 16.

GORDONI.

Vers. 1. &c. ET VOS CUM ESSETIS MORTUI. En fructum vocationis: dum sine meritis per fidem Christi in nobis vivere incipimus, & velut recreamur ad bona opera peragenda. Progressus ergo divinæ huius vocationis est, quod avocemur a vita filiorum huius mundi, filiorum diffidentiæ & incredulorum, secundum carnem viventium, & a principibus tenebrarum (quibus potestas aeris concessa est: nam qui nos impugnant, ibi commorantur usque ad diem iudicii) ad novam sub Christo vitam, (vers. 4.) dum misericordia Dei nimia, id est eximia communem nobis vitam dedit cum Christo & spiritualem, cuius gratia salvamur; & qui per spem nos cælo intulit, & consedere facit & faciet, nunc mente, postea secundum totum hominem, ut manifestaret (vers. 3. tertium membrum est) bonitatem & misericordiam suam ergam nos per Christum. In tribus his præfationis membris, en in hac vocatione (ut cum Philosophis loquar) terminum a quo, ad quem, & finem, qui est gloria Dei per Christum.

Hacteuus Paulus, usque ad vers. 8. ubi quod est initio τὸ *vos*, est in accusandi casu, ut docet τὸ ὑμᾶς, & refertur ad verbum DILEXIT vers. 4. nam ibi redit ad caput orationis. Hic confundi puto delictum ex peccatum, quicquid sit de legali interdum distinctione. At quomodo vers. 3. homo natus filius iræ? Sane quia tales sumus ex naturæ corruptione & propensione: quatenus omnes ex Adamo nati sunt propensi ad peccatum quasi naturaliter, ut hoc modo dicantur naturæ filii iræ: alii explicant natura, id est a nativitate.

V. 8. & 9. GRATIA ENIM ESTIS SALVATI. Hoc est, gratis iustificati, non ex operibus. Item gratis & per auxilia gratiæ, sed gratuita; ac proinde etiam per fidem: Sicut enim ex parte Dei iustificatio incipit a gratia præveniente, ita ex parte hominis ab assensu fidei, velut a salutis humanæ initio, & sine qua non est salus. Et sic dicimur iustificari per fidem. ET HOC NON EX OPERIBUS. Nam ille voluntarius assensus etiam Dei donum est. Ut autem datur iustitia inchoata & completa; ita de salute dicendum est. Cete-

rum

rum τὸ *hoc* refertur ad fidem; quasi diceret: Hic enim voluntarius fidei assensus, quamvis noster sit, tamen simul est Dei donum, & non meritis operum præcedentium, ne quis glorietur se ex suis operibus evasisse iustum. Vides hic non excludi opera fidei, & quæ ex fide oriuntur, spei, pœnitentiæ & dilectionis: sed quæ sine fide sunt, seu ex natura, & opponuntur fidei: sicut natura opponitur gratiæ. Manet ergo salvari per fidem, esse gratis salvari: nam fides donum Dei est.

V. 10. IPSIUS ENIM SUMUS FACTURA. Dat rationem cur non sit unde gloriemur exemplo creaturæ; ut enim creatura ante creationem nihil est, & proinde gratis accepit esse a Deo: sic in iustificatione opera naturæ prævia nihil effecerunt ad iustificationem, sed gratis acta res est a Deo.

V. 11. PROPTER QUOD. Excitat ad beneficii & vocationis magnitudinem bene cognoscendam, ne sint ingrati. Comparat & componit statum præteritum cum præsenti: fuistis aliquando Ethnici carnales carni servientes; probroso nomine, præputium vocabant vos Iudæi, qui dicebantur circumcisio, & erant sub cultu veri Dei: vos vero sine Deo vero, sine Christi lege, gratia & religione, alieni & velut excommunicati ab Israelitis Dei servis, hospites testamentorum. seu exclusi a sanctis pactis cum Deo, quibus gaudebant Iudæi: ignari quoque fuistis divinæ promissionis de venturo Messia.

V. 13. & 14. NUNC VERO. Altera pars comparationis. Iam, inquit, in Christo, seu per Christum, qui remoti eratis, facti estis prope per sanguinem Christi: qui factus est pax nostra, conciliāns pacem inter nos & Deum: & inter Iudæos & gentes hostiliter diffidentes, faciens utraque unum unum gregem, unam Ecclesiam: SOLVENS MACERIAE PARIETEM. Paries iste medius fuit odium ingens inter utrumque populum. Has sustulit inimicitias Christus moriens, diffusa in cordibus hominum caritate, Legem porro (vers. 15.) mandatorum decretis evacuans; hoc est evacuans legalia per novam legem, & sic nascente novo homine nata est pax optanda, dum velut ex duobus hominibus fit unus: quod effecit moriens Christus. Et similia addit de pace vers. 17. ut videat mundus crucem Christi inimicitiarum esse extirpatricem.

V. 19. ERGO IAM NON ESTIS HOSPITES. Factum ergo ex hac vestra vocatione est, ut iam non sitis amplius externi, sed associati civibus & domesticis Dei, nitentes doctrina & fide prophetarum & Apostolorum, ubi Christus est angularis lapis iuxta verba Isaiæ cap. XXVIII. 16. in quo solidatur & compacta est tota ædificatio, complectens utrumque populum, & excrescens in templum Dei, in Ecclesiam sanctam: cuius ædificii vos per Spiritum sanctum estis lapides, & sacri corporis mystici solida membra. Lapides angulares sunt fortiores ceteris, & insuper summi in pariete, in quos desinunt parietes, & quibus continentur: hæc bene conveniunt Christo. Immo ille & summus lapis est, & præterea imus ac fundamentum, præter quod nemo aliud ponere potest: vere enim sustentat, sicut & continet.

C A P U T III.

Paulus docuit hoc mysterium, Prophetis & Apostolis revelatum, quod Gentes essent per Christum participes promissionum Dei; quem orat ut spiritu corroborentur, & in caritate radicati, ad plenum in divinis mysteriis edoceantur.

1. HUius rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Iesu, pro vo-
bis Gentibus, 2. si tamen audistis dispensationem gratiæ
Dei, quæ data est mihi in vobis: 3. quoniam secundum
revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut
supra scripsi in brevi: 4. prout potestis legentes intelli-
gere prudentiam meam in mysterio Christi: 5. quod aliis
generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti
nunc revelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis
in Spiritu. 6. Gentes esse coheredes, & concorporales, & comparticipes pro-
missionis eius in Christo Iesu per Evangelium: 7. Cuius factus sum minister,
secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi (*a*) secundum operationem
virtutis eius. 8. (*b*) Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc,
In Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, 9. & illuminare om-
nes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia
creavit, 10. * ut innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus per Ec-
clesiam, multiformis sapientia Dei, 11. secundum præfinitionem sæculorum,
quam fecit in Christo Iesu Domino nostro: 12. In quo habemus fiduciam &
accessum in confidentia per fidem eius. 13. Propter quod peto ne deficiatis in
tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra. 14. Huius rei gratia fle-
cto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, 15. ex quo omnis pa-
ternitas in cælis & in terra nominatur, 16. ut det vobis secundum divitias
gloriæ suæ, * virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem,
17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in caritate radicati, &
fundati, 18. ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo,
& longitudo, & sublimitas, & profundum: 19. scire etiam supereminentem
scientiæ caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. 20.
Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut in-
telligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis: 21. ipsi gloria in Ec-
clesia, & in Christo Iesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

(*a*) Sup. 1. 19. (*b*) I. Cor. xv. 9.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 10. *Ut innotescat principatibus, & potestatibus.* Non legas *principibus* pro *principatibus*, id est quatuor syllabas pro quinque.

Vers. 16. *Virtute corroborari per spiritum eius*: Retinendus est ablativus *virtute*, non supponendus accusativus *virtutem*.

Sequitur. *In interiorem hominem*. Hic contra retinendi sunt accusativi, non supponendi ablativi *in interiore homine*.

COM-

COMMENTARIA

GAGNAE I.

Verf. 1. HUius rei gratia, id est ut vos coædificarem Christo, ego Paulus subaudi, sum vinctus Christi, id est pro Christo, quomodo dicimus martyr Christi, id est pro Christo, idque pro vobis gentibus; invidiosus enim erat Iudæis, quod se gentium Apostolum esse testaretur; ob eamque causam ab illis accusatus Romæ tenebatur in vinculis.

V. 2. 3. 4. & 5. Si tamen audistis. Græci habent εἴγε, id est *siquidem audistis* dispensationem gratiae quae data est mihi in vos; id est, siquidem intellixistis creditam mihi esse administrationem gratiæ Dei inter vos prædicandæ; quæ autem illi credita est dispensatio ostendit, dicens: Quoniam secundum revelationem notum factum est mihi sacramentum. Græc.habent ἐγνώρισέ μοι, id est *notum mihi fecit Deus* scilicet sacramentum, sive ministerium illud: nam Græce est τὸ μυςήριον & indicat mysterium illud de gentium vocatione: de quo etiam subdit, sicut supra scripsi in brevi: ἐν ὀλίγῳ, id est *paucis*, vel paulo ante, sic ut præcedenti capite gentes vocatas ostendit & concives sanctorum effectas: *sicut*, inquit, *supra scripsi*, non quatenus mysterii dignitas & magnitudo exigebat, sed prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, id est sed quatenus capere potestis scientiam & intelligentiam meam circa mysterium Christi: sic etiam Græci exponunt; Papæ, inquiunt, nequaquam omnia quibus opus habebant, scripserat; sed ea tantum quorum capaces erant: scripsi ergo prout potestis intelligere prudentiam & scientiam meam circa mysterium Christi, quod aliis generationibus, id est alia ætate ac præcedenti tempore non est cognitum. In spiritu; id est, sicut revelatum est nunc apostolis & prophetis per spiritum, scilicet sanctum: quamquam neque Veronensis codex, neque Dionysianus addant sanctum, etsi de illo intelligi debet. Ambros. refert τὸ spiritu, ad τὸ gentes esse cohæredes: non est ergo agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est, &c. id est non est aliter & tam perfecte cognitum sicut nunc est.

V. 6. Gentes esse cohaeredes. Hoc referendum est ad paulo ante præcedentia, & sic legendum, Notum factum est mihi sacramentum, scilicet gentes esse cohæredes, &c. quæ vero intercedunt, per parenthesim legenda: mysterium autem hoc est, quod gentes Christo concorporales factæ sunt, id est unum corpus in eo mysticum constituentes: & comparticipes promissionis factæ ipsi Abrahæ in Christo.

V. 8. 9. & 10. Mihi enim omnium sanctorum minimo. Græcis deest enim: tamen Græca scholia dicunt supplendum esse γάρ, id est, Mihi ergo omnium minimo data est gratia evangelizare, id est ut evangelizem investigabiles, pro impervestigabiles Christi divitias, et illuminare omnes, id est ut illuminem. Quae sit dispensatio. Quidam Græci legunt κοινωνία, id est *communicatio*: quidam οἰκονομία, id est *dispensatio*, vel administratio: quidam πλοῦτος, id est *divitiæ*: duobus primis modis sensus est: Mihi data est gratia posse illuminare & docere omnes, quæ & qualis sit tanti sacramenti daministratio, quod hactenus in Deo latuit, in Deo inquam, qui omnia creavit. Hoc loco Græci addunt, διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ *per Iesum Christum*. Notant enim, inquit Chrysostomus, forsitan & prophetæ gentes vocandas. Quomodo vero & ad quanta bona, non noverant: sed hoc mihi concessum est omnibus aperire, ut innotescat principatibus et potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientiae Dei, id est ut angeli, & archangeli, qui ante incarnationem Christi tantam Dei erga gentes bonitatem ignorabant, ac tam variam illius sapientiam, eam demum plane compertam haberent *per Ecclesiam*, id est per tanta bona ecclesiæ gentium concessa, & tam diversos ac tam bene dispositos in ea gradus & ordines: nam per principes & potestates in cælestibus, nequaquam malignos spiritus in aere versantes oportet intelligere; sed cum scoliis Græcis, cum Photio & Gregorio

theo-

theologo angelos & archangelos. Bene ergo, inquit, ut innotescat illis multiformis sapientia Dei SECUNDUM PRAEFINITIONEM SAECULORUM; id est prout retro ante sæculo & ab æterno per Ecclesiam illis indicare proposuerat.

V. 11. QUAM FECIT IN CHRISTO: τὸ *quam* referre potest vel ecclesiam, quam in Christo fecit & condidit: vel illam multiformem Dei sapientiam quam in Christo Pater exhibuit.

V. 13. PROPTER QUOD PETO NE DEFICIATIS IN TRIBULATIONIBUS MEIS PRO VOBIS. Gr μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσί μου, ὑπὲρ ὑμῶν; est autem ἐκκακεῖν malis succumbere, defatigari, & deficere, & referri potest ad personam Pauli, *peto ne deficiam in tribulationibus meis pro vobis*, sive *quas pro vobis fero*; sive *pro vobis*, id est ;vestra causa: peto scilicet vestra causa, & Deum oro, ne ob meas afflictiones deficiatis: qui sensus magis videtur accedere ad Græda, nam si legimus *quas pro vobis fero*, pro eo Græci habent ταῖς ὑπὲρ ὑμῶν: præstat autem vertere, ne deficiatis, neve consternemini ob meas tribulationes: periculum enim erat, ne præceptore suo in tantis periculis constituto, animo conciderent: obsecro itaque ne deficiatis ob meas tribulationes QUAE EST GLORIA VESTRA; quasi dicat, Non modo ob eas non debetis succumbere, sed gloriari potius, quod princeps & præceptor vester dignus habitus est, pro nomine Iesu contumeliam pati.

V. 15. EX QUO OMNIS PATERNITAS. Græce πατριὰ, quod paternitatem (ut ita dicam) & parentelam significat ac familiam; sive cognationem & affinitatem. Id ergo Paulus innuit, se orandi gratia ne ipsi deficiant flectere genua ad patrem Domini nostri Iesu Christi, qui non modo ipsius pater est, sed (diversa tamen ratione) omnium tam hominum quam angelorum: id enim significat quod ait, sive in cælis sive in terra: ab ipso enim communi omnium parente, affines sunt angeli & homines: atque ita quum de eadem familia ab eodem patre spiritualiter prognati simus, communem opportet esse omnium in illum affectionem & voluntatem.

V. 16. 17. 18. & 19. UT DET VOBIS VIRTUTEM CORROBORARI PER SPIRITUM EIUS IN INTERIORI HOMINE.] Græci habent ἵνα δῴη ὑμῖν δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον; id est ad verbum, *ut det vobis virtute corroborari per spiritum suum interiorem hominem*; hoc est, ut det vobis secundum interiorem hominem virtute sua per spiritum suum corroborari, ET CHRISTUM HABITARE PER FIDEM IN CORDIBUS VESTRIS; id est, concedat ut per fidem in cordibus vestris Christus habitet. IN CARITATE RADICATI. Photius Græcus ut solœcismum vitet, sic ordinat, ut vos radicati & fundati in caritate possitis comprehendere QUAE SIT LATITUDO, id est immensitas potentiæ divinæ; ET LONGITUDO, id est æternitas ET SUBLIMITAS naturæ: ET PROFUNDUM, id est profunditas scientiæ. SCIRE ETIAM CARITATEM CHRISTI SUPEREMINENTEM SCIENTIAE. Græce ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως; id est, vel maiorem quam quæ virtute humana cognosci possit, vel quæ exuperat omnem humanam scientiam. Quidam præcedentia, scilicet quæ sit latitudo, referunt ad vocationem gentium; id est, ut possitis cognoscere quantæ dignitatis & virtutis est hoc mysterium: usus est autem vocabulis omnium dimensionum corporalium, ad exprimendam illius magnitudinem. Mihi videtur simplicior sensus esse; ut possitis cognoscere omni dimensione immensa Christi erga vos beneficia. UT IMPLEAMINI, id est sicut Græci exponunt, ut impleamini omni virtute qua Deus plenus est, val impleamini, id est perficiamini & perfecte cognoscatis usque ad plenitudinem & perfectam cognitionem Dei, quæ est unum Deum in tribus personis plene intelligere & adorare.

V. 20. FACERE SUPERABUNDANTER, id est abundantius sui cognitionem bonaque omnia largiri, quam petere vel excogitare possimus,

V. 2. IPSI; ipsi, superfluit, sed Hebræorum more locutus est, qui dicunt cuius eius.

S A.

Vers. 1. HUIUS REI, id est ædificii spiritualis. EGO. Iunge cum vers. 14. vel cum *vinctus*, scilicet sum VINCTUS, scilicet ligatus erat catena. PRO VOBIS, id est pro Evangelio quod vobis prædico.

V. 2.

V. 2. DISPENSATIONEM, id est distributionem, seu communicationem. IN VOBIS, pro, in vos, scilicet dispensandæ.

V. 3. SACRAMENTUM. Græc. *mysterium*. IN BREVI, id est breviter.

V. 4. GENERATIONIBUS, id est ætatibus. AGNITUM, id est manifestatum. IN SPIRITU, id est per Spiritum sanctum.

V. 6. CONCORPORALES, id est eiusdem corporis, scilicet mystici. Evangelium, id est fidem, & vitam Evangelicam.

V. 8. SANCTORUM, id est Christianorum. INVESTIGABILES: a vestigando, pro, in investigabiles: sic Rom. XI.

V. 9. DISPENSATIO, id est exhibitio, vel communicatio, seu providentissima executio. Nota, hinc sumptum illud Doctorum, quod Christi incarnationem & acta vocant œconomiam, seu dispensationem: quia per ea Deus dispensavit, seu executus est redemptionis nostræ mysterium.

V. 10. IN CAELESTIBUS. Syr. *qui sunt in cælis*. Nota, hinc non sequi, latuisse id mysterium Angelos: tantum enim dicitur eis apparuisse, cum exhibitum est: quamquam nihil prohibet illos aliqua ignorasse, priusquam exhibita viderent. MULTIFORMIS, id est plena varietate rerum.

V. 11. SECUNDUM, &c. quasi dicat: Iuxta id quod per Christum disposuerat facere, præfinito a se tempore. QUAM, scilicet præfinitionem, vel dispensationem. IN CHRISTO, id est per Christum.

V. 12. IN QUO, id est per quem. ACCESSUM, scilicet ad Patrem.

V. 13. IN: pro, propter. VESTRA, scilicet apparet quanti vos Deus faciat.

V. 14. HUIUS, &c. redit ad id quod cœperat in principio capitis, quamquam potest cum proxime præcedentibus iungi.

V. 15. PATERNITAS. Græc. *πατριὰ*, id est *parentela*, seu *cognatio*, vel *familia*; adeoque etiam *paternitas*. NOMINATUR, id est existit; quasi dicat, Qui est omnium cognationum & coniunctionum auctor.

V. 16. DIVITIAS, id est abundantiam. GLORIAE, id est gratiæ, per quam glorificatur. VIRTUTE, id est potenter.

V. 18 LATITUDO, scilicet caritatis Dei. LONGITUDO, scilicet æternitas. SUBLIMITAS, id est excellentia. PROFUNDUM, id est inscrutabilitas.

V. 19. SUPEREMINENTEM, &c. id est maiorem quam intelligi possit. IN OMNEM, &c. id est plene Deo, scilicet Dei cognitione & caritate.

V. 20. SUPERABUNDANTER, id est abundantius. INTELLIGIMUS, id est mente concipimus, seu cogitamus.

V. 21. ET IN. Græc. *in*, pro, per.

MARIANAE.

Vers. 1. HUIUS REI GRATIA, quia Gentes ad fidem voco. VINCTUS CHRISTI IESU, ut martyr Christi. Quidam solæcismum hic esse aiunt, nec esse verbum unde hic nominativus regatur. Sed præstat cum Syr. supplere verbum *sum*, *Ego sum vinctus*. Quidam Hebraice doctus putat esse Hebraismum, & nominativum esse pro dativo; quasi dicat: Mihi Paulo vincto notum factum est sacramentum, scilicet huius rei gratia, nempe ut vobis evangelizem; atque redundare *quoniam*, positum in vers. 3. Paulos durius hoc videtur. PRO VOBIS GENTIBUS, scilicet vinctus sum, quia vobis prædico. Odii Iudæorum ea præcipua, & vinculorum causa.

V. 2. AUDISTIS DISPENSATIONEM, seu *ordinationem* prædicandi Gentibus. IN VOBIS; pro, *in vos*, εἰς ὑμᾶς. Hæc est dispensatio, de qua loquitur.

V. 3. SECUNDUM REVELATIONEM, id est per revelationem. NOTUM MIHI FACTUM EST SACRAMENTUM, mysterium occultum; scilicet Gentes vocandas.

V. 4. PRUDENTIAM MEAM, cogitationem, iudicium meum; quid sentiam in hoc mysterio, potestis ex nostris litteris intelligere.

V. 5. QUOD ALIIS GENERATIONIBUS NON EST AGNITUM. Priores Prophetæ aliquid de vocatione Gentium noverunt & dixerunt, sed non ita perfecte sicut nunc. IN SPIRITU, id est per spiritum, nempe *sanctum*, ut exprimit Græcus in Reg. est *revelatum*. Nimirum

V. 6. GENTES ESSE COHEREDES. Hoc est mysterium. IN CHRISTO, id est per Christum, & per Evangelium.

V. 7. SECUNDUM OPERATIONEM: ἐνέργειαν, id est per efficaciam: virtutis eius sum, scilicet minister. Tum mihi est datum ut explicem.

V. 9.

V. 9. SACRAMENTI: quæ sit dispensatio. Græc. *mysterii absconditi*. A SAECULIS, id est omni tempore.

V. 10. UT INNOTESCAT PRINCIPATIBUS, id est Angelis qui in Ecclesia, ut in speculo contemplantur sapientiam Dei prius illis ignotam huius mysterii.

V. 12. IN CONFIDENTIA PER FIDEM EIUS. Syr. *per fiduciam fidei illius*, id est quam fides dat, habemus ad Christum accessum.

V. 13. NE DEFICIATIS, aut succumbatis, ἐκκακεῖν. IN TRIBULATIONIBUS MEIS, id est propter ea quæ vinctus patior. QUAE EST GLORIA VESTRA, gloriari potius debetis, talem & tam fortem habuisse Doctorem. Propterea Deo Patri gratias ago,

V. 15. EX QUO OMNIS PATERNITAS. Græcum πατριὰ, *familiam*, *tribum* & *gentem* significat, ut Psal. XXI. 28. *adorate in conspectu eius omnes familiæ*: ibi est hæc vox Græca. Psal. XCV. 7. *Afferte Domino patriæ*, id est familiæ *gentium*. Ubi Interpres Græcam vocem reliquit. Sic sensus: Ex quo omnis familia & congregatio, omnes enim ab eo pendent. Sed πατριὰ *paternitatem* hoc loco significat: sic Syr. & Hieronymus hic, sic Damascenus I. de Fide, cap. IX. Tum *paternitas* pro *principatu*. Ergo rogo Deum, qui princeps & pater est, & a quo principes omnes in cælo & in terra, ut det vobis

V. 17. IN CARITATE; pro, & sitis in caritate radicati, alioqui solœcismus esset. Ut sciatis,

V. 18. QUAE SIT LATITUDO. Bernardus V. de Consider. *Latitudo caritas*, *longitudo æternitas*, *sublimitas potentia*, *quæ est super omnia*, *profundum sapientia*, *inscrutabilia iudicia eius*: eleganter. Sed nimirum per dimensiones Geometricas significat perfectionem caritatis Christi, quoquoversus respicias. SUPEREMINENTEM SCIENTIAE, id est maiorem scientia, & quam cognosci possit, Christi caritatem esse ait.

V. 20. QUI POTENS EST OMNIA FACERE. Iunge cum hoc illud, *secundum virtutem*, id est per virtutem, *quæ operatur in nobis*.

V. 21. IPSI GLORIA; pro, ipsi, inquam, sit gloria.

MENOCHII.

Vers. 1. HUIUS REI GRATIA. Quæ habentur hoc versiculo, post longam parenthesim, quæ sequitur, nectuntur cum illis verbis, *Flecto genua*, &c. infra vers. 14. VINCTUS CHRISTI IESU: Christi causa, & Evangelii eius.

V. 2. SI TAMEN AUDISTIS DISPENSATIONEM, &c. quasi dicat: Si tamen, quod mihi persuadeo, audistis quemadmodum divina providentia, atque consilio munus Evangelii prædicandi inter gentes, adeoque inter vos, creditum mihi fuit aliquando.

V. 3. QUONIAM SECUNDUM REVELATIONEM &c. quasi dicat: Audistis magnum hoc arcanum, quod passim prædico, & admiror, de Christi incarnatione, redemptione, vocatione Gentium, &c. mihi per revelationem notum factum fuisse. SACRAMENTUM: mysterium, arcanum, &c. SICUT SUPRA SCRIPSI: de hoc sacramento, & mysterio; si quis enim legat caput primum, & secundum, videbit hoc Christi mysterium iam dictum, præsertim circa vocationem Gentium, clare, & profunde fuisse Paulo revelatum. IN BREVI, id est paucis, & breviter.

V. 4. LEGENTES: superiora huius epistolæ capita. PRUDENTIAM, σύνεσιν, id est intelligentiam meam circa Christi mysteria.

V. 5. QUOD ALIIS GENERATIONIBUS, id est aliis superioribus sæculis. FILIIS HOMINUM: hominibus. ET PROPHETIS, novi, scilicet Testamenti. IN SPIRITU, id est per Spiritum sanctum.

V. 6. GENTES ESSE COHEREDES, id est una cum Iudæis eiusdem hereditatis cælestis consortes, tamquam Dei filios. ET CONCORPORALES, id est eiusdem corporis membra sub uno capite Christo. PROMISSIONIS EIUS: promissionum Spiritus S. vel Dei, nam relativum *eius*, utrique respondere potest. IN CHRISTO IESU, id est per Christum Iesum, qui Dei promissiones promulgavit per suum Evangelium.

V. 7. CUIUS, scilicet Evangelii Christi. SECUNDUM OPERATIONEM. Græce est, ἐνέργειαν, id est *efficaciam*, efficacem operationem. VIRTUTIS; δυνάμεως, *potentiæ*,

tiæ, ſenſus eſt, Apoſtolatum non inanem, otioſum, & vacuum accepi, ſed talem, qui potenter, & efficaciter operetur converſionem Gentium etiam barbararum.

V. 8. MIHI OMNIUM SANCTORUM MINIMO: non ſolum Apoſtolorum, ſed Chriſtianorum omnium minimo. In Græco eſt ἐλαχιςοτέρῳ, comparativus ex ſuperlativo formatus; quaſi dicat, *Infirmiori*. INVESTIGABILES: non veſtigabiles, incomprehenſibiles. DIVITIAS CHRISTI: ſignificat immenſitatem beneficiorum Chriſti.

V. 9. ET ILLUMINARE OMNES: lucem fidei, & veritatis impertiendo. QUAE SIT DISPENSATIO, &c. ut, ſcilicet doceam quam ſapienter diſpenſatum, id eſt diſtributum, & omnibus propoſitum ſit hoc tempore a Deo ſacramentum redemptionis Chriſti, quod myſterium; & ſecretum per tot ſæcula, immo ab æterno abſconditum fuit in Deo, id eſt in eius mente, conſilio, & prædeſtinatione.

V. 10. UT INNOTESCAT PRINCIPATIBUS, ET POTESTATIBUS: illis ſcilicet, Angelorum ordinibus, qui principatus dicuntur, & poteſtates, ſub quibus & reliquos Angelorum choros intellige. IN CAELESTIBUS, ſcilicet locis commorantibus. PER ECCLESIAM: per ea quæ geſta ſunt a Chriſto, & Apoſtolis in Eccleſia, perque dona, & gratias Eccleſiæ communicata multa myſteria Chriſti, & Chriſtianorum Angelis innotuerunt, quæ prius ignorabant.

V. 11. SECUNDUM PRAEFINITIONEM SAECULORUM: quæ omnia facta ſunt eo tempore, quod tantæ rei gerendæ maxime opportunum, & idoneum præfinierat, ut ea per Chriſtum faceret.

V. 12. IN QUO HABEMUS FIDUCIAM, &c. In quo quidem Chriſto ſpes omnes noſtras locatas habemus eiuſque beneficio per fidem ipſius, ad Deum Patrem magna confidentia poſſumus accedere.

V. 13. PETO: a vobis, Epheſii. NE DEFICIATIS IN TRIBULATIONIBUS MEIS: ne deficiatis, & cadatis animo videntes me male haberi, & vinculis alligari. PRO VOBIS: quia ſcilicet vobis, aliiſque Chriſtum, & ſalutem evangelizo. QUAE EST GLORIA VESTRA: quæ tribulationes cedunt in gloriam veſtram.

V. 14. HUIUS REI GRATIA, &c. Nectenda ſunt hæc cum primo huius capitis verſiculo, ut ibi dixi. FLECTO GENUA AD PATREM, id eſt humiliter oro Deum Patrem, &c.

V. 15. EX QUO OMNIS PATERNITAS IN CAELIS, ET IN TERRRA NOMINATUR. Ex quo Patre omnis familia, ſive Angelorum in cælis, ſive hominum in terra, exiſtit, & originem accipit. PATERNITAS: πατριὰ, familia, vel tribus, quæ ab uno Patre ſuam habet originem.

V. 16. SECUNDUM DIVITIAS GLORIAE SUAE: id eſt ſecundum immenſam largitatem glorioſæ gratiæ ſuæ. VIRTUTE: δυνάμει, *fortitudine*. CORROBORARI, &c. ſenſus eſt: Oro det vobis ut virtute, ſeu fortitudine ab eo accepta corroboremini adverſus omnes tentationes, per Spiritum ipſius ad profectum interioris hominis. Vel dicitur, *In interiorem hominem*, pro, *in interiori homine*: eſt autem interior homo mens hominis, vel ipſe homo, ſecundum mentem, & eas potentias, quæ ſunt animæ rationali propriæ.

V. 17. CHRISTUM HABITARE: det vobis Deus Pater ut Chriſtus habitet. IN CARITATE FUNDATI, ET RADICATI: det etiam vobis ut caritas veſtra firma ſit, & conſtans.

V. 18. UT POSSITIS COMPREHENDERE, id eſt animo concipere, & intelligere. CUM OMNIBUS SANCTIS: cum omnibus Chriſtianis, quibus hoc idem opto. QUAE SIT LATITUDO, ET LONGITUDO, ET SUBLIMITAS, ET PROFUNDUM: non explicat Apoſtolus cuius rei intelligat latitudinem, & ceteras dimenſiones hic memoratas. Loquitur autem de beneficio redemptionis Chriſti, cuius participes voluit eſſe non ſolum Iudæos, ſed omnes Gentes. QUAE SIT LATITUDO: quam late ſe extendat hoc myſterium, caritas, & beneficentia Chriſti, nimirum ad omnes Gentes, & nationes. QUAE LONGITUDO: longitudo nullis clauditur terminis, nam ab æternitate in æternitatem uſque porrigitur. Iam enim inde ab æternitate decrevit Deus vocare Gentes; huiuſque benignæ diſpenſationis effectus, & fructus permanebit in omnem prorſus æternitatem. ET SUBLIMITAS: ad magnam enim, & ſublimem Gentiles evecti ſunt gloriam, ut ſcilicet filii Dei fiant, & Chriſti cohæredes. Magna etiam Dei ſapientiæ, amoris, & potentiæ ſublimitas, qua

qua sic servos scivit, voluit, & potuit extollere. ET PROFUNDUM: est enim profundissimum hoc mysterium, quod, ut dicitur ad Roman. XVI. 25. *Latuit temporibus aeternis tacitum*: est etiam profundum propter Christi se altissime demittentis humilitatem, *qui exinanivit semetipsum*, &c. ad Philippens. XXVII.

V. 19. SCIRE ETIAM: oro Deum, ut possitis scire, id est animo complecti, ac pro dignitate aestimare. SUPEREMINENTEM SCIENTIAE, id est excedentem notitiam nostram, ac maiorem, quam ut a nobis possit intelligi. CARITATEM CHRISTI: qua nos dilexit. UT IMPLEAMINI IN OMNEM PLENITUDINEM DEI: ut omnium donorum Dei perfectione repleamini, ut omnibus Dei donis abundetis.

V. 20. EI AUTEM QUI POTENS EST, &c. sensus est, Ei qui potens est superabundanter, & cumulate facere ultra omnia quae petimus, aut mente concipimus. SECUNDUM VIRTUTEM, QUAE OPERATUR IN NOBIS: κατὰ τὴν δύναμιν, *secundum vim, & potentiam*, id est gratiam, & Spiritum, qui vos potenter ad ardua virtutum impellit.

V. 21. IPSI GLORIA IN ECCLESIA: explet sententiam vers. 20. inchoatam, *Et qui potens est*, &c. Sensus est: ipsi sit gloria in Ecclesia, id est ipsum glorificet universa Ecclesia tantis beneficiis ab eo affecta. IN CHRISTO IESU, IN OMNES, &c. idque per Christum Iesum, & in omnes aetates omnium saeculorum usque in aeternum.

T I R I N I.

Vers. 1. HUIUS REI GRATIA, nempe propter evangelium VOBIS GENTIBUS a me praedicatum, VINCTUS SUM catena in hoc carcere Romano *a*.

V. 2. AUDISTIS *datam* MIHI DISPENSATIONEM, id est manus dispensandi ac communicandi, VOBIS Gentilibus *gratiam* DEI, id est Evangelium & salutem per Christum, ut infra *b* exponit.

V. 3. SECUNDUM, seu per, REVELATIONEM divinam (dum primum converterer & post raperer in tertium caelum) *innotuit* MIHI SACRAMENTUM, id est mysterium, seu arcanum, vocationis Gentilium ad fidem & Ecclesiam Christi, (ut mox *c* declarabo) & SUPRA, nempe duobus praecedentibus capitibus, IN BREVI, id est breviter, seu paucis, attigi & SCRIPSI:

V. 4. PROUT POTESTIS ibi legere, & LEGENTES INTELLIGERE PRUDENTIAM; Graece σύνεσιν, id est intelligentiam, MEAM circa hoc *mysterium*.

V. 5. QUOD ALIIS GENERATIONIBUS, seu superioribus saeculis; NON tam clare ac distincte AGNITUM EST ullis FILIIS HOMINUM, ne Prophetis quidem veteris legis, SICUTI NUNC REVELATUM EST SANCTIS APOSTOLIS ET PROPHETIS novae legis. Etsi enim Isaias, Ieremias & alii Prophetae antiqui praedixerint vocationem Gentium, non tamen norant omnes illius circumstantias, neque quod admittendae essent ad eamdem omnino gratiam & dignitatem cum Iudaeis, inquit S. Anselmus.

V. 8. MIHI OMNIUM non modo Apostolorum, sed & SANCTORUM, id est Christianorum, MINIMO DATA EST HAEC GRATIA *evangelizandi* GENTIBUS.

V. 9. ET *illuminandi* OMNES, seu in lucem ipsius proferendi, QUAE SIT DISPENSATIO SACRAMENTI, id est quodnam, & quanti momenti sit istud iam communicatum nobis mysterium, sed antea prorsus *absconditum* in mente, consilio & praedestinatione divina.

V. 10. UT dum illud in lucem proferimus, INNOTESCAT non vobis tantum, sed & PRINCIPATIBUS ET POTESTATIBUS IN CAELESTIBUS; Syrus, *qui in caelis sunt*, id est primariis angelis. Multa enim mysteria Christi & Christianorum latuerunt initio angelos, quae paulatim didicerunt PER ECCLESIAM, id est per ea quae gesta sunt successu temporis in Ecclesia: ita S. Hieron. Ambros. Chrysost. Theophyl. Anselm. & S. Thomas *e*.

V. 11. SECUNDUM PRAEFINITIONEM SAECULORUM, id est iuxta ea quae a saeculis omnibus, seu ab aeterno, decrevit Deus beneficia praestare Ecclesiae suae per Christum.

V. 12. IN QUO Christo HABEMUS locatam omnem nostram FIDUCIAM & spem, eiusque beneficio PER FIDEM EIUS accedere possumus magna CONFIDENTIA ad Deum Patrem & Dominum nostrum: ita S. Chrysostomus & alii Graeci.

V. 13.

V. 13. NE DEFICIATIS IN TRIBULATIONIBUS MEIS; id est, ne cadatis animo videntes me affligi & vinculis alligari, quia vobis aliisque Gentilibus Christum & salutem æternam evangelizo. QUAE EST GLORIA VESTRA: nempe quod ego, Apostolus & præceptor vester, dignus habear tanta pro Christo pati.

V. 14. & 15. FLECTO GENUA; nempe in signum reverentiæ & subiectionis, humillime rogans PATREM cælestem, EX QUO OMNIS PATERNITAS NOMINATUR: quia non solius Christi, sed etiam omnium stirpium ac familiarum tam angelicarum IN CAELIS, quam humanarum *in terris*, pater, genitor vel creator est, & hoc nomine ab omnibus colendus, celebrandus, redamandus, inquit Chrysost. Theodor. & Oecumen.

V. 16. UT DET VOBIS VIRTUTE. δυνάμει, id est *fortitudine* & constantia CORROBORARI, id est robustiores in dies evadere, IN INTERIOREM HOMINEM *d*, id est in incrementum gratiæ & spiritus interni, ut idem Theophil. exponit.

V. 18. UT CUM OMNIBUS SANCTIS, seu Christianis (quibus idem opto) POSSITIS COMPREHENDERE, id est mente concipere, seu intelligere QUAE SIT LATITUDO, LONGITUDO, SUBLIMITAS ET PROFUNDUM, id est quæ sint dimensiones, seu perfectiones Christi iam qua Deus est, quam qua homo. Nam in divinitate *latitudo* est omnipotentia; *longitudo* æternitas; *sublime* maiestas, *profundum* abyssus sapientiæ: ita Anselmus, S. Thomas, Caietanus & pulcherrime S. Bernardus *e*. In humanitate habes *crucem*, seu beneficium redemptionis per crucem *f*. In qua spectare debemus primo, *latitudinem*, seu quam late se extendat, nempe non solum ad Iudæos, sed & ad Gentiles, immo ad omnes prorsus homines quotquot vel sunt, vel fuerunt, vel erunt. Secundo, *longitudinem*, quæ nullis terminis clauditur, sed ab æternitate prædecretum fuit hoc beneficium, & fructus eius durabunt in omnem æternitatem. Tertio, *sublimitatem*, nempe ad cælos usque: nam eo evexit humanitatem Christi, & nos evehet suo tempore. Quarto, *profundum*, puta usque ad inferni novissima, quo se virtus crucis extendit: ita Chrysost. Theodoret. Theophyl. Oecumen. Hac igitur phrasi (ab architectonica, ut apparet desumpta) designat Apostolus quam magnum, quam amplum, quam omnibus partibus & numeris absolutum fuerit hoc mysterium & beneficium: ita idem.

V. 19. Oro ETIAM ut possitis plene SCIRE & pro dignitate æstimare CARITATEM CHRISTI, seu quam Christus, & Deus per Christum, nobis exhibuit SUPEREMINENTEM omni SCIENTIAE; id est, excedentem humanam cognitionem, seu quæ maior sit quam ut perfecte sciri, intelligi vel comprehendi possit: ita Ambros. Theophyl Oecumen. UT IMPLEAMINI IN OMNEM PLENITUDINEM DEI; id est, ut plenissitis omni sapientia, virtute & perfectione, qua plenus est Deus, maxime vero solida cognitione, ac grata recognitione divinorum beneficiorum, de quibus supra *g*, inquit Theophyl.

V. 21. IPSI SIT GLORIA IN ECCLESIA, id est ipsum glorificet universa Ecclesia tantis ab eo beneficiis affecta IN CHRISTO IESU, id est per Christum redemptorem nostrum & salvatorem.

(a) Act. ult. vers. 26. & 30.
(b) Hic vers. 7. 8. & 9.
(c) S. Thom. opusc. 1. cap. 11.
(d) Rom. VII. 22.
(e) Bern. Lib. V. de Consideratione in fine.
(f) Hic vers. 3. 4. 6. 8. 11. &c.
(g) Hic vers. 6. 9. 11. 12. 18.

GORDONI.

Vers. 1. QUod his versiculis ait, est huiusmodi: ob ea quæ ego Paulus hactenus exposui, vinculis astrictus pro vobis gentibus, & Evangelii prædicatione, flecto genua, & oro (vers. 14.) ut in gratia roboremini, &c. Nam Apostolus hic statim post primum versiculum, sensu nondum expleto (ut melior explicatio obtinuit) inserit longam parenthesin, usque ad versum 14.

V. 2. *usque ad versum* 14. Hæc est illa parenthesis: τὸ SI TAMEN, reddi potest, siquidem audistis, vel sic, si tamen, quod mihi persuadeo, audistis Denique non est dubitatio, sed modesta affirmatio. Sensus ergo est; Audistis (quod etiam ex his quæ iam dixi, intelligi potest) creditum mihi esse magnum hoc revelandi Evange-

lii munus; mihi sanctorum minimo, creditum esse mysterium non agnitum gentibus: revelatum prophetis & Apostolis, admirabile sane sacramentum de gentibus factis Christi cohæredibus, & commissum mihi ut revelem gentibus admirabiles in hoc Christi divitias; ut innotescat & appareat in conspectu principum & cælestium spirituum tam admirabilis Dei sapientia per Christum demonstrata.

Quæret aliquis quomodo mysterium hoc, si cognitum fuit Prophetis, non fuit agnitum filiis hominum, vers. 5. Respondeo: Sane paucis & sapientioribus notum hoc fuit, immo etiam obscure. Per Christum clare apparuit Apostolis & Prophetis novi testamenti.

Quod hic dicitur, vers. 10. de Angelis, de bonis intellige. Dices, an non hi illuminant homines & Ecclesiam; quomodo ergo illuminantur illi ab hominibus? Respondeo, cognovisse quidem Angelos revelatione futurum incarnationis mysterium, sed non tamen in singulis adiunctis & circumstantiis, modis & effectibus. Immo universe cognoverunt etiam vocationem gentium: clarum enim Isaiæ de hac re vaticinium. Universe, inquam, hoc cognoverunt Angeli, at singulas res multas ignorabant, & rerum modum, locum, tempus, &c. quæ postea in executione vident.

V. 15. Huius rei gratia flecto, &c. Iam finita parenthesi redit ad prima verba huius capitis. Cum ergo res ita sit de hac admirabili gentium vocatione & vestra, oro supplex & vobis precor omnem in ea vocatione felicitatem. Rogat autem Deum Patrem, a quo originem accipit omnis *cognatio* aut familia Angelorum aut hominum in terris, ut det vobis cum omnibus probe concipere, quæ sit huius mysterii, redemptionis & vocationis magnitudo (hanc explicat per voces omnium dimensionum) & det similiter scire quanta sit erga vos Christi caritas, &c.

Quod est vers. 17. Christum habitare per fidem in corde, designat ex sensu Pauli præsentem gratiam *in corde*. Non ergo per externam Novatorum imputationem. Sæpe Paulus hoc sensu tribuit fidei iustificationem. Vide Epistolam ad Romanos; ubi tribuit spiritui fides, vires ad bene operandum & servandam legem.

Postremo est illud vers. 19. Supereminentem scientiae caritatem. Ubi *τῆ scientiæ* est in dandi casu; ac si dicas: Caritatem huius scientiæ nostræ supereminentem, ita ut non possit a nobis satis intelligi. Vide Augustinum de grat. & lib. arb. cap. XIX.

CA-

CAPUT IV.

Ad unitatem spiritus hortatur, ostendens Christum diversis dedisse charismata, & ad sui corporis ædificationem varios in Ecclesia instituisse ordines ad fidem usque mundi: monet igitur ut exuto veteri homine novum induant, utriusque partes explicans: rursumque monet ut in hoc corpore manentes, separentur ab iis qui mente excæcati sequuntur effrene carnis desideria, & novos induant mores, damnatis prioribus.

1. Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, (*a*) ut digne
ambuletis vocatione, qua vocatis estis, 2. cum omni hu-
militate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes
invicem in caritate, 3. (*b*) soliciti servare unitatem Spi-
ritus in vinculo pacis. 4. Unum corpus, & unus Spiritus,
sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. 5. Unus
Dominus, una fides, unum baptisma. 6. (*c*) Unus Deus
& Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, &
in omnibus nobis. 7. (*d*) Unicuique autem nostrum data est gratia secundum
mensuram donationis Christi. 8. Propter quod dicit: (*e*) Ascendens in altum
captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. 9. Quod autem ascendit,
quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? 10. Qui
descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia. 11.
Et ipse dedit quosdam quidem (*f*) Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios
vero Evangelistas, alios autem pastores, & doctores, 12. ad consummationem
sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: 13. Donec
occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfe-
ctum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: 14. ut iam non simus par-
vuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum,
in astutia ad circumventionem erroris. 15. Veritatem autem facientes in ca-
ritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: 16. ex quo to-
tum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministratio-
nis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum
corporis facit in ædificationem sui in caritate. 17. (*g*) Hoc igitur dico, &
testificor in Domino, ut iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in va-
nitate sensus sui, 18. tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vi-
ta Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, 19.
qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immun-
ditiæ omnis, in avaritiam. 20. Vos autem non ita didicistis Christum, 21. si
tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu. 22.
(*h*) * deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem,
qui corrumpitur secundum desideria erroris. 23. (*i*) Renovamini autem spiri-
tu mentis vestræ, 24. (k) & induite novum hominem, qui secundum Deum
creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. 25. (*l*) Propter quod deponentes
mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam su-
mus invicem membra. 26. (*m*) Irascimini, & nolite peccare: sol non occi-
dat super iracundiam vestram. 27. Nolite locum dare diabolo: 28. (*n*) qui
fu-

furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod
bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. 29. Omnis sermo
malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus *ad ædificationem fidei, ut
det gratiam audientibus. 30. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: * in
quo signati estis in diem redemptionis. 31. Omnis amaritudo, & ira, & indi-
gnatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. 32. (o)
Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus
in Christo donavit vobis.

(a) Phil. I. 27. I. Cor. VII. 10. (b) Rom. XII. 10. (c) Malach. II. 10. (d) Rom. XII. 3. I. Cor. XII. 11. II. Cor. X. 15. (e) Psal. LXVII. 19. (f) I. Cor. XII. 28. (g) Rom. I. 9. (h) Coloss. III. 8. (i) Rom. VI. 4. Col. III. 12. (k) I. Petr. II. 3. (l) Zach. VIII. 16. (m) Psal. IV. 5. (n) Iac. IV. 7. (o) Coloss. III. 12.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 22. *Deponere vos secundum pristinam conversationem*. Legendum est *deponere* modo infinitivo, non imperativo *deponite*.

Vers. 29. *Ad ædificationem fidei*. Non legas *opportunitatis* pro *fidei*.

Vers. 30. *In quo signati estis in diem redemptionis*. Non mutes quartum casum in sextum *die*.

NOTATIO.

Vers. 29. **O***mnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed siquis bonus* (*est* o.) *ad ædificationem* (*Dei* o.) *fidei*. " Pro eo, inquit Hieronymus, quod „ nos posuimus, *ad ædificationem opportunitatis*, hoc est quod Græce dicitur, τῆς χρείας; „ in Latinis codicibus propter euphoniam „ mutavit Interpres, & posuit *ad ædificationem fidei*. " Hanc veteris Interpretis mutationem enarratores huius epistolæ qui Hieronymi, & Ambrosii operibus extant, unaque Primasius retinent; & plerique Latini codices etiam hodie reservant, cum Lyrano manifeste, Thoma, Gorrano, Brunone, Richelio. Deprehendimus autem duo miræ vetustatis exemplaria, unum Malmundariensis Abbatiæ maius, alterum Patrum Societatis Iesu, quod latum dicimus iuxta Hieronymi translationem, *opportunitatis* legere; quibus tertium concinit G. littera notatum. Quatuor alia utrumque iungunt, sic *ad ædificationem fidei opportunitatis*; E. Pl. m. l. G. l. Sane quod Græce legitur, & quidem constanter πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας; optime transferas, *ad ædificationem opportunitatis*, sive *usus*; id quod, per hypallagem dictum videtur pro *ad opportunitatem*, sive *usum ædificationis*, in quem sensum reddiderunt Syri; *Sed is qui decorus, & utilis*, commodus, seu opportunus *ad ædificationem*. Nec insolens est figura ista scripturis sacris: habemus Isaiæ primo: vers. 3. *Cognovit asinus præsepe domini sui*; pro cognovit dominum præsepis sui: aliaque similia multa sunt loca.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. **D**IGNE AMBULETIS VOCATIONE, id est pro dignitate vocationis ad quam estis vocati.

V. 4. UNUM CORPUS, ET UNUS SPIRITUS, sub. sitis; scilicet sitis unum corpus mysticum in Christo & ecclesia, & unus spiritus, quippe qui uno spiritu potati in baptismo estis. Sitis ergo, inquit, unum corpus & unus spiritus per mutuam animorum consensionem, SICUT VOCATI ESTIS IN EADEM SPE VOCATIONIS VESTRAE, id est sicut ad eandem spem vocati estis.

V. 7. UNICUIQUE AUTEM. Prædicit in corpore mystico diversa esse dona, prout Christus varie mensus est, & partitus omnibus, neque ea tamen unitatem ecclesiæ scindere.

V. 8. ASCENDENS IN ALTUM. Testimonio

nio Davidis ostendit prædictam esse hanc in nos Christi munificentiam. Psalm. autem 67. sic habetur: *Ascendistis in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus*. Paulus nonnullis suo more mutatis secundam personam mutavit in tertiam. Ascendens ergo Christus in altum, id est in cælum die ascensionis CAPTIVAM DUXIT CAPTIVITATEM, id est mortem & diabolum quos viribus extinctis captivos & vinctos tenebat, vel nos ipsos, qui captivi eramus diaboli ab illo vi eripuit, & secum in spe amœna paradisi transtulit

V. 9. QUOD AUTEM ASCENDIT. Ex ascensu Christi descensus etiam meminit: quid nobis, inquit, innuit quod ascenderit in cælum, nisi quod prius in inferiores partes terræ descenderit? Hunc autem descensum quidam accipiunt in uterum virginis, quidam in sepulcrum, alii (quod præstat) in infernum, quo nimirum descendit, Zacharia teste, ut educeret vinctos suos, de lacu, in quo non est aqua.

V. 10. UT IMPLERET OMNIA: vel ut compleret omnia, quæ de se scripta erant, vel ut omnia perficeret.

V. 12. CONSUMMATIONEM, id est ut sancti & fideles per eorum regimen & instructionem consummati & perfecti evadant. IN OPUS MINISTERII, ut operentur & laborent in credita sibi administratione.

V. 13. DONEC OCCURRAMUS OMNES; id est, futuri sunt hi gradus, & ordines in ecclesia, *donec occurramus omnes* IN UNITATEM FIDEI ET AGNITIONIS FILII DEI; id est, donec omnes in Christum credant & agnoscant filium Dei, atque ita fiat unum ovile & unus pastor. Donec etiam occurramus IN VIRUM PERFECTUM ET MENSURAM AETATIS PLENITUDINIS CHRISTI. Quidam hoc referunt, & exponunt usque ad resurrectionem, in qua ad perfectam ætatem 33. annorum, quæ est Christi ætas, resurgemus. Sed præstat hoc de Dei & Christi cognitione intelligere. Omnes enim nos quamdiu in hoc mundo agimus, ob undique fluctuantes hereseon ventos, & persecutionum procellas sumus velut parvuli fluctuantes & instabiles, nec satis firmi, obnoxii hominum nequitiæ & seductioni: & ideo quosdam dedit Deus in ecclesia, apostolos, prophetas, pastores & doctores, qui nos velut parvulos regant, & instituant, donec omnes in Christum credant, & eum agnoscant, & *evadamus in virum perfectum*, id est desinamus esse fluctuantes parvuli, sed perfectam & solidam fidem habeamus, nullis ventorum flatibus, nullis persecutionum procellis obnoxium: & perveniamus *ad mensuram ætatis plenitudinis*, id est plenæ ætatis Christi; id est, quemadmodum in perfectam ætatem perfectamque membrorum omnium proportionem Christus pervenit, ita & nos ad perfectam plenamque Christi & Dei cognitionem perveniamus, & perfecta consummataque sit membrorum ecclesiæ proportio: sic Oecumenius. Hoc autem ante generalem omnium resurrectionem futurum non est, & ideo, hucusque illi in ecclesia gradus, & ordines duraturi sunt. His ergo verbis nihil aliud hic vult Paulus, nisi quod hierarchicus ordo ecclesiæ usque in finem duraturus est, donec perfectis omnibus cesset omnis in terra prælatio.

V. 14. CIRCUMFERAMUR: περιφερόμενοι; est autem περιφέρομαι in errorem induci, ac perturbari: quod significatum hoc loco quadrat, id est dedit nobis Deus doctores & apostolos, & prophetas, ne in doctrinæ incertitudine fluctuemus ad omnem ventum & consilium doctrinæ: & circumferamur, id est in errorem mittamur per hominum astutiam, & nequitiam AD CIRCUMVENTIONEM ERRORIS, id est circumventi, & insidiis intercepti.

V. 15. CRESCAMUS. Græc. αὐξήσομεν. Ambrosius & Hieron. interpretantur *augeamus in illo omnia*, id est nos nostraquæ omnia in Christo meliora faciamus, a verbo αὔξω, quod significat *augere*, interpres futurum sumpsit ab αὐξάνειν, quod significat *crescere*.

V. 16. EX QUO TOTUM CORPUS. Huius loci ob hyperbatum subobscuri hic sensus est: Quemadmodum spiritus vitalis a capite defluens & cerebro, sensum & energiam quandam membris omnibus impartitur, unde totum corpus suis membris iuxta cuiusque proportionem crescit & coalescit, modo per diversas commissuras & iuncturas, nervos, articulos, musculos, & tendones, sibi invicem connexa sint membra, nec ab sese invicem separata, alioqui influere non potest; ita spiritus sanctus a capite nostro Christo manans & procedens, & in singula corporis ecclesiæ mystici membra, vim, virtutem, & gratias suas

suas cum quadam energia & efficacia diffundit, modo totum corpus bene sit compactum, bene scilicet, invicem connexis membris singulisque suo loco hærentibus, & animorum consensione velut quadam iunctura colligatis: per quam spiritus sancti virtutem e capite manantem, totum corpus ecclesiæ crescit, non æqualiter in in membris omnibus; sed pro cuiusque conditione ac proportione iuxta quod divisit illis spiritus sanctus. Chrysost. interpretatur, corpus compactum & connexum, corpus ecclesiæ in Christo adglutinatum & unitum. IUNCTURAM SUBMINISTRATIONIS exponit spiritum sanctum nobis a Christo subministratum. Photius autem interpretatur, πᾶσαν ἁφὴν, id est omnem iuncturam τῆς πάντων συναφῆς, id est omnium inter se cohærentiam & connexionem: connexionem vero subministrationis, putat esse hebraismum; quasi dicat Paulus, Per omnem inter se connexionem vobis a Christo subministrata; quia illud quod invicem cohæremus, videtur πᾶς sumi ἀντὶ τοῦ ὅλου, id est omnis pro toto & integro: & hoc modo sic mihi videtur locus ille dilucidius verti posse: Ex quo totum corpus compactum & connexum per integram & perfectam membrorum inter se connexionem, & cohærentiam illis a Deo cum actuosa efficacia subministratam pro modo & mensura cuiusque membri in caritate ad ædificationem suipsius crescit & coalescit: connexionem autem & cohærentiam membrorum inter se, qua corpus ecclesiasticum coalescit, ipsas mentium & animorum consensiones debemus intelligere.

V. 17. HOC IGITUR DICO ET TESTIFICOR IN DOMINO, id est hoc iubeo, & testificor in Domino, hoc est (ut Græca scholia explicant) Deum testem invoco, hæc me vobis iniunxisse, sequentia scilicet UT IAM NON AMBULETIS, &c. qui locus sequens eo pacto referetur non ad testificor, sed dico vel iubeo.

V. 18. DESPERANTES. Interpres legit ἀπηλπικότες, id est cum desperassent vel diffisi. Nam ἀπελπίζω *despero* significat. Alii legunt ἀπηλγηκότες, quod uno verbo Latino apte reddi non potest: dicuntur autem Græcis ἀπαλγεῖς, qui omni dolore ac sensu mali vacant, atque ad omnem naturæ sensum obsurduerunt, & secundum hoc, sensus esset: Qui quum obsurduerint in malis, neque iam malum suum sentiant, vel quum de misericordia Dei desperarint, semetipsos tradiderunt in omnem immunditiam & avaritiam.

V. 19. IN AVARITIAM. Gr. ἐν πλεονεξίᾳ; amplius autem dicit πλεονεξία, quam avaritia, affectum scilicet, aliena etiam vi & violentia diripiendi.

V. 20. 21. 22. 23. & 24. VOS AUTEM NON ITA DIDISCISTIS CHRISTUM, id est non sic edocti estis in Christo facere, SI TAMEN ILLUM AUDISTIS, &c. Græcis est εἴγε, id est siquidem audistis: quod confirmantis esse putat Chrysostomus; Græca scholia putant esse posse ambigentis, sic enim aiunt; tu Græca vide si voles. Potest & hoc quispiam instar dubitantis accipere, quo videlicet amplius illos perstringat; quasi diceret: Ambigo enim, si is qui Christum audiit & doctus est, huiusmodi perpetret, hoc modo non. SICUT EST VERITAS IN CHRISTO IESU. Græca scholia aiunt hunc locum referri posse ad præcedentia & sequentia: primo modo sensus est: Si tamen audistis illum & docti estis in illo, sicut in Iesu est omnium doctrina & veritas: ἀλήθειαν enim ἀντὶ τῆς δικαιοσύνης, id est veritatem pro iustitia sumunt; quasi dicat Paulus, Non tam didicistis vivere in Christo, si tamen illum audistis & in illo docti estis, sicut in eo est omnis veritas & iustitia, id est sicut in illo, nil nisi vere & iuste vivere docemur: secundo modo sensus est, Non ita docti estis in Christo, si tamen illum audistis & in ipso docti estis (sicut in ipso est omnis veritas) deponere veterem hominem: nam quod interpres vertit, deponite, paulo post renovamini, & induite, Græcis sunt infinitivi, qui sæpe per imperativos vertuntur, quomodo interpres vertit: & ita legendo faciendus est punctus in τῷ Iesu. VETEREM HOMINEM vero Paulus appellat, veteres peccandi affectus; NOVUM autem, novam mentem, Christi fide innovatam.

V. 26. SOL NON OCCIDAT; id est, si vos contingat affectione naturali irasci, ne diutius iram concoquatis, sed ante solis occasum eam ponite, id est enim quod ante dicebat ex Ps. *Irascimini & nolite peccare*; id est, si vos irasci contingat, ut sunt humanæ mentis affectiones; nolite immorari in illa naturali ira, & consensum illi præbere.

V. 29.

V. 29. SERMO MALUS. Gr. σαπρὸς, id est spurcus & fœtidus.

V. 30. CONTRISTARE SPIRITUM DEI, id est illum adversus vos irritari, & facere ut instar contristati se habeat, in quo spiritu signati estis in die redemptionis, id est cuius gratia, & charismate IN DIE REDEMPTIONIS, id est baptismo os nostrum sigillatum est adeo, ut præter eius auctoritatem qui sigillum apposuit, aperire non liceat, quanto minus ad spurca & putida verba?

S A.

Vers. 1. IN DOMINO, id est propter Dominum. AMBULETIS, id est agatis, seu conversemini.

V. 4. UNUM; pro, velut unum. SICUT; pro, & sicut. VOCATIONIS VESTRAE, id est ad quam spem vocati estis, seu, quam profitemini.

V. 5. UNUS, scilicet est. DOMINUS, scilicet Christus. UNA, scilicet idem creditur ab omnibus. UNUM, scilicet Christi, quod solum salvat.

V. 6. OMNES; pro, omnia. PER OMNIA, scilicet omnia continet. NOBIS. Gr. *vobis*. Syr. *nobis*.

V. 7. DONATIONIS, id est qua voluit donare.

V. 8. DICIT, scilicet Scriptura, seu David Psal. LXVII. ALTUM, id est cælum. CAPTIVAM &c. id est captivos duxit; quasi dicat, Triumphavit de hostibus, scilicet peccato, & diabolo; vel, duxit in cælum Patres qui in limbo velut captivi tenebantur.

V. 9. INFERIORES, &c. scilicet limbum, seu Abrahæ sinum.

V. 10. OMNIA, scilicet de se scripta; vel quasi dicat, Omnia perficeret, & terrestria, & cælestia.

V. 11. ET DOCTORES, scilicet oportet Pastorem esse Doctorem. Vide I. Timoth. III. Tit III. & August. epist. LIX.

V. 12. CONSUMMATIONEM, id est perfectionem. MINISTERII, scilicet ad salutem animarum exhibendi. CORPORIS, scilicet mystici, id est Ecclesiæ.

V. 13 OCCURRAMUS, id est conveniamus, scilicet die iudicii] obviam Christo. OMNES, scilicet electi. UNITATEM; pro, unitate. MENSURAM; pro, mensura. PLENITUDINIS, id est perfectæ, scilicet resurgemus omnes ætate Christi: Hieron. epist. XXVII.

V. 14. UT IAM; pro, itaque iam. PARVULI; pro, ut parvuli. IN NEQUITIA, id est per nequitiam, scilicet inventæ, seu invectæ. ASTUTIA, id est fallacia. ERRORIS, id est errare facientem.

V. 15. VERITATEM, id est quod rectum est, seu veræ doctrinæ conforme.

V. 16. SUBMINISTRATIONIS, id est subministrato spiritu. OPERATIONEM, scilicet Dei. MENSURAM; pro, mensura, vel quasi dicat, Iuxta rationem. CORPORIS; pro, sui; quasi dicat, Augescit.

V. 17. TESTIFICOR: vulgo, *protestor*. IN DOMINO, id est coram Domino. IAM, id est post hac. SENSUS, id est mentis.

V. 18. DEI, id est secundum Deum.

V. 19. DESPERANTES, scilicet salutem. AVARITIAM, id est cupiditatem immoderatam, scilicet rerum mundanarum.

V. 21. SICUT, &c. iuxta eius veram doctrinam.

V. 22. DEPONERE, scilicet opportere. ERRORIS; pro errantium.

V. 23. MENTIS, id est qui est mens: August. XIV. Trinit.

V. 24. SECUNDUM DEUM, id est a Deo; vel, ad similitudinem Dei. VERITATIS, id est vera, seu perfecta.

V. 26. IRASCIMINI; pro, si irasci contingat.

V. 28. QUOD BONUM EST, id est honesto aliquo opere.

V. 29. MALUS, id est vitiosus. AEDIFICATIONEM, id est promotionem. DET GRATIAM, id est utilitatem conferat. Explicatio præcedentis.

V. 30. CONTRISTARE, id est facere quod ei displiceat, seu offendere. IN QUO; pro, quo. SIGNATI, scilicet est gratia animi qualitas, & velut signum iustorum. REDEMPTIONIS, scilicet cum estis iustificati.

V. 31. CLAMOR, scilicet inordinatus. BLASPHEMIA, id est maledicentia, seu convitium.

V. 32. DONANTES, id est agnoscentes. IN CHRISTO. Syr. *per Christum*.

MARIANAE.

Verſ. 1. EGO VINCTUS IN DOMINO, id eſt eius cauſa, obſecro vos, ut digne ambuletis, ſervantes

V. 2 UNITATEM SPIRITUS. Non vult ſuos animis & opinionibus diſſentire, ſed ut idem ſapiant.

V. 4 UNUM CORPUS, ſcilicet ſitis, neque in externis, neque in internis diſſentiant. IN UNA SPE; pro, in unam ſpem vocationis, ut ſcilicet eam aſſequamini.

V. 5. UNUS DOMINUS; quaſi dicat, Servate unitatem, quia ſcilicet unus eſt Dominus.

V. 7. UNICUIQUE. Cum ſit unus Deus, varia dona dat; neque tamen ea diſſenſionis cauſa eſſe debent.

V. 8. CAPTIVAM DUXIT. Pſal. LXVII. 19. ſed loquitur Pſalmus in ſecunda perſona: *Aſcendiſti in altum:* quod Paulus in tertiam tranſtulit. CAPTIVITATEM. Quæ eſt hæc *captivitas?* mors, diabolus. Aut homines, qui captivi tenebantur, liberos in triumphum duxit. Præterea DEDIT DONA, ſcilicet varia. Quod ſi aſcendit, prius deſcendit.

V. 9. IN INFERIORES PARTES TERRAE? ſcilicet in hunc mundum.

V. 10. UT IMPLERET OMNIA, id eſt ſuos donis variis cumularet, aut impleret, quæ de eo ſcripta erant.

V. 11. ET IPSE DEDIT. Enumerat dona quæ contulit. PROPHETAS. Auguſtinus epiſt. LVIII. & LIX. intelligit non Prophetas veteres, ſed qui Apoſtolorum tempore prophetabant. EVANGELISTAS, ſcilicet qui Evangelium annuntiabant. Sic Pantænus Evangeliſta vocatur in Euſeb. Lib. V. Hiſt. cap. X. PASTORES, ET DOCTORES; id eſt Epiſcopos, qui ſimul paſcere & docere debent; ideo iungit Paſtores, & Doctores.

V. 13. IN UNITATEM FIDEI, id eſt, donec omnes convertantur, erunt illi in Eccleſia grudus, aut uſque ad finem mundi: tunc enim ab omnibus cognoſcetur Chriſtus. IN VIRUM PERFECTUM, id eſt donec nos ſimus perfecti, aut Eccleſia perficiatur, omnibus membris in unum corpus redactis. IN MENSURAM AETATIS; id eſt, ut Chriſtus erat in ætate perfecta, ſic nos erimus perfecti virtutibus, Eccleſiaque ipſa. Quidam ex hoc loco colligunt nos ſurrecturos in ætate & ſtatura, quam habuit Chriſtus, certe Anſelmus hic & Proſper Lib. de Gloria regnoque Sanctorum.. *In menſuram ætatis*. Syr. *ſtaturæ*. ἡλικία utrumque ſignificat. Ut iam

V. 14. NON SIMUS PARVULI. Vides poſt Apoſtolos Paſtores & Doctores relictos, ut ſciamus unde ſit petenda divini verbi interpretatio, ne ab hæreticis decipiamur. AD CIRCUMVENTIONEM; pro circumventione ERRORIS, id eſt circumventi & decepti circumferamur. Sed

V. 15. CRESCAMUS IN ILLO PER OMNIA, id eſt omnia noſtra bona per illum augeamus. Græc. αὐξήσωμεν; pro quo Noſter *creſcamus* dixit.

V. 16. EX QUO TOTUM CORPUS. Senſus eſt: Ut in corpore, ſi ſit bene compactum & connexum, a capite defluit omnis virtus in membra; ſic a Chriſto in nos, ſi caritate ſimus uniti. PER OMNEM IUNCTURAM SUBMINISTRATIONIS, id eſt omnium membrorum connexionem miniſtratam, ſcilicet a Deo. Teſtor ergo, ut non ambuletis ſicut infideles,

19. QUI DESPERANTES. Noſter legit ἀπηλπικότες, ubi nunc ἀπηλγηκότες, id eſt *indolentes*, ſive conſcientiæ remorſu ſe nequitiæ tradiderunt, tantumdem valet *deſperantes*. Vos autem non ita didiciſtis.

V. 21. SI TAMEN ILLUM AUDISTIS, ſcilicet interius illum intelligentes.

V. 22. DEPONERE; pro, deponite vos. Aut ſic, *deponere vos*, ſcilicet æquum eſt veterem hominem.

V. 24. ET INDUITE NOVUM HOMINEM, id eſt Chriſtum, ad cuius ſimilitudinem conditi ſumus.

V. 27. NOLITE LOCUM DARE DIABOLO, id eſt calumniæ aut calumniatori, ne cui occaſio detur noſtra vituperandi.

V. 29. SERMO MALUS. Σαπρός, id eſt *ſpurcus*, *fœdus* non procedat ex ore veſtro. Sed qui ſit AD AEDIFICATIONEM FIDEI. Noſter legit, τῆς πίστεως, id eſt *fidei:* eaque eſt vera & plana lectio, & Veleſius eam affert. Nunc Græci codices habent, τῆς χρείας, id eſt *ad ædificationem opportunitatis*; pro, ad opportunitatem ædificationis. Sic nonnemo. Hieronymus hanc lectionem hic noſtræ præfert.

V. 30. ET NOLITE CONTRISTARE SPIRITUM, ſi ſordes ſcilicet peccati animo ſuſci-

fuscipiatis. In quo signati estis, sigillati. In diem redemptionis, id est iudicii, tunc per notam inustam, id est Spiritum sanctum in suis habitantem Christus suas oves cognoscet.

MENOCHII.

Vers. 1. Obsecro itaque; quasi dicat: Quia Dominus tantis beneficiis vos affecit. Ego vinctus in Domino: ego Paulus, qui carcere teneor propter Dominum, eiusque Evangelium. Ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis: ut mores, & studia vocationi vestræ conformetis, id est ut sancta sit, & perfecta conversatio vestra.

V. 2. Humiliate: ταπεινοφροσύνης, humili sensu de vobisipsis. Cum patientia: κατὰ μακροθυμίας, *cum longanimitate*, quæ virtus est qua homo fit lenis, & lentus ad iram. Supportantes invicem: mores insuaves, asperos, & vitiosos proximorum.

V. 3. Unitatem spiritus, id est animorum inter vos coniunctionem. In vinculo pacis: ἐν συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης, *in colligatione pacis*, id est pace velut vinculo quodam animos vestros in unum colligante.

V. 4. Unum corpus, et unus spiritus: supple, sitis, ut videamini quodammodo esse unus homo, eodem spiritu, & eadem anima, & voluntate, qui a seipso dissentire non possit. In una spe: ad unam, eamdemque spem salutis æternæ.

V. 5. Unus Dominus: Iesus Christus. Plura acervatim congerit pacis, & caritatis incitamenta; quasi dicat, Omni ope enitendum nobis est ad servandam unitatem spiritus, quando tam multis, tam sanctis tenemur necessitudinibus. Una fides: quam sequimur. Unum Baptisma: quo renati, & Christiani effecti sumus. Unus Deus, &c. quem adoramus. Super omnes: dominio. Per omnia: providentia. In omnibus: iustificatione.

V. 7. Unicuique autem nostrum, &c. id est, cuique data est gratia non una & par, sed varia, & dispar, huic maior, illi minor; data, inquam, non ex merito, vel mensura meritorum nostrorum, sed ex mensura gratuitæ donationis Christi, cui placuit donare huic mensuram hanc gratiæ, illi illam.

V. 8. Propter id quod dicit, id est ad significandam gratuitam hanc donationem Christi, dicit David *Psal.* LXVII. 19. Ascendens in altum captivam duxit captivitatem; id est, Christus cum ascenderet in cælum una secum adduxit, & in cælum subvexit inferni spolia, id est animas iustorum, quæ prius apud inferos captivæ tenebantur. Dedit dona hominibus: dona, scilicet Spiritus sancti, quæ in Pentecoste, & deinceps Christus in Apostolos & Christianos sparsit.

V. 9. Quod autem ascendit, &c. quasi dicat: Christus altissime ascendit super omnes cælos, quia profundissime se humiliavit, & descendit ad imas partes terræ, scilicet ad infernos.

V. 10. Ut impleret omnia: sua potentia, maiestate, victoria, & triumpho: ut omne hominum genus spiritualibus donis cumularet: ut omnia quæ de ipso scripta erant per prophetas adimpleret: ut omnes regni sui partes præsens visitaret.

V. 11. Dedit quosdam quidem Apostolos: voluit quosdam in Ecclesia esse Apostolos. Pastores: Episcopos.

V. 12. Ad consummationem sanctorum; ad instruendos fideles perfecta, & consummata, omnibusque suis partibus absoluta sanctitate; hoc enim significat Græcum πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων. In opus ministerii: ut scilicet quippe Apostolus, propheta, pastor, doctor, plene, & strenue opus ministrationis sibi creditæ exerceat. In aedificationem corporis Christi: Ecclesiæ scilicet ut illa, ceu ædificium spirituale, sensim assurgat, numeroque, ac virtutibus proficiat, donec tandem absolvatur & omnibus suis partibus, omnique ornatu debito compleatur, & consummatio ad finem usque mundi porrigetur.

V. 13 Donec occurramus, &c. Sensus est, Usque eo desudare debere Pastorum industria, donec re ipsa consequantur, ut omnes evadamus in viros perfectos, in mensuram ætatis plenæ, & iustitiæ, non illius quidem, quæ annorum numero computatur, sed quæ fidei unitate, & certiore, ac firmiore cognitione Christi, quotidie grandior efficitur, vegetior, atque robu-

robustior. Qui enim vir factus est constantius perstat in sententia, quam maturo consilio suscepit. Occurramus: καταντήσωμεν; est autem καταντᾶν pervenire. In virum perfectum, id est donec in fide Christi, agnitione, & amore simus viri, id est provecti, viriles, constantes, sicque in Christo plenam, & perfectam ætatem spiritualem, id est perfectum intellectum, cognitionem, & amorem Dei nanciscamur.

V. 14. Ut iam non simus parvuli; id est, ut non amplius puerorum more quibus imperfectum, & instabile iudicium est fluctuemus, id est inconstantes simus. Non circumferamur omni vento doctrinae: non abripiant nos in sua falsa dogmata novarum hæresum satores. In nequitia hominum, id est per nequitiam, & fallaciam hominum, sive philosophorum, sive iudaizantium, sive hæreticorum, qui alios in errores nequiter, & insidiose trahere student. In astutia ad circumventionem erroris: veteratoria quadam versutia utentes ad fallendum.

V. 15. Veritatem autem facientes in caritate, id est veritatem una cum caritate sectantes. Crescamus: in fide, caritate, ac virtutibus. In illo: illius, scilicet Christi beneficio; Christus enim quasi caput influit gratiam, & vim crescendi, & augescendi in singula membra totius corporis, scilicet Ecclesiæ. Per omnia: omni augmento; scilicet omnibus donis, gratiis & virtutibus.

V. 16. Ex quo; scilicet capite Christo. Totum corpus: ecclesiæ. Compactum, coagmentatum, & compaginatum, συναρμολογούμενον Et connexum: ut, scilicet membrum membro, fidelis fideli, per eandem fidem, & spiritum cohæreat, atque ex omnibus unum corpus, scilicet Ecclesia. Per omnem iuncturam subministrationis, id est per omnem iuncturam subministrantem, qua scilicet nobis subministratur spiritus, & gratia Christi capitis nostri: significat Apostolus Christum caput nostrum motum, sensum & vitam spiritualem in nos influere per iuncturas, id est per mutuam unionem, qua unum membrum alteri, id est unus fidelis alteri iungitur, & subordinatur, tum per internam unionem animorum, tum per, externam communicationem in iisdem sacramentis, orationibus, sacris conventibus, aliisque externis adiumentis, quibus pietas fidelium fovetur, & promovetur. Secundum operationem: κατὰ ἐνέργειαν, ex vi, & efficacia intus agente, & operante. Intellige vim Christi, qui instar capitis influit, & singula membra vegetat. In mensuram uniuscuiusque membri, id est pro modo, mensura, & exigentia cuiusque membris, ut scilicet singula membra, id est singuli fideles, iuxta suam naturam, statum, & conditionem, a vi animæ vegetantis, id est a Christi gratia, & spiritu, iustam mensuram, & incrementum accipiant. Augmentum corporis facit: quæ vis Christi gratiæ corpus crescere facit. In aedificationem sui, &c. ut seipsum ædificet, compleat, & perficiat hoc corpus, quod est Ecclesia, per caritatem.

V. 17. Hoc igitur dico, et testificor, &c. id est, hoc est quod dicere cœperam, quod & obtestor vos per Christum Dominum, quem volo huius exhortationis meæ esse testem. Ut iam non ambuletis: non conversemini. In vanitate sensus sui: τῷ νοὸς αὐτῶν, mentis eorum, qui, scilicet toti in rebus vanis huius mundi sectandis, & captandis occupantur.

V. 18. Tenebris obscuratum, &c. erroris, & ignorantiæ, ut nec Deum, nec Christum agnoscant, & lapides, & ligna colant pro diis. Alienati a vita Dei, id est a vita, quæ secundum Deum est, a vivendi modo, quem Deus instituit, & præcepit. Per ignorantiam: Dei, & legis divinæ. Propter caecitatem: διὰ τὴν πώρωσιν, quod verti etiam potest propter excæcationem, vel obdurationem.

V. 19. Qui desperantes; scilicet salutem, & viam virtutis. In Græco est ἀπηλγηκότες, qui, scilicet, dolere desierunt, ut conscientiæ morsum, & dolorem non sentiant, ideoque in omne nefas ruant. Vulgatus legit in Græco ἀπηλπικότες, desperantes, sensu, quem tradidimus. In operationem immunditiae: ad immunda & obscœna patranda. In avaritiam: ἐν πλεονεξίᾳ, est autem πλεονεξία, ut hic accipitur ab Apostolo, immoderata cupiditas illicitarum voluptatum, quas impuri homines, non secus quam avari pecunias.

ca-

captant studiose, non contenti licitis ex matrimonio, plus habere volentes quam fas sit, ut satis apparet ex etymo Graecæ vocis.

V. 2. Vos autem non ita didicistis Christum; quasi dicat, Talia non docet Evangelium Christi.

V. 21. Si tamen illum audistis: sicut omnino Christum, eiusque doctrinam audistis, & didicistis. Et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu: edocti estis quænam sit veritas doctrinæ ipsius Iesu, quæ docet deponendam esse pristinam conversationem.

V. 22. Deponere vos, &c. potest etiam *τὸ deponere*, &c. referri ad versiculum 17. *Hoc igitur dico & testificor in Domino, deponere*, &c. Ordo, & sensus est, ita deponere veterem hominem, ut non amplius ambuletis secundum pristinam conversationem. Veterem hominem: vetus homo est vetustas, & corruptio peccati in homine ex veteri Adamo contracta: vel potius, ipse homo quatenus huiusmodi vetustate affectus est. Qui corrumpitur secundum desideria erroris; id est, qui in vetustate, & corruptela proficit, obsequendo pravis, ac turpibus desideriis, quod fit ex mentis errore, & cæcitate. Vel sensus est, veterem hominem inflammatum, ac furentem libidinibus, & plura quam assequi possit rabide concupiscentem, corrumpi, & tabescere, carnifices autem esse sua ipsius desideria.

V. 23. Spiritu mentis vestrae, id est secundum mentem, secundum interiorem hominem, vivifica illa vi gratiæ, & spiritus mentibus nostris indita, qua Spiritus sanctus nos regenerat, & in novos homines Christianos scilicet, & sanctos transformat.

V. 24. Induite novum hominem, &c. novus homo secundum Apostolum est quilibet homo, quatenus renovatus est per gratiam Dei. Qui secundum Deum creatus est, &c. qui per regenerationem creatus est secundum Deum, id est divinæ legi conformis, creatus, inquam, in vera iustitia quoad proximos, & in vera sanctitate, & munditia, quoad seipsum.

V. 25. Deponentes mendacium, &c. membra veteris hominis, quæ deponi & exui vult Apostolus, sunt mendacium, fraus, ira, iniustitia, &c. His opponit membra novi hominis, eaque assumi, & indui vult, scilicet veritatem, mansuetudinem, iustitiam, &c. Quoniam sumus invicem membra; quasi dicat, Unum membrum non mentitur alteri, non decipit alterum, sed unumquodque alteri fidele est, illudque sincere adiuvat quantum potest.

V. 26. Irascimini, et nolite peccare: si non contingat irasci cavere ne in opus ira erumpat; id est, ne facite quod ira suggerit, ne sinite illam progredi usque ad iniuriam. Sol non occidat super iracundiam vestram. Est proverbium, significat iram statim deponendam. Nolite cubitum ire, priusquam fratri vestro reconciliati sitis.

V. 27. Nolite locum dare diabolo: nec eius insidiis, quod facietis, si excludatis iram, & caritatem, colatis cum proximis.

V. 28. Quod bonum est: laboret, & operetur; sed ita, ut non turpi opificio, sed honesto victum quærat. Vel, sensus est, quod facere bonum est, non turpe, non indecorum.

V. 29. Omnis sermo malus. Græce est *σαπρὸς*, id est putris, & corruptus, qui scilicet sale prudentiæ non est conditus, sed vel lascivia, & obscœnitate, vel scurrilitate, vel alio vitio est infectus, vel corruptus. Ad aedificationem fidei, id est ad fidei promotionem. Ut det gratiam audientibus, id est progressum in gratia, pietate, & virtutibus. Vel gratia hic significat iucunditatem; quasi dicat: Ita ut sit audientibus gratus, & iucundus: sic ad Colossen. IV. 6. *sermo vester semper in gratia sit sale conditus.*

V. 30. Nolite contristare spiritum sanctum Dei; id est, Nolite offendere Spiritum sanctum verbis obscœnis, aut contumeliosis, &c. In quo: per quem. Signati estis: in anima, in qua Conditoris signum, figuram, & notam, id est gratiam, & sanctitatem habetis. In diem redemptionis: ut in die resurrectionis extremæ ab omnibus malis liberati, & redempti, asciscamini ad beatam immortalitatem.

V. 31. Amaritudo: qua animus aliquo proximi verbo, aut facto offensus ab eo avertitur, amarescit, ægre, & invite eum videt, audit, aut de eo cogitat. Ira:

θυμὸς

θυμὸς (furorem vertit S. Hieronymus) est excandescentia, effervescentia animi. INDIGNATIO: ὀργὴ, ira, qua quis indignatur se læsum, aut contemptum. CLAMOR; scilicet inordinatus. BLASPHEMIA: βλασφημία, id est maledicentia, seu convitium. CUM OMNI MALITIA: vel omnem malitiam intelligit virtuti contrariam, vel malignitatem, & nequitiam, quæ iustitiæ, & caritati erga proximum repugnat.

V. 32. BENIGNI: χρηστοὶ, comes, suaves, blandi; opponitur amaritudini, de qua initio superioris versiculi. MISERICORDES: εὔσπλαγχνοι, quæ vox non solum ad misericordiam, sed ad omnem pietatis affectum pertinet; quasi dicas, *Bonorum viscerum*: respondet phrasi Hispaniææ qua dicunt, *hombre de buena entrafia*. DONANTES INVICEM: iniurias, & offensas. SICUT ET DEUS, &c. quemadmodum & Deus vobis peccata vestra condonavit. IN CHRISTO: per Christi filii sui meritum.

T I R I N I.

Vers. 4. UNUM sitis CORPUS, ET in uno corpore; UNUS SPIRITUS, una anima; quasi dicat: Omnes videamini per mutuam consensionem quodammodo esse unus homo, qui a seipso dissentire non possit: SICUT VOCATI ESTIS IN UNA SPE, seu ad unam eamdemque spem hereditandæ gloriæ cælestis, quæ omnibus ad fidem Christi vocatis a Deo præparata est.

V. 5. UNUS idemque omnibus est DOMINUS, redemptor, salvator Christus: UNA FIDES, quam omnes sequimur: UNUM BAPTISMA, quo regeneramur.

V. 6. UNUS DEUS, quem colimus: unus PATER OMNIUM, QUI pari dominio SUPER NOS OMNES EST: cuius providentia PER OMNIA æqualiter, nullo excepto, se extendit, & qui similibus donis ac gratiis IN NOBIS OMNIBUS relucet. Igitur omni ope nobis connitendum ut spiritus unitatem servemus, quando tam multis, tam sanctis tenemur necessitudinibus. Neque vero solvenda hæc unitas, etsi in simili donorum genere magna subinde in multis sit inæqualitas, vel etiam specifica diversitas: nam hæc omnis oritur ex sapientissima Dei providentia, qua pro ipsius libito, seu beneplacito (cui nemo obloqui vel refragari potest)

V. 7. UNICUIQUE NOSTRUM talis ac tanta DATA EST GRATIA, quantam & qualem placuit admetiri singulis pro *mensura* gratuitæ DONATIONIS CHRISTI, seu intuitu meritorum Christi. Unde nemo superbire, nemo queri, nemo alteri invidere potest: sed quisque quod accepit, debet ad communionem totius corporis utilitatem conferre.

V. 8. PROPTER QUOD, id est ad quam donorum Christi gratuitam distributionem nobis indicandam, DICIT Scriptura Psalmo LXVII. 19. ASCENDENS Christus, (ut ibi explicuimus) IN ALTUM cælum, & trahens eo secum iustorum animas antea apud inferos in limbo captivas; multiplicia inde DONA transmisit HOMINIBUS in terram, non solum in prima Pentecoste *a*, sed omnibus etiam subsecutis temporibus.

V. 9. QUOD AUTEM ASCENDIT Christus in cælum, inquit David, QUID EST? quid sibi vult? quid innuit? NISI *quod* Christus iam ante *descendat* IN INFERIORES; Vatablus & Beza, *in infimas* PARTES TERRAE, id est in infernum, ubi limbus erat patrum, seu *sinus Abrahæ*: ita S. Chrysostom. Hieron. Theophyl. Anselmus. Obstrepit Beza, (ne Christi ad inferos descensum admittere cogatur) per *inferiores partes* non nisi terram intelligi, quæ est inferior mundi pars respectu cæli. Sed hoc contrarium est menti & verbis Apostoli, affirmantis, descendisse Christum *in inferiores*, seu (ut Beza vertit) *infimas* partes non mundi, sed *terræ*: quod nullo sano sensu exponi potest nisi de *corde*, seu centro terræ, infra quod *non est aliud quid*, ut loquuntur Ambros. Chrysost & Theophyl. Sicut si dicerem, Descendi ad inferiores seu infimas partes carceris: non solum indicarem, ingressum me domum vel turrim in qua est carcer, sed etiam descendisse in ima, seu profundissima antra eiusdem carceris. Meminit autem hic Apostolus, teste Thophylacto, profundissimi huius descensus Christi, ut Ephesiis inculcet humilitatem, quæ mater est & nutrix concordiæ, sicut superbia fons est invidiæ ac discordiæ.

V. 10. QUI DESCENDIT ad infima, IPSE idem Christus EST QUI ET ASCENDIT ad summa; nempe SUPER OMNES CAELOS, etiam.

etiam supra totum cælum empyreum ; inquit S. Thomas, Anselmus, Paludanus & Caietanus, quos citat & sequitur Suarez & a Lapide: qui volunt, Christum toto corpore versari in spatio inani quod est supra cælum, solis vero pedibus insistere convexæ superficiei cæli empyrei, in quo Sancti infra pedes Christi degunt. Sed huc non cogunt illum verba Apostoli: nam *super omnes cælos ascendisse* dici potest, cum ad supremum cælum, & dignissimum in eo locum conscendit: sicut super turrim vel arborem ascendisse dicimus non solum qui verticem transcendit, sed etiam qui altiores ramos vel gradus conscendit, etsi infra verticem hæreat, inquit Lessius *c*. *Ascendit* autem Christus cælos, UT IMPLERET OMNIA. Inferunt Ubiquistæ Lutherani: Ergo humanitas Christi iam est ubique: nam divinitate sua iam pridem, immo ab æterno, impleverat omnia. Respondeo, neg. conseq. Quia non agitur hic de *impletione* physica, seu corporali, saltem adæquata, qua necessum sit, eum locis omnibus & singulis locorum particulis adesse corpore præsentem; sed ut summum de partiali & inadæquata impletione, qua præsentem aliquando se sistat omnibus locis eo modo quo rex omnes regni sui partes visitat: ad quod sufficit si singulis ex parte & successive præsentem se exhibeat. Ita enim Christum, quasi a recenti victoria triumphabundum, & novis ubique regnis ac possessionibus inaugurandum, *omnia* universi loca *implevisse* nova sua gloria, maiestate, triumpho, adde & præsentia corporali, sed inadæquata (ut dixi) & successiva, docent Theophyl. Oecumenius & Bernardus *d*. Sed S. Chrysost. & Hieron. volunt dici Christum suo ascensu *implevisse omnia*, id est omnes figuras & prophetias quæ de hoc ascensu extabant in Scripturis. Addunt S. Ambrosius *e* & D. Thomas, *implevisse omnia*, id est totam Ecclesiam, immo universum mundum, sua munificentia, nempe omnis generis donis, gratiis, signis, miraculis: item splendore nominis sui, &c.

V. 11. AD CONSUMMATIONEM SANCTORUM, id est ut Christiani in suo quisque gradu perficiantur IN OPUS MINISTERII, id est ad strenue obeundum munus quod cuique impositum est, IN mystici CORPORIS CHRISTI, id est Ecclesiæ, AEDIFICATIONEM, promotionem & perfectionem, tam in moribus, quam in fidei scientia, inquit S. Anselmus. Porro spirituali huic ædificationi oportet pastorum industriam continuo insudare.

V. 13. DONEC OCCURRAMUS; Græce, καταντήσωμεν, id est *perveniamus*, OMNES ad UNITATEM & soliditatem FIDEI, ceterarumque virtutum Christianarum: debent enim hæ paulatim in nobis adolescere, & excrescere IN VIRUM PERFECTUM, seu adultum, ut non semper *infantes simus* vel *parvuli*, sed *in viros* aliquando evadamus adultos & perfectos in Christo, seu in cognitione ac dilectione Christi; quæ perfecta cognitio ac dilectio est plena mensura, seu statura, & matura ætas hominis Christiani: ita Chrysost. Hieron. Ambros. August. *f*. Theophyl. Oecumen. Et hic est litteralis sensus huius loci. Anselmus tamen, Gagneius, S Thomas & complures Scholastici per MENSURAM AETATIS PLENITUDINIS CHRISTI, intelligunt plenam, virilem & perfectam staturam corporis humani, qualis fuit Christi cum esset annorum 34. Dicuntque omnes, etiam qui infantili ætate mortui sunt, resurrecturos ea magnitudine & statura quam singuli habituri fuissent (nisi contigisset, naturam, seu morbo, seu casu violento impediri) in ea ætate quæ respondet plenæ ætati Christi, nempe anno ætatis singulorum 34. vel 35. Et hanc explicationem etiam probat S. Augustinus, sed præfert præcedentem. Velle autem ex hoc loco, tollere in resurrectione diversitatem sexuum, quasi feminæ omnes, excepta forte Deipara, resurrecturæ essent in sexu virili, ut sensisse videntur Basilius, Hilarius, Athanasius, & Scotus; erroneum esse docent Tertull. Hieron. August. *g* & passim Scholastici. Neque verum est, quod illi aiunt, sexum femineum esse naturæ vitium vel imperfectionem, cum sit naturalis conditio & perfectio, licet minor quam virilis: fueritque etiam in statu innocentiæ, & quidem necessario ad sobolis propagationem, & consequenter ad speciei humanæ propagationem & conservationem.

V. 14. NON CIRCUMFERAMUR in omnem partem OMNI VENTO, aut impulsu, cuiuscumque DOCTRINAE, seu veræ, seu falsæ, nobis afflatæ IN NEQUITIA, seu per nequitiam, perversorum HOMINUM, qui astu-

astutia, fraude, & dolo nos *circumvenire* & in damnatos *errores* pertrahere conantur. Hic viriliter, seu quasi viri in plena ætate spirituali, id est perfecta solidaque fide, caritate, constantia Christiana, generose resistamus:

V. 15. FACIENTES VERITATEM, id est, sectantes veram sinceramque doctrinam, & insuper opere exequentes quod practice verum rectum, iustum est, seu debita Christiani hominis officia, per *caritatem* & opera caritatis, CRESCAMUS PER OMNIA, seu quaquaversum, omni augmento, in longum, latum, crassum, &c. (caritate enim crescente, crescunt pariter omnes internæ virtutes:) IN ILLO, supple, Christo, id est, ex virtute & influxu Christi, qui ut est caput omnium membrorum Ecclesiæ, ita

V. 16. Ex ipso TOTUM Ecclesiæ CORPUS habet quod sit COMPACTUM ut oportet, seu coagmentatum, ET membrum membro CONNEXUM, & arctissime cohærens PER OMNEM IUNCTURAM SUBMINISTRATIONIS; id est, per mutuam unionem fidei, caritatis, & ceterarum virtutum, subministrantem toti corpori tum spiritus vitales ex corde, tum spiritus animales ex capite, ad motionem, sensationem & vitam necessarios. Christus enim *cor* & *caput* nostrum simili modo influit in singula membra spirituales gratias & dona sua divina, inquit Chrys. & Theophylact. SECUNDUM OPERATIONEM, κατ' ἐνέργειαν, id est, ex vi & efficacia intus agente atque operante, nempe vi gratiæ quam Christus instar capitis influit in singula membra, vivificans illa & vegetans, IN MENSURAM, id est pro modo, mensura & exigentia, UNIUSCUIUSQUE: atque ita vi eiusdem gratiæ Christi FACIT AUGMENTUM proprii CORPORIS; hebraismo, id est suiipsius: nam per illam corpus Ecclesiæ *seipsum* auget, *ædificat*, stabilit & perficit: ita S. Hieronymus.

V. 18. VITA DEI, id est vita secundum Deum & præcepta divina. *Non sicut Gentes.*

V. 19. ἀπηλπικότες, id est DESPERANTES salutem & vitam æternam; vel, ut nunc est in Græco, ἀπηλγηκότες, id est de dolentes, seu dolere desinentes; nec conscientiæ remorsum curantes: unde proruerunt in quævis scelera etiam maxime obscœna *h* & infanda, idque IN AVARITIAM; Græce, ἐν πλεονεξίᾳ, id est cum excessiva & inexplebili plus semper luxuriandi aviditate. VOS AUTEM

V. 21. & 22. IN Christo, eiusque schola EDOCTI, SICUT EST VERITAS; Syrus & Vatablus, *qua* seu *quanta sit veritas:* vel ita edocti sunt qui vere & serio Christum & Christi doctrinam cognoscunt; *testificor i* DEPONERE, id est ut deponatis & exuatis, VETEREM HOMINEM k, non quoad naturam vel substantiam, sed SECUNDUM PRISTINAM CONVERSATIONEM, seu vivendi, concupiscendi & peccandi consuetudinem, ut fere Syrus vertit. QUI *vetus homo* CORRUMPITUR & computrescit in dies, prout magis ac magis obsequitur *desideriis* ERRORIS, id est cupiditatibus deceptricibus: hæ enim instar veneni inflammant, exedunt, enecant hominem.

V. 24. *Novus homo*, id est nova mens, novus spiritus, novus vigor spiritualis, CREATUS EST SECUNDUM DEUM, id est ad Dei perfectam imaginem *l* & exemplar, IN, seu per, *sanctitatem* VERITATIS, id est veram & non fucatam sanctitatem. Hic *renovatur spiritu mentis*, id est vivifica vi gratiæ menti nostræ indita a Spiritu sancto, inquit S. Hieron. & Chrysost. *m*

V. 26. IRASCIMINI *n* cum ratio & necessitas cogit, sed iram vestram sic frænate, ut in Deum vel in proximum *non peccetis*. Illam etiam deponite quam potestis citissime, ita ut SOL NON OCCIDAT SUPER illam: ita S. Anselmus, Genebrardus *o*, Iansenius.

V. 28. OPERANDO MANIBUS: seu opificium vel officium exercendo, non turpe aliquod, vel indecorum, vel illicitum, sed bonum, honestum, utile.

V. 29. AD AEDIFICATIONEM fidei vel fidelium, UT DET GRATIAM, id est iucunditatem & spiritalem voluptatem afferat.

V. 30. NOLITE, intemperantius obsequendo passionibus vestris, CONTRISTARE, seu offendere SPIRITUM SANCTUM *p*, IN QUO, id est per quem in Baptismo & Confirmatione, ut Suarez *q* docet SIGNATI *r* ESTIS interna & copiosa gratia, qua tamquam peculiari nota filiorum Dei, dignoscemini ab omnibus aliis IN DIE REDEMPTIONIS, quando ab hac misera vi-

ta

ta liberamini: ita S. Chrysost. Hieron. Ambros. Theodoretus.

(a) Act. I. 4.
(b) Suarez in 3. p. q. LVII. 4.
(c) Less. Lib. III. de summo bono cap. VIII.
(d) Bern. serm. II. de Ascens.
(e) Ambros. epist. XVI.
(f) August. de Civit. cap. XV. 17. & seqq.
(g) Basil. in Psalm. CXIV. Hilar. in Matth. XXXI. vers. 30. Athanas. Serm. III. contr. Arianos. Scotus in 2. distinct. 20. Tertull. Lib. de Resurrect. cap. lx. Hier. epist. lxi. ad Pammachium. August. sup.
(h) Rom. I. 26.
(i) Hic vers. 17.
(k) Rom. VI. 6.
(l) Genes. I. 26.
(m) Chrysost. hic in morali hom. 13.
(n) Psal. IV. vers. 5. & ibid.
(o) Genebrar. Iansen. &c.
(p) Isaiæ LXIII. 10.
(q) Suarez III. p. q. 63. a. III.
(r) I. Cor. I. 21. & 22.

GORDONI.

Vers. I. Hinc usque ad versum septimum Paulus Romæ e vinculis hortatur ut spectata excellentia vocationis, digne respondeant vocationi, conformantes illi sua studia & mores, in humili de seipsis sensu & patientia. *Vers.* 2. *In unitate*, seu animorum coniunctione. *Vers.* 4. ut sit UNUM CORPUS, velut sub una anima, & quidni servanda unitas pacis & spiritus, quando Deus nos tam multiplici unitate coniunxit sub una fide, spe & baptismo; & sub uno Deo, qui omnibus præsidet, omnia regit providentia, & in omnibus manet, tam est potens, sapiens & immensus: unitas porro fidei integratur omnibus fidei articulis: sicut unitas essentialis baptismi unitatem vult essentialem.

V. 7. UNICUIQUE AUTEM NOSTRUM. Quamvis vero sint omnes unum corpus, non est tamen quod quisque putet se omnibus æquari aliis sub eodem capite: Deus enim dat dona varia cuique prout vult, & iuxta Christi beneplacitum, seu ex mensura donationis Christi Psal. LXVII. hinc iam explicat inæqualitatem bonorum. Descendit Christus (iter Christi) in inferiores partes terræ. Ascendit in cælum; duxit captivitatem: dedit dona hominibus in Ecclesia. Sed qualia? sane diversa: nam quosdam dedit Apostolos, alios prophetas, &c. ad consummationem Ecclesiæ: & hoc gratis.

V. 9. & 10. QUOD AUTEM ASCENDIT. His duobus versibus, velut in parenthesi, alia explicat verba Psalmi, & applicat Christo. Vide quæ ibidem de Christo, TÀ INFERIORES PARTES, infernum denotat. Alii tamen terram hanc nostram intelligunt. Vera est prior expositio.

V. II. ET IPSE DEDIT. Hæc dona Dei sunt, qui voluit esse in Ecclesia Apostolos & Episcopos ad sanctitatem in membris, & ad opus ministerii in ipsis pastoribus rite exercendum, & ad plenam ædificationem totius corporis mystici, usque ad finem mundi.

V. 13. DONEC OCCURRAMUS. Dati scilicet sunt pastores, ut perficiatur & ornetur omni virtutum genere, donec membra occurrant Christo, assecuta plenitudinem quoad poterunt perfectionis & virtutum ad imitationem Christi, non quidem in annorum numero, sed perfectione intellectus & voluntatis in dilectione & omni iustitia: hæc enim est mensura Christi, quam in membris Ecclesiæ procurant pastores, & quam quisque imitari debet, ut digne Christo occurrat. IN VIRUM PERFECTUM: perfectus est vir Christianus, qui fide & caritate firmatus adolevit ad perfectam ætatem spiritualem: quod magis vers. 14. explicat comparatione ad puerilem ætatem, a cuius defectibus & inconstantia longe oportet abesse virum ad imitationem Christi perfectum; præsertim in unione animorum, quam vocat iuncturam administrationis. Atque hæc quamvis quilibet ad seipsum referre debet; tamen præcipue hic loquitur Apostolus de Ecclesiæ hierarchia, perfectione & sanctitate; proponitque Ecclesiam tamquam virum unum, atque eius velut unius viri declarat perfectiones.

V. 17. HOC IGITUR DICO. Cœpit dehortari a vitiis, quæ iam magis explicat, & arguit sub persona gentium, qui sunt desperatæ vitæ homines (nec virtutis nec salutis spem habent) proiecti sunt ad omne malum. Cuius rei ponit antithesin, vers. 20. vos non sic, &c.

V. 20. VOS AUTEM. Hic est antithesis. Non sic in vobis sit qui Christum, & eius mores ad doctrinam audivistis (si forte audientes doctrinam nondum plene edocti estis) deponere veterem hominem oportet & pristinam conversationem. Vos

potius decet novum hominem induere, qui est secundum Christum in iustitia & veritate, & aliis quas hic attingit virtutibus expressione oppositorum vitiorum. IRASCIMINI (vers. 26.) ET NOLITE PECCARE, & hoc si ira contingat, sit ita brevis, ut non peccetis: nolite in ea permanere locum dantes diabolo. Nolite contristare & expellere a vobis Spiritum sanctum, cui vos obligastis in die redemptionis & baptismi, per quem vobis applicata est redemptio. DONANTES INVICEM (vers. 32.) scilicet iniurias & offensas. Cetera clara sunt.

CAPUT V.

Hortatur ut Christum imitentur, longe separati ab omni vitio ac scelerato, & redimentes tempus, assumant spiritualia, quæ tradit, exercitia: uxores vult subditas esse viris, viros autem diligere uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam.

1. EStote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi. 2. (*a*) &
ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, &
tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo
in odorem suavitatis. 3. (*b*) Fornicatio autem, & omnis
immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut
decet sanctos; 4. aut turpitudo, aut stultiloquium; aut
scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratia-
rum actio. 5. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis
fornicator, aut immundus, * aut avarus, quod est idolorum servitus, non
habet hereditatem in regno Christi & Dei. 6. (*c*) Nemo vos seducat inani-
bus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. 7. Nolite er-
go effici participes eorum. 8. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux
in Domino. Ut filii lucis ambulate: 9. fructus enim lucis est in omni boni-
tate, & iustitia, & veritate: 10. probantes quid sit beneplacitum Deo: 11.
& nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redar-
guite. 12. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. 13. Omnia
autem, quæ arguuntur, a lumine manifestantur: * omne enim, quod mani-
festatur, lumen est. 14. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge a
mortuis, & illuminabit te Christus. 15. Videte itaque fratres, quomodo cau-
te ambuletis: (*d*) non quasi insipientes, 16. sed ut sapientes: redimentes
tempus, quoniam dies mali sunt. 17. (*e*) Propterea nolite fieri imprudentes,
sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. 18. Et nolite inebriari vino, in quo
est luxuria: * sed implemini Spiritu sancto, 19. loquentes vobismetipsis in
Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordi-
bus vestris Domino, 20. gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Do-
mini nostri Iesu Christi, Deo & Patri. 21. Subiecti invicem in timore Chri-
sti. 22. (*f*) Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: 23. (*g*) quoniam
vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse, salvator corpo-
ris eius. 24. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis
in omnibus. 25. (*h*) Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ec-
clesiam, & seipsum tradidit pro ea, 26. ut illam sanctificaret, * mundans la-
vacro aquæ in verbo vitæ, 27. * ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam,
non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit san-
cta & immaculata. 28. Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua.

Qui

Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. 29. Nemo enim umquam carnem
suam odio habuit: sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: 30.
quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius. 31. (*i*).
Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori
suæ: & erunt duo in carne una. 32. Sacramentum hoc magnum est, ego au-
tem dico in Christo & in Ecclesia. 33. Verumtamen & vos singuli, unusquis-
que uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

(a) Ioan. XIII. 34. & v. 12. I. Ioan. IV. 13. (b) Col. III. 5. (c) Matth. XXIV. 4. Marc. XIII. 5. Luc. XXI. 8. II. Thess. II. 3. (d) Col. IV. 5. (e) Rom. XII. 3. I. Thess. IV. 9. (f) Gen. III. 16. Col. III. 18. (g) I. Petr. III. 1. I. Cor. XI. 3. (h) Col. III. 19. (i) Genes. II. 28. Matth. XIX. 5. Marc. X. 7. I. Cor. VI. 16.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 5. *Aut avarus, quod est idolorum servitus*. Alterius versionis est ea lectio quæ habet *qui est idolorum servitus*.

Vers. 13. *Omne enim quod manifestatur lumen est*. Retinendum est passivum *manifestatur*, non mutandum in activum *manifestat*, quod quidam volunt.

Vers. 18. *Sed implemini Spiritu sancto*. Alii libri omittunt adiectivum *sancto*.

Vers. 26. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. Correctores ut iudicarunt non addendum participio *mundans* pronomen *eam*, ita non auferendum in fine nomen *vitæ*.

Vers. 27. *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam*. Non facile mutes nominativum masculinum *ipse* in accusativum femininum *ipsum*.

NOTATIONES.

Vers. 5. *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei*. Complutensis excusio, & quæ ex ea expressa est Regia: *Qui est idolorum servus* legunt; quo modo Græci codices Græcis Interpretibus consentientibus: ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης. Porro manuscripta omnia Latina exemplaria, quotquot habemus numero 36. & cetera typis excusa concorditer: *Quod est idolorum servitus* servant, adstipulantibus enarratoribus iis qui nostram editionem explicant; ita ut videatur germana hæc nostræ editionis esse lectio, atque Interpres legisse, ut Gagneius monet ὅ ἐστιν εἰδωλολατρεία. In Hieronymo est quod ex parte convenit: *Quod est idolis serviens*; in Ambrosiastro quod integre: *Quod est idololatria*. Syrica editio tam Regia, quam Cæsarea legit: *Aut avarus, aut cultor idolorum*. Verum antiquissimum exemplar Syriacum manuscriptum ex Orientis partibus huc allatum, cuius videndi copiam vir antiquarum linguarum cognitione præstantissimus Franciscus Raphlengius nobis fecit, hoc Græcis consentiens habet: *Aut avarus, qui est cultor idolorum*. Pro τὸ namque coniunctione disiunctiva *qui est* habet: id quod Raphelengius ipse editis cum novo Testamento Syriaco manuscripti illius variis lectionibus iam annotavit.

Vers. 13. *Omne enim* (*autem* o) *quod manifestatur, lumen est*. Ita habent libri nostri omnes scripti, & impressi, leguntque B. Hieronymus, ac ceteri Latini enarratores antiqui, & recentiores quoscumque vidi. Ceterum malint recentiores quidam, Caietanus nominatim, active *manifestat* legi: quo modo notarunt Parisienses in codice Di. I. scriptum esse. Græce quod est τὸ φανερούμενον (πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστι) quia participium medium est, & active exponi potest & passive. Active exposuerunt Syri; passive tractatores Græci.

Vers. 27. *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam*. Græci pleríque codices *ipsam* legunt, αὐτὴν: quo modo est & Latine in Complutensi opere, ac Regio, unoque Hentenii exemplari. Cetera porro nostra omnia antigrapha tum impressa, tum scripta *ipse* servant: quibus enarratores adstipulantur Richelius luculenter, Gorranus, & Anselmus, suffraganturque duo Græci Parisiensium codicas, ε, & ια αὐτὸς habent.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 3. NEc nominetur; id est, ne nominetur quidem inter vos. Sicut decet sanctos; id est, quemadmodum par est sanctos & Christianos cuiuscumque turpis verbi & facti expertes esse.

V. 4. Quae ad rem non pertinet. Quidam codices habent & puto interpretem vertisse, *pertinent*: est enim Græce τὰ ἀνήκοντα, id est *indecentia*, & refertur ad omnia illa vitia prius nominata: vitio autem descriptoris sublatum est τὰ enim.

V. 5. Quod est idolorum servitus. Noster interpres videtur legisse ὅ ἐστιν εἰδωλολατρεία, sed Græci nunc habent ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, id est qui est idololatra, hoc est idolorum cultor vel servus.

V. 6. Filios diffidentiae, id est filios sive homines incredulos & inobedientes.

V. 13. Omnes enim, &c. id est, ut inquit Photius, peccata cum arguuntur & per modestam correptionem manifesta fiunt, quodammodo lux efficiuntur, dum per pœnitentiam in iustitiam & virtutem convertuntur. Pro hoc enim facit quod allegat ex incerto auctore, *surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus*: sic quorum peccata arguuntur ac illuminante Christo, & ad pœnitentiam arguente, de tenebris in lucem evadunt, quodammodo lumen efficiuntur.

V. 16. Redimentes tempus, quia dies mali sunt: non sua substantia, sed hominum malitia: redimi autem tempus dicitur, quando male collocatum in carnalibus desideriis, bonorum operum exercitio sarcimus.

V. 26. Lavacro aquae, id est baptismo.

V. 30. Membra sumus corporis eius, id est Ecclesiæ: de carne eius, et ossibus eius, id est similem cum eo carnem habentes, vel de carne & ossibus Christi sumus: *de carne*, id est infirmitate humanitatis participantes, & de ossibus divinitatis latentibus ac solidioribus, id est per gratiæ communicationem non nihil de divinitate quæ sub carne latet participantes.

V. 32. Sacramentum hoc magnum. Quamquam ad litteram de mutua viri, & uxoris coniunctione, & dilectione dicta sint hæc verba, hoc tamen magnum est sacramentum, & mysterium, id est sub hac matrimonii institutione, mystice Christi, & Ecclesiæ latet unanimis, & indissolubilis coniunctio. Sicut enim patrem, & matrem relinquit homo, ut uxori adhæreat, sic quodammodo patrem homo factus dereliquit Christus, sicut ipse ait, *exivi a patre, & veni in mundum*, non per desertionem divinitatis, sed humanitatis assumptionem, & matrem synagogam cui quatenus Iudæus suberat, dereliquit, ut uxori suæ, id est Ecclesiæ gentium adhæreret.

V. 33. Verumtamen, et vos singuli. Græcis & Latinis deest aliquid, supplendum, quale est: vos singuli id præstate aut aliud simile.

SA.

Vers. 2. SUavitatis, id est suavem scilicet Deo gratum.

V. 3. Immunditia, id est impudicitia. Decet, scilicet talibus abstinere.

V. 4. Turpitudo, scilicet in verbis. Scurrilitas, scilicet facetiæ indecentes. Ad rem, scilicet quam intendimus, id est salutem. Pertinent, id est conveniunt.

V. 5. Quod est, &c. Græc. *qui est idolorum servus*, scilicet colit aurum & argentum.

V. 6. Venit, id est solet venire; vel pro, veniet. Diffidentiae. Syr. *immorigeros*. Coloss. 3. vertit Interpres noster *incredulitatis*.

V. 7. Participes, id est socii, scilicet in peccatis.

V. 8. In Domino, id est Dei beneficio; quasi dicat, Illuminati a Domino. Ut; pro, itaque ut. Filii, id est sectatores.

V. 9. Et iustitia. Explicatio præcedentis.

V. 10.

V. 10. Probantes, id est expendentes.

V. 11. Communicare, id est participare.

V. 13. Manifestatur, pro, manifestat. Syr. *revelat*.

V. 14. Dicit, scilicet Isa. cap. LX. quod tamen Paulus quibusdam adiunctis explicat. Surge, id est expergiscere. A mortuis, id est morte, scilicet peccati.

V. 15. Caute, id est circumspecte. Ambuletis, id est agatis. Quasi; pro, ut.

V. 16. Redimentes, &c. id est temporis opportunitate utentes. Vide Dan. II. Mali, id est pleni malis, seu periculis, adeoque diligenter cavendum.

V. 19. Vobismetipsis, id est apud vos, seu inter vos.

V. 20. In nomine, id est cum invocatione, vel virtute. Et Patri; pro, qui Pater est, scilicet omnium, vel Christi. Syr. *Deo Patri*.

V. 21. In timore, id est per timorem; quasi dicat, Ob reverentiam Christi.

V. 23. Eius, id est sui, scilicet mystici.

V. 24. Sed; pro, &. Mulieres, scilicet subdi debent.

V. 26. In verbo vitae, id est per verbum vitam conferens.

V. 27. Non habentem, scilicet in cælo: August. & Hierom. Quidam ad perfectos referunt huius vitæ.

V. 29. Carnem, id est corpus.

V. 30. De carne, &c. quasi dicat, Ita per eius corporis passionem formati, ut olim Eva de Adæ carne & osse.

V. 31. Carne una. Græc. *carnem unam*, id est velut una caro.

V. 32. Sacramentum, Græc. *mysterium*. In Christo, &c. scilicet completum.

V. 33. Timeat, id est revereatur.

MARIANAE.

Vers. 2. Hostiam. Christus fuit sacerdos & hostia, hostiam se Christus dedit. Ergo diligite invicem, vitia fugite.

V. 4. Quae ad rem non pertinet, aut *pertinent*, ut est Græce, & refertur ad omnia vitia superius posita. Syr. *quibus non est opus*, scilicet iis uti non decet vitiis.

V. 5. Quod est idolorum servitus. Græce, *qui est idolorum servus*: sic Vulgata Regia. Noster pro ὅς ἐστι εἰδωλολάτρης, ut nunc est, legit ὅ ἐστιν εἰδωλολατρεία. Vocantur avari *idololatræ*, quia in divitiis spem ponunt, ut in Deo; sed & ambitiosi in honore spem ponunt. Ideo melius, ut suppleatur coniunctio, *Et, quod est idolorum servitus*, ut designetur novum vitium: sic Syr. dixit: *Aut idolorum cultor*. Ad Galat. V. 19. dixit, *luxuria*, *idolorum servitus*. Ad Coloss. III. 5. *& avaritiam, quæ est simulacrorum servitus*. Nemo vos seducat, propterea venit ira

V. 6. In filios diffidentiae, id est incredulos, seu *inobedientiæ*: ἀπειθεία utrumque significat.

V. 8. Tenebrae eratis; pro, tenebrosi; ut, *præputium* pro infideli, *peccatum* pro peccatore, II. ad Corinth. V. Nunc in luce ambulate, virtuti studete.

V. 10. Probantes; pro, approbantes amplectentes, quod Deo placet.

V. 11. Redarguite, scilicet eos qui talia faciunt, qui in tenebris vitiorum ambulant, ne videamini probare.

V. 12. Quae enim in occulto fiunt: palam pravi, secreta peiora sunt, pudet illa dicere.

V. 13. Quod manifestatur, lumen est, id est in lumine: τὸ φανερούμενον. Participium medium, active potest sumi; sic Syr. *quidquid revelat lumen est*. Potest passive, sic Hieronymus & Græci.

V. 26. Redimentes tempus, id est bene collocantes: sic Augustinus Serm. XXIV. de Verbis Domini, & XXVI. de Verbis Apost. & Homil. I. & X. inter 50. Quoniam dies mali sunt, id est breves, aut ærumnis obnoxii, quæ bona opera impediunt.

V. 18. Sed implemini Spiritu sancto. Vox *sancto* Græc. & Syr. non est, nec in multis Latinis codicibus, sed bene suppletur.

V. 19. Loquentes vobismetipsis. Syr. *cum vobismetipsis*, id est interius in cordibus, ut mox ait, Psallentes in cordibus vestris.

V. 23. Ipse, salvator corporis eius,

ius, scilicet Christus Ecclesiæ, aut vir uxoris, quia nutrit & regit eam. Vir est caput, ergo uxor corpus. Mulier igitur viro sit subdita, ut corpus capiti. Viri etiam uxores diligite, ut Christus Ecclesiam, qui pro ea se tradidit, mundans eam.

V. 26. LAVACRO AQUAE, Baptismo. IN VERBO VITAE, id est forma baptismi. Vox *vitæ* Græce non est, nec Syr. neque in multis Latinis codicibus, suppleri tamen potest.

V. 27. IPSE SIBI mundans. Græc *ipsam sibi*. Verum quidam Græci codices pro αὐτῷ habent αὐτὸς, id est *ipse*. Afferunt Robertus & Velcsius.

V. 29. NEMO ENIM. Si suam carnem nemo odit, debent viri uxores diligere, quæ caro ipsorum sunt.

V. 32. SACRAMENTUM, mysterium HOC MAGNUM EST. Aliquid amplius significat. Ego de Christo & Ecclesia dictum accipio. Sub cortice latent mysteria.

V. 33. VERUMTAMEN. Si illud, *erunt duo in carnem unam*, ut est Græce, de Christo accipio, nihilominus viri id de ipsis dictum accipiant, ut diligant uxores. Sequuntur alia præcepta.

MENOCHII.

Verf. 1. SICUT FILII: filiorum enim est parentes imitari. Itaque sicut pater vester cælestis peccata condonat, ita & vos offensas invicem remittite.

V. 2. AMBULATE IN DILECTIONE: exercete opera mutuæ dilectionis, & caritatis. Italice diceremus, *Procedete con amore, e carità*. OBLATIONEM, ET HOSTIAM DEO: per sacrificium cruentum crucis, ut nostra peccata expiaret. IN ODOREM SUAVITATIS: in odorem suavissimum, & gratissimum Deo Patri, significat sacrificium illud Deo Patri acceptissimum fuisse.

V. 3. FORNICATIO: scortatio. OMNIS IMMUNDITIA: qualibet obscœnitas, & libido vel tactuum, vel immundorum operum. AUT AVARITIA: πλεονεξία, de qua vide dicta superiori cap. vers. 19. SANCTOS: Christianos.

V. 4. AUT TURPITUDO, scilicet verborum. STULTILOQUIUM: μωρολογία. Stultiloquium, inquit Hieronymus, ad fatuas, & ineptas fabulas referendum. SCURRILITAS. In Græco est εὐτραπελία, quæ virtus est, & *urbanitas* dicitur a Latinis, sed Eutrapeliam hic accipit Apostolus pro ejus excessu, quæ proprie dicitur a Græcis βωμολοχία, *scurrilitas*, de qua vide Aristot. II. Ethic. cap. VII. βωμολόχοι autem appellantur qui ridiculis, & facetiis plus justo abundant; Latini *scurras* vocant, & hinc dicta scurrilitas. QUAE AD REM NON PERTINENT, id est quæ non sunt decentia. SED MAGIS GRATIARUM ACTIO; scilicet audiatur, sonet ex ore vestro, qui estis Christiani, & sancti.

V. 5 SCITOTE INTELLIGENTES. In Græco nunc est, ἴστε γινώσκοντες; quasi dicat, *Sitis cognoscentes*: sed vulgatus legit ἴστε γινώσκοντες. Idem autem est *scitote intelligentes*, ac scitote, & intelligite. FORNICATOR, AUT IMMUNDUS: vide dicta vers. 3. AVARUS: πλεονέκτης, intelligitur autem per avaritiam vel immodica voluptatum illicitarum cupiditas; iuxta ea quæ diximus superiori cap. vers. 19. vel cupiditas congerendarum divitiarum. QUOD EST IDOLORUM SERVITUS: nam impuri voluptatum sectatores amasias suas, quasi deas colunt; ut etiam avari divitias. NON HABENT HEREDITATEM IN REGNO CHRISTI: cum scilicet avaritia eo processit, ut sit mortale peccatum.

V. 6. NEMO VOS SEDUCAT INANIBUS VERBIS: verbis, aut rationibus fallacibus, quasi hoc quod dixi non ita se habeat. PROPTER HAEC ENIM: fornicationem scilicet immunditiam, & avaritiam. VENIT IRA: Dei ἔρχεται est præsentis temporis, venire solet Dei vindicta. IN FILIOS DIFFIDENTIAE: ἀπειθείας, *inobedientiæ*, in eos scilicet qui divinæ legi non obedientes, hisce peccatis se maculare non verentur.

V. 7. NOLITE ERGO EFFICI PARTICIPES EORUM; scilicet filiorum diffidentiæ; quasi dicat: Nolite cum sceleribus eorum iam dictis communicare, & participare.

V. 8. ERATIS ENIM ALIQUANDO TENEBRAE: versabamini in tenebris infidelitatis, & ignorantiæ. NUNC AUTEM LUX IN DOMINO: nunc autem illuminati estis fide, gratia, & doctrina Christi. UT FILII LUCIS AMBULATE: moribus ostendite vos

vos tenebras illas dispulisse, & in luce fidei, gratiæ, & sanctitatis versati.

V. 9. FRUCTUS ENIM LUCIS; quasi dicat: Ex fructibus lucis ostendetis vos esse filios lucis. EST IN OMNI BONITATE: ἀγαθωσύνῃ, benignitate, & beneficentia, hanc opponit iracundiæ. ET IUSTITIA: hanc opponit fraudibus. ET VERITATE: hanc opponit mendacio.

V. 10. PROBANTES: exquirentes, investigantes, & cognoscere studentes. QUID SIT BENEPLACITUM DEO: quomodo sanctam eius voluntatem, & beneplacitum agnoscere, & adimplere possitis.

V. 11. ET NOLITE COMMUNICARE OPERIBUS INFRUCTUOSIS TENEBRARUM: nolite vos miscere operibus peccatorum, quæ nihil afferunt utilitatis, sed tantum seram pœnitentiam. Vocat opera infructuosa per liptoten, id est maxime noxia, exitialia, & pestifera. OPERIBUS TENEBRARUM. Peccata dicuntur opera tenebrarum, quia illorum suasor, & suggestor est dæmon Princeps tenebrarum; & quia qui male agunt oderunt lucem, iuxta dictum Christi; & quia peccatoribus inferni tenebræ debentur. MAGIS AUTEM REDARGUITE. Illa opera tenebrarum lumine vestrorum bonorum operum prodite, detegite, manifestate, ut omnibus appareat illorum turpitudo: nam contraria iuxta se posita magis elucescunt.

V. 12. AB IPSIS: filiis diffidentiæ. TURPE EST DICERE. Servat Apostolus præceptum quod supra dederat vers. 3. *Fornicatio, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis.*

V. 13. A LUMINE MANIFESTANTUR: nam argui, seu prodi, aliud non est, quam in lucem proferre. OMNE ENIM QUOD MANIFESTATUR LUX EST, id est luce perfusum, & illustratum.

V. 14. PROPTER QUOD DICIT: videtur sumptum hoc testimonium ex canonico aliquo libro, qui temporum iniuria intercederit. SURGE QUI DORMIS, ET EXURGE A MORTUIS: surge, o peccator, & evigila a mortifero somno culparum. ET ILLUMINABIT TE CHRISTUS: ita luce perfundet, ut accepto illo splendore perinde ac si nativus esset, ut videmus in luna, possis alios illuminare, & tuo lumine coarguere, & patefacere tenebras errorum, & peccatorum, quibus involvuntur.

V. 15. VIDETE ITAQUE FRATRES QUOMODO CAUTE AMBULETIS; quasi dicat: Utimini luce vestra ad videndum quomodo bene, & circumspecte conversemini. NON QUASI INSIPIENTES: valde enim insipientes sunt, qui in hac luce Evangelii ambulantes in errores, aut in peccata impingunt.

V. 16. REDIMENTES TEMPUS: ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, *ementes tempus*, vel potius *opportunitatem*; quasi dicat, Studiose emite opportunitatem proficiendi in via Dei, & virtute, & bona opera, ac merita accumulandi, emite inquam, eam quarumvis rerum dispendio. *Redimere* igitur hoc loco est idem quod *emere*: sic redemptores vectigalium appellamus eorumdem emptores. QUONIAM DIES MALI SUNT, id est multis ærumnis, periculis, & tentationibus expositi, quæ occasionem bene agendi vel adimunt, vel minuunt, vel periculo exponunt.

V. 17. PROPTEREA: cum dies mali sint, & omnia peccandi periculis plena. IMPRUDENTES: incauti in conversatione vestra, ita ut patiamini opportunitatem elabi bene agendi. SED INTELLIGENTES QUAE SIT VOLUNTAS DEI: date operam ut intelligatis quid Deus a vobis velit fieri.

V. 18. IN QUO; scilicet vino, vel *in quo*, scilicet inebriati; quasi dicat, In ebrietate. EST LUXURIA: ἀσωτία, quæ est luxus, lascivia, qualis est eorum, qui assidue potant, & comessantur, ut pæne semper sint temulenti, sed sumitur etiam ut hoc loco, pro luxuria, & libidine in rebus venereis; hæc enim sunt valde cognata; nam venter mero æstuans despumat in libidinem. SPIRITU SANCTO, id est gratia, & lætitia spirituali, atque in universum bonis spiritualibus.

V. 19. LOQUENTES VOBISMETIPSIS IN PSALMIS, &c. loquentes inter vos mutuo, & psalmos, hymnos, & cantiones spirituales canentes, & Deo psallentes non lingua tantum, sed intimo cordis affectu.

V. 20. PRO OMNIBUS: gratiis, donis, & beneficiis a Deo acceptis. IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, id est per nomen Iesu Christi, per Iesum Christum, qui hæc dona, & beneficia nobis prometuit, & obtinuit. DEO ET PATRI; scilicet gratias agentes.

V. 21.

V. 21. SUBIECTI INVICEM : alter alteri, scilicet subditus superiori. IN TIMORE CHRISTI : cum filiali timore, timentes Christum offendere, si subiecti, & obedientes non fuerimus.

V. 22. SICUT DOMINO, id est Christo, in viris suis considerantes Christum Dominum, qui est caput & sponsus Ecclesiæ.

V. 23. IPSE SALVATOR CORPORIS EIUS. *Eius* ponitur pro *sui*; & sensus est: Christus dat salutem corpori suo; id est, Ecclesiæ, sicut caput, quod omnes sensus continet, salutem dat corpori, in illud influendo, & dirigendo illud per visum, phantasiam, & rationem.

V. 24. SUBIECTA EST IN CHRISTO : Christo subiecta est. ITA ET MULIERES VIRIS SUIS; scilicet, subiectæ sint.

V. 25. ET SEIPSUM TRADIDIT, &c. id est, adeo dilexit eam, ut semetipsum pro ea daret in mortem.

V. 26. UT ILLAM SANCTIFICARET, id est mundam redderet ab omni impuritate peccati. MUNDANS LAVACRO AQUAE, id est per sacramentum baptismi. IN VERBO VITAE, id est per sacram, & vivificam baptismi formam.

V. 27. UT EXHIBERET IPSE SIBI GLORIOSAM: ut sisteret eam sibi gloriosam, non tantum mundam, & puram. MACULAM: peccati. AUT RUGAM : vetustatis.

V. 28. UT CORPORA SUA : sunt enim duo in carne una.

V. 29. SICUT ET CHRISTUS ECCLESIAM, scilicet ut carnem suam nutrit, ac fovet, omnia suppeditando, quæ ad eius salutem pertinent.

V. 30. CORPORIS EIUS : mystici, cuius membra, caro, aut ossa sumus.

V. 31. PROPTER HOC RELINQUET, &c. quasi dicat : Propterea ad hunc quodammodo locum pertinent illa quæ legimus in libro Geneseos cap. II. 24. RELINQUET HOMO PATREM, &c. vide dicta loco citato Genesis.

V. 32. SACRAMENTUM HOC MAGNUM EST, id est mysterium præcedentibus verbis significatum magnum est. EGO AUTEM DICO IN CHRISTO, ET IN ECCLESIA : significat enim coniunctionem arctissimam Christi cum sua sponsa Ecclesia : quamvis enim Adam cum illa verba protulit de viri, & feminæ coniunctione vere, ac proprie locutus sit, hanc tamen Christi cum Ecclesia coniunctionem iam tum Spiritus sanctus indicabat.

V. 33. VERUMTAMEN ET VOS IPSI, &c. quasi dicat : Facite ut sacramentum quod repræsentatis, & geritis reipsa præstetis, & exprimatis, ut nimirum quisque maritus diligat uxorem quasi suam carnem, immo quasi seipsum, sicut Christus diligit Ecclesiam. TIMEAT, revereatur.

TIRINI.

Vers. 4. STULTILOQUIUM ; inquit S. Hieronymus, sunt fatuæ & ineptæ fabulæ. Pro *scurrilitate* in Græco est εὐτραπελία, quam pro virtute urbanitatis usurpat Aristoteles, Augustinus & S. Thomas: sed hic ab Apostolo in malam partem accipitur, nempe pro excessu in iocis & ludis, qui proprie dicitur βωμολογία, id est SCURRILITAS, cum quis ridiculis facetiis vel dicteriis vel sannis utitur. Sicut defectu contra eamdem virtutem peccat ἀγροικός, id est *rusticitas*, cum quis reiectis etiam honestis ludis, aut iocis amœnis, nimis melancholicum, tetricum vel morosum sese exhibet. QUAE AD REM NON PERTINENT, id est quæ non conveniunt, seu non decent ingenuos.

V. 5. AVARUS, QUOD avaritiæ vitium EST IDOLORUM SERVITUS, Græce, *quæ est idololatria*: quia avarus signatas nummorum suorum effigies colit pro Deo, immo præ Deo diligit, sicut idololatræ statuas suas aureas & argenteas, inquit Theophyl. Et ut hi in Iove vel Marte, sic ille in *Mammona*: spem omnem victus, vitæ ac felicitatis suæ reponit, & cor, mentem, animam totam illi immolat, nec audet idolum suum contingere: pro templo, arca, claustris & vectibus illud sepit, tanta cura & studio, ut malit oculos & animam perdere quam thesaurum suum, inquit S. Chrysost. *a* additque postquam idolum suum sic conclusit, exinceps illud adorare: alludens cum Herode Sophista, ad *Aloadas*, qui postquam Matrem incarcerassent, ei sacrificarunt, teste Philostrato.

V. 6. PROPTER HAEC vitia *fornicationis*, aut alterius *immunditiæ*, vel *avaritiæ*,

ἔρχεται,

ἔρχεται, id est VENIT, seu venire & sævire solet, IRA & vindicta DEI IN FILIOS DIFFIDENTIAE : ἀπειθείας, id est *inobedientia*, id est in eos qui non obediunt Deo vel divinæ legi hæc vetanti.

V. 10. PROBANTES, id est exquirentes & investigantes, QUID SIT BENEPLACITUM & acceptum DEO; nempe ut illud compleatis.

V. 11. *Opera* TENEBRARUM, id est peccata sordida & fœda, quæ tenebras captant, & quasi tenebriones, lucem fugiunt, vos qui *filii lucis* estis, REDARGUITE contrariis operibus quæ supra *e* vocavi *fructus lucis*, seu lucidæ, id est sanctæ doctrinæ ac vitæ.

V. 13. QUAE enim ARGUUNTUR, seu arguenda sunt, tenebrarum, sordium & errorum, non nisi a tali LUMINE MANIFESTANTUR. OMNE ENIM opus, quantumcumque tenebrosum, QUOD & quando lumine vestro MANIFESTATUR, & manifestatum emendatur, non manet amplius tenebrosum; sed abiectis tenebris LUMEN EST, id est, mutatur in luminosum & splendidum opus virtutis, puta fidei, caritatis, continentiæ, &c. Non frustra ergo lumen vestrum spargitis, o Ephesii: nam ex tenebrosis Paganis vel hæreticis facitis lucidos Catholicos, ex sordidis facitis castos, ex mancipiis diaboli filios Dei : ita Theophyl.

V. 14. PROPTER QUOD, id est ad quod studium pellendi peccatorum tenebras acuendum, DICIT Spiritus sanctus Isaiæ *d* LX. I. SURGE, o peccator, e tenebris scelerum tuorum, expergiscere QUI DORMIS, somno, immo morte peccati; ET ILLUMINABIT TE exortus iam sol iustitiæ CHRISTUS. Græce, ἐπιφαύσει, id est *illucescet tibi*: ita S. Thom. Quod ergo Isaias Iudæis inclamat, *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum*, nempe Christus; hoc Paulus omnibus peccatoribus adaptat.

V. 16. REDIMENTES TEMPUS; Græce, ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν, id est *ementes opportunitatem*, quasi dicat: Omni studio, omni contentione, omni pretio, & quarumvis rerum dispendio (ut solent mercatores) captate occasiones proficiendi in via virtutum, QUONIAM DIES, præsentis vitæ MALI SUNT, & multis periculis, tentationibus, ærumnis & fastidiis expositi, (inquit S. Anselmus,) quæ sæpe naufragia pariunt, & sperata lucra subvertunt.

V. 18. NOLITE INEBRIARI VINO, IN QUO inebriari EST ἀσωτία, id est luxus, lascivia, & etiam proprie dicta LUXURIAnam *venter mero æstuans despumat in libidines*, inquit S. Hieronymus *f*.

V. 21. SUBIECTI INVICEM, id est alter alteri, filius parenti, subditus superiori, uxor marito, &c. IN, seu cum, TIMORE offendendi CHRISTI, si secus faxitis.

V. 22. MULIERES VIRIS SUIS SUBDITAE SINT, SICUT DOMINO Christo, quem in viris suis (utpote locum eius tenentibus) considerare, amare, revereri debent. Et hoc est primum argumentum Apostoli. Secundum, quia salus uxoris a viro dependet.

V. 23. IPSE enim, utpote CAPUT MULIERIS, SALVATOR EST CORPORIS EIUS seu tutor, protector, promotor rerum ad corpus eius spectantium. SICUT (sed longe nobiliori modo) CHRISTUS, quia CAPUT ECCLESIAE, etiam *salvator* eiusdem est,

V. 26. MUNDANS eam ab omni sorde peccati, LAVACRO AQUAE, id est per baptismi Sacramentum, IN, seu cum, VERBO VITAE, id est vitali aut vivifico. Quod non de prædicatione Evangelii, ut Beza, sed de forma verborum baptismi intelligunt Chrysost. Ambros. Theodor. S. Thom. & alii orthodoxi.

V. 27. UT EXHIBERET SIBI (inchoate in terris, sed complete in cælis,) ECCLESIAM quasi selectissimam sponsam non solum NON HABENTEM MACULAM AUT RUGAM, sed etiam GLORIOSAM; Græce ἔνδοξον, id est multo decore & gloria illustrem. Quod de Ecclesia triumphante (de qua S. August. *g*. hæc accipit.) absolute verum est: de militante vero, si doctrinam, Sacramenta & leges spectes, & nobiliora etiam eius membra, puta iustos. Sic Parisii, Venetiæ, Antuerpia, Hispalis, Londinum divites urbes vocantur, non quod omnes sed plurimi in eis divites sint. Cur autem hac similitudine utatur Apostolus, ratio esse videtur, quod multi viri soleant infirmitates & imperfectiones uxorum suarum suæ duritiæ & inhumanitati prætexere. Hinc iubet Paulus illos contemplari, qualem sponsam nactus sit Christus quum illam primum sibi seligeret, & quanta caritate, patientia, constantia sordes

eius omnes non modo non sit dedignatus, sed suo etiam sanguine eluerit. Quanto potiori iure debent mariti suarum uxorum pævos, maculas, infirmitates tolerare, &, si possint, etiam curare? Sed utitur Apostolus etiam alio simili:

V. 28. & 29. VIRI DEBENT DILIGERE UXORES, UT CORPORA SUA propria: sunt enim *duo in carne una*: *b* debet ergo vir uxorem nutrire, fovere, ornare sicut proprium corpus suum, & SICUT CHRISTUS ECCLESIAM, & singolos nostrum nutrit, fovet, ornat;

V. 30. QUIA MEMBRA SUMUS CORPORIS EIUS DE CARNE ET DE OSSIBUS EIUS in cruce dormientes, spiritualiter seu mystice formati; sicut ex Adamo corporaliter formata fuit Eva, inquit Caietan.

V. 32. Hoc, nempe primum matrimonium Adami & Evæ, & pari ratione, omne deinceps aliud matrimonium, tam veteris, quam novæ legis, EST MAGNUM SACRAMENTUM; Græce, *μυςήριον*; Syriace, *arcanum*; Latine, *signum rei sacræ*, nempe IN CHRISTO ET IN ECCLESIA: hebraismo, id est repræsentativum *Christi & Ecclesiæ*, seu coniunctionis Christi cum Ecclesia, factæ in incarnatione, qua Christus visus est quasi relinquere *patrem* suum, postea, etiam *matrem suam* Synagogam, ut *sponsæ* suæ, Ecclesiæ Christianæ adhæreret. Ecclesia vicissim reliquit patrem suum diabolum, & matrem cœtum infidelium, ut sponso suo Christo adhæreret. Sed matrimonium Adæ & ceterorum veteris legis erant signum futuræ illius coniunctionis Christi cum Ecclesia: matrimonium novæ legis est signum eiusdem coniunctionis iam factæ: ideoque a Christo institutum proprie dictum Sacramentum, conferens gratiam & mutuum coniugum amorem. Unde ego Paulus hortor vos, o coniuges, ut amorem hunc coniugalem excitetis, foveatis, augeatis, atque ita mysterium seu Sacramentum, quod repræsentatis, reipsa etiam exprimatis, mutuo amore ac *timore*, id est reverentia, veneratione & obsequio: ita fere Florentinum & Tridentinum Concilium *i*.

(a) Chrysost. hic in moral: & hom. lxiv. in Matt.
(b) Philostratus in Herode Sophista.
(c) Hic vers. 9.
(d) Isaiæ lx.
(e) Rom. xiii. 11.
(f) Hieron. ep. lxxxiii. ad Oceanum.
(g) August. Lib. I. Retract. cap. xviii.
(h) Gen. ii. 24. & I. Cor. vi. 16.
(i) Florent. in instructione Armenorum. Trid. initio sess. xxiv.

G O R D O N I.

Vers. 1. VOs iam Dei filios patrem imitari oportet. Diligite invicem, quando Christus vos diligendo tradidit se pro vobis, in odorem Deo gratum. Devitate turpia, & omnem fornicationem. At cur hic vers. 3. inter turpia recensetur avaritia? quia est *πλεονεξία*, seu inordinata habendi libido, etiam ut plurimum iniusta.

V. 4. SCURRILITAS. Græcis *εὐτραπελία* est virtus, & in bonam partem accipitur IV. Ethic cap. viii. de qua vide S. Thomam, ii. ii. quæst. CLX III. art. ii. Medium est inter scurrilitatem & rusticitatem. Hic Apostolus accipit in malam partem: QUAE AD REM NON PERTINENT, *ἄτοπα* sunt, non decentia.

V. 5. HOC ENIM SCITOTE. Ut supra fornicatio & immunditia pro eodem accipiebantur; ita hic fornicator & immundus. De *πλεονεξία* iam dixi: vocat hæc peccata idolorum servitutem, quod immundi & avari has res colant ut idola. Ideoque ex vers. 6. qui his se maculant peccatis, velut filii diffidentiæ, *ἀπειθείας* (non obedientes legi Dei) regnum Dei non possidebunt. Similia sunt quæ de luce, tenebris, & iustitia subiungit ad ampliorem exhortationem.

V. 12. 13. & 14. QUAE ENIM Turpia & peccata ut tenebrarum opera sunt: honesta & virtutes lucent, & lucis opera sunt. Sane ergo quæ ab ipsis geruntur turpissima, ut sunt per ignorantiam infidelitatis, in occulto, (*κρυφῆ*) ita quæ per vos gerentur, ut sunt clara, ac per honestatem in luce, damnabunt, & arguent abunde opera illa tenebrarum. Itaque *τὸ κρυφῆ*, non locum occultum hic, sed peccantium ignorantiam designat. Atque ex hoc sensu recte infertur: SURGE QUI DORMIS. Ex quo vero loco hoc citetur, incertum videtur. Forte erat illorum temporum vulgaris & recepta, ac gravis sententia. Itaque quod citatur, habet sensum iam datum; id est, surge peccator ad vitam iustitiæ, & Christus ita te lucere faciet, ut hac tua luce apparere faciat peccata proximi:

ximi: sic, cum ad lunam accesserit lux solis, luna illuminata faciet videre alia quæ non videbantur. Quod vero sic manifestatur (ut noster habet) lumen est, seu lucem recipiens, fit apparens & lucidum. Hic vero non disputo de initio surgentis a peccato: certum enim est præcedere vocationem; immo hæc est, quæ dicit, *surge*.

V. 22. & 25. MULIERES. Addit tandem monita ad matrimonio iunctos. Mulier sit subdita viro ut capiti, sicut Ecclesia pendet suo modo a capite Christo, qui est eius salvator: vir autem licet non sit subditus uxori, tamen debet eam diligere, sicut Christus diligit Ecclesiam; quippe pro ea se obtulit morti; & eam sanctificavit, ut sibi sanctificatam coniungeret. Vir ergo uxorem diligat: nemo enim carnem suam odio habet. De versu 25. mox.

V. 31. PROPTER HOC. Hæc verba sunt ex Genesi. Et sermo hic est de matrimonio consummato. Paulus hic magis declarat & probat dilectionem retinendam: nam relinquuntur parentes, ut sit locus huic dilectioni: & fiunt velut una caro: sic conspirant coniugales amor & actus. Atqui hic sensus est litteræ, verborum Gen. II. 24. Addit Paulus sensum mysticum, & quem sacramentum vocat, consistens in coniunctione Christi & Ecclesiæ, quam incarnatione factam significat. Et hoc est de quo ait sacramentum magnum, mysterium magnum.

Hic in versu 26. hærent frustra Novatores: sensus verborum est clarus: MUNDANS *eam* (Ecclesiam) LAVACRO AQUAE, (quo anima per gratiam sanctificatur.) IN VERBO VITAE (sunt sacra formæ baptismalis verba) explicant passim Theologi divinam vim in hac forma ut instrumento Dei ad animam sanctificandam; sequuti verba hæc Pauli, & interpretationem antiquorum Patrum Ambrosii, Chrysostomi, Anselmi & aliorum. Inepte Novatores corrumpunt hunc locum, & torquent. Sane qui nullam habent tesseram vocationis legitimæ, peto qua ipsi auctoritate volunt hoc verbum vitæ, esse concionatorium: concio enim non confert vitam, nec sanctificat; quod tamen faciunt ex Paulo materia & forma baptismi, ut Dei instrumentum. Porro hæc forma præscripta Matth. XXVIII. vers. 19. & recepta hactenus a tota Ecclesia, non est concio, aut exhortatoria. Et quid de parvulis, qui concionem non intelligunt: quos tamen non sanctificari in baptismo est alia nova hæresis.

V. 27. UT EXHIBERET. Ecclesiam vult Christus esse sanctam, & in hunc finem, inquit Apostolus, dedit baptismum sanctificantem, ut sit sine macula. Non quidem quod omnes in Ecclesia sint sancti, aut quod soli iusti sint in Ecclesia; sed quod in Ecclesia sit sanctitas, ac proinde in ea multi sint sancti: nec per solam fidem, sed per dona alia spiritus in caritate fundati. Est porro sancta Ecclesia ex capite sancto, qui est Christus, influens in membra sanctitatem & iustitiam. Adde doctrinam sanctam, leges morum sanctas, Sacramenta sancta. Et hæc vitium non habent: sicut nec grave & mortale peccatum, qui sunt per gratiam sanctificati. In operibus etiam miracula sanctitatem testantur.

CAPUT VI.

Filii parentibus, servique dominis obediant: rursumque parentes erga filios, & domini erga servos sui memores sint officii: monet Dei armaturam, cuius partes explicat, induendum, ad resistendum spiritualibus inimicis, petens etiam ut pro se orent.

1. FIlii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iu-
stum est. 2. (*a*) Honora patrem tuum, & matrem
tuam, quod est mandatum primum in promissione: 3.
ut bene sit tibi, & sis longævus super terram. 4. Et vos
patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed
educate illos in disciplina & correptione Domini. 5. (*b*)
Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremo-
re, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: 6. non ad
oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes
voluntatem Dei ex animo, 7. cum bona voluntate servientes, sicut Domino,
& non hominibus: 8. scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum,
hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. 9. Et vos domini eadem faci-
te illis, remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est
in cælis: (*c*) & personarum acceptio non est apud eum. 10. De cetero fra-
tres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. 11. Induite vos
armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, 12. quoniam non est
nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes, & po-
testates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequi-
tiæ, in cælestibus. 13. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resiste-
re in die malo, * & in omnibus perfecti stare. 14. State ergo succincti lum-
bos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, 15. & calceati pedes * in
præparatione Evangelii pacis: 16. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo
possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: 17. (*d*) & galeam salutis as-
sumite; & gladium spiritus, [quod est verbum Dei] 18. per omnem oratio-
nem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso (*e*) vigi-
lantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis; 19. [*f*] & pro me,
ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myste-
rium Evangelii: 20. pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso au-
deam, prout oportet me, loqui. 21. Ut autem & vos sciatis quæ circa me
sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fi-
delis minister in Domino: 22. quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognosca-
tis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra. 23. Pax fratribus, & cari-
tas cum fide, * a Deo Patre, & Domino Iesu Christo. 24. Gratia cum omni-
bus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione.
Amen.

(a) Coloss. III. 20. Exod. xx. Deut. v. 16. Eccli. III. 9. Matth. xv. 4. Marc. VII. 10.
(b) Coloss. III. 22. Tit. II. 9. I. Pet. II. 18. (c) Deut. x. 17. II. Par. XIX. 7. Iob XXXIV. 16. Sap. VI. 8. Eccli. XXXV. 16. Rom. II. 11. Col. III. 16. Actor. x. 34. I. Petr. I. 17.
(d) Isa. LIX. 17. I. Thess. v. 8. (e) Coloss. IV. 2. (f) II. Thess. III. 1.

BRU-

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 13. *Et in omnibus perfecti ſtare*. Non facile ſcribas ſublata præpoſitione *in* ablativos abſolute poſitos *omnibus perfectis*, ut nonnulli libri.

Verſ. 15. *In præparatione Evangelii pacis*. Servandus eſt ablativus *præparatione* non ſubſtituendus accuſativus

Verſ. 23. *A Deo patre*. Non addas pronomen *noſtro*.

Notatio.

Verſ. 13. UT *poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare*. Manuſcriptum Germani latum; & textus Gloſſæ ordinariæ, quam a D. Lævinio Torrentino ſcriptam habemus, habent: *Et omnibus perfectis ſtare*, id eſt quod conforme eſt Græcorum codicum, Græcorumque enarratorum lectioni: καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι quam D. Hieronymus κατὰ πόδα reddidit: *Et univerſa operati ſtare*. B. Cyprianus epiſtola ſexta libri 4. ſcribit: *Ut cum omnia perfeceritis ſtetis*. M. N. Auguſtini Hunnæi exemplaria D, & K litteris ſignata habent: *Et in omnibus perfecti ſtare*, hunc forte legendi modum, quem diximus, referentia, *in* præpoſitione ex vulgara lectione redundante. Ceterum, ut habet vulgata lectio, quæ eſt in plerique omnibus Latinis libris, ita expoſuit olim auctor ſcholiorum, quæ in Hieronymi exſtant operibus, unaque Primaſius, Haymo item Auctor Gloſſæ, huiuſque ſchola, atque alii. Quin & Syricum Teſtamentum huic lectioni accedere videtur: ſcribit enim. *Et poſtquam præparati fueritis in omni re, conſiſtatis*. Quod ſi Syrus Latinuſque Interpres præterito paſſivo κατειργασμένοι legerint?

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 2. HONORA PATREM TUUM. Honorandi verbum hoc loco non tam pro revereri & venerari ſumitur, quam pro illis benefacere, & omnem debitam operam præſtare. PRIMUM IN PROMISSIONE, quia primum eſt cui adiecta ſit promiſſio.

V. 6. NON AD OCULUM SERVIENTES; id eſt, non tantum in præſentia ut gratiam dominorum ſimulata animi promptitudine ineatis, QUASI HOMINIBUS PLACENTES, id eſt quaſi hominum tantum inituri gratiam, SED UT CHRISTI SERVI, qui mentis affectum novit.

V. 10. CONFORTAMINI, id eſt roboramini & fortes eſtote.

V. 12. CARNEM ET SANGUINEM, id eſt mortales homines: quo modo Chriſtus ait Petro: *Caro & ſanguis non revelavit tibi*, id eſt nullus hominum. SPIRITUALIA NEQUITIAE, id eſt ſpirituales nequitias, IN CAELESTIBUS, quia in aere, quod cælum dicitur, habitant & dæmones.

V. 13. RESISTERE IN DIE MALO, id eſt difficili tempore quoties obruerint tentationes: vel *in die malo*, id eſt iudicii, qui dicitur dies furoris, ET IN OMNIBUS PERFECTI STARE. Græce καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι, στῆναι, id eſt omnibus perfectis & confectis quibus ad hoc bellum opus eſt, ſtare, & ſubſiſtere poſſitis.

V. 18. INSTANTIA: προσκαρτερήσει, id eſt perſeverantia.

V. 19. NOTUM FACERE, id eſt ut notum faciam.

SA.

Verſ. 1. IN DOMINO, id eſt propter Dominum, ſeu in rebus quæ ſecundum Deum præcipiuntur, ſcilicet honeſtis.

V. 2. IN PROMISSIONE; pro, cum promiſſione, ſcilicet factum.

V. 3. UT BENE, &c. Hæc eſt promiſſio.

V. 4. DISCIPLINA, id eſt eruditione. DOMINI, id eſt ſecundum Dei legem, ſeu voluntatem.

V. 5. CARNALIBUS, quaſi dicat, temporalibus qui ſecundum corpus imperant.

V. 6.

V. 6. AD OCULUM, id est aspectum Domini. PLACENTES: placere studentes.

V. 7. BONA VOLUNTATE, id est benevolentia.

V. 9. EADEM, id est similiter. REMITTENTES, &c. quasi dicat, Ignoscentes, si quid minati sitis; vel, mitius minantes. PERSONARUM, &c. quasi dicat: Qui omnes iudicat nullo respectu dignitatum.

V. 10. CONFORTAMINI, id est roboramini. ET IN. Explicatio praecedentis.

V. 12. ADVERSUS; pro, solum adversus. COLLUCTATIO, id est certamen. CARNEM ET SANGUINEM, id est homines. SED; pro, sed etiam. TENEBRARUM HARUM; pro, tenebrosi huius. Intelliguntur peccatores secundum August. SPIRITUALIA, &c. pro, spirituales nequitias. IN CAELESTIBUS, id est in aere; scilicet versantes. Syr. *qui sub cælo sunt*.

V. 13. MALO, id est periculoso. Vide Psal. XL. OMNIBUS, scilicet rebus.

V. 14. STARE, scilicet in prœlio. IN VERITATE, id est perfecte.

V. 15. EVANGELII, scilicet annuntiandi infidelibus. PACIS, id est pacem afferentis, seu reconciliationem cum Deo.

V. 17. SALUTIS, id est salutarem, scilicet spem, ut alibi dicit.

V. 18. PER; pro, in. IN SPIRITU, id est elevata mente ad Deum. IPSO; pro, eo, scilicet ea re. IN OMNI INSTANTIA, id est attentissime, & diligentissime. SANCTIS, id est Christianis.

V. 19. FIDUCIA, id est libertate.

V. 20. IN IPSO; pro, de ipso.

V. 21. QUAE CIRCA, &c. id est rerum mearum statu. DOMINO, id est Domini negotio.

V. 24. IN INCORRUPTIONE, id est sincere, & pure. AMEN Græc. & Syr. additur. *Missa e Roma per Tychicum*.

MARIANAE.

Vers. 1. HONORA PATREM TUUM, id est illi benefac. PRIMUM IN PROMISSIONE, id est huic mandato in Decalogo primum adiecta est promissio bonorum illud servantibus.

V. 4. ET VOS PATRES. *Vos* in Græco non est, neque in Goteh.

V. 5. SERVI .... IN SIMPLICITATE. Sine simulatione & murmure servi obedite.

V. 6. NON AD OCULUM, id est non in præsentia tantum. Heri

V. 9. EADEM FACITE ILLIS, scilicet servis vos domini, id est gerite vos erga illos, ut æquum est. REMITTENTES MINAS, seu iram, seu offensas.

V. 10. CONFORTAMINI, estote fortes adversus ingruentia.

V. 11. ARMATURAM DEI. Sumite virtutes, Spiritum sanctum.

V. 12. ADVERSUS CARNEM, id est homines, non est nobis colluctatio. *Caro* pro homine, iuxta illud Matth. XVI. 17. *Quia caro & sanguis non revelavit tibi*. CONTRA SPIRITUALIA NEQUITIAE, id est spiritua-les nequitias. IN CAELESTIBUS, id est quæ in aere versantur. *Cælum* pro aere. Syr. *cum spiritibus malis qui sub cælo sunt*, scilicet est colluctatio.

V. 13. ET IN OMNIBUS PERFECTI. Quidam: *Et omnibus perfectis* (id est sumpta armatura omni, πανοπλία) *stare*, id est vincere: sic Græc. Cyprianus Lib. IV. epist. VI. *ut, cum omnia perfeceritis, stetis*. Succincti lumbos.

V. 14. IN VERITATE, quia libido inter vitia præcipue fucum facit, larvam detrahe.

V. 15. IN PRAEPARATIONE, scilicet ut sitis parati ad pugnandum pro Evangelio pacis.

V. 17. ET GALEAM SALUTIS, id est salutarem, nempe verbum Dei.

V. 18. IN OMNI INSTANTIA, seu *perseverantia*, προσκαρτερήσει. vigilate & orate pro me, etiam ut detur mihi loqui

V. 19. IN APERTIONE ORIS MEI CUM FIDUCIA, id est ut aperiam os, & loquar magno & forti animo.

V. 20. PRO QUO LEGATIONE, id est pro quo Evangelio, & eius promulgatione mihi delegata, hac catena vinctus sum.

V. 21. TYCHICUS. Unus erat e septuaginta, & Paulum fuerat comitatus Act. XX. 3. & Romam cum eo venisse videtur: nunc cum hac epistola Ephesum remittitur.

V. 24. IN INCORRUPTIONE, id est incorrupta sit gratia & perpetua: *absque corruptione*, ut Syr. habet *sit*, scilicet gratia, quam vobis opto, & qua vos saluto.

MENOCHII.

Vers. 5. DOMINO, id est Domini amore, & reverentia. Hoc ENIM IUSTUM EST: ut a quibus vitam acceperimus reverentiam reddamus, & obedientiam.

V. 2. MANDATUM PRIMUM IN PROMISSIONE, id est cum promissione; primum mandatum cui adiuncta sit expressa, & specialis promissio.

V. 3. UT BENE SIT TIBI, &c. hoc est, ut feliciter, ac diu vivas super terram. Hæc sunt verba promissionis mandato adiunctæ.

V. 4. AD IRACUNDIAM PROVOCARE: asperitate, minis, nimiis verberibus, aut plus ab illis operis exigentes, quam par est. EDUCATE ILLOS IN DISCIPLINA ET CORREPTIONE DOMINI: dantes eis Christiana monita, quibus modum bene, & Christiane vivendi addiscant.

V. 5. CARNALIBUS, id est temporalibus. CUM TIMORE, ET TREMORE: magna reverentia dominos vestros prosequentes. Vel intelligit timorem Christi iudicis, quod ex cap. III. ad Coloss. vers. 22. colligitur, ubi habet, *Timentes Deum*. IN SIMPLICITATE CORDIS VESTRI, SICUT CHRISTO, id est recto, & simplici corde, tamquam serviatis Christo, qui omnia videt, etiam occulta cordis.

V. 6. NON AD OCULUM SERVIENTES: non ut facere solent ii, qui præsentibus tantum dominis obsequuntur, absentes aspernantur. QUASI HOMINIBUS PLACENTES: quasi nihil aliud spectetis, quam hominum offensam cavere, & illis placere. FACIENTES VOLUNTATEM DEI EX ANIMO; id est, sincere, & ex animo facite ea quæ Deus præcepit.

V. 7. CUM BONA VOLUNTATE: μετ᾽ εὐνοίας, cum benevolentia, benevole, amice.

V. 9. EADEM FACITE ILLIS: exhibite similem humanitatem. REMITTENTES MINAS: minis parcentes. SCIENTES QUIA ET ILLORUM, &c. scientes quod communem Dominum, & iudicem habetis vos, & illi. ET PERSONARUM ACCEPTIO NON EST APUD EUM: non personas respicit, sed merita, non opes aut potentiam timet, quibus divites in hac vita tenuiores homines premunt.

V. 10. CONFORTAMINI IN DOMINO: vires sumite contra omnes diaboli, mundi, & carnis tentationes. IN DOMINO: divino auxilio. IN POTENTIA VIRTUTIS EIUS: in potenti virtute eius.

V. 11. INDUITE VOS ARMATURAM DEI: πανοπλίαν, universum armorum apparatum: quænam sint hæc arma paulo post explicat. UT POSSITIS STARE, &c. ut resistere possitis Diaboli insidiis, & petitiones illius irritas reddere.

V. 12. ADVERSUS CARNEM ET SANGUINEM: adversus homines. PRINCIPES, ET POTESTATES: per Principes intelligit eos dæmones qui fuerunt in ordine Angelorum, qui dicitur Principatus, sicut Potestates eos qui fuerunt in eo qui dicitur Potestates. MUNDI RECTORES, &c. dæmones intelligit, qui in inferiori hoc aere, & caliginoso principatum exercent, procellas, turbines, ventos, imbres, grandines ciendo. Vel per tenebras has intelligit Apostolus impios, in quibus hic mundi rector potissimum dominatur, quos veluti arcem per tyrannidem occupatam hic fortis armatus acerrime custodit. CONTRA SPIRITUALIA NEQUITIAE IN CAELESTIBUS, id est contra spirituales nequitias, id est dæmones nequam, qui in sublimibus habitant locis, hoc est in aere.

V. 13. IN DIE MALO, id est periculoso tempore scilicet tentationis, præsertim contra adversarios fidei. ET IN OMNIBUS PERFECTI STARE: καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι, *ut postquam omnia perfeceritis stare possitis*: quare aliqui putant in vulgata Latina legendum esse, *& omnibus perfectis stare*; quasi dicat, Sicut miles nihil non facit, quo possit resistere, ac suam tueri vitam; ita nobis omnia sunt facienda ut parati simus, & ingruente tentatione possimus resistere. Vulgatæ nostræ sensus eodem recidit, nam *perfecti* idem est, quod perfecte instructi ad pugnandum, & resistendum.

V. 14. STATE ERGO SUCCINCTI LUMBOS VESTROS IN VERITATE. *In veritate*. Hæc est prima pars armaturæ Christiani militis, scilicet baltheus. Per veritatem aliqui intelligunt fidelitatem, & integritatem. Alii ipsius veritatis robur in propugnanda fidei doctrina, spiritualem hunc baltheum esse volunt. INDUTI LORICAM IUSTITIAE. Iustitiam intelligit non specia-

cialem, quæ ius ſuum cuique reddit, ſed generalem, quæ eſt completio omnium virtutum; hæc enim ut lorica, totum hominem obarmat, & omni ex parte communit.

V. 15. CALCEATI PEDES IN PRAEPARATIONE EVANGELII PACIS. Sermo eſt de militaribus calceamentis, nam agitur de panoplia militis Chriſtiani. Videtur autem calceus militaris conſtantiam, confidentiamque ſignificare; nam qui nudis pedibus ingreditur, timide, & gradu ſuſpenſo progreditur; contra vero calceatus intrepide, & audacter. IN PRAEPARATIONE EVANGELII: alacres, & prompti ad ambulandum viam Evangelii, eius præceptis obediendo, & conſiliis adhærendo; vel prædicationem annunciando. EVANGELII PACIS: pacem, id eſt proſperitatem, & bona omnia ſecum afferentis, ac præſertim pacem cum Deo, cum conſcientia noſtra, & cum proximis.

V. 16. IN OMNIBUS SUMENTES SCUTUM FIDEI: vult enim, ut notat D. Hieronymus, nos in omni tentatione, & opere geſtare clypeum fidei, eoque venientes diaboli ſagittas, & ſuggeſtiones excipere, & retundere. TELA NEQUISSIMI IGNEA: iacula variarum tentationum a Diabolo immiſſa, quibus ille corda hominum incendit, & inflammat ad peccandum.

V. 17. ET GALEAM SALUTIS ASSUMITE: galeam ſalutarem, quæ caput a periculis ſervet immune. In Græco eſt περικεφαλαίαν σωτήριον, *galeam ſalutaris*, vel ut alii vertunt *Salvatoris*, id eſt Salvatorem ipſum aſſumite pro galea. Quid per galeam ſalutis intelligat, explicat Apoſtolus primæ ad Theſſal. v. 8. ubi habemus, *Induti loricam fidei, & caritatis, & galeam ſpem ſalutis*. Chriſto ergo ſervatore tamquam galea caput munire nihil aliud eſt, quam omnem ſpem obtinendæ ſalutis, & victoriæ in hoc periculoſiſſimo certamine, in Chriſto ſalvatore noſtro figere, vitamque noſtram illi protegendam committere, partam ſalutem, reportatamque victoriam huic protectori acceptam referre. ET GLADIUM SPIRITUS: & ſpiritualem gladium aſſumite. Hactenus deſcripſit arma quibus ſe miles Chriſtianus muniat, & protegat, nunc addit gladium, quo inviſibilem hoſtem laceſſere, oppugnare, & ferire poſſit. QUOD EST VERBUM DEI: gladio verbi Dei dæmonis iugulum petimus, & ferimus, cum Evangelici verbi prædicatione victus fortis hic armatus, ſpoliis exuitur, cum infidelium, aut peccatorum præda illi eripitur, & in Chriſti caſtra convehitur.

V. 18. PER OMNEM ORATIONEM, &c. Senſus eſt, & hæc facite multis orationibus, & obſecrationibus Deum aſſidue precantes, ut nos pugnantes adiuvet, & victores faciat. IN SPIRITU: orantes non ſolum voce, ſed cordis affectu. ET IN IPSO VIGILANTES: & ad hoc ipſum ut aſſidue Deum oretis in Spiritu, vigilantes, magna cum inſtantia, ſedulitate, & perſeverantia.

V. 19. PRO OMNIBUS SANCTIS: fidelibus omnibus. UT DETUR MIHI SERMO, &c. quaſi dicat: Ut Deus aperiat os meum, & inſpiret ſermones quos loquar, ut cum fiducia, id eſt libertate evangelizem.

V. 20. PRO QUO: Evangelio. LEGATIONE FUNGOR: Chriſti legatus, & præco apud Gentes. IN CATENA. Hinc patet hanc epiſtolam Roma e carcere ſcriptam eſſe. ITA UT IN IPSO, ſcilicet Evangelio prædicando. AUDEAM: libere agam, & audacter prædicem Evangelium. PROUT OPORTET ME LOQUI: tamquam legatum ſummi Dei, quem decet libere & intrepide loqui.

V. 21. QUAE CIRCA ME SUNT: quæ ad me pertinent, quomodo res meæ habeant. QUID AGAM: in carcere conſtitutus. MINISTER IN DOMINO, id eſt in his quæ ad Chriſtum Dominum pertinent. In Græco pro miniſter, eſt διάκονος, vel, quod illo ordine Tychicus initiatus eſſet, vel certe ſimpliciter diaconum poſuit pro quolibet miniſtro, & adiutore.

V. 22. QUAE CIRCA NOS SUNT, id eſt quis ſit rerum noſtrarum ſtatus. ET CONSOLETUR CORDA VESTRA: ne animis deficiatis ob tribulationes meas, quas pro vobis, & pro Evangelio patior. Pro *conſoletur*, in Græco eſt παρακαλέσῃ: quod verti etiam poteſt, *exhortetur*.

V. 23. PAX FRATRIBUS, &c. ſubaudi, ſit, vel augeatur, ac multiplicetur.

V. 24. GRATIA CUM OMNIBUS, id eſt ſit cum omnibus. IN INCORRUPTIONE, id eſt incorrupte, ſincere, pure.

TI.

TIRINI.

Verf. 1. **F**ILII OBEDITE PARENTIBUS IN DOMINO, id eſt conformiter legi & voluntati divinæ, ſcilicet in omnibus quæ non repugnant mandatis vel conſiliis, vel, ut Oecumenius loquitur, divino cultui & pietati.

V. 2. QUOD MANDATUM de parentibus honorandis *a*, PRIMUM EST IN, ſeu cum, adiuncta ſpeciali PROMISSIONE nobis traditum, nempe hac,

V. 3. UT BENE SIT TIBI, id eſt ut proſpere ac diu VIVES: ita enim uſu venit ut plurimum. Alias aliunde fit compenſatio.

V. 5. SERVI OBEDITE DOMINIS CARNALIBUS, qui dominantur corpori veſtro, & rebus veſtris externis, CUM TIMORE ET TREMORE, id eſt cum ſolicita reverentia. Nam ſervilem metum conſtat non probari, ne quidem in mancipiis.

V. 6. QUASI VOLUNTATEM & præceptum DEI FACIENTES EX ANIMO & ſincere, *ſimplici* & recta intentione; ſtudentes in perſona dominorum ſervire & placere Deo, cuius illi locum repræſentant.

V. 9. ET VOS DOMINI viciſſim EADEM, ſeu paria, FACITE ſervis, nempe proportionaliter; facile REMITTENTNS MINAS ſi quas ſubinde ex ſubita & indiſcreta ira minati eſtis.

V. 11. INDUITE VOS ARMATURAM DEI. Græce, πανοπλίαν, id eſt univerſum armorum apparatum a Deo ſubminiſtratum, non ſolum

V. 12. ADVERSUS CARNEM ET SANGUINEM, id eſt homines, quorum fragiles & exiles ſunt vires, SED & ADVERSUS potentiſſimos dæmones, qui vocantur PRINCIPES, ſeu principatus, ET POTESTATES. Nam etiam ex illis angelorum ordinibus plurimos cecidiſſe quis miretur, cum ceciderit ex primo ordine caput & princeps omnium Lucifer? SPIRITUALIA NEQUITIAE, id eſt ſpirituales nequitias, ſeu, nebulones vocat eoſdem dæmones qui IN CAELESTIBUS, id eſt ſublimibus locis, ſeu in aere degunt. Nam teſte S. Hieron. communis eſt Patrum opinio, aerem iſtum plenum eſſe dæmonibus, in eoque procellas, turbines, tempeſtates quibus noceant hominibus, non raro ciere: ſervato etiamnum inter ſe ordine ſuo naturali, ut inferiores ſcientia & nequitia ſubſint ſuperioribus, quo poſſint commodius & acrius bellum hominibus inferre. Alioqui finito iſto bello, & ſublato fine, ob quem in hunc ordinem conſpirant, veriſimile eſt, nullum amplius alteri pariturum in inferno. Et hoc inſinuare videtur S. Paulus cum alibi ait *b*, in extremo iudicio *evacuandum omnem principatum & poteſtatem & virtutem*. Et ita docet S. Chryſoſt. (ut & Molina *c* & alii Doctores:) ſubdens: *Si tales adverſum nos inſtructæ ſunt acies, ſi incorporales*, ſi ſpiritales, ſi inviſibiles *principatus*, *ſi* rectores & *domini mundi*, *ſi principes tenebrarum*, ſi nebulones & verſutiſſimi & nequiſſimi, ſi fraudibus & inſidiis & telis ſpiritualibus inſtructiſſimi, bello nos impetunt irreconciliabili; *quomodo, dic quæſo, deliciaris? quomodo inermis ſuperabis?*

V. 13. PROPTEREA ACCIPITE quam vobis do, & induite ARMATURAM de qua ſupra *d*, UT tot tantiſque hoſtibus POSSITIS illæſi RESISTERE IN DIE MALO *e*, id eſt tempore periculoſo, difficili, triſti, nempe cum tentationes ingruent: ET IN OMNIBUS PERFECTI, id eſt ab omni parte ſpiritualibus armis probe inſtructi, STARE adverſus omnes omnium hoſtium incurſus & inſultus: ita Syrus, Hieron. Chryſoſt. Ambroſius.

V. 14. SUCCINCTI LUMBOS IN VERITATE, id eſt pro blatheo, qui lumbos ſtringat, latera roboret, corpus exornet, ſit vobis *veritas*, tum doctrinæ, tum morum; ſpeculativa & practica; maxime vero quæ motum libidinis (cuius prima radix in lumbis eſt) coerceat & comprimat: ita idem Hieron. Chryſoſt. & Theophyl. Alludit enim ad illud Iſaiæ *f*: *Erit fides*, ſeu veracitas, *cinctorium renum eius*. Pro *lorica* ſit *iuſtitia*, & iuſta ſeu ſancta opera, quibus cor & pectus undique obarmetis.

V. 15. *Calcei* militares, id eſt ocreæ, ſint *præparatio*, id eſt animus paratus, promptus, expeditus ad *Evangelium* PACIS baiulum, ſeu amplexandum & vita exprimendum, ſeu ad alios deferendum; ita Chryſoſt. & Theophylactus. Qui enim ocreatus incedit, audacter, intrepide, expedite, progreditur; cum qui nudis eſt pedibus, ægre, timide, tarde, nec niſi ſuſpenſo gradu incedat.

V. 16. SCUTUM, ſeu clypeus, ſit *fides* ſolida & conſtans, per ſpem firmata, per ca-

caritatem formata. Tali enim clypeo TELA seu iacula OMNIA hostis vestri quantumvis NEQUISSIMI ac versutissimi, IGNEA, id est instar ignis penetrantia, & cor inflammantia, impune excipietis, immo *extinguetis*.

V. 17. *Galea* sit *salus* animæ sperata, vel, ut alibi *g* ait, *spes* SALUTIS æternæ: ita Anselmus. *Gladius* SPIRITUS, seu spiritualis, sit VERBUM DEI, quo possitis ipsos hostes lacessere, impugnare, sternere, iugulare, spoliis *h* exuere, dominio privare, &c. exemplo Christi *i*, & Sanctorum, ut etiam de S. Paula pulchre demonstrat S. Hieron. k Nec tamen sat est militi, armis instructum esse; debet insuper assidue vigilare, debet & a duce suo instrui rebus omnibus corporis fovendo roborandoque necessariis. Quare & vos quoque

V. 18. *Oratione & obsecratione* non solum voce, sed SPIRITU, id est, magno cordis affectu, cum OMNI INSTANTIA deposcite a Deo quæcumque necessaria sunt, VIGILANTES ET ORANTES OMNI TEMPORE *l*, id est assidue, quantum per alia negotia licebit, (inquit Anselmus) & necessitas postulabit. Alioqui sat est, stata orandi tempora servare per diem, ut S. Augustinus *m* docet.

V. 4. IN INCORRUPTIONE, id est cum integritate, puritate & sinceritate amoris, instar castissimæ ac fidissimæ sponsæ, inquit Anselmus.

(a) Matth. xv. 6.
(b) I. Cor. xv. 24.
(c) Chrysost. hic in morali ho. xxii. Molina & alii in 1. p. q. cix.
(d) Hic vers. 11.
(e) Ps. xl. 1.
(f) Isaiæ xi. 5.
(g) I. Thess. v. 8.
(h) Lucæ xiii. 22.
(i) Matt. iv. 4. &c.
(k) Hieron. in epitaphio Paulæ.
(l) Lucæ xvi. 1.
(m) Aug. hæresi 57. contra Euchitas.

GORDONI.

Vers. 1. & 2. FILII. Primum quod commendat est ut filii honorent patres: tria addit, IN DOMINO, ut par est, secundum Dei leges. IUSTUM EST. Hi vitam dederunt, vos reddite obedientiam MANDATUM PRIMUM IN PROMISSIONE, nempe cui est adiuncta statim promissio, ut sis longævus, &c. primum est mandatum secundæ tabulæ.

V. 4. ET VOS PATRES. In filios sine asperitate nimia, aut nimia exactione laboris; sic educatio in timore liberali & Christiano. Peccant multum patres, alii in nimia indulgentia; alii in nimia severitate qua obtundunt ingenia, & reddunt servilia. Maximus est thesaurus bona educatio.

V. 5. 6. & 7. SERVI. Carnales domini: temporales intellige: recto & simplici animo servite. NON AD OCULUM, quasi tantum ut placeas homini, aut vites pœnam. CUM BONA VOLUNTATE, benevole: nam (vers. 8.) etiam servis est meritum apud Deum. Similia dicit de dominis vers. 9. Nam & ipsi habent dominum, qui simul iudex est, nec admittit acceptionem personarum: non respicit personam, sed merita; non opes aut potentiam.

V. 10. & 11. CONFORTEMINI. Adhortatur iam ad sacram militiam Christiani hominis, & pugnam pro iustitia contra hostes. Opus est omni armatura, quam pie orantibus subministrabit Deus. Neque levis est hæc militia: (vers. 12.) certatur enim non quidem contra homines, quales vos estis, & facile vinci possunt; sed adversus mundi rectores, tenebrarum, seu hominum potentium viribus, & in tenebris peccatorum versantium. Item contra Dæmones & nequitias spirituales.

V. 14. Designat arma, scutum, loricam, &c. pro baltheo sit veritas doctrinæ, pro lorica, vita honesta. Clypeus est fides. præparatio animi per calceatos: spes galea; verbum Dei gladius; cum frequenti oratione ad Deum. Hæc & similia ad mores transferre cuivis facile est.

EPI-

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD PHILIPPENSES.

PHILIPPENSES primi inter Macedonas ad fidem Christi conversi, in ea tuenda, & in Pauli dilectione constantissimi fuerunt; pseudo-apostolos ne audire quidem voluerunt. Certiores facti Apostolum Romæ esse in vinculis, Epaphroditum una cum muneribus misere, qui eum suo nomine salutaret & consolaretur. Epaphroditus longi itineris molestias perpessus, Romæ in morbum incidit; postquam is convaluit, ad suos rediit cum hac Epistola, in qua Philippensibus gratias agit Paulus; iisque gratulatur de perseverantia in fide, constantia in persecutionibus perferendis, de pseudo-apostolorum contemptu; eosque ad virtutes omnes, humilitatem imprimis, mutuam dilectionem, & Dei timorem sic adhortatur, ut hæc Epistola ubique hunc amorem spiret, quo ipse ardebat Apostolus.

bi ab adversariis: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc a Deo: 29. quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini: 30. idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me.

(a) Ephes. IV. 1. Col. 1. 10. I. Thess. II. cap. XII.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 14. *Et plures e fratribus in Domino, confidentes vinculis meis.* Primum & copulativum non oportet mutare in *ut*, nec præponere *in* præpositionem nomini *vinculis*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. EPISCOPIS ET DIACONIBUS. Episcopos hoc loco presbyteros vocat: nam Actorum xx. iidemque Ephesinæ Ecclesiæ ministri presbyteri vocantur & Episcopi.

V. 3. GRATIAS AGO, &c. gratias, inquit, ago Deo meo in omni memoria vestri; id est semper iugem vestri memoriam habens super communicatione vestra in Evangelio; vel ut Græci habent εἰς τὸ εὐαγγέλιον, id est *in Evangelium*; id est, super beneficentia vestra quam hactenus ex quo credidistis, in Evangelium, & Evangelii ministros contulistis; vel ut etiam Græca schol. exponunt, super *communicatione vestra in Evangelio*, id est super eo quod cum aliis nationibus communicastis & participastis in Evangelio apprehendendo.

V. 7. SICUT IUSTUM EST; id est, sicut æquum est me de vobis existimare, QUOD VOS IN CORDE HABEAM, id est mihi amicissimos, & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Evangelii, gaudii mei socios, & consortes. Nam hic *to esse* superfluit, ut sæpe Græcis τὸ εἶναι; id est, cum noverim vestram constantiam in Evangelii defensione, iure existimare debeo vos a Deo nequaquam deserendos; quin immo confidere, quod quæ bona in vobis cœpit operari, perseverabit usque in adventum Christi.

V. 8. *Esse* IN VISCERIBUS CHRISTI, id est intime a Christo amari. Græci non habent verbum esse, & ita exponunt, testis est mihi Deus, quod vos omnes amem in visceribus Christi, id est amicitia quæ est in Christo.

V. 9. & 10. IN OMNI SCIENTIA ET SENSU, ORO, inquit, ut caritas vestra invicem magis ac magis abundet, *in omni scientia & sensu*, id est cum perfecta discretione & iudicio, UT PROBETIS POTIORA & *meliora*; id est, ut Græci dicunt, nequando amicitia iungamini cum hæreticis & improbis: quidam interpretantur scientiam, mysteriorum cognitionem: sensum, rerum agendarum prudentiam.

V. 13. ITA UT VINCULA MEA MANIFESTA FIERENT, celebria, IN CHRISTO: quidam interpretantur in Christo per Christum: ut vincula mea non obscuro loco manserint, sed per Christum manifesta facta sint, qui vult non latere fideles suos testes: alii exponunt, ut vincula mea in Christo, id est quæ ob Christum patior, manifesta fierent in prætorio & palatio Neronis, ac ceteris omnibus locis: adeo ut meo malo, & exemplo confirmati fratres liberius Evangelium prædicarent, licet alia & alia ratione. Quidam enim per invidiam volentes sibi discipulos facere, & tot in dies Paulo accedere invidentes, quidam ex contentione, ut Paulo inimicum Neronem faceret, tamquam huius prædicationis auctori: unde ait vers. 18. EXISTIMANTES PRESSURAM SE SUSCITARE VINCULIS MEIS, id est præter vincula & carceres, variis me oppressionibus affligere.

V. 18 QUID ENIM? sub. mea refert, dummodo Christus annuncietur, quacum-

que

que id ex causa fiat, sive mei odio, sive invidia.

V. 19. & 20. Scio ENIM QUIA HOC; id est, scio quod & invidia & odium eorum qui Christum prædicant, mihi cessura sunt in bonum: si quidem vestris me orationibus adiuveritis, & per eas spiritum Iesu mihi impetraveritis secundum expectationem & spem meam, id est prout valde expeto & certo confido: QUIA IN NULLO CONFUNDAR; id est, nullius me rei pudebit ob Christum, quinimmo cum omni fiducia & constantia sicut hactenus a me factum, magnificabitur Christus, id est gloriosus prædicabitur in corpore meo, SIVE PER MORTEM, SIVE PER VITAM; id est, sive mihi mortem procurarint adversarii tunc in corpore meo, per constantem mortis tolerationem magnificabitur Christus: sive eorum odia & insidias evasero, magnificabitur etiam in eodem corpore Christus, quod abeorum insidiis toties liberaverit.

V. 21. MIHI ENIM VIVERE CHRISTUS EST; id est, quod vivo, propter Christum & per Christum vivo, sicuti ad Galat. ait. Quod enim vivo in carne, in fide vivo filii Dei: vita enim mea Christus est, mori autem lucrum; id est, mortem lucro ducam per quam ab iis assertus miseriis æternum cum Christo vivam.

V. 22. QUOD SI VIVERE IN CARNE; id est, quod si vita mea fructum allatura est per Evangelicam prædicationem (ne quis vitæ illum tædio teneri putaret). ET, id est, etiam QUID ELIGAM IGNORO, quinimmo coarctor & angustior utrum de duobus malim: una ex parte cupiens per mortem dissolvi & esse cum Christo, quod (si mea tantum commoda specto) multo mihi melius est: alia autem ex parte permanere in carne necessarium propter vos, id est vitam meam necessariam vobis puto; quapropter confido me servatum iri vobis AD PROFECTUM VESTRUM, id est ut proficiatis, ET GAUDIUM FIDEI *vestræ*; id est, ut de vestra invicem fide gaudeamus ET UT GRATULATIO VESTRA IN ME, sive ut Græci dicunt καύχημα, id est *gloriatio*, ABUNDET IN CHRISTO IESU; id est, ut abunde mihi gratulari, vel de me in Christo gloriari possitis per meum adventum, quod vestri gratia servatus sim & liberatus.

V. 27. DIGNE EVANGELIO, id est quem admodum par est viros Evangelicos. QUIA, id est quod.

V. 28. QUAE EST ILLIS CAUSA, &c. id est, quod vos terrent & affligunt, perditionis illis causa est, vobis salutis, & hoc Dei gratia, qui vobis dedit non solum ut Christo credere, sed ut pati pro eo possitis: idem certamen habentes, id est eandem pro Christo tribulationem expectamus, qualem me sustinere vidistis & audistis.

S. A.

EXponit suarum rerum statum. Hortatur ad perseverantiam in incepto, & invehitur in Iudaizantes.

V. 1. IN CHRISTO, id est per Christum. EPISCOPIS, id est presbyteris, nec enim in una civitate plures Episcopi: Hieron.

V. 3. IN OMNI, &c. id est quoties vestri recordor.

V. 5. SUPER, &c. Iunge cum *gratias ago*. COMMUNICATIONE, id est participatione. A PRIMA, &c. quasi dicat, In quo perseveratis, ex quo illud recepistis.

V. 6. CONFIDENS, id est persuasus. DIEM, scilicet adventus.

V. 7. MIHI IUSTUM, id est æquum est. GAUDII. Græc. *gratiæ*. VOS ESSE, scilicet optans.

V. 8. CUPIAM OMNES VOS, id est vos amem. IN VISCERIBUS, id est per caritatem.

V. 9. OMNI, id est perfecta. SENSU, id est intelligentia.

V. 10. PROBETIS, id est eligatis. OFFENSA, id est peccato. IN; pro, usque in.

V. 11. PER IESUM, id est per gratiam Iesu.

V. 12 MAGIS AD; pro, ad maiorem.

V. 13. IN CHRISTO, id est ad Christi gloriam. IN OMNI, &c. quasi dicat, Per omnia tribunalia: vel tota Imperatoris domo. CETERIS, quasi dicat, Immo per totam urbem.

V. 14. FRATRIBUS IN DOMINO, id est Christianis. CONFIDENTES, &c. quasi dicat, Fiducia accepta, quod me viderent libenter vincula pati.

V. 15. INVIDIAM, scilicet volentes excellere, & mihi anteponi: August.

V. 17. EX CONTENTIONE, id est studio con-

contentionis, scilicet velut qui contendunt superare; vel, ut contentiones excitent in urbe, meque in periculum coniiciant. PRESSURAM, id est periculum, seu afflictionem.

V. 18. OMNI, id est quovis. OCCASIONEM, scilicet quærendi gloriam, vel nocendi. VERITATEM, id est animi sinceritatem.

V. 19. SUBMINISTRATIONEM, id est auxilium.

V. 20. FIDUCIA, idest libertate. MAGNIFICABITUR, idest glorificabitur.

V. 21. MIHI ENIM VIVERE; pro, mea vita. CHRISTUS, id est Christo servire. LUCRUM, scilicet æternæ vitæ.

V. 22. OPERIS, id est laboris pro Christo. ET QUID; pro, tamen quid.

V. 23. COARCTOR, id est dubius hæreo, quid potius eligam. MULTO; pro, quod multo.

V. 25. CONFIDENS, id est persuasus. OMNIBUS, &c. id est vestræ omnium utilitati. GAUDIUM, id est victoriam; vel quasi dicat, Consolationem mutuam de fide vestra.

V. 26. VESTRA, id est de vestro profectu.

V. 27. COLLABORANTES, &c. id est una laborantes pro fide Evangelica.

V. 28. QUAE, scilicet quod vobis adversantur. CAUSA. Græc. *iudicium*.

MARIANAE.

Vers. 1. PAULUS ET TIMOTHEUS. Iungit Timotheum sibi in Epistolis, quas Romæ vinctus scripsit, ut auctoritatem illi conciliet, & ut benevolentiam erga eum ostendat. SANCTI ..... QUI SUNT PHILIPPIS. Urbs Macedoniæ, quam Alexandri pater Philippus ereptam Illyriis, & a se instauratam *Philippos* vocavit. Ante vocabatur *Crenida*. *Dathus* etiam vocabatur. Dives auri venis, unde ipsi mille talenta annua auri. Sic proverbium, Δάθος ἀγαθῶν, ob eius felicitatem. CUM EPISCOPIS. In una urbe plures Episcopi non sunt; sed *Presbyteros* vocat *Episcopos*, ut Act. xx. 28. Ephesiorum Presbyteros sic vocavit. Ita Syr. pro *Episcopis* hic *Presbyteris* posuit. ET DIACONIBUS. Inflectitur *Diaconus* & *Diacon* in secunda & tertia declinatione.

V. 3. GRATIAS AGO, id est semper vestri memoriam habens, ago Deo gratias, ob communicationem : idest beneficentiam vestram.

V. 5. IN EVANGELIO. Græc. *in Evangelium*, idest Evangelii ministros aut cultores. Seu per *communicationem* intellige participationem in Evangelio cum aliis nationibus. A PRIMA DIE, scilicet vestræ controversionis usque nunc.

V. 7. CONFIDENS HOC IPSUM, id est præterea confido, quod in hoc ipso perseverabitis. USQUE IN DIEM CHRISTI IESU, id est diem mortis aut iudicii.

SICUT EST MIHI IUSTUM. De bonis bene sentire æquum est. EO QUOD HABEAM VOS .... SOCIOS GAUDII MEI, quod scilicet concipio ob vestram amicitiam & communicationem. OMNES VOS ESSE. Vox *esse* videtur redundare.

V. 8. TESTIS ENIM MIHI EST DEUS, QUOMODO CUPIAM, id est amem vos ἐπιποθῶ. Syr. IN VISCERIBUS IESU CHRISTI, id est amicitia, quæ propter Christum est. Oro ut abundetis.

V. 9. IN SCIENTIA, ET IN OMNI SENSU, id est prudentia. Ut probetis & approbetis potiora, & eligatis. Quod ad me attinet, eo est perventum,

V. 13. UT VINCULA MEA MANIFESTA FIERENT IN CHRISTO. *Vincula in Christo*, id est propter Christum iniecta celebrarentur inter iudices omnes, & inter alios homines, scilicet populum. Quo exemplo animati

V. 14. PLURES E FRATRIBUS ausi sunt Evangelium prædicare. Non omnes sincera mente, quidam

V. 15. PROPTER INVIDIAM ET CONTENTIONEM, scilicet ut Neronem irritarent contra me. Paulo erant infensi, quod legem abrogaret, nempe ex Iudæis conversi.

V 18. QUID ENIM? scilicet mea refert. Modo Christus annuntiatur, non curo, quo animo id faciant.

V. 19. SCIO ENIM, scilicet quod invidia eorum mihi salutaris erit, si modo vos vestris precibus adiuvatis, & modo, ut spero, Spiritus sanctus mihi adsit. Verum ut semper, sic nunc Christus magnificabitur.

V. 20. IN CORPORE MEO, id est meis cruciatibus. SIVE PER VITAM: sive evasero, sive in illis moriar.

V. 21. MIHI ENIM VIVERE. Vivo ut Christo serviam; alioqui mori mihi satius esset. Quidam sic: Christus est mihi lucrum, sive vivam, sive moriar.

V. 22. QUOD SI VIVERE. Si vita mea est utilis ob fructum prædicationis. ET; pro, sane, nescio quid eligam, vitam an mortem.

V. 23. COARCTOR AUTEM E DUOBUS: quid scilicet eligam. DESIDERIUM HABENS DISSOLVI. Gregorius XXXI. Moral. cap. XXVI. *Sancti cupiunt mortem; & refugiunt.* II. *ad Corinth.* v. 4. *Nolumus spoliari, victoriam considerantes mortem cupiunt, sed mors ipsa amara est. Ægroti avide sumunt poculum quod fastidiunt. Milites in arma ituri, quæ cupiunt, trepidant tamen.* MULTO MAGIS; pro, quod est multo magis melius, est DISSOLVI, id est mori, ET ESSE CUM CHRISTO.

V. 25. SCIO QUIA MANEBO. Hinc colligitur, hanc Epistolam fuisse scriptam in primis vinculis, cum quarto Neronis anno venit Romam; nam secundis non evasit.

V. 26. UT GRATULATIO, sive *gloriatio*, καύχημα, vestra sit maior ob meam liberationem. IN CHRISTO IESU, id est per Christum, eius ope. Restat ut vos

V. 27. CONVERSAMINI, digne, seu *conversemini*, ut Syr. & Gotth. πολιτεύεσθε imperativus, utroque modo verti potest. In nullo terreamini.

V. 28. QUAE ILLIS EST CAUSA: ἔνδειξις *ostensio*, sive *iudicium*. Terror, quo vos adversarii terrent, illis causa seu iudicium perditionis erit, vobis salutis.

V. 30. AUDISTIS, sive *auditis:* sic Græc. & Syr. ἀκούετε, non ἠκούσατε, quod tamen Velesius affert. Ergo, quod de me audistis, & de meo certamine, idem vos præstate.

MENOCHII.

Vers 1. PAULUS ET TIMOTHEUS. Timotheum secum coniungit, non quasi Timotheus sit auctor epistolæ, ut Paulus, sed ut intelligant Philippenses quicquid hac epistola continetur, non modo esse ex Pauli sententia, sed etiam Timothæi. OMNIBUS SANCTIS: omnibus fidelibus in baptismo sanctificatis. CUM EPISCOPIS. Per Episcopos hic Apostolus presbyteros intelligit, ut Chrysostomus & alii explicant. Unde Syrus vertit, *cum Presbyteris, & eorum ministris.*

V. 2. GRATIA VOBIS, &c. supple, multiplicetur.

V. 3. IN OMNI MEMORIA VESTRI, id est quoties vestri recordor. Vel sensus est, Gratias ago Deo quod mei vincti memores estis.

V. 4. CUM GAUDIO, &c. Ordo, & sensus est: gratias ago Deo cum gaudio, eum deprecans, eo quod vobis dederit communicationem in Evangelio Christi.

V. 5. COMMUNICATIONE VESTRA. Intelligit participationem Evangelii, id est fidei, & doctrinæ Evangelicæ. Vel communicatio in Evangelio est participatio laborum, & affectionum quas propter Evangelium Paulus patiebatur. In hoc autem cum Paulo communicabant Philippenses, quia ei compatiebantur, & misso Epaphrodito consolationem, & opem afferre studuerunt.

V. 6. QUIA: quod, ὅτι. QUI COEPIT; scilicet, Deus. OPUS BONUM: communicationem in Evangelio intelligit, de qua num. præcedenti. USQUE IN DIEM CHRISTI IESU, id est, usque ad diem iudicii.

V. 7. SICUT EST MIHI IUSTUM HOC SENTIRE: sic enim æquum est de omnibus vobis sentire, & confidere. PRO OMNIBUS VOBIS, id est de congregatione vestra, de vestra Philippensium Ecclesia. EO QUOD HABEAM VOS IN CORDE: propterea quod insita mihi semper in animo hæret vestræ humanitatis recordatio. ET IN VINCULIS MEIS, &c. me enim absentem, & vinctum omnibus caritatis officiis perinde prosecuti estis, ac si una mecum iisdem vinculis constricti pro Evangelii defensione decertassetis, atque omnino eius beneficii participes effetis effecti, quod nobis divinitus concessum est, ut pro Christi nomine adversa toleremus; hoc enim gaudium esse puto.

V. 8. QUOMODO CUPIAM VOS OMNES, id est amem vos, & cupiam vobis bona contingere. IN VISCERIBUS IESU CHRISTI, id est, ea dilectione, & affectu, quo Christus in visceribus, id est intime, & tenerrime vos, omnesque Christianos amat.

V. 9. ET HOC ORO: a Deo postulo. CARITAS VESTRA ABUNDET, &c. ut caritas

ritas vestra maiora in dies capiat incrementa, & multiplici rerum cognitione exquisitaque scientia rerum fidei, & ad salutem pertinentium perficiatur.

V. 10. UT PROBETIS POTIORA: ut perspicitatis quæ meliora sunt, & ea sequamini. UT SITIS SINCERI: nec misceatis fidem vestram erroribus, hæresibus, aut Iudaismo. ET SINE OFFENSA, ἀπρόσκοποι, tam active, ut scilicet nullum offendatis, quam passive ut scilicet in nullum offendiculum impingatis, quod vos offendat, scandalum intelligit, aut peccatum. IN DIEM CHRISTI; quasi dicat, Et hoc perseveranter usque in diem adventus Christi Domini.

V. 11. REPLETI FRUCTU IUSTITIAE. Fructum iustitiæ vocat opera iustitiæ, vel generalis, quæ complectitur omnem virtutem; vel particularis, id est eleemosynæ, & misericordiæ, quæ nonnunquam in sacris litteris iustitia appellatur, alludens ad eleemosynas sibi a Philippensibus missas; quasi dicat, Oro, ut similibus misericordiæ actibus cumulemini. PER IESUM CHRISTUM; quasi dicat, Quos fructus facimus, & habemus per Christum, eius merita & gratiam. IN GLORIAM ET LAUDEM DEI, id est ut per hæc laudetur, & glorificetur Deus.

V. 12. QUAE CIRCA ME SUNT: quæ mihi Romæ acciderunt, quamvis dura, & gravia. AD PROFECTUM VENERUNT EVANGELII: non modo non retardarunt cursum Evangelii, sed potius illum magis promoverunt.

V. 13. ITA UT VINCULA MEA MANIFESTA FIERENT IN CHRISTO; quasi dicat, Ut manifestum fieret quod propter Christum vinctus sum, non propter æs alienum aut aliquod scelus, quod patraverim, sieque per vincula mea Christi nomen ubique clarescit. IN OMNI PRAETORIO, id est in tota aula Neronis; quasi dicat: Tota aula per mea vincula inaudivit aliquid de fide, & Evangelio Christi. ET IN CETERIS OMNIBUS: locis, plateis, & vicis urbis Romæ.

V. 14. E FRATRIBUS, id est Christianis. CONFIDENTES VINCULIS MEIS: animos, & audaciam sumentes ex eo quod me vinctum pro Christo intrepide agere videbant causam Evangelii. ABUNDANTIUS AUDERENT: magis auderent.

V. 5. PROPTER INVIDIAM: resistentes gloriæ Pauli. ET CONTENTIONEM: studio contentionis, qua cum Paulo de fama, & gloria decertabant; licet Paulus non suam, sed Christi gloriam quæreret. PROPTER BONAM VOLUNTATEM: bene erga me affecti, & erga Evangelium.

V. 16. SCIENTES QUONIAM IN DEFENSIONEM EVANGELII, &c. Quidam ex caritate, qui scilicet propterea amant me, quia sum Christi præco, & veræ doctrinæ propugnator. POSITUS SUM: a Deo sum constitutus.

V. 17. EX CONTENTIONE. Vide dicta vers. 15. NON SINCERE: non pura, & sincera intentione prædicant Christum. PRESSURAM SUSCITARE: novam vexationem, & molestiam addere captivitati meæ.

V. 18. QUID ENIM? Quid igitur? quasi dicat: Ipsi putant me premere, affligere, & pungere; ergo ne vere me premunt, affligunt, & pungunt? Minime. OMNI MODO: quovis modo. SIVE PER OCCASIONEM: εἴτε προφάσει, *sive prætextu* zeli honoi, & studii promovendi Evangelium, cum re vera stimulentur invidia. Vulgatus vertit, *per occasionem*, quia πρόφασις, *& occasionem*, & *prætextum* significat. SIVE PER VERITATEM: sive vere, & sincero animo agant. IN HOC; scilicet quod Christus annuntietur.

V. 19. SCIO ENIM QUIA HOC: eorum scilicet odium, & invidia, quia mihi mœrorem, & Neronis iram conciliare student. AD SALUTEM: vel præsentem, ut a vinculis liberer, vel futuram in æternitate. PER VESTRAM ORATIONEM, ET SUBMINISTRATIONEM, &c. si videlicet vos oretis pro me, & vestra oratione mihi impetretis Spiritum Christi, ut scilicet is mihi copiose subministretur.

V. 20. SECUNDUM EXPECTATIONEM, ET SPEM MEAM: quem Spiritum subministrari mihi magna spe, & desiderio expecto. QUIA IN NULLO CONFUNDAR. Nectendum est hoc membrum cum superioribus: scio quia hoc mihi proveniet ad salutem, nec ulla in re confundar, quia nullius peccati mihi sum conscius, cuius me pudere debeat, nec spes mea frustrabitur me. SED IN OMNI FIDUCIA: παῤῥησίᾳ, *libertate*, *constantia*, sive vivam, sive morti destiner, eadem utar libertate, & constantia. ET NUNC: ita & nunc. MAGNIFICABITUR CHRISTUS: Christum magnificabo,

cabo, & glorificabo illius Evangelium prædicando, & pro illo sanguinem, si opus fuerit, profundendo.

V. 21. Mihi enim vivere Christus est; id est, vita enim mea est Christo servire, & ipse Christus vita ipsa mihi est carior. Et mori lucrum; id est, si vitam contingat profundere pro lucro deputo.

V. 22. Quod si vivere in carne hic mihi fructus operis est; id est, si me adhuc vivere in carne operæ pretium est, fructuosum, & utile multis. Et quid eligam ignoro. Post particulam, &, supp endum aliquid est ut constet sensus. Itaque ex præcedenti versiculo repetendum videtur quod dixit, *& mori lucrum*, hoc ordine, & hac sententia: si vivere in carne est operæ pretium, & alia ex parte mori mihi lucrum est, quid ex hisce duobus eligam ignoro.

V. 23. Coarctor autem e duobus, id est duabus rebus premor, & arctor: hinc desiderio dissolutionis, ut sim cum Christo; inde necessitate permanendi in carne propter vos. Dissolvi, id est moriendi. In Græco est ἀναλῦσαι, quod est navigantium, cum e portu solvunt. Et esse cum Christo multo magis melius; quasi dicat: Ex una parte cupio dissolvi, & esse cum Christo, quia hoc mihi iucundissimum esset.

V. 24. Permanere autem, &c. Sed in hac vita adhuc hærere, & Evangelicis laboribus insistere, quia magis vobis est necessarium, præferendum est privato meo commodo.

V. 25. Et hoc confidens scio, quasi dicat: Persuadens mihi vitam meam vobis esse necessariam scio quod Deus me vobis adhuc conceder, facietque in vita permanere. Hinc patet epistolam hanc scriptam esse e primis vinculis, non e secundis; nam e primis fuit liberatus Paulus, in secundis a Nerone occisus. Et gaudium fidei: ut de fidei incremento tam in vobis quam in alii gaudeatis.

V. 26. Ut gratulatio vestra. In Græco est καύχημα, id est *gloriatio*: ut gloriatio qua gloriamini, & vobis gratulamini, quod per me sitis ad fidem conversi. Abundet in Christo Iesu: crescat Christo bene iuvante. In me: de me vinculis liberato, & vobis reddito.

V. 27. Tantum digne Evangelio, &c. quasi dicat: Tantum moneo in præsentia, ut vita vestra Evangelio respondeat. Quia: quod Statis in uno spiritu, id est perseveratis in pari religionis, ac mutuæ caritatis studio, ac fervore. Collaborantes fidei Evangelii: vos mutuo adiuvantes in certamine pro fide Evangelii.

V. 28. Ab adversariis: qui Christi fidem persequuntur. Et hoc a Deo: ipso Deo auctore bonos promovente, & malos puniente. Vel, *hoc a Deo*, nempe quod pro Christo patiamini.

V. 29. Vobis donatum est, &c. egregium enim Dei munus est pro Christo pati. Pro Christo: ὑπὲρ Χριστοῦ, quod Photius, & Oecumenius Græci auctores positum volunt pro ἀπὸ Χριστοῦ, *a Christo*. Vel est hyperbaton ita ordinandum. Vobis donatum est, ut non solum in Christum credatis, sed etiam ut pro Christo patiamini. Syrus eodem sensu clare ita vertit, *Et hoc a Deo ipso datum est, ut non solum in credendo credatis Messiæ, sed etiam pro illo patiamini.*

V. 30. Idem certamen habentes, &c. Idem certamen certatis pro Evangelio, quia pro eo persecutiones, exilia, carceres, bonorum rapinas, &c. passi estis. Quale et vidistis in me: quale vidistis olim me sustinentem Philippis. Et nunc audistis: ἀκούετε, *auditis*, scilicet, me Romæ patientem.

T I R I N I.

Vers. 1. Timotheus litteris Pauli anno præterito evocatus *a*, ante hiemem Romam excurrerat: unde tam ipsius, quam suum nomen præfigit Paulus tum his, tum aliis ad Colossenses, Thessalonicenses, & ad Philemonem sub idem tempus datis litteris, ut omnibus constaret, hæc conscribi ex utriusque sententia. Cum Episcopis et diaconibus. Syrus, *cum presbyteris eorumque ministris*. Simili modo in Actis *b* Apostolorum, *maiores natu Ecclesiæ* vocat *Episcopos*. Licet enim simplices sacerdotes semper fuerint Episcopo inferiores ut iurisdictione, ita & dignitate ac potestate: (neque enim poterant vel Ordines sacros conferre, vel Confirmationis Sacramentum administrare, quæ iure di-

divino solis Episcopis proprie dictis con. veniunt:) olim tamen nomina *Episcopi*, id est inspectoris, & *presbyteri*, id est senioris, communia erant omnibus sacerdotibus: quorum etiam communi consilio & sententia regebantur Ecclesiæ: quin & in Conciliis aliquamdiu cum ipsis Episcopis consederunt, & sententiam dixerunt: donec erescente æmulatione, in ordinem redacti sunt, solique Præsuli cuiusque Ecclesiæ nomen *Episcopi* cum dignitate relictum. Vide Chrysost. Theophyl. & Baronium.

V. 5. SUPER COMMUNICATIONE; id est, quia etiam vos participes facti estis fidei & doctrinæ & gratiæ Evangelicæ, hoc nomine *gratias ago Deo*, A PRIMA DIE qua cœpi vos nosse & pro filiis meis complecti;

V. 7. EO QUOD vos, vestræque humanitatis memoriam continuo HABEAM IN CORDE altissime defixam; neque ipsa *habeam vos* etiam SOCIOS IN VINCULIS MEIS, partim per compassionem, partim per auxilia & solatia vincto mihi manibus Episcopi vestri transmissa: *socios* item IN DEFENSIONE ET CONFIRMATIONE EVANGELII, quod una mecum propugnatis & promovetis pro virili vestra: quæ omnia mihi causa sunt extremi GAUDII ac solatii.

V. 8. CUPIAM; Syrus, *amem*, VOS IN VISCERIBUS CHRISTI: id est, eo affectu viscerali quo Christus intime vos, omnesque Christianos amat: ita Chrysost. & Theophyl.

V. 9. ORO, & a Deo vobis deposco quod utilissimum vobis est, & maxime necessarium. Primo, *abundantiam scientiæ & sensus*, seu intelligentiæ mysteriorum fidei & rerum ad salutem pertinentium, & quidem tantam, UT PROBETIS POTIORA; id est, ut possitis bona a malis, & meliora a vilioribus secernere & seligere: UT SITIS SINCERI, sine admixtione iudaismi, hæreseωn vel aliorum errorum; ET SINE OFFENSA, seu offendiculo (activo vel passivo); quasi dicat: Inoffenso cursu pergatis & perseveretis usque IN DIEM adventus CHRISTI. Secundo, *caritatis* Dei & proximi continuum incrementum. Tertio,

V. 11. REPLEAMINI FRUCTU IUSTITIAE; id est, multiplici & copioso proventu bonorum operum iustitiæ, misericordiæ, &c. Neque velim turbari vos vel offendi vinculis meis: nam

V. 12. QUAE CIRCA ME SUNT; id est, quæcumque mihi acciderunt hucusque, etsi dura & gravia, non modo cursum EVANGELII non retardarunt, aut nocuerunt, sed potius AD PROFECTUM VENERUNT, id est magis illum promoverunt.

V. 13. ITA UT iam VINCULA MEA MANIFESTA sint IN CHRISTO, id est omnibus innotuerit, quod non ob aes alienum, vel scelus aliquod, sed propter solum Christum, eiusque fidei promulgationem vinctus sim: atque ita occasione vinculorum meorum nomen Christi ubique clarescit, IN OMNI; græce, ἐν ὅλῳ, id est *in toto prætorio*, seu regia aula Neronis, ET IN CETERIS OMNIBUS Romanæ urbis & imperii locis: ita Chrysost. Theophyl. Anselmus.

V. 14. PLURES E FRATRIBUS Christianis CONFIDENTES VINCULIS MEIS, id est animis & audacia sumptis ex eo quod videant me, etsi vinctum, intrepide causam agere Evangelii, amplius iam & liberius idipsum promulgant,

V. 15. & 16. EX CARITATE, ET PROPTER BONAM erga me & erga Evangelium VOLUNTATEM, seu affectum, SCIENTES me a Christo *positum* seu constitutum non solum in præconem, sed & IN DEFENSIONEM *e*, id est in defensorem & propugnatorem EVANGELII: unde iuvant me qua possunt, & quod mihi iam per vincula non licet, ipsi per se præstant, & quidem solito ardentius: ita Theophyl. & Anselmus.

V. 17. QUIDAM Christum annuntiant, non ex pio affectu, sed EX CONTENTIONE, id est studio mecum condendi ac decertandi de fama & gloria: NON SINCERE, seu pura intentione promovendæ gloriæ Christi, sed admodum fraudulenter & perfide, EXISTIMANTES SE sua importuniore prædicatione PRESSURAM SUSCITARE VINCULIS MEIS, id est novam maioremque molestiam ac vexationem addere mihi captivo; nempe sperant Neronem magis concitandum & exacerbandum in me, quasi tam frequentis, tam intempestivæ prædicationis auctorem atque incentorem. Taxat asseclas Simonis Magi, de quibus S. Ignatius Martyr *d*; *Non sunt*, inquit, *Christiani*, *sed Christi*, ἔμποροι, id est *Christi-*

lucriones, *qui ex nomine Christi quæstum faciunt*, *& tamen adulterant verbum Evangelii*: ita Chrysost. & Theophyl. Sed Anselmus vult fuisse alios Iudaizantes, non tam hæreticos, quam mercenarios & ambitiosos, & gloriæ Pauli æmulos. Crediderim ex utroque genere fuisse, qui ut fucum facerent, & Paulo officerent, eamdem cum illo doctrinam (saltem pro isto tempore) importunius spargebant in vulgus.

V. 18. QUID ENIM? an voti sui compotes erunt? minime: DUMMODO enim CHRISTUS ANNUNTIETUR, SIVE id fiat PER OCCASIONEM (πρόφασις significat etiam *prætextum*, nempe zeli boni:) SIVE PER VERITATEM, id est per verum & purum zelum: fiat OMNI, id est quovis demum *modo*; ego IN HOC GAUDEO, quia, etsi procedat a malo auctore & malo fine; ipsa tamen doctrina in se bona est, neque oberit vinculis meis, ut ipsi conantur, sed

V. 19 *Proveniet* MIHI AD SALUTEM, & maius bonum tum corporale (de quo Chrysost.) tum spirituale (de quo alii exponunt) si videlicet oraveritis pro me, mihique impetraveritis copiosam SUBMINISTRATIONEM SPIRITUS sancti, conformiter

V. 20. *Expectationi & spei meæ* cum OMNI FIDUCIA, qua spero, etiam NUNC, seu in his circumstantiis, *Christum* eiusque Evangelium IN CORPORE MEO, id est in me & per me, *magnificatum* & glorificatum iri, seu vivere pergam, seu de medio tollar.

V. 21. MIHI ENIM VIVERE CHRISTUS EST, ET MORI LUCRUM; id est, vita mihi est servire Christo, & mortem in lucro pono; quasi dicat: Sive vivam, sive moriar, lucrum quod opto assequor, nempe *Christum*, id est manifestationem gloriæ Christi, (ut præcessit:) nam si vivam, glorificabitur Christus mea prædicatione & bono exemplo; sin moriar, martyrio meo & beatitudine in cælis.

V. 22. QUOD SI detur super VIVERE IN CARNE, HIC MIHI FRUCTUS OPERIS EST, id est operæ pretium, fructuosum & utile tum mihi, tum aliis multis id fuerit: mihi, ad maius & prolixius meritum: aliis, ad conversionem, & ampliorem promotionem spiritualem. *Et* vero si detur optio, seu diutius vivendi, seu cito moriendi, QUID *e duobus* ELIGAM, IGNORO.

V. 23. DISSOLVI: Græc. ἀναλῦσαι, navigantium est, cum e portu solvunt: MULTO MAGIS MELIUS, id est, longe mihi iucundissimum esset.

V. 24. PERMANERE AUTEM IN CARNE, & Evangelicis laboribus insistere, quia magis *vobis* NECESSARIUM, præferendum est commodo meo privato. Putat Chrysost. optionem a Deo datam S. Paulo, seu tum moriendi & cum Christo triumphandi, seu supervivendi adhuc in incerto salutis e: & Paulum prætulisse lucrum animarum propriæ saluti & certæ beatitudini. Quod sat insinuat, cum ait:

V. 25. ET HOC CONFIDENS; græce, *persuasus*, supple, vitam meam vobis adhuc necessariam esse, SCIO QUIA in carne adhuc MANEBO, ET VOBIS *permanebo* (ut est in Græco;) quasi dicat: Non est cur lugeatis orbitatem vestram, non vos deseram, manebo vobiscum:

V. 26. UT GRATULATIO (græce, καύχημα, id est *gloriatio*) VESTRA ABUNDET; quasi dicat: Ut habeatis luculentiorem materiam gratulandi vobis, immo & gloriandi de bonis per me vobis obventuris.

V. 28. ET HOC A DEO est, bonos promovente ad salutem, malos puniente ac damnante.

V. 29 PRO CHRISTO *pati* singulare Dei *donum* est, & longe maius quam donum suscitandi mortuos, vel alia miracula patrandi, inquit Chrysost. & Theophyl. Et causam addunt: quia hoc longe difficilius: unde pro dono miraculorum *debitor sum* Deo: pro passione *debitorem habeor Christum*. O *rem admirandam*! *& donat mihi*, *& super hoc ipse debet mihi*.

V. 30. IDEM, seu simile, CERTAMEN certatis pro Evangelio, QUALE VIDISTIS olim ME certantem Philippis *f*, cum apud vos virgis cæsus sum & incarceratus: ET NUNC AUDISTIS ME Romæ sustinentem.

(a) II. Tim. IV. 30.
(b) Act. XX. 23.
(c) Proleg. de Illustrissimis Hebr. n. 47.
(d) Ignat. epist. ad Trallianos & epist. ad Philippenses.
(e) I. Cor. I. 27.
(f) Act. XVI. 22.

GORDONI.

Verf. 1. PAULUS ET TIMOTHEUS. Voluit simul nominari Timotheum, ut socium epistolæ, consolantem Philippenses, & consentientem his quæ scribuntur. Sanctos vocat fideles baptismo sanctificatos. CUM EPISCOPIS. Syrus, *cum Presbyteris*. Ita etiam Chrysostomus & multi alii. De distinctione Episcopi & Presbyteri non est huius loci quæstio. SUPER COMMUNICATIONE, vers. 5. Gratias agit Deo cum de aliis rebus, tum quod persistant in communicatione fidei, non vacillantes. Et perficiet Deus quod cæpit per me, qui erga vos optime afficior.

V. 9. ET HOC ORO. Peto a Deo, ut caritas vestra invicem crescat cum perfecta scientia, & rerum delectu vero, & sitis synceri; nihil quod fidei vel moribus officiat, admittentes: sine offensa in diem iudicii perseverantes, repleti gratia & fructu iustitiæ. Cæci sunt Novatores, qui non vident, aut obstinati, si videre nolunt, inhærentem homini iusto gratiam, & posse hominem esse sine offensa Dei. Non enim optat Paulus, aut petit a Deo impossibilia. Præclara quoque docet de perseverantiæ dono; nempe non esse ex nobis, nec tamen hominem de ea esse certum, ac proinde quemque debere timere. Lege Trident. Seff. vi. & Augustinum Lib. de Buno Perseverantiæ.

V. 12. SCIRE AUTEM VOLO. Narrat hic fructum ex vinculis suis natum in progressu Evangelii: nam publicata res est in aula Neronis: credere cæperunt alii, & fratres iam liberius loquuntur de rebus fidei; adeo valet patientia, & persecutio, quam Deus convertit in bonum Ecclesiæ.

V. 15. & 17. QUIDAM. Novus modus publicandi Evangelium, etiam per adversarios, & ex æmulatione inofficiosa. Aliqui enim publicant ex invidia, dum vident mihi in hac Christi causa comparari gloriam; alii syncero animo ad Dei honorem: quidam ex dilectione erga me, inquit: alii per contentionem, existimantes sua prædicatione conciliari mihi calamitates novas commovendo Neronem.

V. 18. QUID ENIM. Sed quid refert, inquit, quo affectu aut fine Christum prædicent, dummodo Christus annuncietur; quasi diceret, Si ex ficto & non syncero affectu id agant, per eos stat, quod non syncere: gaudeo tamen in hoc quod Christus annuncietur. Disputant Theologi, an liceat gaudere de malo opere ad bonum finem, & ob utilitatem sequutam. Sed, ut dixi alibi: Lib. I. quæst. xtr. cap. v. pendet vel maxime ex formali motivo: & sæpe contingit ut actus externus sit malus, & delectatio sit bona, ut de bello.

V. 19. SCIO ENIM. Nec, inquit, multum laboro, aut curo, quid mihi eventurum sit in hac persecutione, & laboriosa prædicatione: evenient enim ad salutem omnia per vestras preces. Sic spero me superaturum adversa sine confusione, nec mori timeo. Christus enim mihi est vita, & in morte est lucrum. QUOD SI MIHI VIVERE, (vers. 22.) Hic fluctuat Paulus, quid e duobus eligat; sperat tamen fore, ut vivens prosit multis, etiam vobis Philippensibus. Scio enim me liberandum ab his vinculis Neronianis, & posse fieri ut vos iterum videam. Concludit denique hoc caput, vers. 27. hortans ut digne persistant in Evangelio, nec timeant; quibus donatum est, & vivere in Christo, & pati pro nomine ipsius.

CA-

C A P U T II.

Ad mutuam dilectionem & concordiam, animique modestiam miro affectu eos hortatur, exemplo Christi, in cuius nomine omne genu nunc flectitur, utque suam in timore operentur salutem: congratulatur tum illis quod inter malos sancte vivant, tum sibi quod tales habeat discipulos: Timotheum laudat a sincera Evangelii prædicatione & obedientia; similiter & Epaphroditum, quem ad eos mittit, postquam ab ægritudine convaluit.

1. SI qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis:
2. implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, 3.
nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, 4. non
quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.
5. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu:
6. qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem
Deo: 7. sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem
hominum factus, & habitu inventus ut homo. 8. (*a*) Humiliavit semetipsum
factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. 9. Propter quod &
Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen:
10. (*b*) ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum; 11. & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in
gloria est Dei Patris. 12. Itaque charissimi mei, (sicut semper obedistis)
non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea,
cum metu & tremore vestram salutem operamini. 13. Deus est enim, qui o-
peratur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate. 14. (*c*) Omnia
autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus: 15. ut sitis sine quere-
la, & simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ & per-
versæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, 16. verbum vitæ conti-
nentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque
in vacuum laboravi. 17. Sed & si immolor supra sacrificium, & obsequium
fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis. 18. Idipsum autem &
vos gaudete, & congratulamini mihi. 19. Spero autem in Domino Iesu, (*d*)
Timotheum me cito mittere ad vos: ut & ego bono animo sim, cognitis
quæ circa vos sunt. 20. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera
affectione pro vobis solicitus sit. 21. (*e*) Omnes enim quæ sua sunt quærunt,
non quæ sunt Iesu Christi. 22. Experimentum autem eius cognoscite, quia
sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio. 23. Hunc igitur spero me
mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt. 24. Confido autem in
Domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito. 25. Necessarium autem existi-
mavi, Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum,
vestrum autem apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos: 26.
quoniam quidem omnes vos desiderabat: & mœstus erat, propterea quod au-
dieratis illum infirmatum. 27. Nam & infirmatus est usque ad mortem: sed
Deus misertus est eius: non solum autem eius, verum etiam & mei, ne tri-

sti-

ſtitiam ſuper triſtitiam haberem. 28. Feſtinantius ergo miſi illum, ut viſo eo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim. 29. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiuſmodi cum honore habetote: 30. quoniam propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam, ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obſequium.

(a) Hebr. 11. 9. (b) Iſa. xlv. 23 Rom. xiv. 11. (c) I. Petr. iv. 9. (d) Actor. xvi. 1.
(e) I. Cor. xiii. 5

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. & 2. SI QUA SOCIETAS SPIRITUS; id eſt, ſi mecum aliquam ſpiritus ſancti communicationem accepiſtis: SI QUA VISCERA MISERATIONIS: Græci paulo ſecus habent, ſcilicet εἴτις σπλάγχνα. οἰκτιρμοί, & conſtanter pene omnes Græci ſic habent, Veronenſis codex, Aldinus. Dionyſianus autem ſic habet. Germani ſoli propter incommodum ſolœciſmi mutaverunt εἴτις in εἴτινα: ſenſus ergo Græcorum eſt, ſi qua viſcera & miſerationes: interpres legit σπλάγχνα οἰκτιρμῶ, id eſt *viſcera miſerationis*; eſt autem idem ſenſus: Si qua eſt in vobis caritas & mei miſeratio, IMPLETE GAUDIUM MEUM; id eſt conſummate & perficite UT IDEM SAPIATIS, Græce φρονῆτε, id eſt *perinde ſentiatis*; nec ſint in vobis ſchiſmata; hoc eſt, quod paulo poſt ait, IDIPSUM SENTIENTES, id eſt non diviſi affectionibus aut opinionibus nihil per contentionem neque per inanem gloriam, ſubaudi fiat.

V. 4. SUPERIORES SIBI INVICEM ARBITRANTES; id eſt, nolite inflari & extolli, ſed unuſquiſque alterum præſtantiorem ſe exiſtimet.

V. 4. NON QUAE SUA SUNT, &c. id eſt non tam propriæ utilitati conſulentes quam alienæ: nam τὰ ἑαυτῶν σκοπεῖν, Græci dicunt, conſulere rebus ſuis.

V. 5. HOC SENTITE IN VOBIS; id eſt, ſic afficiamini erga vos, quomodo ſibi affectus fuit Chriſtus: qui nequaquam ſuis commodis ſtudens, ſed patris gloriam, & noſtram quærens utilittaem, exinanivit ſemetipſum.

V. 6. & 7. QUI CUM IN FORMA DEI ESSET, id eſt in eadem cum parre ſubſtantia. Forma enim hoc loco & Græcum verbum μορφὴ interpretatur Chryſoſtomus, formam ſubſtantialem: cum ergo in forma Dei eſſet & conſubſtantialis, atque a deo coæqualis Deo patri, NON RAPINAM ARBITRATUS EST ESSE SE AEQUALEM DEO. Photius interpretatur hoc modo; quod quis rapuit, id celari ſe non vult, neque vel ad tempus ab ſeſe amandare, timens ne ſi diutius celetur, perdatur ac ſibi pereat, non valens rem vendicare ut ſuam: quod vero proprium habet, facile id celari ſinit, quia quum volet in medium producet. Itaque Chriſtus connaturalem ſibi ac maxime propriam cum patre æqualitatem facile celavit uſque ad formam ſervi humiliatus, qui aliquoties ſe Deum Deique filium ante reſurrectionem prædicari vetuit, ſciens hanc cum patre æqualitatem non eſſe rapinam, nec ſe eam violenter ſibi vendicare, atque ideo eam facile celavit, quam quoties viſum eſſet, manifeſtaret. Mihi videtur hic poſſe eſſe ſenſus, ad quem accedunt Ambroſ. & Primaſius, quod Chriſtus quum in forma Dei eſſet, id eſt eiuſdem cum Deo ſubſtantiæ, & proinde Deo æqualis, atque ideo talis rerum omnium donationem haberet, nihil ſibi vendicavit poteſtatis, neque eam cum patre æqualitatem apud homines imperioſe venditavit, ſed exinanivit & ſemet humiliavit, FORMAM SERVI ACCIPIENS, id eſt hominis naturam aſſumens, IN SIMILITUDINEM HOMINUM FACTUS, id eſt tamquam homo factus, non quod vel ſimilitudinis verbum, vel *tamquam*, neget eum hominem factum, ſicut neque Ioan. I. 14 quaſi, vidimus gloriam eius quaſi unigeniti a patre, non quod vere non eſſet unigenitus Dei patris filius, ſed quomodo ſolemus loqui, ſi regem viderimus regali ſceptro & habitu incedentem, & dicere, incedit tamquam rex, non quod negemus eum vere regem eſſe, ſed quia

quia qualis ipse est rex verus, ita incedit; sic dicitur Christus in similitudinem hominum factus, id est plane instar hominum verus homo factus ET HABITU INVENTUS UT HOMO, id est in forma hominis, id est perinde ac unus quivis ex hominibus, quod ad naturam attinet, non ad contractum vitium. Ista autem tria, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, habitu inventus ut homo, idem sonant, nimirum quod Christus eamdem habens cum patre naturam, quum posset sibi connaturalem cum patre æqualitatem vendicare, & sine iniuria ac rapina tribuere, ut humilitatis nobis præberet exemplum, exinanivit semetipsum, & usque adeo deiecit, ut nostra causa hominis naturam & servi assumere non erubuerit, qui se præter omnium iniuriam Deum ac Dominum omnium ostentare poterat.

V. 9. DONAVIT ILLI NOMEN, scilicet Iesu, non quod ante incarnationem Iesus, id est salvator non esset, se quia nondum illud nomen a patre sibi per angelum impositum esset.

V. 12. SICUT SEMPER OBEDISTIS: sic mihi videtur ordinanda lectio: operamini vestram salutem, id est quæ ad eam spectant, non ut in præsentia mea tantum, sed multo magis nunc in absentia, id est non me præsente tantum, sed etiam absente, sicut semper antea obedistis.

V. 14. 15. & 16. SINE MURMURATIONIBUS; id est, nolite adversus mandata superiorum murmurare, aut hæsitare; sed quod illi iusserint incunctanter nihil hæsitantes facite UT SITIS SINE QUERELA. Græce ἄμεμπτοι, id est tales de quibus conqueri non possit, ET SIMPLICES, id est syneeri filii Dei in medio nationis pravæ, id est infidelium, VERBUM VITAE CONTINENTES, id est conservantes in vobis, in diem Christi, id est usque ad iudicium, AD GLORIAM MEAM; id est, adeo ut gloriari de vobis possim, in quibus non frustra laboravi.

V. 17. SI IMMOLOR, &c. id est, si contingat me immolari propter vos, quos tanquam spiritualem hostiam & sacrificium Deo immolavi & obtuli: quidam τό immolor, non ad instantem mortem referunt, propter id quod ante dixit, Scio quod manebo & compermanebo omnibus vobis, sed ad quotidianas afflictiones; de quibus alibi ait, quotidie morior per vestram gloriam.

V. 19. QUAE CIRCA VOS SUNT, id est mox ut de rebus vestris videro, ac certior factus fuero; sic paulo post, mox ut videro quæ circa me sunt, id est quo modo res habeant meæ.

V. 36. QUOD EX VOBIS DEERAT ERGA MEUM OBSEQUIUM, id est mei, passive, & est sensus, ut vestri in me officii defectum suppleret. Est enim Græce eisdem pene verbis, ἵνα πληρώσῃ τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρός με λειτουργίας, id est *ut impleret id quod deerat vestri in me officii*. Photius interpretatur hoc modo: misistis quæ mihi opus erant, & absentis meministis, ac vestram beneficentiam ostendistis, supererat ad hæc omnia ut a vobis ad me missa reciperarem, & hoc solum deerat: & hoc ille implevit, quando vestra ad me munera allaturus ad mortem usque accessit, id est morti fuit proximus, tradens animam suam ut impleret, &c. quod autem interpres vertit tradens animam, aliter legisse videtur: Græca habent παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ, id est animæ sive vitæ suæ non bene consultum volens; hoc est, vitæ suæ ratione non habita.

S A.

Vers. 1. CONSOLATIO, scilicet in vobis est, seu alicunde haberi potest. IN CHRISTO, id est secundum Christum, scilicet spiritualis. SOCIETAS. Græc. *communio*, scilicet socii inter se communicant.

V. 2. SAPIATIS, scilicet sentiatis, ut statim explicat.

V. 3. SUPERIORES, scilicet probitate.

V. 4. NON; pro, non solum. CONSIDERANTES, id est curantes. SED; pro, sed etiam.

V. 5. IN CHRISTO, scilicet creditis, quem debetis imitari.

V. 6. FORMA, id est natura. RAPINAM, id est alienum: erat enim proprium; quasi dicat, Non se exinanivit quasi alienam gloriam possideret.

V. 7. EXINANIVIT, id est demisit, scilicet occultans quod erat, & assumens formam, quæ præ Divina nihil erat. IN SIMILITUDINEM, &c. id est hominibus similis.

milis, scilicet natura humana, quam assumpsit. HABITU, id est figura.

V. 8. HUMILIAVIT, id est deiecit.

V. 9. NOMEN, id est potentiam, famam, gloriam.

V. 10. IN NOMINE, id est ad nomen, scilicet invocatum, vel colendum: *nomen* autem pro re. OMNE GENU, &c. quasi dicat, Omnia se subdant agnoscentia imperium.

V. 11. IN GLORIA, id est maiestate: est enim Patri æqualis.

V. 12. OPERAMINI. Nota, hominem operari suam salutem, scilicet per opera bona.

V. 13. DEUS EST ENIM, &c. quasi dicat, Agnoscentes simul vos nihil posse sine Dei gratia. Ideoque timentes ne forte desitis eius gratiæ. PERFICERE; quasi dicat, Et principium, & finem. BONA VOLUNTATE, id est suo beneplacito.

V. 14. HAESITATIONIBUS. Græc. *disceptationibus*, id est contentionibus. Syr. *dissidio*.

V. 15. SINE QUERELA, id est de quibus nemo queri possit. Hieron. III. cont. Pelag. id futurum ait in cælo. Paulus quidem videtur de hac vita loqui. SIMPLICES, id est sinceri, sine fictione.

V. 16. AD GLORIAM MEAM, scilicet futurum, seu, cessurum. CHRISTI, scilicet adventus ad iudicium. IN VACUUM, id est frustra.

V. 17. IMMOLOR, id est occidar ab infidelibus. SUPRA, id est ultra. SACRIFICIUM, scilicet a me: vel a vobis Deo oblatum.

V. 18. CONGRATULAMINI, scilicet si me occidi contingat.

V. 19. BONO, id est læto.

V. 20. UNANIMEM, scilicet in eo quod sequitur.

V. 21. OMNES; pro, fere omnes, scilicet Asiatici, seu vestrates qui Romæ sunt. Nota, Scripturam solere de multis omnes dicere. Vide August. Lib. de Unit. Ecclesiæ, cap. XII.

V. 22. EXPERIMENTUM, id est probationem.

V. 23. VIDERO, id est providero; vel quasi dicat, Ubi certius cognovero quo in statu res meæ sint.

V. 29. NECESSITATIS MEAE, id est in necessitate mea.

V. 26. MOESTUS, scilicet ob vestram eius causa tristitiam.

V. 27. SUPER, &c. quasi dicat, Duplicem tristitiam, scilicet de illo, & de vobis, qui eius mortem valde doleretis.

V. 28. TRISTITIA, scilicet de vestra tristitia.

V. 29. IN DOMINO. Iunge cum *excipite illum*.

V. 30. TRADENS, scilicet periculo. Gr. *negligens*. ANIMAM, id est vitam. MEUM, id est in me, seu mei.

MARIANAE.

Vers. 1. SI QUA ERGO CONSOLATIO IN CHRISTO, id est spiritualis consolatio; quasi dicat, Si me vultis consolari. SI QUA VISCERA, id est affectus tener est in vobis. Græci codices variant, quidam *εἴ τινα*, sic noster legit. Regia, *εἴ τις*. Alia *εἴ τι*: sic Goth. *Si quid*. MISERATIONIS. Græc. *& miserationes*. Gott. *si quid viscera & miserationes*, scilicet mei possunt. Idem multis verbis exaggerat. Rogo, ut sitis conformes.

V. 3. NIHIL PER CONTENTIONEM, scilicet fiat.

V. 4. NON QUAE SUA SUNT, id est non privata commoda. CONSIDERANTES, id est *quærentes*, ut Goth.

V. 5. SENTITE IN VOBIS, id est de vobis. QUOD ET IN CHRISTO IESU; pro, quod Christus de seipso. Aut quod & in Christo videmus. Syr. *quod & Christus Iesus*.

V. 6. QUI CUM IN FORMA, id est maiestate Dei esset. NON RAPINAM, id est cum sciret se esse Patri æqualem, id significat *non rapinam arbitrari*, se tamen

V. 7. EXINANIVIT. Græc. *ἐκένωσε*, quam vocem, ut & aliæ nonnullæ, a Paulo fuisse confictam Gregorius Nyssenus in dictum Apostoli ait. IN SIMILITUDINEM HOMINUM. Non quod verus homo non esset, sed quod exterius nihil differret ab aliis. ET HABITU: *σχήματι*, *forma*, *figura* homo. Ideo dedit illi Deus

V. 9. NOMEN, QUOD EST, scilicet nomen Iesu ab Angelo nuntiatum. Illud est super omne nomen.

V. 10. INFERNORUM, eorum qui in purgatorio, quique in inferno sunt. Gregorius Nissenus Lib. de Anima medio, hunc locum versat; ubi de inferno, quo loco

sit,

ſit, diſputat. Ergo (ſicut ſemper obediſtis)

V. 12. NON UT IN PRAESENTIA MEI TANTUM, ſeu *mea*, ut Gotth. Porro hoc non cum *obediſtis* iungendum eſt: ſed cum *operamini ſalutem*. Illud (*ſicut ſemper obediſtis*) per parentheſim, ut Lovan. & Rom.

V. 13. DEUS EST ENIM, QUI OPERATUR IN VOBIS. Non aufert libertatem & cooperationem noſtram, ſed Dei opes nos indigere ſignificat, ut noſtram ſalutem operemur. PRO BONA VOLUNTATE. Syr. *Deus agit, ut velitis & perficiatis id quod vultis.*

V. 14. SINE MURMURATIONIBUS fiant omnia; id eſt, ne murmuretis contra Prælatorum mandata, ſed incunctanter ſine hæſitatione illa implete.

V. 15. LUCETIS SICUT LUMINARIA. Gregorius XX. Moral. cap. XXIX. *Perfecti ſemper inter malos verſantur. Grana ſub paleis in area, roſa ſimul cum ſpinis*. Cantic. II. *Sicut lilium inter ſpinas, ſi amica mea.*

V. 16. VERBUM VITAE CONTINENTES, id eſt conſervantes. Hoc verbum eſt lumen. AD GLORIAM MEAM, quia vos docui. IN DIE CHRISTI. Græce, *in diem Chriſti*, id eſt iudicii, tunc mihi de vobis gloria erit.

V. 17. SI IMMOLOR SUPRA SACRIFICIUM, id eſt pro ſacrificio: על *hal*, *ſupra & pro*, ſignificat. Ergo *immolor*, id eſt patior pro veſtra fide, quia ſcilicet vos converti, gaudeo tamen.

V. 21. OMNES ENIM QUAE SUA SUNT. Gotth. *omnes enim ſua quærunt*. Nemo de vobis eſt ſolicitus. Ideo Timotheum ad vos mittere decrevi.

V. 22. EXPERIMENTUM; pro, experimento, eum COGNOSCITE, aut *cognoſcitis*. SICUT PATRI FILIUS, ſcilicet ſervit, ita mecum ſervivit in Evangelii prædicatione.

V. 25. EPAPHRODITUM. Vocat eum Apoſtolum Philippenſium: fuit etiam eorum Epiſcopus, ut Theodoretus & Baronius aiunt. At Hippolytus Martyr Lib. de Septuaginta diſcipulis, facit eum unum ex numero diſcipulorum, Epiſcopum Andritii. Miſerant eum Philippenſes ad Paulum cum muneribus. Id ſignificat cum ait, MINISTRUM NECESSITATIS MEAE. Hic Romæ ægrotavit. Cum convaluiſſet, feſtinanter remiſit eum in patriam.

V. 27. NE TRISTITIAM, id eſt ſupra vinculorum afflictionem nova accederet ex morte Epaphroditi.

V. 30. QUOD EX VOBIS DEERAT. Non arguit Philippenſes negligentiæ, ſed ait eorum vices Epaphroditum impleſſe: quippe ab illis ad hoc miſſus fuerat.

MENOCHII.

Verſ. 1. SI QUA ERGO CONSOLATIO IN CHRISTO; id eſt, ſi vultis mihi vincto, & afflicto aliquam afferre conſolationem in Chriſto, id eſt in negotio Chriſti, cuius ego ſum Apoſtolus. SI QUOD SOLATIUM CARITATIS; id eſt, ſi quod ſolatium ex caritate profectum a vobis expectari poteſt. SI QUA SOCIETAS SPIRITUS: ſi qua vobis in Eccleſia mecum eſt ſocietas, & communio Spiritus ſancti. SI QUA VISCERA MISERICORDIAE: ſi vultis aliquam erga me miſericordiam oſtendere.

V. 2. IMPLETE GAUDIUM MEUM: gaudium, quo me credendo, & collaborando Evangelio cœpiſtis afficere, complete, & cumulate. UT IDEM SAPIATIS; quaſi dicat: Implebitis gaudium meum ſi idem ſapiatis. EAMDEM CARITATEM HABENTES: mutuam, & parem caritatem.

V. 3. NIHIL PER CONTENTIONEM: κατὰ ἐρίθειαν, quod ſanctus Ambroſius interpretantur *irritationem*, qua ſcilicet alios ad contentiones, & lites provocetis. SUPERIORES SIBI INVICEM, &c. per humilitatem quiſque alium ſe ſuperiorem, & præſtantiorem exiſtimet.

V. 4. NON QUAE SUA SUNT; ſcilicet, ſua privata commoda. CONSIDERANTES: ſpectantes, & quærentes.

V. 5. HOC ENIM SENTITE IN VOBIS, QUOD ET IN CHRISTO IESU. Is ſit affectus, atque animi ſenſus in vobis, qui fuit in Chriſto Ieſu; quaſi dicat: Ille ſenſus, ille affectus humilitatis, miſericordiæ, pacis, & caritatis ſit, & ſentiatur in vobis, quem in Chriſto fuiſſe compertimus. Syrus vertit, *Hoc ſentite in vobis, quod Chriſtus Ieſus*.

V. 16. QUI CUM IN FORMA DEI ESSET: qui cum vere Deus eſſet, eadem qua Pater divinitate præditus. NON RA-

RINAM ARBITRATUS EST ESSE SE AEQUALEM DEO. Sciebat se posse iure suo æqualem Deo profiteri se, ut cum dixit Ioan. XVII. *Ego, & Pater unum sumus*, nec se facere divinitati iniuriam, quod enim erat naturæ, non poterat esse rapinæ.

V. 7. SED SEMETIPSUM EXINANIVIT, &c. quasi dicat: Christus cum ante incarnationem esset Deus, & Deo æqualis, seipsum tamen postea exinanivit, quando per incarnationem formam servi accepit. SEMETIPSUM EXINANIVIT, &c. ἐκένωσε, *evacuavit*, exhausit, inanem, & vacuum effecit, ut qui erat plenus maiestate, gloria, robore, &c. quasi ad nihilum se redigeret, ad humilitatem, conditionemque servilem humanæ naturæ descendens. IN SIMILITUDINEM HOMINUM FACTUS, id est similis hominibus factus. ET HABITU INVENTUS UT HOMO. Significat Apostolus verbum æternum, & invisibile ita assumpsisse formam, & naturam hominis, ut illam hominibus spectandam obiecerit, & per speciem ac figuram corporis humani a se assumpti hominum oculis visibilis apparere, viderique voluerit; itaque ab hominibus visus, & inventus sit *ut homo*, id est verus homo.

V. 8. FACTUS OBEDIENS USQUE AD MORTEM. Intelligitur obedientia, qua voluntatem suam humanam perfecte subiecit voluntati Patris, & eius decreto de morte crucis subeunda.

V. 9. PROPTER QUOD; quasi dicat: Quia Christus ita se humiliavit, hinc vicissim Deus, quasi compensans & reddens illi iustum & congruum tantæ humilitatis præmium, exaltavit illum. EXALTAVIT ILLUM, efferens illum ad vitam, & gloriam immortalem super omnes Angelos, & cælos, & collocans ad dexteram suam. DONAVIT ILLI NOMEN: nomen scilicet Iesu, & Salvatoris. Licet enim hoc nomen fuerit illi impositum in circumcisione, tamen in cruce consummans redemptionem nostram, & salutem afferens mundo, actu perfecto factus est redemptor, & Salvator, & hoc meritus, ut ab omnibus hoc nomine appelletur, & simul intelligatur eum esse Messiam, & Dei Filium a Patre missum, quibus titulis nulli maiores esse possunt, aut augustiores.

V. 10. UT IN NOMINE IESU, &c. id est, ut omnes genua curvando Iesu nomen, & Iesum ipsum adorent. CAELESTIUM: Angelorum scilicet & animarum beatarum. TERRESTRIUM: hominum in terris agentium. INFERNORUM, id est eorum qui sub terra sunt, scilicet eorum qui expiantur in purgatorio, & eorum qui cruciantur in inferno, sive homines sint, sive dæmones.

V. 11. ET OMNIS LINGUA: cælestium, terrestrium, & infernorum. QUIA: quod, ὅτι. DOMINUS IESUS CHRISTUS IN GLORIA EST DEI PATRIS: omnes confiteantur Christum esse Dominum, & eamdem habere cum Patre gloriam.

V. 12. NON UT IN PRAESENTIA MEI TANTUM; quasi dicat: Non tantum bene operamini dum præsens sum, tamquam præsentiam meam reverentes. CUM METU, ET TREMORE. Alludit ad Psal. II. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Iubet autem timere præsertim propter incertitudinem salutis.

V. 13. DEUS EST ENIM QUI OPERATUR IN VOBIS, &c. Hortor, inquit, ut cum metu, & tremore vestram salutem operemini, quia nec velle, nec operari consistit in vestris viribus, sed Deus est qui per suam gratiam utrumque in vobis operatur. Deus operatur velle per gratiam prævenientem, & excitantem, qua intellectum illuminat, immittendo bonas cogitationes, &c. excitat voluntatem, & affectum, pios motus, &c. Deus hæc tria, scilicet, cogitare, velle, & perficere operatur in nobis primum, scilicet, cogitare, sine nobis; secundum, scilicet, velle, nobiscum; tertium scilicet, perficere, per nos facit. Ita Bernardus. PRO BONA VOLUNTATE: ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Significat autem εὐδοκία beneplacitum, ultroneam, propensamque affectionem; quasi dicat: Deus non propter merita vestra, sed pro sui gratuita, immensaque in nos benevolentia, & beneplacito operatur in nobis velle, & perficere.

V. 14. ET HAESITATIONIBUS. In Græco est διαλογισμῶν, *dispensationibus*, *dissidiis*.

V. 15. SINE QUERELA: ἄμεμπτοι, *irreprehensibiles*; tales ut nemo de vobis merito conqueri possit. SIMPLICES: ἀκέραιοι: integri, sinceri, innoxii. FILII DEI, &c. quemadmodum decet Dei filios ex Dei imitatione adeo inculpatam vitam ducere, ut

in eos non cadat reprehensio. INTER QUOS LUGETIS: φαίνεσθε, verti etiam potest *Lucete*, exemplo scilicet sanctæ vitæ, & splendore veræ doctrinæ. VERBUM VITAE CONTINENTES: lumen vivificæ fidei vobis prædicatæ in vobis habentes & conservantes. AD GLORIAM MEAM. εἰς καύχημα ἐμοί, id est *ad gloriationem mihi*, ut scilicet de vobis in fide, & Evangelica vita constantibus gloriari possim. IN DIE CHRISTI, id est in die iudicii. QUIA NON IN VACUUM CUCURRI, &c. id est, in prædicando frustra non laboravi.

V. 17. SED ET SI IMMOLOR, &c. Sententia versiculi est: Quin etiam hoc vere vobis, & ex animo affirmare possum, si quando contingat hostiæ, sacrificioque fidei vestræ studium, laborem, aut etiam sanguinem meum, veluti libamentum infundi, gaudebo, quemadmodum etiam vos in eo eventu gaudere, & mihi gratulari par est. Hunc esse sensum patet ex texin Græco, ubi enim nos habemus in Latina editione *Immolor*, in Græco est σπένδομαι, quod tamquam libamen, effundi significat, sacrificiorum veteris legis duæ erant partes, victima scilicet quæ mactabatur, & libamen, verbi gratia vinum, aut oleum, quod illi superinfundebatur. Alludit autem Apostolus ad hunc sacrificiorum ritum. CONGRATULOR OMNIBUS VOBIS: erit enim vobis eximie gaudendum, si me vestrum magistrum pro fide Christi, & vestro martyrio affectum audieritis.

V. 18. IDIPSUM AUTEM ET VOS GAUDETE, &c. id est, ut ego guaudeo expectatione martyrii, ita a vobis peto, ut eadem de causa gaudeatis, si me quod facitis, amatis ex animo. Verba sunt consolantis eos, ne de ipsius morte, si contingat, tristentur, sed potius gaudeant.

V. 19. ME CITO MITTERE: me cito missurum, nimirum ut ex eo cognoscatis quis sit rerum nostrarum, & huius Ecclesiæ status, quod utique cedet ad gaudium, & consolationem vestram. BONO ANIMO: læto, & alacri. COGNITIS QUAE CIRCA VOS SUNT: redeunte Timotheo, & bona, ac læta de vobis nunciante.

V. 20. UNANIMEM: ἰσόψυχον, pari, æquali, id est eodem animo præditum. Neminem habeo qui pari mecum animo, & studio curet ea quæ sunt Iesu Christi.

V. 21. QUAE SUA SUNT QUAERUNT: student privatis commodis; non autem Evangelio promovendo.

V. 22. EXPERIMENTUM AUTEM EIUS COGNOSCITE; quasi dicat: Accipite documentum sinceritatis, & virtutis Timothei ex eo quod sicut patri filius, &c.

V. 23. UT VIDERO QUAE CIRCA ME SUNT: quo scilicet vergant hæc mea vincula, an sim liberandus, an pro Christo morte afficiendus.

V. 25. NECESSARIUM AUTEM EXISTIMAVI, scilicet ad consolationem vestram, interim dum Timothei ad vos profectio differtur. FRATREM, id est Christianum. COOPERATOREM; scilicet, in Evangelio, & prædicatione. COMMILITONEM: in hac sacra expeditione sub Christo duce. ET MINISTRUM NECESSITATIS MEAE: quia mihi vincto necessaria vitæ alimenta a vobis subministrata detulit. MITTERE AD VOS: antequam Timotheum mittam.

V. 26. OMNES VOS DESIDERABAT, scilicet revisere. ET MOESTUS ERAT. Græce ἀδημονῶν, anxius, anxie solicitus. PROPTEREA QUOD AUDIERATIS ILLUM INFIRMATUM. Itaque ipse solicitus erat, quia vos de illo soliciti.

V. 27. USQUE AD MORTEM: ut scilicet probe abesset a morte. MISERTUS EST EIUS: eripiens eum e faucibus mortis. Beneficium sanitatis redditæ vocatur misericordia, quatenus est miseriæ cuiusdam remotio. TRISTITIAM SUPER TRISTITIAM; scilicet, nimirum cum vinculis detineat etiam illo mihi fuisset carendum: vel ne dolori quem ex eius infirmitate percepi, alius ex morte eiusdem dolor accederet.

V. 28. ET EGO SINE TRISTITIA SIM: ero enim sine tristitia, cum vos lætos esse cognovero adventu Epaphroditi.

V. 29. IN DOMINO: cum eo gaudio, quod Christianos decet. ET EIUSMODI CUM HONORE HABETOTE, id est Epaphroditum habete in pretio, ac debito honore afficite.

V. 30. PROPTER OPUS CHRISTI. Opus Christi vocat visitationem Pauli carcere detenti propter Christum. AD MORTEM ACCESSIT: adiit periculum mortis, gravi correptus ægritudine, ut mihi adesset, & mihi serviret. TRADENS ANIMAM SUAM, id est vitæ rationem non habens; vitam suam negligens. In Græco est παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ, *male consulens animæ*, id

est

est *vitæ suæ*. UT IMPLERET ID QUOD EX VOBIS DEERAT ERGA MEUM OBSEQUIUM, ut quod obsequium vos absentes mihi præstare non poteratis, ipse suppleret.

TIRINI.

Vers. 1. SI QUA in vobis erga me est CONSOLATIO, seu consolandi affectus, IN CHRISTO, id est in negotio Evangelii Christi, quod scitis mihi unice cordi esse: SI QUOD SOLATIUM ex caritate vultis mihi vincto impendere: SI QUA vobis SOCIETAS SPIRITUS; Græce, κοινωνία, id est animorum *communio* mecum;

V. 2. IMPLETE GAUDIUM MEUM, quo me cœpistis afficere quando ad Christum convertebamini, & cumulastis quando tam strenue mihi collaborastis in promovendo apud vos Evangelio; complete iam illud absoluta vestrimet perfectione per mutuam caritatem, concordiam & humilitatem exemplo Christi.

V. 5. HOC SENTITE IN VOBIS; id est, sit in vobis ille sensus, seu tener affectus humilitatis, misericordiæ, caritatis, quem comperimus in Christo,

V. 6. QUI CUM ESSET IN FORMA DEI, præditus natura, essentia, substantia divina (nam forma denotat partem essentialem) id est, cum Christus esset natura sua verus Deus; NON RAPINAM ARBITRATUS EST SE facere (sicut faciebat Lucifer;) nam probe sciebat, se, utpote AEQUALEM per omnia DEO, cum mediatotem agere vellet, posse non in vili humana carne comparere, sed vel cum splendore angelico, vel alia magnificentia Deo digna: omnis enim maiestas & gloria debebatur unigenito Filio Dei. Verum relictis his omnibus,

V. 7. SEMETIPSUM EXINANIVIT, quasi ex *omni* ad *nihilum* delabens, græce, ἐκένωσε, id est *evacuavit*, exhausit, ut qui plenus erat maiestate, gloria, potentia divina, ad humanæ naturæ vilem, humilem, servilem conditionem sese abiiceret, FORMAM, id est naturam, SERVI, seu mancipii, ultro ACCIPIENS, FACTUS IN SIMILITUDINEM HOMINUM, id est hominibus similis, non accidentaliter aut phantastice, (ut Faustus *a* aiebat,] sed naturaliter & substantialiter: sicut omnes homines dicuntur esse similes specie, seu natura humana: ita S. August. *b* S Thomas & alii. Etiam HABITU INVENTUS UT HOMO. Græce, σχήματι, id est figura & specie externa fuit ut quivis alius vulgaris homo, cum tamen esset singulariter Deus homo, inquit Chrysost. & Theophylactus.

V. 9. PROPTER QUOD (non consecutive, ut hæretici exponunt, sed causaliter in genere causæ meritoriæ, ut SS. Patres docent) vicissim EXALTAVIT ILLUM DEUS, a mortuis redivivum & gloriosum super omnes angelos eum extollendo, & ad dexteram suam collocando, NOMENQUE, titulum ac dignitatem mediatoris & salvatoris ei conferendo, quo nullum est toto universo maius vel augustius. Etsi enim hoc nomen ei datum sit a prima conceptione, res tamen nomine significata in morte demum plene completa est, quando in actu perfecto exhibuit se salvatorem. Ut merito ex tunc

V. 10. IN NOMINE IESU, id est in honorem Salvatoris *flecti* cogatur OMNE GENU, omnium nationum, omnium creaturarum, seu CAELESTIUM angelorum, seu TERRESTRIUM hominum in mundo degentium, seu INFERNORUM, non modo in limbo vel Purgatorio, sed etiam in damnatorum inferno existentium. Omnes enim, etiam dæmones, licet coacte, genu flectunt Christo, illumque adorant, & illi tamquam Domino, principi, & Deo suo se subiiciunt, inquit Anselmus.

V. 12. ITAQUE CUM METU reverentiali ET TREMORE *c* (ex horrore offendendi tanti Domini) VESTRAM SALUTEM OPERAMINI, id est quæ ad salutem promovendam ac stabiliendam faciunt, studiose procurate, puta bona opera. Dico, *cum metu & tremore*, prepter incertitudinem successus, & quia non pendet hoc a vestra solius potestate.

V. 13. DEUS EST ENIM, QUI OPERATUR IN VOBIS non solum PERFICERE bonum opus, sed ET VELLE: neque hoc ob vestra merita, sed PRO sua BONA VOLUNTATE: εὐδοκία, id est beneplacito & ultroneo affectu. Neque enim debentur nobis primæ gratiæ prævenientes, quibus intellectum nostrum illuminat Deus, immittendo illi bonas cogitationes, & voluntatem excitat, indendo illi pios affectus seu motus: sed gratuito prorsus subministrantur.

ur. Unde merito docent SS. Patres, omne bonæ volitionis, fidei & salutis initium continuationem, affectionem & perfectionem esse a Deo & gratia divina; non ex exclusa tamen cooperatione liberi arbitrii. Nam, ut bene notat S. Bernardus *d*, etsi Deus primum *cogitare*, seu primas gratias prævenientes operetur in nobis *sine nobis*; *velle* tamen, seu consentire gratiis prævenientibus, non nisi *nobiscum* operatur, sicut *perficere*, seu exequi opus bonum, *per nos* operatur. *Sic autem ista cum arbitrio operatur, ut tantum in primo illud præveniat, in ceteris comitetur: ad hoc utique præveniens, ut iam sibi deinceps cooperetur*. Et vero, si (ut volunt Lutherus, Calvinus & horum sequaces) hæc a solo Deo penderent, cur adeo solicite Paulus hortaretur hic Philippenses ut cum metu ac tremore suam ipsi salutem operentur: ita S. Augustinus *e*, Bernardus & alii Orthodoxi.

V. 16. VERBUM VITAE CONTINENTES, id est, lumen vivificæ fidei, (ceu faculam, qua etiam alios illuminetis, accendatis & ad Christum convertatis), in vobis continuantes, & quotidie adaugentes, AD GLORIAM MEAM; Græce, *gloriationem mihi*, id est ut de vestra in virtutibus soliditate, constantia & excellentia merito gloriari possim, maxime IN DIE CHRISTI, & coram eius tribunali: ne frustra apud vos laborasse deprehendar.

V. 17. SI IMMOLOR, id est si occidar a Nerone. In Græco est *σπένδομαι*, id est *libor*, seu instar libaminis effundatur sangus meus, SUPRA SACRIFICIUM ET OBSEQUIUM FIDEI VESTRAE; id est, propter prædicatam vobis fidem, procuratamque vestram conversionem, quæ fuit victima Deo gratissima atque exoptatissima: (ita Chrysost. Theophyl. & Anselmus;) hoc nomine extreme *gaudebo, & congratulabor* ex nunc OMNIBUS VOBIS, quod me, Apostolum & magistrum hactenus tunc etiam habituri sitis Martyrem pro fide Christi.

V. 20. NEMINEM alium a Timotheo HABEO hic ad manum, TAM mecum UNANIMEM & conspirantem pro vestra salute promovenda.

V. 21. OMNES ENIM alii qui nunc mihi adsunt, QUAERUNT QUAE SUA SUNT, id est propria commoda, quietem, & in tuto esse; NON autem QUAE SUNT CHRISTI; id est, non admodum soliciti sunt de Evangelio promovendo, quod est negotium Christi: ita Theophyl. & Anselmus.

V. 25. EPAPHRODITUM APOSTOLUM vocat, id est Episcopum, inquit Theodoretus & Baronius *f*.

V. 30. PROPTER OPUS CHRISTI, nempe ut vinctum visitaret, solaretur, iuvaret, AD MORTEM ACCESSIT, ex prolixo itinere & nimiis laboribus gravem morbum incurrens, & ANIMAM SUAM TRADENS, id est se suamque valetudinem & vitam negligens, UT QUOD OBSEQUIUM *vos* absentes mihi præstare non poteratis, ipse *suppleret*.

(a) August. contr. Faustum.
(b) August. tract. XVII. in Ioan.
(c) Psal. XX. II.
(d) Bern. Lib. de Gratia & lib. arb. sub finem.
(e) August. de Gratia & lib. arbitr. cap. IX. 16. &c. & de Gratia Christi cap. XXX. 5. 10.
(f) Baron. anno Christi 60.

G O R D O N I.

Vers. 1. SI QUA ERGO. Pathetica est & Paulo digna obsecratio, ut unanimes idem sentiant in certa caritate Philippenses; quasi diceret: Si unum, si multa, si innumera bona vultis Paulo vincto & afflicto præstare; hæc omnia vel in unum conferte, ut in eadem caritate idem sapiatis. Hæc Pauli enarratio valde urget; & quod ait idem sentire & consentire, multa complectitur.

V. 5. 6. & 7. HOC ENIM SENTITE. Quod dixit vers. 3. de humilitate, hic confirmat exemplo Christi, qui speculum est humilitatis Christianæ. Immo misericordiæ, pacis & caritatis. Hoc totum sentite in vobis, quod Christus, qui cum vere Deus esset, poterat sine iniuria aut specie rapinæ profiteri se æqualem Deo Patri ex Ioan. XVII. tamen exinanivit semetipsum, quando per incarnationem accepit formam servi, quasi sic ad nihilum se redegisset sub forma assumpti corporis humani. Immo factus sub præcepto moriendi obediens usque ad mortem: *μορφὴ*, hic non significat speciem solam externam, sed formam quæ dat esse rei. Ergo (vers. 7.) in similitudinem, seu non penitus eodem modo, propter disparitatem in nativitate, conceptione, & sanctitate. Ita Patres con-

tra Arrianos: sic sane habitu inventus ut homo, hoc est verus homo. Itaque Christus ex æqualitate illa verus Deus est, & ex duabus naturis; altera, qua erat minor patre faciebat esse verum hominem; & alioqui, ut argumentatur Ambrosius, imposturam (quod absit) fecisset. Et quomodo servus, nisi secundum creatam naturam assumptam. Ergo servus ut homo, tum filius prout hæc natura humana subsistit in hypostasi filii, quæ duo convenire Christo ut homini probat Suarez 3. part. disp. 34.

V. 8. HUMILIAVIT. Humiliavit se obediendo usque ad mortem, de qua habebat præceptum. Humiliavit autem se quatenus homo & servus, non vero quatenus Deus & verbum: nam sic non est subditus patri: quia vero moriendo factus est obediens, inde satis constat habuisse moriendi præceptum.

V. 9. PROPTER QUOD. En præmium humilitatis: se Christus humiliat, & Deus exaltat ad gloriam immortalem, super omnem creaturam, ad sedem in dextera Dei, & nomen supra omne nomen: τὸ, *propter quod*, non consequentiam, aut eventum designat, sed mercedem ex merito. Ex quo recte docent Theologi Christum pleraque sibi meruisse: hinc Apost. v. vers. 12. *dignus est agnus*. DONAVIT ILLI NOMEN, scilicet IESU, salvatoris. Nominatum quidem in circumcisione, consummatum in cruce, ubi completa est redemptio: ut præterea sub hoc omne genuflectatur adoratione cælestium, beatarum mentium; terrestrium, in terris; & sub terris, in purgatorio, vel inferno, &c.

V. 12 ITAQUE CHARISSIMI. Hortatur ad obedientiam & timorem. Recte primum cum timore, ut etiam Psal. II. *Servite Domino in timore*, quia sane incerta homini est salus, qui nescit an sit odio dignus, vel amore. Locus hic damnat Novatores. Hortatio enim ostendit liberum esse Philippensibus obtemperare: ubi vero est timor & tremor, non est certitudo summa, qua sciat Calvinus se esse prædestinatum.

V. 13. DEUS EST ENIM. Reddit rationem, cur debeant omnes in timore operari salutem, quia nec velle, nec operari, ut oportet, potest homo propriis viribus. Deus per suam gratiam utrumque præstat. Sciunt Theologi recte intelligere, velle & operari pendere a gratia Dei præveniente & cooperante: pro bona voluntate sua, εὐδοκία, beneplacito: neque ex meritis nostris est prima gratia. Excludit ergo hic merita nostra in hac parte, dum Deus sola voluntate sua antevenit nos congrua vocatione, sine qua nemo salutem operabitur, & cum subducat eam aliquando, planum est debere hominem timere.

Apud Calvinum Deus operatur in nobis, sicut in igne operatur calefacere: & sic non liberum relinquit, sed servum efficit arbitrium: millies hic error refutatus est; immo ex hoc etiam loco Pauli: si enim tanta est necessitas operantis, quorsum exhortatio ista? aut si locum habet, cur non exhortamur etiam ignem ut urat, bovem ut comedat. Sed nec hic recipimus quorundam Catholicorum prædeterminationem Physicam, ut alibi est satis ostensum.

V. 14. & 15. OMNIA AUTEM FACITE. Redit ad id quod dixit de vitanda contentione in iis quæ pertinent ad salutem. Quod est HAESITATIONIBUS, alii vertunt *disceptationibus*: SINE QUAERELA ἄμεμπτοι, *irreprehensibiles*, ut nemo queri possit: SIMPLICES, syncerí, innoxii, ut possim de vobis gloriari in die iudicii.

V. 17. SED ETSI IMMOLOR. Non designat instantem mortem; nam supra c. 1. vers. 19. sperare se dixit libertatem; sed sensus est: si contingeret me aliquo casu immolari ut martyrem pro hac fide Christi, & vestra causa; ego sane gauderem. Vos etiam gaudere deberetis, & mihi gratulari. Ita eos Paulus per anticipationem solatur, si forte martyrium ipsi obveniret.

V. 19. Reliquum huius capitis de Timotheo & Epaphrodito clarum est. Causam reddit vers. 20. cur solum Timotheum brevi sit missurus, quod omnes quos mittere posset, non tam communem Ecclesiæ causam, quam quod sua interest, quærant. *Omnes*, ut plurimum omnes. Epaphroditum vero nominat Apostolum, quia missus fuit a Philippensibus ad Paulum. Ita Theophylactus: Doctorem intelligit Chrysostomus: Episcopum Theodoretus.

CA-

C A P U T III.

Nemo in legalibus gloriari potest, alioqui Paulo id maxime conveniret: qui tamen omnia hæc detrimentum arbitratus est, quo Dei iustitiam ex fide in Christum adipisceretur, semper proficiens ut tandem perfectionem consequeretur: quapropter Philippenses hortatur ut ipsum, & non dyscolos, crucis Christi inimicos, imitentur.

1. DE cetero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis
scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessa-
rium. 2. Videte canes, videte malos operarios, videte
concisionem. 3. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu
servimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in
carne fiduciam habentes: 4. * quamquam ego habeam
confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere
in carne, ego magis, 5. circumcisus octavo die, ex genere
Israel, de Tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis (a), secundum legem Pha-
risæus, 6. secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum iusti-
tiam, quæ in lege est, conversatus sine querela. 7. Sed quæ mihi fuerunt lu-
cra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. 8. Verumtamen existi-
mo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Do-
mini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut
Christum lucrifaciam, 9. & inveniar in illo, non habens meam iustitiam,
quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu: quæ ex Deo est iu-
stitia in fide, 10. ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, *
& societatem passionum illius: configuratus morti eius: 11. si quo modo oc-
curram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis: 12. non quod iam acceperim,
aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo &
comprehensus sum a Christo Iesu. 13. Fratres, ego me non arbitror com-
prehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens: ad ea vero
quæ sunt priora extendens meipsum, 14. ad destinatum persequor, ad bravium
supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. 15. Quicumque ergo perfecti sumus,
hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, * & hoc vobis Deus revelabit. 16. *
Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus: & in eadem permanea-
mus regula. 17. Imitatores mei estote fratres, & observate eos qui ita ambu-
lant, sicut habetis formam nostram. 18. (b) Multi enim ambulant, quos sæ-
pe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: 19. quo-
rum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum,
qui terrena sapiunt. 20. Nostra autem conversatio in cælis est: unde etiam
Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, 21. qui reforma-
bit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum
operationem, qua etiam possit subiicere sibi omnia.

(a) Actor. xxiii. 6. (b) Rom. xvi. 17.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 4. Quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Non eſt tra ſferenda coniunctio & ex fine in principium.

Verſ. 10. Et ſocietatem paſſionum eius. Pro plurali *paſſionum*, non ſcribas ſingulare *paſſionis*.

Verſ. 15. Et hoc vobis Deus revelabit. Non mutes futurum *revelabit* in præteritum.

Verſ. 16. Verumtamen ad quod pervenimus ut idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula. Nec mutes *quod* in *quid*, vocalem quartam in tertiam; nec omittas coniunctionem &.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. EADEM VOBIS SCRIBERE; id eſt, hæc ipſa quæ dicturus ſum vobis ſcribere non eſt mihi grave, aut moleſtum, neque gravatim id facio: ὀκνηρὸς enim dicitur, qui gravatim aliquid facit, vobis autem neceſſarium eſt.

V. 2. VIDETE MALOS OPERARIOS, id eſt obſervate & ab illis cavete. Operarios autem non vocat hoc loco bonorum operum aſſertores (ut hic hæretici mentiuntur) ſed ſui ſimiles hæreticos. Neque enim ſimpliciter operarios dixit, ſed malos operarios: nam & Timoth. vult eſſe operarium inconfuſibilem: CONCISIONEM autem circumciſionis aſſertores Iudæos vocat, dedignatus circumciſionem appellare. Nos enim inquit, vera circumciſio ſumus, qui ſpiritu Deum colimus, neque gloriamur IN CARNE, id eſt vel ſecta carnis pellicula, in generis nobilitate, quod ſane poſſem circumciſus & ipſe, & genere Hebræus & Phariſæus, & legis æmulator etiam contra Dei eccleſiam, & in lege irreprehenſibilis. Id enim ſignificat, SINE QUERELA.

V. 8. OMNIA DETRIMENTUM FECI; id eſt, rerum omnium iacturam feci, & arbitror ut ſtercora. Græce, σκύβαλα; quæ nonnulli rudera ſignificare dicunt, id eſt dirutorum ædificationem, comminutos lapides, alii abiecta inteſtina, ſic dicta, ἀπὸ τῦ τοῖς κυσὶν βάλλεσθαι, id eſt quod canibus proiiciantur. Photius interpretatur σκύβαλα ſtipulam frumenti, comparationem illius cum lege faciens. Quemadmodum enim neceſſaria eſt ſtipula, donec creverit triticum, & ſeparatum inde fuerit, ita Chriſto fuit verum granum frumenti nondum nato, & in legis ſtipula latente, utilis erat lex. Ubi autem per paſſionem & reſurrectionem collectum eſt nobis hoc granum, & per aſcenſionem in horrea æterni patris reconditum, ad nihil amplius utilis fuit legis culmus & ſtipula.

V. 9. 10. & 11. UT ET INVENIAR IN ILLO, &c. Locus hic admodum hyperbaticus eſt. Mihi ita videtur ordinanda lectio, ut inveniar in illo, id eſt per illius gratiam, CONFIGURATUS MORTI EIUS, id eſt mortem illius imitatus eſſe & expreſſiſſe; id eſt, ſicut ille noſtra gratia mortuus eſt, ita mihi contingat pro veſtra aliorumque utilitate ipſiuſque gloria mori, SI QUO MODO, id eſt aliquo modo, OCCURRAM AD RESURRECTIONEM QUAE EST EX MORTUIS, id eſt particeps fiam ipſius glorioſæ iuſtorum reſurrectionis. Quæ vero intercedunt, per parentheſim legenda ſunt, ut ſit ſenſus: Omnia nihil feci, ut lucrifaciam Chriſtum, & illius morti configuratus tandem inveniar, ut reſurrectionis quoque ipſius & iuſtorum particeps eſſe poſſim: NON HABENS, id eſt non præferens iuſtitiam legis, aut in ea confidens, ſed gratuitam iuſtificationem in fide, AD COGNOSCENDUM ILLUM, per quam fidem & illum agnoſcam; ET VIRTUTEM RESURRECTIONIS EIUS ET PASSIONUM EIUS SOCIETATEM. Græce κοινωνίαν, id eſt ad cognoſcendum quomodo afflictionum illius & paſſionis conſors & particeps eſſe poſſim.

V. 12. NON QUOD ACCEPERIM; id eſt, non hoc dico quod iam bravium acceperim, quinimmo ſector ſi quomodo illud com-

comprehendere possim, in qua & ob quam comprehensus sum a Christo; sic enim Græci explicant, qui me fugientem & reluctantem comprehendit ac sibi mancipavit.

V. 13. & 14. UNUM AUTEM. Subaudi, studeo & conor, quæ retro sunt oblivisscens, id est, & præteritam vitam & carnalia penitus omnia, nam retro esse dicuntur carnalia, prout Christus docuit Luc. IX. *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei*. Et EXTENDENS MEIPSUM AD PRIORA, id est ad proposita cælestia præmia, AD DESTINATUM, sive ut Græci habent, *ad scopum* PERSEQUOR, nimirum AD BRAVIUM, id est præmium SUPERNAE VOCATIONIS.

V. 15. Hoc SENTIAMUS; id est, intelligamus nos nondum comprehendisse, vel ita sentiamus, id est sic sapiamus, *ut quæ* RETRO SUNT, id est carnalia, obliviscamur, & ad priora potioraque bona contendamus: *quod* SI QUID ALITER SAPITIS, id est aliter iudicatis, scilicet vos comprehendisse, vel non sic affecti estis, ut quæ retro sunt obliviscamini, Deus vobis revelabit vel ea obliviscenda, vel vos nondum comprehendisse.

V. 16. VERUMTAMEN AD QUOD. Græci non multo clariorem lectionem habent, videlicet, πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν; id est, verumtamen in id quod iam pervenimus recto ordine, eadem regula progrediamur, idem sapiamus, vel unanimiter invicem affecti simus, est enim στοιχεῖν, suo & proprio ordine progredi; sensus ergo est, In fidem quo iam pervenimus, eadem regula, recto ordine progrediamur, eamdem scilicet habentes regulam, & idem invicem sentientes, vel in regula fidei quo iam pervenimus, recto ordine ut decet progrediamur, non sapientes supra quam oportet, sed cum moderatione. Græca scholia exponunt, in eadem fidei mensura & regula ad quam pervenimus, stemus & maneamus.

V. 17. SICUT HABETIS FORMAM NOSTRAM. Græci legunt, ἡμᾶς *nos*, id est pro forma & exemplari: vel sicut habetis formam nostram, id est sicut typum & formam ambulandi habetis a nobis.

V. 21. QUI REFORMABIT; id est, qui hoc humile & abiectum corpus nostrum transformabit in claritatem corporis sui suoque corpori conformabit, quando in resurrectione gloriosum corpus iustis est donaturus.

S A.

Vers. 1. DE CETERO, id est quod reliquum est. EADEM, scilicet quæ alias monui. PIGRUM, id est molestum; quasi dicat, Non piger. NECESSARIUM. Græc. *tutum*.

V. 2. VIDETE, id est cavete. CANES, scilicet lacerantes Evangelicam doctrinam. CONCISIONEM, id est circumcisionem prædicantes.

V. 3. CIRCUMCISIO, id est spiritualiter, vereque circumcisi.

V. 4. HABEAM, id est habere possim. CONFIDENTIAM, scilicet gloriandi. CONFIDERE; quasi dicat, Gloriari. MAGIS, scilicet possim.

V. 6. AEMULATIONEM, id est zelum. IN LEGE; pro, ex lege.

V. 7. LUCRA, scilicet olim.

V. 8. VERUMTAMEN; pro, certe, vel quinetiam. EMINENTEM SCIENTIAM, id est excellentem cognitionem. DETRIMENTUM, id est iacturam. LUCRIFACIAM, id est adipiscar; quasi dicat, Omnia propter Christum reliqui.

V. 9. MEAM, id est acquisitam propriis viribus. IN FIDE, id est per fidem.

V. 10. VIRTUTEM, id est potentiam. RESURRECTIONIS, id est qua resurrexit. SOCIETATEM. Græc. *communionem*, scilicet habendam. CONFIGURATUS, id est conformis.

V. 11. RESURRECTIONEM, scilicet electorum.

V. 12. NON QUOD, &c. quasi dicat, Sequor, ut qui nondum acceperim perfectam cognitionem, &c. IN QUO, id est ad quod. COMPREHENSUS, id est assumptus, seu electus.

V. 13. UNUM, scilicet illud ago. QUAE QUIDEM RETRO, id est præterita. PRIORA, id est a fronte, seu in prospectu.

V. 14. DESTINATUM, id est præfixum, seu intentum. Græc. *scopum*. BRAVIUM, id est præmium. IN CHRISTO, id est per Christum, scilicet consequendum.

V. 15. PERFECTI, scilicet perfectione huius vitæ; vel quasi dicat, Perfecti putamur

mur. Hoc, scilicet ut sequamur, quippe nondum plene perfecti. Sapitis, id est sentitis. Hoc, scilicet quod proxime dixi. Revelabit, scilicet in hac, aut futura vita, permanentibus tamen in caritate: August. II. de Baptismo.

V. 16. In eadem, &c. quasi dicat, In eo permaneamus.

V. 17. Nostra. Græc. *nos*; quasi dicat, Imitates nos.

V. 19. Confusione, id est in rebus pudendis.

V. 20 In caelis, id est cælestis.

V. 21. Humilitatis nostrae, id est nostrum abiectum. Configuratus, id est conforme. Claritatis suae, id est suo glorioso.

MARIANAE.

Vers. 1. De cetero, quod reliquum est. Eadem, scilicet quæ a me sæpe audistis, scribam.

V. 2. Videte canes, id est, cavete ab iis qui contra veram doctrinam latrant. Videte concisionem. Syr. *cavete a circumcisione carnis*, id est a Iudæis. Illi præcipue Paulo adversabantur.

V. 3. Nos enim sumus circumcisio, scilicet vera, interius circumcisi. Qui spiritu servimus Deo. Quidam codices Græci, in his Regius, *qui spiritu Dei servimus*. Verum Ambrosius II. de Spiritu sancto, cap. VI. ait perfidos locum vitiasse, & legendum οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες, ut noster legit; sed ille in dativo verti vult, *qui Spiritui servimus Deo*, ut probetur Spiritum sanctum esse Deum. Augustinus de Trinit. cap. VI. & Lib. ad Bonif. III. cap. VII. triplicem affert huius loci lectionem I. *qui spiritu Dei servimus* 2. *qui Spiritui Deo servimus*. 3. nostram, *qui spiritu Deo servimus*, id est non carne & lege, ut Iudæi, sed spiritualiter. Et non in carne, id est carnis circumcisione.

V. 4. Quamquam ego habeam, id est habere possim confidentiam in carne, circumcisus, & de tribu Beniamin.

V. 6. Secundum aemulationem, id est zelum & amorem legis, sum persecutus Ecclesiam.

V. 7. Quae mihi fuerunt lucra. Hæc in quibus præ ceteris abundabam. Detrimenta, putavi, ζημίαν, *iacturam inopiam*, ut Syr. Denique his omnibus vale dixi.

V. 8. Verumtamen, scilicet ea lucra, eas excellentias, ut stercus sprevi, & iacturam, Propter eminentem scientiam, id est eminentiam fidei Christi, ut Christo placeam.

V. 9. Et inveniar. Hoc hyperbaton sic ordino: *Et inveniar in illo configuratus* (, id est similis) *morti eius. Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis* (scilicet in die iudicii) *non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu, quæ ex Deo est iustitia in fide*, (id est vera iustitia, quo fides tendit) *ad cognoscendum illum & virtutem resurrectionis eius, &* (habendam) *societatem passionum illius*, nempe, ut similia patiamur.

V. 12. Non quod; quasi dicat, Non hoc dico, quod iam acceperim bravium. Sequor autem, id est, consequi id cupio. Si quomodo comprehendam, scilicet illud bravium. In quo et comprehensus sum, id est ob quam spem me ad Christum converti.

V. 13. Quae quidem retro sunt, id est quæ ante feci, sive bona sive mala, obliviscens. Ad .... priora, id est potiora me extendens.

V. 14. Ad destinatum persequor. Græc. *scopum sequor*. In Christo Iesu, id est *per Christum*: sic Syr. id est eius ope.

V. 15. Et si quid aliter sapitis, scilicet iam vos comprehendisse. Deus revelabit, docebit quod verum est. Aliqui legunt *revelavit*. Velesius etiam pro ἀποκαλύψει, id est *revelabit*, substituit ἀπεκάλυψε, id est *revelavit*. Nempe variæ opiniones & contrariæ ex bono spiritu esse possunt, si modo concordia & pax illæsæ maneant, ut mox ait.

V. 16. Et in eadem permaneamus regula, scilicet caritatis & fidei.

V. 17. Et observate: σκοπεῖτε. Utrumque verbum est anceps, significant *cavete* & *honorate*. Sed quid hic significent, ex proximis verbis petendum est. Si enim legas, *sicut habetis formam nos*, ut aliqui Latini codices legunt, ut est Græce ἡμᾶς, sumentur in significatione honorandi: si autem legas, *formam nostram*, uti plures codices Latini le-

legunt, & Veleſius ἡμμῶν, id eſt *noſtram* pro ὑμᾶς, ut & Græc. ſubſtituit, *cavete* ſignificabunt; quod verius puto; & connexio litteræ, & ſequentia id poſtulant. Multi ſunt pravi,

V. 19. QUORUM DEUS VENTER EST, id eſt ingluvies. GLORIA IN CONFUSIONE IPSORUM. Auguſtinus Serm. XV. de Verb. Apoſtoli: *Gloria in pudendis eorum, ſe circumciſos eſſe gloriantur, nil curant prætcrea.*

V. 20. NOSTRA AUTEM CONVERSATIO: πολίτευμα. Caſſiodorus Lib. VI. cap. VI. & Hieronymus Zach. III. extremo: *Noſter municipatus in cælis eſt, cives cæli ſumus, ideo hæc terrena non curamus.*

V. 21. SECUNDUM OPERATIONEM, id eſt ἐνέργειαν, id eſt *efficaciam ſuam* reformabit noſtrum corpus. Ideo eum expectamus, nec alia curamus.

MENOCHII.

Verſ. 1. DE CETERO: τὸ λοιπὸν, quod ſupereſt. Syrus vertit *proinde*. GAUDETE IN DOMINO, id eſt eo gaudio quod Chriſtianos decet. MIHI QUIDEM NON PIGRUM: mihi eadem repetere, & inculcare moleſtum, & oneroſum non eſt. VOBIS AUTEM NECESSARIUM: ut in fide confirmemini, & melius doctrinam meam tenearis.

V. 2. VIDETE CANES; quaſi dicat, Obſervate, & cavete impudentes, & improbos iudaizantes, & hæreticos, qui vos allatrant, & mordent quaſi canes. MALOS OPERARIOS: Pſeudo-apoſtolos, qui Chriſtianiſmum miſcent, & corrumpunt Iudaiſmo. VIDETE CONCISIONEM: τὴν κατατομήν; ſic per contemptum appellat circumciſionem; quaſi dicat, Circumciſio olim tanti facienda, nunc poſt Chriſtum tantum eſt conciſio, nihil aliud eſt quam carnis ſectio, & conciſio. Vel ſenſus eſt, cavete conciſionem, id eſt ipſos conciſos, & circumciſos, qui Iudaiſmum, circumciſionem, & ritus veteris legis vobis obtrudunt.

V. 3. NOS ENIM SUMUS CIRCUMCISIO; quaſi dicat, Recte eos appellavi conciſionem, nam vera circumciſio ſpiritualis, & cordium apud nos eſt. QUI SPIRITU SERVIMUS DEO. Nos Chriſtiani vere ſumus circumciſi, qui ſæcularia deſideria reſecantes, & Iudaicas ceremonias, ſpirituali fide, ſpe, & caritate Deo religioſe ſervimus. ET GLORIAMUR IN CHRISTO IESU: tamquam auctore ſalutis noſtræ. ET NON IN CARNE FIDUCIAM HABEMUS. Carnem appellat res externas, & carneas, verbi gratia, circumciſionem, nobilitatem, legis ſcientiam, &c. ut patet ex ſequentibus. FIDUCIAM HABEMUS: ſpem reponimus, aut gloriamur.

V. 4. HABEAM CONFIDENTIAM: habere poſſim confidentiam, id eſt gloriari.

V. 5. CIRCUMCISUS OCTAVO DIE: ſignificat ſe non eſſe proſelytum, qui adultus eſſet baptizatus. EX GENERE ISRAEL: ex proſapia Iacob Patriarchæ, & filius Abrahæ. HEBRAEUS EX HEBRAEIS: oriundus. SECUNDUM LEGEM PHARISAEUS. Secta, ac profeſſione Phariſæus eam legis ſectam amplexus, quæ dicitur Phariſæorum. Vel, quod ad legem attinet eius ſui adeo tenax, & obſervans, ut etiam inter Phariſæos adſcribi voluerim, qui legem præ ceteris ſe profitentur obſervare.

V. 6. SECUNDUM AEMULATIONEM PERSEQUENS ECCLESIAM; quaſi dicat: Quod ſi ſtudium, & zelus paternæ legis ſpectandus eſt, adeo illo exarſi, ut etiam Eccleſiam Chriſtianorum perſequerer. SECUNDUM IUSTITIAM QUAE IN LEGE EST: ſecundum legis iuſtitiam, id eſt ſecundum ius, & fas, & præſcriptum legis ambulans.

V. 7. SED QUAE MIHI FUERUNT LUCRA: ſed has excellentias, quas olim magnum, ac pretioſum lucrum putabam. ARBITRATUS SUM PROPTER CHRISTUM DETRIMENTA: iam Chriſti veritate cognita puto detrimenta, cum ſint impedimenta veritatis, & ſalutis a Chriſto percipiendæ.

V. 8. VERUMTAMEN EXISTIMO OMNIA DETRIMENTUM ESSE: omnia quæ tunc magnifaciebam iam nihili facio, & non ſolum inutilia, ſed etiam noxia exiſtimo. PROPTER EMINENTEM SCIENTIAM IESU CHRISTI: ſi conferantur cum ſcientia, rerumque divinarum cognitione, quam cum fide Chriſti ſum aſſecutus. PROPTER QUEM: Chriſtum. OMNIA DETRIMENTUM FECI: ἐζημιώθην, *detrimentum paſſus ſum*; quaſi dicat: Non iacturam feci, ſed pro magno damno, & iactura duxi, non quidem dum illa abieci, tunc enim magnum lucrum feci, ſed dum ea per ignorantiam ſectarer,

ne-

neglecta Christi cognitione; dum vero abieci, pro damno duxi, non quod illis carerem, sed si ea, inhærens litteræ, retinuissem, tum vero magnam me facere iacturam existimassem, ut olim me fecisse intelligo; cum eram a Christo alienus. UT STERCORA: κύβαλα, *stercora*, *quisquilias*, *reiectamenta*, hæc enim omnia significat vox Græca. UT CHRISTUM LUCRIFACIAM, id est ut bonorum eius particeps efficiar.

V. 9. ET INVENIAR IN ILLO, id est existam, & sim in illo, scilicet Christo, sicut palmes in vite. NON HABENS MEAM IUSTITIAM: meis naturæ viribus, meis laboribus partam. QUAE EX LEGE EST, id est legalem, quæ ex legis observatione acquiritur, absque spiritu fidei, & gratiæ Christi. QUAE EX FIDE EST CHRISTI: quæ acquiritur per fidem Christi. QUAE EX DEO EST IUSTITIA IN FIDE: iustitiam, inquam, quæ a Deo auctore est, & fundatur in fide, quia fides huius iustitiæ fundamentum est.

V. 10. AD COGNOSCENDUM ILLUM. Nempe quis, & quantus sit, utpote Deus, & homo, salvator humani generis, &c. VIRTUTEM RESURRECTIONIS EIUS: δύναμιν, *potentiam*, qua per resurrectionem suam, quasi mortis domitor, & triumphator nos resurgere faciet. Hanc optat cognoscere tum per fidem, tum potius experientiam, ut nimirum Christi potentia a mortuis excitetur, & cum Christo in gloria inter sanctos resurgat. SOCIETATEM PASSIONUM EIUS: quam proficuum sit esse participem passionum; & afflictionum Christi, portando crucem post illum. CONFIGURATUS MORTI EIUS: morti, & passionibus eius per mortificationem, afflictiones, me assimilans, & configurans.

V. 11. SI QUO MODO OCCURRAM AD RESURRECTIONEM, &c. Sensus est: Compatior, & commorior Christo, ut, si quo modo perveniam ad beatam resurrectionem mortuorum, quam iusti expectant.

V. 12. NON QUOD IAM APPREHENDERIM, &c. quasi dicat: Non hæc propterea dico quasi me iam apprehendisse putem hunc Christianæ iustitiæ apicem, hanc perfectam cognitionem virtutis resurrectionis Christi, aut quod putem me perfecte Christo configuratum, &c. SEQUOR AUTEM: διώκω, persequor instanter. SI QUO MODO COMPREHENDAM: ut si fieri possit ad illum perfectionis apicem perveniam, IN QUO, id est ad quod. ET COMPREHENSUS SUM A CHRISTO: captus sum a Christo cum Damascum pergerem, & vocatus ad Apostolatum.

V. 13. UNUM AUTEM: scilicet ago: in unam rem intentus sum. QUAE RETRO SUNT OBLIVISCENS, &c. non contentus operibus præteritis, semper ad maiora, & excellentiora enitor. EXTENDENS MEIPSUM: per desiderium, & conatum. AD DESTINATUM PERSEQUOR: κατὰ σκοπὸν διώκω, quod idem esse crediderim, quod καταδιώκω σκοπὸν, *scopum persequor*, id est versus scopum totus feror. AD BRAVIUM SUPERNAE VOCATIONIS, &c. βραβεῖον, bravium proprie significat præmium certantibus propositum. Sensus est, oculis semper in scopum defixis cursu contendo ad palmam, seu præmium regni cælestis. IN CHRISTO IESU: per Christum Iesum; per Christi merita; quasi dicat, Deus hoc bravium nobis proposuit, & ad illud nos vocat per merita Christi.

V. 15. QUICUMQUE ERGO PERFECTI SUMUS, id est perfectionis studiosi. HOC SENTIAMUS: nos nondum perfectionem attigisse, sed contento studio ad eam tendere, & conari debere. ETSI QUID ALITER SAPITIS: & si qui vestrum aliter sentiunt, nimirum arbitrantes se iam apprehendisse perfectionem. ET HOC VOBIS DEUS REVELABIT: vos scilicet in errore versari. Deus hoc homini revelat dum ei suorum vitiorum, & imperfectionum cognitionem impertit, & auget.

V. 16. VERUMTAMEN: supple, rogo, vel, hortor. AD QUOD PERVENIMUS: scilicet, retineamus, gradum nimirum illum cognitionis rerum divinarum, & perfectionis vitæ. UT IDEM SAPIAMUS: ut nimirum concordes simus, & habeamus idem velle, & idem nolle. IN EADEM PERMANEAMUS REGULA: doctrinæ, fidei, & sanctitatis vitæ.

V. 17. OBSERVATE: ut imitemini. QUI ITA AMBULANT, SICUT HABETIS FORMAM NOSTRAM: eos qui vitam suam instituunt ad exemplar, quod ego vobis præbui. FORMAM NOSTRAM: τύπον ἡμᾶς, *typum nos*.

V. 18. MULTI ENIM AMBULANT: subaudi, aliter quam ego. QUOS SAEPE DICEBAM VOBIS: de quibus sæpe vobis loquebar. INIMICOS CRUCIS CHRISTI: omnibus

nibus sceleribus coopertos, & voluptatum sectatores, eius vitæ, quam Christiana disciplina præscribit, inimicos.

V. 19. QUORUM FINIS INTERITUS: qui ad extremum interibunt, ac perdentur. QUORUM DEUS VENTER EST: qui fidem in deliciis instituunt, & omnia illius causa faciunt. ET GLORIA IN CONFUSIONE IPSORUM: qui iis gloriantur, quorum ipsos pudere oportebat. QUI TERRENA SAPIUNT: qui non nisi terrenos habent affectus.

V. 20. NOSTRA AUTEM CONVERSATIO: πολίτευμα, id est vitæ ratio, & institutum, ut interpretatur Budæus; quasi dicat, Christianæ vitæ institutum est in cælis agere; Christianismus est professio vitæ cælestis. Conversatio nostra est in cælis, quia ibi cor defixum habemus, & eo nostros affectus transtulimus. UNDE: ex quibus cælis; SALVATOREM EXPECTAMUS: qui ad iudicium venturus est, & nos fideles, & ad cælestia anhelantes secum triumphantes in cælum ducet.

V. 21. QUI REFORMABIT: μετασχηματίσει, *transfigurabit*. Transformabit, hoc est, in aliam figuram, & formam commutabit, ut scilicet, corpus nostrum ex corruptibili faciat incorruptibile, ex passibili impassibile, ex terrestri cæleste. CONFIGURATUM CORPORI CLARITATIS SUAE: suoque corpori immortalitatis gloria circumdato, reddet quam simillimum. SECUNDUM OPERATIONEM, &c. κατὰ τὴν ἐνέργειαν, secundum efficacitatem operativam potentiæ suæ. QUA ETIAM POSSIT SIBI SUBIICERE OMNIA: secundum quam quidlibet potest, in res quaslibet.

TIRINI.

Vers. 2. VIDETE CANES; id est, attendite, observate, cavete, fugite impudentes & improbos iudaizantes, qui instar rabidorum canum allatrant & mordent nos, & doctrinam Evangelicam dilacerant. Eosdem per contemptum vocat CONCISIONEM, seu concisos; quasi dicat, *Circumcisio* tanti olim æstimata, nunc post Christum non est aliud quam nuda carnis concisio & resectio. Sed & ipsi illi qui *circumcisionem* tantopere urgent, nil aliud efficiunt quam *concisionem*, id est hæresim & scissuram Ecclesiæ, sibique & aliis accersunt æternam animæ *concisionem*, perditionem & mortem; Græcum enim κατατομή, tam *occisionem*, quam *concisionem* significat.

V. 3. NOS ENIM Christiani vera SUMUS CIRCUMCISIO, qualem requirit Deus: qui circumcisi sumus non carnali, sed spirituali *circumcisione*, qua resectis sæcularibus affectibus, interna fide, spe, caritate, aliisque virtutibus religiose Deo deservimus, ET GLORIAMUR non in Moyse, sed IN CHRISTO: neque FIDUCIAM *habemus*, seu confidimus, & spem reponimus IN CARNE circumcisa, in carnali nobilitate, in legis carnalis scientia, &c. sed (ut sequitur vers. 9.) in *iustitia quæ ex fide Christi est*.

V. 4. QUAMQUAM, si iuvare hæc possint, EGO præ aliis iure merito CONFIDENTIAM HABEAM, seu confidendi & gloriandi materiam, *etiam* IN CARNE, seu in rebus illis carnais;

V. 5. SECUNDUM LEGEM, seu legis rigide observandæ professionem, PHARISAEUS fui, illi sectæ me adiungens quæ legem præ ceteris se observare profitetur.

V. 6. SECUNDUM AEMULATIONEM, seu zelum promovendæ ac propugnandæ religionis Iudaicæ, adeo illo exarsi, ut etiam ad mortem *persequerer* ECCLESIAM DEI, id est Christianos, quos illi adversarios arbitrabar: ita Theophyl. & Anselm. SECUNDUM IUSTITIAM QUAE IN LEGE EST, CONVERSATUS; id est, ex præscripto legis studui iuste semper & inculpate vivere cum omnibus.

V. 7. SED QUAE tunc MIHI FUERUNT, seu censebantur, ingentia LUCRA, rara monilia, & pretiosus thesaurus: HAEC nunc *arbitror* DETRIMENTA PROPTER CHRISTUM: quia sunt impedimenta veritatis & salutis a Christo hauriendæ. Quin &

V. 8. OMNIA alia legalia & carnalia DETRIMENTUM, id est noxia, ESSE existimo, & ut talia abiicio, qui nocent *eminenti scientiæ*, seu fidei, IESU CHRISTI: PROPTER QUEM, & cuius obtinendi ac conservandi gratia, iampridem FECI OMNIA illa DETRIMENTUM, id est ut noxia abieci, meque illis spoliavi, UT CHRISTUM LUCRIFACIAM, & thesauris illius diter.

V. 9. ET INVENIAR IN ILLO sicut palmes.

mes in vitæ & iustus efficiar *non iustitia mea*, seu meis naturæ viribus EX LEGE, id est ex solius legis doctrina, sine adiutorio fidei & gratiæ Christi, comparata, inquit S. August. *a* [nam talis iustitia exigui momenti est, nec iustificat coram oculis Dei :) sed *iustitia* Christiana, QUAE fundatur in FIDE CHRISTI, & EX DEO EST, & ex divina eius gratia, ut alibi *b* dictum. Hæc coram Deo iustificat, servitque

V. 10. AD COGNOSCENDUM ILLUM, quis, quantus, qualis sit, nempe Deus homo, Messias salvator mundi, mortis domitor, ac triumphator per VIRTUTEM RESURRECTIONIS, id est per insignem suam potentiam, qua & se resuscitavit, & nos resurgere faciet a mortuis. Ut similes tunc illi simus in gloria, sicut nunc illi *configuramur*, id est conformes reddimur MORTI EIUS, per SOCIETATEM PASSIONUM & mortificationum, quas quotidie subimus.

V. 11. UT SI QUOMODO possim, OCCURRAM & pertingam aliquando AD beatam *c* RESURRECTIONEM.

V. 12. NON QUOD IAM ACCEPERIM; quasi dicat : Non præsumo de me *quod iam* metam *apprehenderim* (ut Theopyl. exponit,) id est ad culumen perfectionis devenerim (ut S. Ambrosius :) sed SEQUOR; græce, διώκω, id est persequor, continuo currens in stadio, ut si QUO MODO possim, apicem illum *apprehendam*, seu ad quem, COMPREHENSUS & captus ac vocatus SUM A CHRISTO cum Damascum pergerem *d*.

V. 13. & 14. UNUM AUTEM illud ex eo tempore solicitus ago, in hoc unum totis viribus collimo, QUAE RETRO SUNT & præterita OBLIVISCENS, tum opera & labores, tum passiones pro Christo toleratas (nam præteritorum memoria superbos reddit & pigros,) *&* AD PRIORA, græce ad ea quæ ante me, seu a fronte, SUNT, MEIPSUM EXTENDENS, BRAVIUM SUPERNAE VOCATIONIS, id est præmium certantibus & vincentibus propositum assequar, ad quod assequendum superne vocatus sum a Deo: ita S. Chrysost. Ambrof. Theodoretus, Theophyl. & Anselm.

V. 15. QUICUMQUE ERGO PERFECTI, seu adulti, SUMUS in doctrina Christiana, (ita Ambrof.) vel (ut Anselm. & a Lapide,) perfectionis studiosi; sic SENTIAMUS, nempe, nos nondum contigisse metam perfectionis, sed contento studio ad eam continuo tendere ac conari debere: ET SI QUID ALITER SAPITIS aut sentitis, rogo *Deum* ut VOBIS *revelet* vos in errore versari. Revelat autem hoc Deus, dum homini suorum vitiorum & suæ infirmitatis cognitionem impertit.

V. 16. VERUMTAMEN rogo, ut interim retineamus AD QUOD PERVENIMUS, id est fidem quam accepimus, & quisque suum perfectionis gradum ad quem devenit: UT IDEM SAPIAMUS circa mysteria & dogmata fidei, & *in eiusdem* doctrinæ REGULA a Christo eiusque Apostolis præscripta PERMANEAMUS.

V. 17. OBSERVATE, ut imitemini EOS QUI ITA AMBULANT, docent & agunt, SICUT HABETIS FORMAM NOSTRAM. Græce τύπον ἡμᾶς, id est *typum nos*, id est tali modo qualem in nobis animadvertistis. Caveatis ergo

V. 18. INIMICOS CRUCIS CHRISTI & disciplinæ, doctrinæ, sanctitatis Christianæ.

V. 19. QUORUM FINIS tandem erit INTERITUS animæ & corporis: erst alium ipsi sibi finem ultimum, seu *Deum e* constituant, nempe *ventrem* suum & ventris cupedias, quarum causa omnia faciunt: ET GLORIA, seu gloriatio, IPSORUM IN CONFUSIONE, id est gloriantur in iis, quorum ipsos pudere oportebat, inquit Chrysost. Theophyl. & Oecumen.

V. 20. NOSTRA e contrario CONVERSATIO; græce, πολίτευμα, id est *vitæ ratio & institutum* (ut Budæus interpretatur,) EST IN CAELIS agere, ubi cor defixum habemus, & quo nostros affectus omnes transtulimus: UNDE *&* Christum SALVATOREM nostrum EXSPECTAMUS venturum ad iudicium, quod nos e malis & miseriis omnibus eductos, secum ad cælestia triumphantes devehet: &

V. 21. REFORMABIT; μετασχηματίσει, id est *transformabit*, seu in aliam formam commutabit, CORPUS hoc nostrum *humillimum* & vilissimum, & *configurabit* CORPORI suo clarissimo, splendidissimo, gloriosissimo, idque per OPERATIONEM; græce, *energiam*, seu potentem efficacitatem, QUA *potest* OMNIA SIBI SUBIICERE, & quid-

& quidlibet in quodlibet transmutare: unde & facillimum ei erit ex cineribus corpora nostra instaurare: ita S. Chrysostomus.

(a) Aug. Ser. XV. de Verbis Apostoli to. 10.
(b) Hic cap. 11. 13. &c.
(c) 1. Co. 1x. 27.
(d) Actor. 1x. 3. &c.
(e) Ephes. v. 5.

GORDONI.

Vers. 1. & 3. DE CETERO. Tristitiam de Pauli vinculis, & morbo Epaphroditi habuere quidem Philippenses: iam vero gaudere iubet. Et inde sumpto exordio cavere iubet a perversis Evangelii ministris Iudaizantibus, quos ob turpitudinem canes vocat. Corruptores sunt Evangelii, impudentes, mordentes. VIDETE CONCISIONEM: κατατομὴν: per contemptum, Iudaizantes, & suadentes circumcisionem, non vocat circumcisos (quod nomen dignitatem olim habebat) sed concisos: ubi tantum est nunc carnis sectio vana & inutilis. Hi canes lacerabant Ecclesiam, ut hodie nativitate sua Genevenses. Vera, inquit, circumcisio vers. 3. est apud nos, nempe spiritualis & cordium. Hæc Christianorum est, & qua resecantur secularia desideria in fide, spe & caritate, non ex fiducia carnis.

V. 4. QUAMQUAM EGO HABEAM CONFIDENTIAM IN CARNE. Posse, inquit Paulus, habere confidentiam in carne, & gloriari in rebus Iudaicis. Dat causam ex enumeratione usque ad versum 7. Sed nunc lucra omnia illa habeo ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Nihil in illis omnibus titulis est quod non abiiciam continuo, ut Christo fruar. At quomodo Paulus vers. 6. vixit sine querela, secundum iustitiam quæ ex lege est, si legem servare non potuit sine gratia Christi? Certe sine querela & malo exemplo secundum exteriorem hominem. Non ergo supponit Paulus esse ex lege veram iustitiam, quicquid sit de quadam iustitia, quæ est in externa observatione.

V. 8. 9. 10. & 11. VERUMTAMEN. Altera pars comparationis est. Si, inquit, conferantur illa omnia cum iustitia ex fide & excellente scientia Christi, nihil sunt. *Cum scientia*, cum rerum divinarum cognitione quam per Christum assecutus sum. *Detrimentum esse*, non quod illa contempserim, sed pro magno detrimento fuisset & damno, si illa retinuissem cum iactura fidei Christi. Nulla vero iactura quod Paulus iustitias legis abiecerit pro Christo, ut inveniatur non habens iustitiam quandam ex naturæ viribus partam, aut legalem; sed quæ acquiritur per fidem Christi, quæ, inquam, ex Deo est iustitia fundata in fide. AD COGNOSCENDUM, vers. 10. ut plene intelligam quantus sit Christus, Deus & homo, mundi salvator, & conformer morti & passioni eius: si qua tandem ratione pertingam ad gloriosam resurrectionem. Hæc sunt tria Pauli desideria: τὸ, SI QUO MODO, docet Novatores non esse in homine certitudinem de salute, ut sæpe alibi ostensum est.

V. 12. & 13. NON QUOD IAM. Mentem explicat: hæc, inquit, dico, non quod putem me omnia hæc, & summam perfectionem Christianæ vitæ assecutum; sed persequor, ut quoad fieri potest, eo pertingam. In quo toto conatu meo, unum est in quo contendo animum, ut non contentus prioribus operibus, semper ad potiora & maiora progrediar desiderio, conatu & opere. Recte aliqui cum Ambrosio hæc intelligunt de perfectione huius vitæ. *Ad bravium*, ad scopum tandem finitis laboribus & præmium certantibus propositum. Τό, IN QUO COMPREHENSUS SUM, allusionem habet ad horam, qua in conversione eum Christus miraculose comprehendit euntem Damascum.

V. 15 & 16. QUICUMQUE ERGO PERFECTI. Sensus est: Vos qui perfecti, seu perfectionis studiosi estis, hoc sentite de vobis, quod dixi de hoc vobis necessario conatu ad maiora. ET SI ALITER SAPITIS, DE VOBIS DEUS REVELABIT: hoc est si forte sentitis nihil vobis ad perfectionem deesse, Deus docebit vos hanc modestiæ partem & humilitatem: & ostendet vos in errore esse, dum aliter & non modeste de vobis sentitis. Multis enim modis Deus suos docet. VERUMTAMEN, vers. 16. supple, hortor, ut bonum ad quod pervenimus, retineamus tenaciter in fide & concordia, nec patiamur nos deturbari ab hac sacra possessione. Hic redit ad id quod est caput & præcipuum in tota hac epistola

de

de firmanda hac lege perpetua, ne umquam admittatur Iudaismus apud Philippenses.

V. 17. IMITATORES. Habent quæ sequuntur, exhortationem ad imitationem, ad observationem monitorum, quæ discedens illis reliquit, & ad vitandam conversationem cum inimicis crucis. Conversatio Christiana in cælis esse debet, sicut vitæ institutum πολίτευμα cæleste est. Nam eo transtulimus affectum; & cælo expectamus iudicem salvatorem & reformatorem mortalis corporis huius. CORPUS HUMILITATIS, vers. 21. corpus humile. Hebraismus est: adiectivo carent Hebræi.

CAPUT IV.

Ad perseverantiam & spirituale gaudium, modestiam, preces & gratiarum actiones eos componit, pacem Dei ipsis exoptans; utque mordicus teneant quæcumque Dei sunt; laudans ipsos, quod per Epaphroditum necessaria ad ipsum miserint.

1. ITaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea: sic state in Domino, charissimi.
2. * Evodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino. 3. Etiam rogo & te germane compar; adiuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. 4. Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudere. 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est. 6. Nihil soliciti sitis: sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. 7. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Iesu. 8. De cetero fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, siqua virtus, siqua laus disciplinæ, hæc cogitate. 9. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum. 10. Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire: sicut & sentiebatis: occupati autem eratis. 11. Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. 12. Scio & humiliari, scio & abundare; (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari: & esurire; & abundare, & penuriam pati: 13. omnia possum in eo, qui me confortat.
14. Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ: 15. Scitis autem & vos Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macèdonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos soli: 16. quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis.
17. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. 18. Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.
19. (*a*) Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundum divitias suas, in gloria in Christo Iesu. 20. Deo autem & Patri nostro gloria

in sæcula sæculorum: Amen. 21. Salutate omnem sanctum in Christo Iesu. 22. Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. 23. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

(a) Rom. XII. 1.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 2. *Evodiam rogo*. Non scribas *Euchodiam*, addito *ch*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 3. GERMANE COMPAR. Græci hoc loco reprehendunt, qui pro eo quod Græce est γνησιόζυγε coniugem Pauli intelligunt, quum σύζυγος socium significet, nec usquam Paulus uxoris meminisse legatur, & feminino genere utrumque posuisset, si de uxore intellexisset, ut inquit Theophylactus, nec verosimile est ut Græci dicunt, uxorem Pauli, si habuisset, Philippis in peregrina patria habitasse; sed Tharsi potius aut Ierosolymis: sic autem Græci hoc loco ea de re differunt σύζυγε γνήσιε, ἐκ τούτου τινὲς ὑπενόησαν γυναῖκα ἔχειν τὸν Παῦλον, καὶ αὐτῇ γράφειν· ἀλλὰ μωρὸν τὸ τοιοῦτον; id est, ex hoc loco quidam suspicantur Paulum uxorem habere, & illi scribere: sed ridiculum & stultum est istud; multa alia habent Græci in scholiis Veronensibus, quæ brevitati studens omitto.

V. 10. REFLORUISTIS PRO ME SENTIRE, id est reviruistis & reviguistis, ut mihi bene afficeremini, sicut & antea afficiebamini: nam id significat φρονεῖν ἀνεθάλετε; sive refloruit ac reviguit solicitudo ac studium erga me vestrum: ne autem videatur illos carpere, quod non nihil illi benefacere destitissent, subdit, OCCUPATI AUTEM ERATIS. Gr. ἠκαιρεῖσθε, id est destituebamini, oportunitas deerat, qua propter tum temporis necessaria suppeditare non valuistis.

V. 11. PROPTER PENURIAM; id est, non id dico quod penuriam patior, vel magis hoc non dico propter penuriam, quam patiar, ut sic oblique vos ad dandum invitem. IN QUIBUS SUM, SUFFICIENS ESSE, id est in præsenti & modica fortuna mea exigua contentus esse, & iis quæ habeo.

V. 12. HUMILIARI. Græce ταπεινοῦσθαι, quod Photius interpretatur λιμώττειν, id est famescere, sicut περισσεύειν, id est abundare, pro χορτάζεσθαι, id est saturari, quinetiam sic se Paulus explicat.

V. 13. CONFORTAT, id est corroborat, non ut vulgo capiunt pro consolari.

V. 15. COMMUNICAVIT IN RATIONE DATI, ET ACCEPTI; id est, nulla mihi ecclesia pro acceptis spiritualibus temporalia communicavit. Ratio autem accepti est, quam vulgo Receptam vocant: ratio dati, quam missam. Rationem ergo accepti fecerunt, qui spiritualia ex me receperunt. Rationem dati non fecerunt, quia nihil contra mihi pro illis sunt elargiti.

V. 17. NON QUAERO DATUM. Græci δόμα, id est donum, (id est non exigo a vobis dona ac munera SED REQUIRO FRUCTUM ABUNDANTEM, εἰς λόγον ὑμῶν, id est in rationem vestram; quasi diceret, Rationem accepti expensique ferre vos oportet, ideoque quod vos ad beneficentiam hortor, non ea ratione facio, ut meo commodo consulam, sed quod in ratione expensi fructificare vos velim per eleemosynas.

SA.

S A.

Vers. 1. SIc, scilicet ut supra dixi.
Vers. 2. EVODIAM, &c. utrumque nomen feminæ: forte discordes erant.

V. 3. GERMANE COMPAR, id est ingenue collega, seu socie. Græc. σύζυγος: quod forte proprium nomen est. ILLAS; vel proxime dictas, vel alias, quæ illi notæ erant.

V. 7. MODESTIA. Græc. τὸ ἐπιεικές: quod etiam *æquitatem* & *moderationem* significat. Syr. *mansuetudo*.

V. 5 SENSUM, id est intelligentiam. CUSTODIAT. Græc. & Syr. *custodiet*. INTELLIGENTIAS, id est mentes. IN CHRISTO, id est per Christum.

V. 8 QUAECUMQUE, &c. quasi dicat, Nonnisi vera, &c. PUDICA, id est honesta. SANCTA. Græc. *pura*. AMABILIA, id est digna quæ amentur. BONAE FAMAE, id est laudabilia. LAUS DISCIPLINAE, id est disciplina digna laude.

V. 9. PACIS, scilicet auctor.

V. 10. IN DOMINO, id est secundum Dominum, scilicet spirituali gaudio. REFLORUISTIS, &c. quasi dicat, Reviguit in vobis studium erga me, scilicet miserant Paulo eleemosynam. OCCUPATI ERATIS. Græc. *opportunitate carebatis*.

V. 11. PENURIAM, scilicet meam quam sublevastis; quasi dicat: Non tam gaudeo propter me, quam propter vestram caritatem. IN QUIBUS SUM, id est iis quæ habeo. SUFFICIENS, id est contentus quasi sufficiant.

V. 12. ABUNDARE, id est rebus uti, cum abundant.

V. 13. IN EO, id est per eam. CONFORTAT, id est corroborat.

V. 14. COMMUNICANTES, id est subvenientes, vestra communicando.

V. 15. IN RATIONE, &c. quasi dicat, Compensando spiritualia accepta, datis temporalibus.

V. 17. NON QUIA, &c. quasi dicat, In quo non tam habeo rationem doni, quam vestri fructus. IN RATIONE, &c. Græc. *in rationem vestram*, id est commodum; vel quasi dicat: Quæ possit scribi in libro vestro rationario, scilicet ubi scribuntur expensæ & reditus.

V. 18. OMNIA, scilicet a vobis missa, vel quæ mihi opus sunt. SUAVITATIS, id est gratum Deo.

V. 19. OMNE DESIDERIUM, scilicet dando vobis optata. Græc. *omnem indigentiam*. GLORIA, scilicet æterna. IN CHRISTO, id est per Christum.

V. 21. IN CHRISTO, id est salutatione Christiana.

V. 23. CUM SPIRITU VESTRO. Græc. & Syr. *cum omnibus vobis*. AMEN. Græc. & Syr. additur, *Missa e Roma per Epaphroditum*.

M A R I A N AE.

Vers. 1. SIC STATE, ut cœpistis, in doctrina vera perseverantes.

V. 2. EVODIAM. Forsan hæ duæ feminæ diffidebant inter se, ideo eis pacem suadet, ut idem sapiant.

V. 3. ROGO ET TE GERMANE COMPAR: σύζυγε γνήσιε, id est *socie legitime*. Quidam de uxore sua loqui Paulum putant. Verum ipse de uxore nusquam meminit, nec si esset, habitaret Philippis, nec loqueretur genere masculino. ADIUVA ILLAS, fortasse *Evodiam* & *Syntychen*. CUM CLEMENTE. An hic *Clemens Romanus*? videtur. Quorum sunt nomina IN LIBRO VITAE, id est in iustorum numero, qui electi sunt ad vitam. Hos adiuva, o socie in prædicatione, & amice.

Vs 4. GAUDETE. Id dicit propter persecutiones.

V. 5. MODESTIA. Eas scilicet ferte modeste & patienter. DOMINUS PROPE EST, scilicet ut opem ferat.

V. 6. SED IN OMNI, scilicet negotio. ORATIONE. Paucis verbis quatuor deprecationis partes attingit, uti Basilius alicubi notat. PETITIONES VESTRAE INNOTESCANT APUD DEUM. Augustinus epistol. CXXI. *Deus semper scit, ideo dicit, apud Deum innotescant*, scilicet existentibus Angelis, ut eas offerant Deo. Tobiæ XII. 12. *Quando tu orabas, ego obtuli orationem tuam Domino*.

V. 8. DE CETERO. Quod reliquum est, fratres, QUAECUMQUE SUNT VERA. *Veritatem* vocat conscientiæ rectitudinem. SI QUA LAUS DISCIPLINAE. Vox *disciplinæ*, Græce non est, nec Syr. nec in Gotth.

HAEC COGITATE, in his estote. Gaudeo quod

V. 10. REFLORUISTIS, id est repetiistis quod facere solebatis, scilicet subsidium mihi mittere. PRO ME SENTIRE, id est soliciti esse. Cuius rei intermissio, vestra culpa non accidit. OCCUPATI AUTEM, id est impediti ERATIS non fuit opportunum. Syr. *non fuistis compotes*.

V. 11. NON QUASI PROPTER PENURIAM; ut scilicet eam suppleretis, hæc dico. SUFFICIENS ESSE didici, id est contentus iis quæ habeo, id est αὐτάρκης.

V. 12. SCIO ET HUMILIARI, id est famem pati. ET ABUNDARE, id est satiari, quod mox magis declarat.

V. 13. OMNIA POSSUM, scilicet hæc, famem pati & abundare.

V. 15. COMMUNICAVIT, id est participavit, aut negotium meecum habuit. IN RATIONE DATI; quasi dicat, Ut daret mihi aliquid, pro acceptis spiritualibus temporalia: sic Chrysostomus & Theophylactus: sed alludit ad rationaria mercatorum, in quibus quod dant & accipiunt est scriptum. NISI VOS SOLI, qui dedistis mihi. Nam misistis mihi bis subsidium.

V. 16. THESSALONICAM. Laus præcipua misisse Philippenses subsidium etiam cum aliis prædicabat.

V. 17. NON QUIA QUAERO DATUM, seu *donum*, δόμα. Non id dico, ut mihi detis, sed ut vos similibus officiis fructificetis, quod in Dei rationario vobis assignetur. Id significat *in ratione vestra*.

V. 19. IN GLORIA, id est in cælo. IN CHRISTO IESU, id est per Christum Iesum. Impleat Deus quod cupitis.

V. 22. QUI DE CAESARIS DOMO vos salutant. Magnum erat, in ea aula esse fideles, tum propter nobilitatem, sed præcipue ob vitia & improbitatem. Magnum est, inter improbos virtutem sectari.

MENOCHII.

Vers. 1. CHARISSIMI, & DESIDERATISSIMI: ἀγαπητοὶ, καὶ ἐπιπόθητοὶ, *dilecti*, & *desiderati*; vel, *dilecti*, & *desiderabiles*. GAUDIUM MEUM: vocat gaudium suum, quia de eorum fidei constantia gaudebat. CORONA MEA. Coronam vocat quod illis gloriaretur, ut qui coronati gaudent, & sibi placent ob honorem illius adeptæ. Vel quod labores, & pericula eorum causa suscepta, coronam ei pectaret a Domino. SIC STATE IN DOMINO: state, & constanter persistite in fide Christi Domini, & vita Christiano homini consentanea, eo modo quod in iis standum esse docui. EVODIAM ROGO, ET SYNTYCHEN DEPRECOR, &c. Duæ hæ feminæ primariæ erant inter Christianos Philippis, quæ rem Christianam promovebant, inter quas aliud dissidii ortum fuerat, eas rogat, & hortatur ut idem sapiant, id est sentiant. IN DOMINO: iuxta Christianæ caritatis leges.

V. 3. ET TE GERMANE COMPAR: γνήσιε σύζυγε, vocat hic Paulus σύζυγον socium aliquem, & collegam suum, insignem nimirum aliquem doctorem, cuius nomen non exprimit. Quisquis autem ille fuerit, multum ab Apostolo honoratur, dum eum vocat *germanum*, hoc est sincerum adiutorem, ac laboris socium. Emanuel Sa suspicatur, σύζυγε, esse nomen proprium. ADIUVA ILLAS. Duas feminas intelligit, Evodiam, scilicet & Syntychen, quas superiori versiculo nominavit. QUAE MECUM LABORAVERUNT IN EVANGELIO, fortasse mulieres hæ in feminis instituendis laborabant, ut Paulus & alii in viris, ut opinatur Iustinianus. In Græco est, συνήθλησαν, *athletarum more decertarunt*. CUM CLEMENTE. Hic est Clemens Romanus discipulus Sanctorum Petri, & Pauli, qui Petro post Linum, & Cletum in Pontificatu successit. QUORUM NOMINA SUNT IN LIBRO VITAE; quasi dicat: Quorum multo felicius alibi scripta sunt nomina, quam si hic adscriberentur; scripta sunt enim in libro vitæ.

V. 4. GAUDETE IN DOMINO SEMPER, &c. quam frequentissime excitate, ac renovate in vobis gaudium spirituale, recolentes animo ineffabile beneficium vocationis vestræ qua vocati estis per fidem in spem vitæ, & gloriæ æternæ.

V. 5. MODESTIA VESTRA NOTA SIT OMNIBUS HOMINIBUS. Moderatio vestra, & vitæ, morumque compositio luceat coram omnibus. DOMINUS PROPE EST; id est, Christus iudex appropinquat, qui nostram patientiam, labores, modestiam coronabit, & gaudium nostrum complebit.

V. 6.

V. 6. NIHIL SOLICITI SITIS; quasi dicat: Non ergo vos angat solicitudo bonorum temporalium, aut malorum, sive bonis spoliemini, sive mulctemini exilio, sive aliis infortuniis exerceamini, quia æterna bona non longe absunt. SED IN OMNI ORATIONE: τὸ *omni*, est generis neutrius, ἐν παντὶ subintellige πράγματι, *negotio*, nec potest iungi cum *oratione*, quia προσευχὴ est generis feminini. ORATIONE, ET OBSECRATIONE, &c. id est, per orationem, & instantem, ac ferventem obsecrationem iunctam cum gratiarum actione, petitiones vestras notas facite, & exponite Deo, ut eius opem flagitetis, & impetretis.

V. 7. ET PAX DEI: pax, & tranquillitas, quam habet bona conscientia. QUAE EXUPERAT OMNEM SENSUM: quæ intelligi non potest, quanta, & qualis sit. CUSTODIAT CORDA VESTRA: φρουρήσει, *custodiet*; hæc enim pax elidit omnes dæmonis suggestiones, carnis, & mundi, & corda nostra Domino custodit, ut pacificam illorum habeat possessionem. INTELLIGENTIAS VESTRAS: mentes vestras. IN CHRISTO IESU: in Christi fide, & gratia.

V. 8. QUAECUMQUE SUNT VERA, id est sincera, & aliena ab hypocrisi. PUDICA: σεμνὰ, id est gravia, severa, honesta, verecunda. SANCTA. Noster Interpres legit ἅγια, nunc est ἁγνὰ, pura, sive casta. Sed eodem recidit nostra versio, *sanctum* enim dicitur quod est incontaminatum. AMABILIA: προσφιλῆ, quæcumque ad amicitiam, concordiam, & benevolentiam alendam, & promovendam faciunt. BONAE FAMAE: εὔφημα, quæcumque vobis, Christo, & Christianismo, nomen, & famam bonam conciliare possunt. Ambrosius interpretatur, *laudabilia*. SI QUA LAUS DISCIPLINAE. In Græco tantum est εἴτις ἔπαινος, scilicet, bonæ vitæ, & disciplinæ Christianæ, quicquid Christianam disciplinam continet, & apud infideles commendat, illud cogitate, & sectamini.

V. 9. DEUS PACIS: Deus auctor pacis. ERIT VOBISCUM: per insigne illud donum eiusdem pacis, de quo num. *6.* quam pacem Deus vobis cumulabit.

V. 10. REFLORUISTIS PRO ME SENTIRE: ἀνεθάλετε ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν, id est curam, & solicitudinem gerere; quasi dicat, Aruerat quodammodo vestra caritas erga me, sed nunc refloruit. SICUT SENTIEBATIS: sicut soliciti esse solebatis in rebus necessariis mihi procurandis. OCCUPATI AUTEM ERATIS: sed excusatione digni fuistis quia, opportunitatem non habebatis; in Græco enim est ἠκαιρεῖσθε.

V. 11. NON QUASI PROPTER PENURIAM DICO: non hoc dico quod penuriam passus sim, aut patiar, aut quod ægre feram si quid mihi desit. DIDICI IN QUIBUS SUM SUFFICIENS ESSE: didici contentus esse iis quæ habeo; tamquam illa mihi sufficiant.

V. 12. SCIO HUMILIARI: inops, & indigus esse. UBIQUE ET IN OMNIBUS INSTITUTUS SUM: ita vitam meam institui, ut penuriam pati sciam si sit opus; & copia, si adsit, moderate uti.

V. 13. OMNIA POSSUM: iam enumerata sustinere, & alia etiam duriora, si accidant. IN EO QUI ME CONFORTAT: Christi fretus auxilio, qui mihi ad hæc omnia vires subministrat.

V. 14. COMMUNICANTES TRIBULATIONI MEAE: inopiam meam sublevantes.

V. 15. IN PRINCIPIO EVANGELII; scilicet a me vobis prædicati, & de quo Act. XVI. QUANDO PROFECTUS SUM A MACEDONIA; id est, quando Macedoniam, in qua vos estis, reliqui, & transivi in Achaiam, Act. XVII. NULLA MIHI ECCLESIA COMMUNICAVIT IN RATIONE DATI, ET ACCEPTI. Per rationem dati, & accepti intelligit quamdam permutandi rationem, ut qui Evangelicam doctrinam percipiunt, victui necessaria suppeditent; sententia ergo est, Nulla Ecclesia spiritualia a me accepta, temporalibus datis compensavit, nisi vestra.

V. 16. SEMEL, ET BIS: semel, & iterum. IN USUM MIHI MISISTIS: id quo indigebam in usus meos.

V. 17. NON QUIA QUAERO DATUM: non hoc dico quia vestra, aut cuiusquam alterius munera desiderem, aut exigam. SED REQUIRO FRUCTUM ABUNDANTEM IN RATIONE VESTRA: sed vestrum lucrum, & commodum requiro, & cupio, ut bona quæ in hoc genere facitis, vestris rationibus inscribantur; & vos creditores efficiamini amplissimæ retributionis a Deo.

V. 18.

V. 18. HABEO AUTEM OMNIA, ET ABUNDO; id est, recepi ea, quæ ad me misistis adeo large, ut nunc abundem. REPLETUS SUM: abunde expleta est mea egestas. ODOREM SUAVITATIS, &c. Eleemosynam vestram, quæ est quoddam quasi sacrificium gratissimi, & suavissimi odoris ipsi Deo.

V. 19. SECUNDUM DIVITIAS SUAS; quasi dicat: Facile enim potest, cum sit omnium divitiarum fons. IN GLORIA IN CHRISTO IESU; quasi dicat: Ita precor vobis a Deo rerum huius vitæ sufficientiam, ut ea cedat vobis ad gloriam vitæ æternæ per Christum.

V. 20. DEO AUTEM, ET PATRI NOSTRO: Deo, qui Pater noster est.

V. 21. OMNEM SANCTUM: quoslibet Christianos. IN CHRISTO IESU: qui baptismo sanctificatus est per Christum, & professione, ac vocatione Christiana sanctus est.

V. 22. OMNES SANCTI, scilicet qui Romæ sunt, id est omnis Romana Ecclesia. QUI DE CAESARIS DOMO SUNT: Christiani qui versantur in aula Neronis Imperatoris.

V. 23. CUM SPIRITU VESTRO, id est vobiscum sit; sic concludit epistolam ad Galatas cap. VI. 18. Vide ibi dicta.

T I R I N I.

Vers. 1. GAUDIUM MEUM, id est causa & obiectum gaudii mei, ob eximiam pietatem, & caritatem & constantiam: ET CORONA MEA *a*, seu decus meum, quia vestri profectus causa laudor, celebror, glorificor ubique apud Christianos; sed & apud Deum eritis mihi occasio nobilioris coronæ & gloriæ in æternum *b*.

V. 2. & 3. EVODIAM ET SYNTYCHEN primarias Philippis matronas, QUAE MECUM LABORAVERUNT IN EVANGELIO apud vos inter feminas (quas instituebant, inquit Iustinianus) promovendo, sed iam discordes esse audio; *precor* IDIPSUM SAPERE, id est unanimes & concordes reddi: ita Theodoret. Theophyl. Anselmus. Nihil enim ita turbat & impedit cursum Evangelii, & promotionem boni communis, atque dissidium animorum inter eos qui præsunt & rem administrant. ROGO ET TE GERMANE COMPAR. Græce, γνήσιε σύζυγε, id est germane socie, seu genuine collega in iugo Evangelicæ prædicationis ferendo (mecum, vel cum prædictis matronis) per agrum Dominicum: ita Theodoretus, Anselmus, Haymo & a Lapide. Oecumen. Lyranus & Carthusianus putant τὸ γνήσιε, seu *germane*, esse nomen proprium viri. Et Chrysost. ac Theophyl. volunt fuisse σύζυγον, id est maritum, vel certe fratrem, perdictæ *Evodiæ* vel *Syntyches*. Sed σύζυγος quemvis socium vel collegam vel cooperatorem designat. Quod vero Faber Stabulensis, Zuinglius & Erasm. in feminino vertunt, *germana coniux*, quasi Paulus uxorem suam compellet, insignis est vel ignorantiæ, vel malitiæ. Nam codices omnes, etiam Syriaci, masculino genere utuntur, uti & omnes Patres Græci ac Latini, & ipse etiam Calvinus & Beza de viro exponendum contendunt. Alioqui dicturus fuisset Paulus γνησία σύζυγε, inquit Theophyl. Et unde, quæso, uxor Pauli habitasset Philippis in Macedonia? Sed alibi *c* fuse probavi Paulum numquam fuisse maritum, sed vitam perpetuo cælibem egisse. Porro *Clemens*, cuius hic meminit Paulus, civis Romanus erat, & primæ notæ inter fideles, qui S. Petro post Linum & Cletum in Pontificatu successit, catalogo Sanctorum asscriptus 23. Novembris. De *libro vitæ* alibi fusius *d*.

V. 4. SEMPER IN DOMINO, & non in rebus mundanis, GAUDETE, etiam in mediis persecutionibus, recolentes inæstimabilia beneficia partim vobis hic collata, partim conferenda in cælis. Sed *gaudium* comitem habeat *modestiam*, moderationemque omnium & affectuum & morum etiam externorum, quo sitis ædificationi proximo.

V. 6. NIHIL SOLLICITI SITIS, seu anxii de rebus obventuris & capiti vestro minantibus: SED IN OMNI negotio (in Græco enim παντί neutrum non potest cum feminino προσευχῇ, seu ORATIONE coniungi) PETITIONES VESTRAE deferantur & INNOTESCANT PAUD DEUM, per attentam *orationem*, seu opis divinæ implorationem, & ferventem *obsecrationem*, simul & animi generosam resignationem ad omnia quæ circa vos decreverit Deus, sinceram-

ramque GRATIARUM *actionem* de quocumque demum eventu. Et sive annuat petitis, sive abnuat Deus,

V. 7. PAX & constans animi tranquillitas, causa & amore DEI (QUAE *pax* quam nobilis, quam suavis, quam Deo grata sit, EXUPERAT OMNEM SENSUM; græce, superat omnem νοῦν, id est intellectum,) perpetuo CUSTODIAT CORDA VESTRA, & instar fidæ militaris custodiæ tueatur & voluntatem ET INTELLIGENTIAS, id est totam animam vestram contra omnes omnium hostium incursus, qui subinde per scrupulos & anxietates; subinde per minas & terrores, subinde per nimias occupationes & distractiones, subinde etiam per nova peccata vos inquietare & turbare contendunt: ita S. Anselm.

V. 8. QUAECUMQUE AMABILIA SUNT; græce, προσφιλῆ, id est quæcumque ad amicitiam, concordiam, caritatem fovendam promovendamque faciunt: QUAECUMQUE BONAE FAMAE ac nomini vobis conciliando deservire possunt, SI QUA LAUS scilicet bonæ inter *vos* DISCIPLINAE & laudatæ vitæ, subministrari possit etiam infidelibus, HAEC & talia COGITATE, curate & conservate.

V. 10. REFLORUISTIS, id est iterum novo vigore cœpistis PRO ME SENTIRE, φρονεῖν, id est curam & sollicitudinem gerere, SICUT ET antea SENTIEBATIS, seu curabatis mihi semper de necessariis prospici: quod vero id officii intermiseritis ad tempus, causa fuit, quod OCCUPATI *essetis* & aliis negotiis distenti; græce, ἠκαιρεῖσθε, id est *opportunitate destituebamini.*

V. 14. BENE FECISTIS COMMUNICANTES mihi quæ sublevandæ inopiæ & TRIBULATIONI MEAE necessaria erant.

V. 15. IN PRINCIPIO EVANGELII apud vos per *e* me prædicati, QUANDO relicta MACEDONIA PROFECTUS SUM *f* in Achaiam, NULLA ECCLESIA COMMUNICAVIT MIHI, seu mecum, IN RATIONE DATI ET ACCEPTI: nempe compensando spiritualia a me accepta, datis, seu donis temporalibus: sed a vobis solis tunc accepi quod referrem in codicem datorum & acceptorum: ita Chrysostomus & Theophylactus.

V. 17. REQUIRO NON mihi, vel in meos usus, DATUM, seu munera, SED FRUCTUM ABUNDANTEM IN RATIONE VESTRA, id est copiosum lucrum vestris rationibus in libro Dei pro tot eleemosynis & aliis piis obsequiis proximo præstitis adscribendum, ut creditores reddamini amplissimæ retributionis mercedis, cælitus redhibendæ.

V. 22. DE CAESARIS DOMO; id est, Christiani qui sunt de familia & aula Neronis Imp. & cum non parum possint apud tyrannum, præ aliis subsidio mihi & solatio sunt in causa mea.

(a) I. Thess. II. 19.
(b) Prov. XVII. 6. & Iob. XXIX. 8.
(c) I. Cor. VII. 7. & 8. & IX. 5.
(d) Exodi XXXII. Lucæ X. Apoc. XX. 15.
(e) Actor. XVI. 12.
(f) Cap. XVII. 1. &c.

GORDONI.

Vers. 1. 2. & 3. ITAQUE FRATRES. Sic eos compellat, quia sunt causa gaudii in Paulo. Corona vero sunt, quod ob labores eorum causa susceptos expectet a Deo coronam. Tantum, inquit, state constantes in gratia Christi, & concordes, ut cœpistis in doctrina & moribus. EVODIAN. Sunt duæ ex nobilioribus feminis Philippis, quæ profuerunt in promulgatione Evangelii, & nunc aliquid dissidii habuisse videntur. ET TE GERMANE COMPAR: σύζυγε γνήσιε, socium designat & collegam, unum ex insignioribus doctoribus notum Philippensibus, cuius proinde nomen non exprimit. Germanum vocat, ut est Odyss. κασίγνητος. Vide quæ dixi, I. Cor. cap. IX. 5. ADIUVA ILLAS, scilicet Evodian & Syntychen. Mulieres Paulum iuvisse poterant, vel erga omnes quos casu alloquebantur, piis colloquiis, vel destinata opera erga alias mulieres, vel subsidio in pauperes Christianos. Inepte Erasmus uxorem Pauli vocat. An non etiam Paulus, I. Cor. VII. 7. se numerat inter innuptos. Neque solum a Patribus, sed etiam a Calvino & Beza reiicitur. CLEMENTE. Hic Clementem Romanum intellige, qui post Linum & Cletum Romanus Pontifex creatus fuit anno Christi 93. Liber vitæ, Catalogus Sanctorum in mente divina.

V. 4. GAUDETE. Excitat ad gaudium spi-

ſpirituale, memores vocationis ad fidem, & ſpem vitæ æternæ. Apparet (verſ. 5.) modeſtia, moderatio & æquitas. Non longe abeſt dies iudicii, ſtat certamen tantum uſque ad mortem. Conſulit, ut ſemper præ oculis habeant inſtare hunc diem. Non ſitis ſoliciti de bonis temporalibus: Deus dabit æterna. Petite quæ oportet a Deo oratione fervente, & cum gratiarum actione poſt dona accepta. Pax Dei ſit ſemper cum ſanctis ſuggeſtionibus in cordibus veſtris.

V. 8. DE CETERO FRATRES. Recenſet laudabilia, & nobiles optimarum rerum titulos. Sequimini, inquit, univerſe, quæ ſunt vera ſine fictione, honeſta, iuſta, ad bonum nomen ſpectantia, &c. & uno verbo quæ audiviſtis præſtate.

V. 10. & 11. GAVISUS SUM. Hinc uſque ad finem capitis, eſt velut continua gratiarum actio Philippenſibus: in qua ſimul ſtatum ſuum aperit: inſtruit eos obiter, & tandem ſalutando concludit. REFLORUISTIS PRO ME; id eſt, dilectio erga me veſtra, quæ viſa eſt aruiſſe, refloruit. Nec interim (verſ. 11.) paſſus ſum penuriam: didici enim ita vivere, ut quæ habeo, ſufficiant. Bene tamen feciſtis, COMMUNICANTES (verſ. 14.) ſublevantes inopiam meam.

V. 15. SCITIS AUTEM. De hoc Pauli adventu Philippos, & tranſitu e Macedonia in Achaiam, vide Ap. cap. XVI. & XVII. Tunc, inquit, nulla Eccleſia præter veſtram, accepta a me ſpiritualia compenſavit temporalibus. Sic enim intelligo rationem dati & accepti. Significat aliquos in aula Neronis fuiſſe Chriſtianos. Bene precatur, & concludit.

EPI-

E P I S T O L A
BEATI PAULI
APOSTOLI
AD COLOSSENSES.

COLOSSAE civitas erat in Phrygia, vicina Laodiceæ, cuius meminit Plinius Lib. V. cap. xxxi. Ab Epaphra Apostolorum discipulo ad fidem Christi conversa fuerat, quam Simoniani & Iudæi corrumpere conati fuerant. Simoniani Angelos colere ut mediatores Deum inter & homines, Iudæi ritus veteris legis eos docere tentabant: hos Apostolus ad veram & integram fidem revocat; tum ad omne virtutum genus eos adhortatur.

CAPUT PRIMUM.

Audita fide, caritate ac spe Colossensium, orat pro ipsis Apostolus, quo in scientia Dei bonisque operibus perficiantur: Christum Dei imaginem dicit, per quem omnia creata sunt, & qui caput est Ecclesiæ, quo omnia pacificata sunt: hortatur ergo ut immobiles in fide permaneant: seque dicit effectum Christi ministrum, ad prædicandum mysterium a sæculis absconditum, & nunc manifestatum.

1. PAULUS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater; 2. eis, qui sunt Colossis, sanctis, & fidelibus fratribus in Christo Iesu. 3. Gratia vobis & pax a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes: 4. audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in sanctos omnes, 5. propter spem, quæ reposita est vobis in cælis: quam audistis in verbo veritatis Evangelii: 6. quod pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis, ex ea die qua audistis, & cognovistis gratiam Dei in veritate, 7. sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu, 8. qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu. 9. Ideo & nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes ut impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spiritali: 10. ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei: 11. in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate cum gaudio, 12. * gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: 13. qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ; 14. * in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: 15. qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: 16. (*a*) quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: 17. & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: 18. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, (*b*) qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens: 19. quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: 20. & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt. 21. Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis: 22. nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso: 23. si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cælo est, cuius factus sum ego Paulus minister. 24. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia: 25. cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, *

quæ

quæ data eſt mihi in vos, ut impleam verbum Dei : 26. myſterium, quod abſconditum fuit a ſæculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, 27. quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ ſacramenti huius in Gentibus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes gloriæ, 28. quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu. 29. In quo & laboro, certando ſecundum operationem eius, quam operatur in me in virtute.

(a) Ioan. 1. 3. (b) I. Cor. xv. 21. Apoc. 1. 5.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 12. *Gratias agentes Deo Patri.* Non eſt interiicienda coniunctio *&* inter *Deo* & *Patri*.
Verſ. 14. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum.* Ut non oporter omittere *per ſanguinem eius*, ita non oporter addere *&* ante *remiſſionem*.
Verſ. 25. *Quæ data eſt mihi in vos.* Non mutes accuſativum in ablativum *vobis*.

Notatio.

Verſ. 12. GRatias agentes Deo & Patri. Multi codices *Deo & Patri* legunt; plures *Deo Patri*; duo, Pariſienſium unus (Ge. L.) Hentenii alter ſolum *Patri*. Tertia hæc lectio Græcis pleriſque libris conſona eſt; ſecunda Syriacis; prima quibuſdam Græcis, Pariſienſium quatuor α, ι, θ, ια (ipſi a, quod eſt Compluſenſi Regius ut ubique & hic reſpondet) & Symonis Colinæi editioni. Tertia apud Tractatorem Ambroſiaſtrum eſt: prima Auctoris, Gloſſæ eſt, Lombardi, Carenſiis, Thomæ, & Gorrani: ſecunda apud Anſelmum, Brunonem, Richelium, atque alios reperitur, & in fide digniſſimis manuſcripris, Brug. Leod. Lob. Mal. mi. So. la. O. Q.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 5. QUAM AUDISTIS. Græce, ἣν προηκούσατε, id eſt quam prius audiſtis.

V. 6. ET CRESCIT: etſi rari codices Græci habent αὐξανόμενον, pro quo interpres vertit *creſcit*, tamen græca ſcholia explicant & legunt, ſic enim habent, καρποφορεῖ δὲ καὶ αὔξεται ὁσημέραι προσιόντων τινῶν τῇ πίστει πάντοτε· τοῦτο γὰρ καρπὸς καὶ αὔξησις τοῦ εὐαγγελίου; id eſt, fructificat autem & creſcit quotidie accedentibus ad fidem omnino aliquibus: is enim eſt evangelii fructus & augmentum.

V. 9 ORANTES ET POSTULANTES; id eſt, non ceſſamus orare & poſtulare, ut plenam divinæ voluntatis habeatis cognitionem; participia enim hæc Græca pro infinitivis ponuntur: non ceſſamus ergo orare ut impleamini & ambuletis digne Deo, id eſt ut Dei filios par eſt. Græci legunt, ἀξίως κυρίου, id eſt *digne Domino*.

V. 11. CONFORTATI SECUNDUM POTENTIAM CLARITATIS EIUS, id eſt corroborati, ſecundum robur gloriæ ipſius; nam pro *claritatis* Græcis eſt δόξης, id eſt gloriæ.

V. 12. QUI DIGNOS, &c. id eſt, ut Græci exponunt, qui per ſimiles afflictiones dignos nos effecit, qui participes eſſemus hereditatis ſanctorum in lumine, id eſt per claram & non ænigmaticam Dei cognitionem: κλῆρος enim ſortem & hereditatem ſignificat.

V. 13. FILII DILECTIONIS SUAE, id eſt dilecti filii ſui (Hebraiſmus eſt) in quo id eſt per quem habemus redemptionem. Græci addunt, διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, id eſt *per ſanguinem ipſius*.

V. 15. 16. & 17. IMAGO DEI INVISIBILIS, ubi τό invisibilis genitivi caſus eſt.

 Græ-

Græce *ἀοράτου:* dicitur autem Chriſtus *imago patris*, quia per omnia illi ſimilis, & quia patrem repræſentat, ſicut ipſe dicit: *Qui videt me, videt & patrem*. PRIMOGENITUS OMNIS CREATURAE, id eſt ante omnem creaturam genitus, non quod creaturam de ſe poſtea pater genuerit: ſicut ſecundum humanitatem primogenitus Mariæ virginis dicitur non quod alios de ſe poſtea Maria genuerit, ſed mos eſt Hebræis primum pro uno ſumere: primogenitus ergo, quia IN IPSO CONDITA SUNT, id eſt per ipſum creata ſunt omnia, & ANTE OMNES IPSE EST, ſubaudi, creaturas, vel lege *ante omnia: πάντων* enim hoc loco maſculini & neutri generis eſt. ET IN IPSO OMNIA CONSTANT, id eſt permanent & conſervantur.

V. 18. PRINCIPIUM. Interpretes legit ἀρχή, id eſt principium omnium, vel principium reſurrectionis; quidam Greci legunt ἀπαρχή, & ſic habet codex Dionyſianus, id eſt primitiæ, quod quemadmodum primitiæ primus & præcipuus pro nobis Deo patri oblatus. PRIMOGENITUS EX MORTUIS, id eſt reſurgentium ad vitam immortalem primus. Bene autem ait primogenitus, quia reſurrectio quædam regeneratio eſt, ſicut Matt. XIX. dicitur, *in reſurrectione quum ſederit filius hominis*.

V. 19. COMPLACUIT; id eſt, voluit Deus pater omnem in eo habitare divinitatis plenitudinem & perfectionem. Græci non legunt divinitatis, licet Chryſoſtomus de divinitatis intelligat plenitudine.

V. 20. PACIFICANS: referendum eſt hoc ad id quod præceſſit, ut ſit primatum tenens, pacificans per ſanguinem eius, &c. & quæ intercedunt, QUIA IN IPSO COMPLACUIT, per parentheſim legenda ſunt.

V. 21. & 22. ET VOS QUUM ESSETIS; id eſt, quum per opera mala hoſtes Dei eſſetis, non fato aut natura, ſed mente aut voluntate; id enim ſignificat hoc loco, διανοίᾳ, NUNC AUTEM RECONCILIAVIT, &c. niſi vero hoc loco *autem*, & Græcum δὲ παρέλκει, ut plerumque ſuperfluit, non eſt commoda connexio, niſi quæ præcedunt, *nunc autem* continue legamus; ut ſit ſenſus, Placuit Deo per Chriſtum reconciliare & cæleſtia, & terreſtria, & vos quoque cum eſſetis abalienati ab illo, & eius per mala opera inimici. Nunc autem reconciliavit per mortem eius exhibere vos, id eſt ut vos exhiberet ſanctos, &c.

V. 24. ADIMPLEO EA QUAE. Græce ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων χριστοῦ, id eſt ſuppleo defectus afflictionum Chriſti, vel reliquias, ut vertit Ambroſius, non quod inſufficiens fuerit Chriſti paſſio pro nobis, ſed quod afflictiones corporis myſtici eccleſiæ, id eſt ſanctorum martyrum Chriſti afflictiones dicuntur; quas ille ſuas ducit, dicens, *quod feciſtis uni ex minimis iſtis mihi feciſtis*. Photius ita videtur explicare, ut adimplere reliquias paſſionis Chriſti, nihil aliud ſit quam pro Chriſto pati, ſicut ille pro nobis paſſus: *Chriſtus enim pro vobis paſſus eſt*, inquit Petrus, *vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius*. Chriſtus ergo pro nobis paſſus eſt; quid iam reliquum eſt niſi ut illi compatiamur & coaffligamur? hoc qui facit, adimplet id quod deerat afflictionibus Chriſti, non ex parte Chriſti, ſed ex parte ſua. Quamquam enim redimendis hominibus ſufficientes fuerint Chriſti afflictiones, unum tamen ex parte noſtra illis deeſt, ut ſcilicet pro Eccleſia & nobis invicem patiamur; per multas enim tribulationes oportet ingredi in regnum cælorum: afflictionum ergo ipſius inquit Paulus, ὑστέρημα, id eſt quod ſupereſt ſcilicet nobis faciendum poſt ipſius afflictiones, ἀντὶ αὐτοῦ πληρῶ, id eſt vice ipſius Chriſti impleo in carne mea per tam longas & graves afflictiones, pro corpore eius, ipſa ſcilicet & Eccleſia.

V. 27. UT IMPLEAM, id eſt compleam verbum Dei, ſcilicet myſterium vel incarnationis, vel vocationis gentium, quod olim abſconditum nunc manifeſtavit, quibus viſum eſt glorioſas divitias huius ſacramenti aperire inter gentes: quod, inquam, myſterium Chriſtus eſt incarnatus, ſpes glorioſa gentium.

V, 27. DIVITIAS GLORIAE, id eſt glorioſas divitias, Hebræorum more.

V. 29. IN VIRTUTE, id eſt per virtutem.

S A.

Verf. 1. AD COLOSSENSES. Populus est Phrygiæ prope Laodiceam. Instruit eos in fide, refellens errores quos quidam docebant, & instituit mores.

V. 2. SANCTIS, scilicet professione.

V. 3. SEMPER, &c. quotiescumque pro vobis oramus.

V. 4. CHRISTO; pro, Christum. SANCTOS, id est Christianos.

V. 5. SPEM, id est rem speratam, scilicet præmium. VERITATIS, id est vero.

V. 6. UNIVERSO, id est pæne universo; quasi dicat, Maxima orbis parte. IN VERITATE, id est vere.

V. 8. IN SPIRITU, id est spiritualem.

V. 10. SCIENTIA, id est cognitione.

V. 11. IN OMNI, &c. id est vehementer corroborari. CLARITATIS. Græc. *gloriæ*, id est gloriosam, seu illustrem. IN; pro, cum.

V. 12. PARTEM, id est participationem; quasi dicat, Dignatus est nos consortio. SORTIS, id est hereditatis. IN LUMINE, id est sitæ, vel quasi dicat, Illuminando nos.

V. 13. TENEBRARUM, id est dæmonum: August. epist. CVII. DILECTIONIS SUAE; pro, dilecti sui.

V. 14. IN QUO, id est per quem.

V. 15. IMAGO, id est perfectissime similis. PRIMOGENITUS, &c. ante omnem creaturam a Deo genitus. Vide Eccli. XXIV.

V. 16. IN IPSO, id est per ipsum. ET IN IPSO. Græc. *Et in ipsum*, id est propter ipsum.

V. 17. OMNES. Syr. *omnia*: & sic etiam Græca verti possunt. IN IPSO CONSTANT, id est per ipsum consistunt.

V. 18. PRINCIPIUM, scilicet omnium. PRIMOGENITUS, &c. id est primo omnium resuscitatus.

V. 19. COMPLACUIT, scilicet Patri. PLENITUDINEM, scilicet *gratiæ & veritatis*, ut dicitur Ioan. 1.

V. 20. IN IPSUM; pro, in se, id est sibi: vel abundat, more Hebr. PACIFICANS, &c. quasi dicat, Faciens pacem inter cælestia & terrestria, August. Enchir. cap. LXI. Fecerant peccata inimicitias inter Angelos & homines.

V. 21. INIMICI SENSU; id est hostili animo.

V. 22. AUTEM: abundat. CARNIS, id est carneo. EXHIBERE, id est ad exhibendum.

V. 23. SPE EVANGELII; quasi dicat, Sperando promissa per Evangelium.

V. 24. PRO VOBIS, scilicet toleratis. DESUNT, scilicet patienda a Christianis, qui corporis Christi membra sunt. IN CARNE; quasi dicat, Expleo partem meam, ut iungatur cum *desunt*: quamquam & cum *adimpleo* iungi potest.

V. 25. CUIUS, scilicet Ecclesiæ. IMPLEAM, id est plene annuntiem; vel quasi dicat, Impleam homines verbo Dei.

V. 26. MYSTERIUM, scilicet vocationis gentium.

V. 27. GLORIAE; pro, gloriosas, seu gloriosi, ut ad *sacramenti* referatur. GENTIBUS, scilicet communicandas; vel quasi dicat, In gentibus impleti. SPES GLORIAE, id est per quem gloriam speratis.

V. 28. CORRIPIENTES. Græc. *monentes*. IN OMNI, id est cum perfecta. OMNIUM, id est totum, scilicet corpore & anima: Clemens V. Strom.

V. 29. CERTANDA, scilicet contra hostes, & impedimenta. OPERATIONEM, id est efficaciam. IN VIRTUTE, id est potenter.

MARIANAE.

Verf. 1. QUI SUNT COLOSSIS. *Colossæ* inter oppida Phrygiæ celeberrima numerantur a Plinio Lib. V. cap. XXXII. ab Strabone Lib. XII. vicina Laodiceæ, quam in Phrygia etiam eo libro Plinius ponit cap. XXVI. Erant qui cum Suida & aliis *Rhodios* vocari aiunt *Colossenses* a Colosso Solis æreo septuaginta cubitorum, qui erat in ea insula. De quo ad calcem Ptolemæi Cosmographiæ liber de Locis & mirabilibus mundi, cap. XIX. SANCTIS, ET FIDELIBUS; pro, *sanctis*, id est *fidelibus*.

V. 3. SEMPER PRO VOBIS ORANTES; pro, cum oramus, gratias Deo agimus.

V. 5. QUAM AUDISTIS, scilicet *quam spem*.

ſpem prius, ut eſt Græc. *audiſtis*. In verbo veritatis Evangelii; pro, ſcilicet in verbo Evangelii. Quod

V. 6 In universo mundo est, ſcilicet prædicatum, aut ſuſceptum Evangelium.

V. 7. Sicut didicistis ab Epaphra. Paulus non vidit Coloſſenſes, ut cap. II. I. dicitur. *Epaphras* fuit eorum Apoſtolus, cui vincto Romæ cum Paulo ſucceſſit Archippus cap. IV. 12. 17.

V. 8. Dilectionem vestram, qua me diligitis. In spiritu, id eſt vera & ſancta mihi manifeſtavit Epaphras.

V. 9. Orantes; pro, non ceſſamus orare & poſtulare. Participia pro infinitivis, Ut ambuletis digne,

V. 11. Confortati, ſeu *roborati*. Secundum potentiam claritatis eius, ſeu *gloriæ*, δόξης; hoc eſt, ſecundum eius potentiam glorioſam & magnam, id eſt ut ipſe poteſt præſtare.

V. 12. Gratias agentes: pro, non ceſſamus gratias agere Deo. Qui dignos nos fecit in partem sortis ſeu *hereditatis* sanctorum, κλήρος *ſortem & hereditatem* ſignificat. In lumine, id eſt per lumen, ſcilicet Evangelii. Et tranſtulit in regnum

V. 13. Filii dilectionis suae, id eſt dilecti ſingulariter præ aliis omnibus Chriſti.

V. 15. Qui est .... primogenitus omnis creaturae. Epiphanius Hæreſ. LXXIII. hoc ſumptum putat ex illis verbis: *Dominus fecit me principium viarum in opera ſua*: Proverb. VIII. 22.

V. 16. In ipso condita ſunt omnia. Græc. εἰς αὐτὸν, *in ipſum*, id eſt propter ipſum. Rurſus, Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt; pro, *in ipſum*, id eſt propter ipſum.

V. 17. Et omnia in ipso constant, id eſt per ipſum. Eadem vox non uno modo accipi debet.

V. 18. Qui est principium. Alludit ad Gen. initium, ubi in principio, verbo Deus fecit omnia.

V. 19. Omnem plenitudinem. Divinitatis ſcilicet & donorum habitare, placuit in ipſo. Goth. *In ipſo complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter*. Sed ſumptum eſt ex cap. II. 9. Pacificans per eum.

V. 20. Sive quae in terris. Homines & Angelos ſignificat conciliatos eſſe Deo per mortem Filii.

V. 21. Et inimici sensu, id eſt mente & voluntate, διανοίᾳ, cum vos eſſetis, reconciliavit, ſi permanetis in Evangelio, quod eſt prædicatum

V. 23. In universa creatura, id eſt ubique. Alludit ad illud Marc. XVI. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Cuius ego ſum miniſter,

V. 24. Et adimpleo ea quae desunt. Chriſtus patitur in ſe, & in ſuis membris. Hæ poſteriores paſſiones deerant, eas ex parte adimplet Paulus ſuis afflictionibus.

V. 25. Secundum dispensationem Dei, ordinationem, commiſſionem, poteſtatem mihi in vos datam. Ut impleam, id eſt explicem.

V. 26. Mysterium, ſcilicet incarnationis, redemptionis; de quo ad Rom. XVI. 25. ad Epheſ. III. 9. II. ad Tim. I. 10. ad Titum I. 2. Petri II. cap. I. 3. Ante abſconditum, nunc manifestatum est sanctis, id eſt fidelibus, quibus.

V. 27. Divitias gloriae, id eſt glorioſas. In Gentibus, id eſt in Gentium converſione, voluit Deus notas facere. Quod eſt Chriſtus, in quo laboro,

V. 29. Certando. Græc. ἀγωνιζόμενος. Syr. מתכשף *methcaſeph*, id eſt *inſtans*; ſeu *certans precibus*. Syriaci Interpres vertit, *laboro & preces auſpicor*, non ſatis ad rem. Secundum operationem eius ſeu *efficaciam eius* quam in me effecit. In virtute, ſcilicet ſua, *ſuo auxilio*, ut Syr. vertit.

MENOCHII.

Verſ. 1. Per voluntatem Dei: vide dicta Epheſ. I. 1. Et Timotheus frater: vide dicta ad Philipp. I.

V. 2. Fratribus in Christo Iesu: qui nos genuit per ſuam mortem, & baptiſmum.

V. 3. Gratia vobis, &c. ſupple donetur, vel augeatur. Deo, et Patri: Deo, qui eſt Pater.

V. 4. Fidem vestram in Christo Iesu: in Chriſtum Ieſum. Vel, quam ha-

habetis de universo Christi mysterio. Dilectionem quam habetis in sanctos: caritatem, quam exercetis erga quoscumque fideles.

V. 5. Propter spem, id est bona sperata. In verbo: per verbum.

V. 6. Sicut et universo mundo, id est in præcipuis totius mundi partibus, & provinciis est hoc verbum, sive prædicatio Evangelii. Sicut in vobis, scilicet crescit, & fructificat. Gratiam Dei in veritate: vere audistis, & cognovistis gratiam Dei. Vel, cognovistis veritatem gratiæ Dei, id est redemptoris, & salutis per Christum allatæ.

V. 7. Sicut didicistis ab Epaphra. Theodoretus ait hunc Ephaphram Colossensem fuisse. Verisimile autem est eum, cum Romam ad salutandum Paulum, & sublevandum venisset in carcerem coniectum fuisse. Conservo nostro: qui nobiscum Christo servit in Evangelio. Minister: διάκονος, quæ vox officium, & ministerium hoc loco significat, non autem ordinem. Laudat Epaphram quod fidus sit, ac sincerus Christi minister in procuranda Colossensium salute.

V. 8. Dilectionem vestram: qua me, & Christianos omnes prosequimini. In spiritu, id est spiritualem, quæ sola vera, firma, ac solida, est dilectio. Vel quæ a Spiritu sancto, qui in vobis est, proficiscitur. Vel, quæ est ex animo, spiritu, & intimis præcordiis. Vel conceptam animo, & spiritu, cum numquam de facie illum novissent.

V. 9. Ex qua die audivimus, scilicet hæc bona de vobis, fidem, dilectionem, &c. Agnitione voluntatis eius: qua Deus voluit, & decrevit nos sibi reconciliare, iustificare, & salvare per Christum, non autem per Angelos. Vel, generatim intelligit cognitionem divinæ voluntatis in quolibet negotio, magnum enim est Dei beneficium illum nosse. In omni sapientia, et intellectu spirituali. Vide dicta ad Ephes. cap. 1. n. 8.

V. 10. Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: significat digne Deo ambulare aliud non esse, quam Deo per omnia placere. In omni opere bono fructificantes, id est fructum omnis generis bonorum operum ferentes. Et crescentes in scientia Dei: crescit in agnitione, sive scientia Dei, qui in divinorum mysteriorum notitia quotidie proficit.

V. 11. In omni virtute confortati. Non solum rogat Apostolus, ut in omni genere virtutum crescant, sed etiam pericula impendentia circumspiciens fortitudinem illis precatur. In Græco, ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμούμενοι, ad verbum, *In omnipotentia facti potentes*. Vatabl. *Omni robore corroborati*. Secundum potentiam claritatis eius: δόξης αὐτοῦ, *gloriæ eius* id est secundum potentiam inclytam, & gloriosam Dei, qua vos communiri oportet, cum insurgunt hæreses, & persecutiones. Neque enim sunt metiendæ, aut æstimandæ vires, quas interdum in sanctis obstupescimus, ex humana illorum imbecillitate, sed ex divina, qua corroborantur, virtute. Præclare Bernard. Serm. XXV. in Cant. *Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes, qui in se sperant*. In omni patientia, et longanimitate: significat virtutem, ac robur quo per Dei potentiam sunt roborandi, situm esse in patientia, & longanimitate, ut in omnibus adversis patientes sint, gaudeant, Deo gratias agant, & post tristitia, expectent tempora lætiora.

V. 12. Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum: qui dignatus est nos assumere in partem hereditatis electorum, & sanctorum suorum; id est, qui nobis dignitatem, & excellentiam illam contulit, ut essemus inter sanctos, & electos eius, scilicet participes eiusdem cum illis hereditatis cælestis. In lumine: Evangelii, quod Christus nobis e cælo attulit.

V. 13. De potestate tenerrarum: dæmonum, qui tenebræ sunt, seu potestas tenebrarum, qui lucem illam, quæ lucet in tenebris, obscuri, & tenebricosi numquam comprehenderunt. Ipsi sunt architecti tenebrarum, idololatriæ, & scelerum quorumcumque. Ipsi tenebras amant, tenebris sunt addicti, & ad easdem tenebras homines trahere nituntur. In regnum: Ecclesiam, quæ sæpe in sacris literis appellatur regnum Dei. Filii dilectionis suae: filii sui dilecti.

V. 14. In quo habemus redemptionem,

NEM, &c. Redemptionem a servitute peccati, quæ re ipsa non aliud quam remissio peccatorum.

V. 15. QUI, scilicet filius. IMAGO DEI: Patris. PRIMOGENITUS OMNIS CREATURAE. Dicitur Christus primogenitus, quia ante omnem creaturam est genitus, utpote ab æterno.

V. 16. IN IPSO: per ipsum. IN IPSO CREATA SUNT. In Græco est εἰς ἀυτὸν, *in ipsum*, hoc est ad ipsius gloriam.

V. 17. ANTE OMNES: Angelos, & creaturas quaslibet. IN IPSO CONSTANT: omnia per eum consistunt, & conservantur.

V. 18 CORPORIS: mystici. PRINCIPIUM: ἀρχή, sed omnes fere Græci interpretes legunt ἀπαρχή, sed id est, *primitiæ*, scilicet præcipua, & nobilior pars huius mystici corporis, ut sunt primitiæ inter fructus. Itaque egregie Ambros. Lib. I. epist. XXII. *Primitiæ*, inquit *dicitur Christus*, *quia sanctior omnibus fructus*, *qui etiam ceteros omnes consortes sui fructus sanctificavit*. Porro retinendo vulgatam editionem sensus est, Christum esse principium, fontem, ducem, & auctorem resurrectionis, & resurgentium ex mortuis. PRIMOGENITUS EX MORTUIS, id est primo resurgens ex mortuis ad vitam immortalem. UT SIT IN OMNIBUS IPSE PRIMATUM TENENS. *Nam & ante omnia sæcula natus est ex patre*; *& ante omnes homines resurrexit ex mortuis ad vitam immortalem*; *& tamquam caput influit omnem gratiam Ecclesiæ*. *Itaque in quovis ordine tam creationis*, *quam regenerationis*; *tam naturæ quam gratiæ*, *tam visibilium creaturarum*, *quam invisibilium*, *in omnibus primatum tenet*. Ita Oecumenius.

V. 19. IN IPSO: Christo. COMPLACUIT: PATRI. OMNEM PLENITUDINEM INHABITARE, id est omnem perfectionem tum sapientiæ, tum gratiæ, tum potestatis; tum denique ipsius divinitatis. INHABITARE: non tantum per operationem, sed etiam per essentiam.

V. 20. RECONCILIARE OMNIA, id est omnes homines. IN IPSUM: εἰς αὐτὸν, id est *sibi*. PACIFICANS PER SANGUINEM, &c. sensus est: Deus pater voluit per Christum omnia, nimirum cælestia, atque terrestia, id est Angelos, & homines inter se reconciliare, uniendo eos tamquam unum corpus in Christo, ut capite; pace inter eos composita per sanguinem eius in cruce effusum, quo peccatum, quod erat inimicitiæ causa, deletum est.

V. 21. SENSU: τῇ διανοίᾳ, *mente*, & *voluntate*. IN OPERIBUS MALIS: malis operibus dediti, verbi gratia, idololatriæ, &c.

V. 22. IN CORPORE CARNIS EIUS: in corpore suo carneo, id est vero, & proprio. EXHIBERE: ut exhiberet. CORAM IPSO, id est in conspectu eius, nempe Dei patris.

V. 23. IN FIDE FUNDATI, ET STABILES, id est pro fundamento fidem stabiliter retinentes. A SPE EVANGELII: a spe bonorum cælestium, quæ promittit Evangelium, quod audistis. IN UNIVERSA CREATURA: per omnes gentes, per universum mundum. CUIUS, scilicet Evangelii. MINISTER: creditum enim mihi est ministerium illud prædicandi.

V. 24. PASSIONIBUS: afflictionibus. PRO VOBIS: quas pro vobis sustineo. ET ADIMPLEO EA QUAE DESUNT PASSIONUM CHRISTI IN CARNE MEA; quasi dicat: Opus fuit, ut Christus multa in corpore suo vero, & etiam in corpore mystico pateretur. Porro Christus in corpore suo vero passus est cruciatus, & mortem; nunc igitur vicissim & ego, qui sum membrum corporis mystici adimpleo quæ desunt, multa patiendo pro Christo, & eius Ecclesia. ADIMPLEO: ἀνταναπληρῶ, *vicem impleo*.

V. 25. CUIUS, scilicet Ecclesiæ. SECUNDUM DISPENSATIONEM DEI: ut dispensem toti familiæ, id est singulis fidelibus, bona, & dona Dei Domini mei. UT IMPLEAM VERBUM DEI, id est plene, prædicem verbum Dei, & compleam prædicationem Evangelii, quam cæpit Christus.

V. 26. MYSTERIUM: quod verbum Dei, mysterium est quod præcedentibus sæculis incognitum fuit. SANCTIS EIUS. Sanctis, & fidelibus novi testamenti.

V. 27. DIVITIAS GLORIAE, id est divitem, locupletem, & bonis spiritualibus abundantem gloriam huius mysterii. QUOD EST CHRISTUS: quod scilicet Sacramentum, vel mysterium est Christus, & eius Evangelium. IN VOBIS SPES GLORIAE, id est qui in vobis est spes gloriæ, hoc est, spes gloriosa, quia videl. per Christum ma-

magnifica, & glorioſa bona ſperatis vos adepturos.

V. 28. QUEM NOS ANNUNCIAMUS. Quem Chriſtum nos Apoſtoli mundo annunciamus. CORRIPIENTES OMNEM HOMINEM: totum genus humanum verſabatur in Dei ignorantia, & peccatis, ac propterea de his corripiendum. In Græco eſt, νυθετοῦντες, quod tam admonentes, quam increpantes, vel corripientes, aut caſtigantes ſignificat. ET DOCENTES OMNEM HOMINEM IN OMNI SAPIENTIA, id eſt inſtituentes omnes homines in perfecta cognitione Dei, & myſteriorum fidei, quæ eſt vera ſapientia. UT EXHIBEAMUS OMNEM HOMINEM PERFECTUM, &c. ut reddamus omnes homines perfecte inſtructos in his quæ ad fidem, & cognitionem Chriſti pertinent.

V 29. IN QUO, id eſt ad quem finem. LABORO CERTANDO: enitor, multumque laboro, & periculis me obiicio. SECUNDUM OPERATIONEM, &c. Senſus eſt, Decertans ſecundum efficacem, ac potentem operationem ſeu motionem Chriſti in me. In Græco enim eſt, ἐνέργειαν. IN VIRTUTE, id eſt potenter, valide, efficaciter.

T I R I N I.

Verſ. 6. IN UNIVERSO MUNDO, id eſt in præcipuis totius mundi partibus ac provinciis diſſeminatum EST verbum ſeu prædicatio Evangelii. En ex tunc Eccleſiam *Catholicam*, etiam in infantia.

V. 7. EPAPHRAS: a Coloſſenſibus ad Paulum ſolandum iuvandumque Romam miſſus fuerat, ibique in carcere ſimili detentus. Videtur Epiſcopus fuiſſe Coloſſenſium: unde & a Paulo *conſervus* vocatur, ſeu collega in prædicando & propagando Evangelio. Huic in ſede Coloſſenſi ſucceſſit *Archippus*, de quo infra *a*.

V. 8. MANIFESTAVIT NOBIS DILECTIONEM VESTRAM IN SPIRITU, id eſt ſpiritualem, ſinceram, ſolidam, invictam, ex intimis viſceribus caritatem qua & me & alios Chriſtianos proſequimini: ita Chryſoſt.

V. 9. UT IMPLEAMINI AGNITIONE, id eſt perfecta ſcientia & fide, VOLUNTATIS EIUS (nempe qua Deus voluit, & ab æterno decrevit, nos ſibi reconciliare, & ſalvare, non per angelos, ſed per Chriſtum unigenitum filium ſuum:) IN, id eſt cum OMNI, ſeu completa, SAPIENTIA, & aſſecutione omnium myſteriorum fidei ET INTELLECTU eorumdem, non carnali vel litterali, ſed SPIRITUALI, vero, puro, ſolido.

V. 11. OMNI VIRTUTE, ſeu fortitudine interna, CONFORTATI adverſus impendentia pericula, SECUNDUM POTENTIAM CLARITATIS; δόξης, id eſt *gloriæ eius*, id eſt per Dei potentiam claram, illuſtrem & glorioſam: qua cælitus communiemini, non ferreis aut chalibeis tunicis, ſed invicta PATIENTIA ET LONGANIMITATE.

V. 12. DIGNOS NOS FECIT IN PARTEM SORTIS SANCTORUM; id eſt, nullis noſtris meritis per ſolam gratiam ſuam retulit nos in album Chriſtianorum, ſeu fecit nos participes *ſortis*, id eſt hereditatis fidelibus promiſſæ ac repoſitæ: idque IN LUMINE, id eſt per lumen fidei in terris, gloriæ in cælis, verſ. 13. *transferens* NOS DE POTESTATE & ſubiectione TENEBRARUM, id eſt dæmonum *b* & infidelitatis, IN REGNUM FILII DILECTIONIS SUAE, id eſt in Eccleſiam filii ſibi unice dilecti *c*: ita Theodor. & Theophyl.

V. 15. QUI EST IMAGO *d* DEI Patris, Patri per omnia ſimilis, & æqualis, adeoque eiuſdem eſſentiæ & naturæ cum Patre: qui cum prorſus INVISIBILIS nobis ſit, per hanc ſui *imaginem*, carneis coloribus aliquando expreſſam, nobis innotuit, PRIMOGENITUS, in Græco eſt non πρωτόκτιστος, id eſt primo creatus, ut (volebant Ariani, dicentes Chriſtum eſſe creaturam, & omnes creaturas eſſe ſorores Chriſti:) ſed πρωτότοκος, id eſt *primogenitus*, OMNIS CREATURAE, ſeu ante omnem creaturam *e* genitus a Deo. Vel *primogenitus*, id eſt unigenitus, ut alibi etiam accipitur *f*: ita Ambroſius, Theodor. Theophyl.

V. 16. IN IPSO, id eſt per ipſum *g*, CONDITA SUNT UNIVERSA: ET IN IPSO, græce εἰς αὐτὸν, id eſt in ipſum, ſeu ad & propter gloriam ipſius, OMNIA CREATA SUNT; quaſi dicat: Chriſtus, uti tempore, ita etiam dignitate, cauſalitate, potentia, rerumque omnium productione excellit omnes *thronos*, *dominationes h*, omneſque alios etiam ſupremos angelos: quanto magis enneas, βαθμοὺς, æones, & alia

alia ficta nomina cacangelorum Simonis, Valentini & aliorum *i* Novatorum *?* unde non angelis, sed uni Christo deferenda est dignitas nostræ redemptionis ac salutis: qui est

V. 18. PRINCIPIUM *k* vitæ & essentiæ omnium rerum, inquit Anselmus: ET PRIMOGENITUS EX MORTUIS, id est primus omnium mortuorum, regeneratus per resurrectionem ad vitam immortalem *l*.

V. 19. QUIA IN IPSO COMPLACUIT Patri cælesti, OMNEM *m* PLENITUDINEM & perfectionem scientiæ, gratiæ, potentiæ, divinitatis INHABITARE, non tantum per efficaciam vel operationem, sed etiam per essentiam, inquit Theophyl. & Anselm.

V. 20. ET PER EUM RECONCILIARE OMNIA cælestia & terrestria IN IPSUM, id est sibi. Hebræis enim idem nomen est absolutum & reciprocum, inquit idem Theophyl.

V. 21. CUM olim ESSETIS *abalienati* a Deo non fato, non alia necessitate, non etiam sola originali labe, sed SENSU, id est sponte, propria voluntate & malitia; quod testificabamini tot OPERIBUS MALIS;

V. 22. NUNC vos Deus per Christum, RECONCILIAVIT sibi, IN CORPORE non imaginario vel phantastico (ut aiebat Simon Magus) sed CARNIS, seu carneo, neque in alieno corpore (ut fingebat Basilides) sed EIUS proprio, passum & mortuum.

V. 23. UNIVERSA CREATURA per synecdochen ponitur pro omnibus gentibus *n*: genus pro specie nobilissima, id est pro homine.

V. 24. GAUDEO IN PASSIONIBUS quas PRO VOBIS vestro bono commodo sustineo, ET ADIMPLEO EA QUAE DESUNT PASSIONUM CHRISTI. Græce, ἀνταναπληρῶ, id est vicem reddens adimpleo: licet enim Christi passio & redemptio fuerit in se sufficientissima toti mundo liberando, tamen ut illa membris singulis Christi actu applicetur multa illis & facienda & patienda supersunt, ut pulchre S. Thomas demonstrat: divina providentia sic disponente, ut quemadmodum in proprio naturali corpore Christus olim multa passus est, ita etiam in mystico suo corpore, id est Ecclesia & in singulis membris suis, id est fidelibus, patiatur: cum æquum sit membra capiti per omnia conformari.

V. 25. UT IMPLEAM VERBUM DEI; id est, ut verbi Dei prædicationem quam Christus cœpit ego compleam: quod verbum Dei

V. 26. MYSTERIUM est hactenus ABSCONDITUM *o*,

V. 27. QUOD EST CHRISTUS, seu de Christo Dei Filio incarnato & passo, qui IN VOBIS est SPES GLORIAE; id est, per cuius redemptionem & meritum vos speratis æternam gloriam, inquit Ambros. Theodoretus, & Anselmus.

(a) Cap. IV. 12. & 17.
(b) Ephes. VI. 12.
(c) Proleg. de idiotismis Hebr. n. 40.
(d) II. Cor. IV. 4. & Hebr. I. 3.
(e) Eccli. XXIV. 3.
(f) Matt. I. 25.
(g) Ioan. I. 3.
(h) Ephes. I. 21.
(i) Apud Epiphanium in hæresi Simonis, Basilidis Menandri, &c.
(k) Psal. CIX. 3. Ioan. VIII. 25.
(l) I. Cor. XV. 20.
(m) Hic cap. II. 3.
(o) Marci ult. 15.
(o) Ephes. III. 5. &c.

GORDONI.

Vers. 1. PAULUS. Precatur, ut in Epi- 4. & 5. stolis ad Ephesios & Philippenses. Et professus se Apostolum a Christo designatum, salutat Colossenses ut fideles, & baptismo sanctificatos. Epaphras est ex Chrisostomo, & hic vers. 8. qui Paulo narravit statum Ecclesiæ Colossensis, & quem hic vers. 7. vocat servum illius Ecclesiæ & fidelem ministrum: Theodoretus Epaphram putat fuisse Colossensem.

V. 9. IDEO ET NOS. Ex quo, inquit, inaudivi de vestra conversione ad fidem, pro vobis oro, & hortor ad felicem in Christo progressum, UT AMBULETIS, vers. 10. DIGNE DEO, sub immensa Dei potentia, qua benigne eos adiuvat, qui eum patienter & longanimiter expectant & venerantur.

V. 12. Excitat hic ad gratiarum actionem pro tanto beneficio: & inde producto sermone ostendit beneficii magnitudinem, excellentiam Christi, & instruit Colossenses, ut vitam de cetero agant vere Chri-

Christianam. Hoc versu 12. notat in ac. ceptis beneficiis, lumen fidei, redemptionem & spem vitæ æternæ. Idemque plenius explicat, versu 13. & deinceps. Transtulit e regno tenebrarum peccati & mortis ad remissionem peccatorum, & regnum iustorum. Iam de rege.

V. 15. QUI EST IMAGO DEI. En qualem vobis regem propono: Filius Dei est; Deus est; primogenitus omnis creaturæ; quippe ante omnes creaturas genitus ab æterno. Imago Dei invisibilis; Verbum Patris; Patri æqualis; eiusdem essentiæ. Plura versu 16.

V. 16. QUONIAM IN IPSO. Per ipsum, Græc. in ipsum, seu ad ipsius gloriam. Omnia etiam Angeli eius virtute conservantur. Ipse est caput corporis Ecclesiæ, principium illius; primus qui ad vitam immortalem inter omnes resurrexit; in omnibus primatum tenens. Sunt quidem externa indivisa tribus personis; tamen quia filius procedit a Patre velut medians, ideo illi tribuitur talis operatio; & hæc proprie per ipsum, vel in ipso propter immensitatem filii; & ideo extra illum nihil agitur.

V. 18. IPSE EST CAPUT. Hactenus de divinitate Christi: quæ hic dicuntur, eum attingunt maxime, ut homo est. Sic enim est caput Ecclesiæ, & alia insequentia idem docent: sic enim primatum tenet, & placuit Patri esse in Christo plenitudinem divinitatis & gratiæ, & per eum reconciliari terrestria cælestibus. Vide Ioan. cap. VIII. 25. quomodo Christus sit principium. Est etiam primogenitus mortuorum, quia primus resurgentium ad vitam immortalem. Non sic Moses Matth. XVII.

V. 21. ET VOS CUM ESSETIS; quasi diceret: Quis, quantusque sit Christus, videtis. Ad vos ipsos mentem convertite: fuistis aliquando Deo inimici; nunc ex singulari dono amici, immo filii per adoptionem: tantum date operam ne excidatis ab hac gratia Evangelii, cuius ego Paulus minister sum. De dono vocationis & perseverantiæ multa supra in aliis epistolis.

V. 24. QUI NUNC GAUDEO. Titulo legationis, & exemplo tum Christi, tum suo Paulus minister Evangelii ad patientiam hortatur necessariam. Passus, inquit, est pro vestra salute Christus, & ego glorior in his vinculis. Immo ἀνταναπληρῶ, vicissim impleo, multa patiendo pro Christo & eius Ecclesia. Impleo vero; quia hoc tantum post Christi passionem superat, ut passionis fructus per labores Pauli & evangelizantium applicaretur membris Ecclesiæ. Et ut (vers. 26.) mysterium hoc tot sæculis absconditum, in dies manifestetur abundanter; & erga eos potissimum (27.) quos voluit Deus esse suos, & æternæ gloriæ participes: & in hunc finem homines & corripimus & docemus.

C A P U T II.

Hortatur ut caveant ne ullis aut persuasionibus aut imposturis Philosophorum, se legem inducere volentium, seducantur a Christi fide: per quem a peccatis, a potestate diaboli, & ab adverso ipsis chirographo liberati sunt, ut nunc legalia decreta nullo in pretio sint habenda.

1. VOlo enim vos scire qualem solicitudinem habeam pro vo-
bis, & pro iis qui sunt Laodiciæ, & quicumque non vi-
derunt faciem meam in carne: 2. ut consolentur corda
ipsorum, instructi in caritate, & in omnes divitias pleni-
tudinis intellectus, * in agnitionem mysterii Dei Patris
& Christi Iesu: 3. in quo sunt omnes thesauri sapientiæ
& scientiæ absconditi. 4. Hoc autem dico, † ut nemo
vos decipiat in sublimitate sermonum. 5. (*a*) Nam etsi
corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum: gaudens, & videns ordinem
vestrum, & firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei vestræ. 6. Sicut er-
go accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate, 7. radicati, & su-
perædificati in ipso, & confirmati fide, sicut & didicistis, * abundantes in il-
lo in gratiarum actione. 8. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, &
inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mun-
di, & non secundum Christum: 9. quia in ipso inhabitat omnis plenitudo di-
vinitatis corporaliter: 10. & estis in illo repleti, qui est caput omnis princi-
patus, & potestatis: 11. in quo & circumcisi estis * circumcisione non manu
facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: 12. conse-
pulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui
suscitavit illum a mortuis. 13. (*b*) Et vos, cum mortui essetis in delictis, &
præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta:
14. † delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contra-
rium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: 15. expolians prin-
cipatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semeti-
pso. 16. Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, * aut in parte diei fe-
sti, aut neomeniæ, aut sabbatorum: 17. quæ sunt umbra futurorum: corpus
autem Christi. 18. (*c*) Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione
angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, 19. &
non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & coniunctiones submini-
stratum & constructum, crescit in augmentum Dei. 20. Si ergo mortui estis
cum Christo ab elementis huius mundi: quid adhuc tamquam viventes in
mundo decernitis? 21. Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectave-
ritis: 22. quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta & do-
ctrinas hominum: 23. quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in super-
stitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo
ad saturitatem carnis.

(a) I. Cor. v. iii. (b) Ephes. ii, 1. (c) Matt. xxiv. 4.

BRU-

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Vers. 2. In agnitionem mysterii Dei patris & Christi Iesu. Non est auferenda coniunctio &.

Vers. 7. Abundantes in illa, in gratiarum actione. Quidam libri pro *in illo* masculino scribunt femininum *in ea:* sed nequaquam est omittendum *in illo*, quod multi faciunt.

Vers. 11. Circumcisione non manufacta. Cave legas *manifesta* pro *manufacta*, quæ manu fit.

Sequitur. *In expoliatione corporis carnis.* Nec addas *peccatorum* post *corporis*; nec mutes *corporis* in *cutis* quod est pellis.

Vers. 16. Aut in parte diei festi. Non omittas *festi*.

Lectionum Varietas

Vers. 4. Ut *nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.* Quidam coniiciunt, legendum *subtilitate*, ut legit Ambrosiaster; quidam *suasibilitate*, quod est Græce πιθανολογία.

V. 14. Delens quod adversus nos erat chirographum decreti. Pro genitivo *decreti*, quidam libri legunt dativum *decretis*, qui est Græce & Syriace.

Notatio.

Vers. 11. In *quo & circumcisi estis circumcisione non manufacta* [*manifesta* o.) (*non* o.) *in expoliatione corporis carnis*, (*sed* o.) *in circumcisione Christi*. Græca antigrapha, Græcis tractatoribus adstipulantibus, addunt τῶ *peccatorum*. *In expoliatione corporis peccatorum carnis*. B. Augustinus epistola 59. in solutione quæstionis 7. testatur in nonnullis Latinis exemplaribus ita scriptum fuisse. Adamus Sasbour, & nonnulla alia Latinorum exemplarium id habere notat. Nos porro nulla quæ id haberent invenire potuimus; quotquot vidimus omnia id omittunt, concinentibus enarratoribus editionis nostræ, Auctore Glossæ, & posterioribus. Ceterum annotant Auctor Glossæ, & alii aliquot pro *corporis* alias *cutis* legi: atque ita est in quatuor manuscriptis nostris: *In exspoliatione cutis carnis:* in uno utrumque iungitur. *Corporis cutis carnis.* Id quod, *cutis* inquam, glossema fuisse arbitror, textus loco, id est *corporis* substitutum. Glossematicorum enim nostrorum multi (Auctor Glossæ, Lombardus, Carensis, Thoma Gorranus, Bruno.) de veteris circumcisionis exspoliatione pericopen hanc intelligi posse existimant; quidam [Anselmus, Lyranus, Richelius, Gagneius] intelligunt. Unde & coniunctionem adversativam *sed* adiectam reor ei quod sequitur: *In circumcisione Christi:* quam veriores libri Græcis, ac Syris conformiter non agnoscunt. Atqui hunc intelligendi modum Græcus fons non admittit; qui pro eo quod nobis est *non manufacta* una voce ait ἀχειροποιήτῳ, negatione coacta in dictionem, extra quam vim suam non exerat. Citra ambiguitatem Latine verti potuisset: *Absque manibus facta*. Syri legunt: *Circumcisione, quæ non cum manibus in exspoliatione carnis peccatorum in circumcisione Christi*; addunt *peccatorum*, quod nec Græci, nec Latinis omittunt *corporis* aut cæte *carnis*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 1. QUALEM SOLICITUDINEM. Græce ἡλίκον ἀγῶνα, quod quidam vertunt, quantum certamen sive periculum: certe Herodianus in secundo ἀγῶνα usurpat ἀντὶ τῆς ἀγωνίας, id est pro anxietate & solicitudine.

V. 2 UT CONSOLENTUR CORDA IPSORUM. Græc. ἵνα παρακληθῶσιν αἱ καρδίαι αὐτῶν, id est ut consolationem accipiant corda ipsorum instructorum: quod autem interpres legit, INSTRUCTI IN CARITATE, non est quo referatur hic locus, nisi *consolentur* sumatur active, & *ipsorum* pro sua sumatur, ut sit sensus, ut consoletur corda sua instructi in caritate, &c. pro instructi autem Græc. συμβιβασθέντων: συμβιάζομαι autem.

tem ſignificat doceri & certiorem fieri ; unde recte interpres *inſtructi* vertit, & Hilarius *inſtituti*, id eſt ſufficienter inſtituti atque inſtructi IN OMNES DIVITIAS PLENITUDINIS INTELLECTUS, id eſt uſque ad certiſſimam & pleniſſimam intelligentiam in agnitione myſterii Dei, id eſt de cognitione huius myſterii in Deo Chriſto ; πληροφορία autem, quod hic interpres vertit plenitudinem, ſignificat adeo certam rei alicuius fidem, ut nihil iam amplius addubitetur ; & hoc modo ſenſus eſt, ut conſolationem accipiant corda ipſorum, quum inſtructi fuerint in caritate, & uſque ad omnes divitias certiſſimæ & pleniſſimæ intelligentiæ, quod attinet ad cognitionem myſterii Dei & Patris.

V. 4. SUBLIMITATE SERMONUM, Græce πιθανολογία, quo verbo ſignificantur artificia ad perſuadendum accommoda.

V. 6. IN ILLO. Græce ἐν αὐτῇ, id eſt *in illa*, ſcilicet fide.

V. 8. ELEMENTA MUNDI. Ea vocat cultum & obſervationem aſtrorum, quo omnia referebant pſeudoapoſtoli, non Deo auctori, ſed elementorum coniunctionibus, & aſtrorum influxionibus omnia tribuentes ; aut etiam Iudaicas ceremonias, ſicut in fine capitis innuere videtur, de quibus vide ad Galatas quarto, numero quarto.

V. 9. & 10. CORPORALITER, id eſt ſubſtantialiter & ſecundum ſubſtantiam, non ſecundum energiam & operationem : vel corporaliter, id eſt in corpore QUI EST CAPUT OMNIS PRINCIPATUS ET POTESTATIS, id eſt omnium angelorum, ut ſalutem ſuam non angelos, ſed ſuperiorem angelis Chriſtum referre doceat.

V. 11. IN EXPOLIATIONE ; id eſt, non eſtis circumciſi circumciſione carnali & manufacta quæ conſiſtit in expoliatione corporis carnis, hoc eſt in amputatione carneæ partis de corpore, ſed in circumciſione Chriſti, id eſt peccatorum omnium per Chriſtum amputatione.

V. 12. CONSEPULTI, &c. Vide de hoc ad Romanos ſexto, numero tertio.

V. 13. PRAEPUTIO CARNIS VESTRAE, id eſt per concupiſcentias veſtras carnales.

V. 14. CHIROGRAPHUM DECRETI. Interpres legit, τοῦ δόγματος. Eſt autem hoc chirographum, quo ſe per eſum ligni vetiti omneſque poſteros Adam æternæ morti reddiderat obnoxios, iuxta decretum & areſtum Dei dicentis, *quacunque hora comederitis, morte moriemini* : multi legunt pro decreti ἐν δόγμασι, id eſt per δόγματα, ſcilicet quod chirographum delevit per dogmata evangelica.

V. 15. TRADUXIT. Traducere hoc loco ſumitur pro infamia afficere, & velut exemplum & ſpectaculum omnibus proponere : quomodo in triumphis per urbem circum agere captivos victores ſolent, ita Chriſtus victor, in cruce diabolicis poteſtatibus ſpolia detraxit ; TRIUMPHANS ILLOS IN SEMETIPSO, id eſt in ſemetipſo de illis triumphum agens, confidenter, & palam illos traduxit ignominioſe ſuperatos omnibus oſtentans.

V. 16. & 17. NEMO ERGO VOS IUDICET ; id eſt, ne ſinatis vos condemnari ob ſuperſtitiones cibi & potus, AUT IN PARTE DIEI FESTI. Partem autem diei feſti dicit, quia partim dies feſtos obſervabant ſeducti a Iudæis, partim non obſervabant, ET NEOMENIAE, id eſt novilunii aliarumque ceremoniarum legis, quæ ſunt UMBRA FUTURORUM, id eſt umbra tantum ſunt, ideo confeſtim tranſeunt, CORPUS AUTEM, id eſt ſolida veritas Chriſti, eſt in fide Chriſti. Lex enim umbram tantum veritatis habebat : fides Chriſti, ipſum corpus veritatis & ſolidam veritatem.

V. 18. NEMO VOS SEDUCAT. Græce, καταβραβευέτω ; id eſt, ne ſinite ut quis bravium veſtrum & præmium intercipiat, aut iniquorum iudicum malignitate ad alios ut tranſeat : καταβραβεύειν autem, ut hoc loco Theodorus ait, eſt τὸ ἀδίκως βραβεύειν ἢ τοὺς βραβευτὰς καλεῖν τῶν ἀγωνιζομένων κριτάς ; id eſt, καταβραβεῦσαι eſt inique de præmio certantium in agone decernere, & non merentibus præmium aſſignare. Nam & brabeutas vocant concertantium in agone iudices. Senſus ergo Pauli eſt : Hactenus bene concurrerant & certaverant Coloſſenſes & præmium ac bravium erant meriti : quod ſane auferre ab illis volebant pſeudo-apoſtoli, dum ad legis ceremonias & aſtrorum ſuperſtitiones protrudere eos maligne cupiunt. Hæc enim ſignificat τὸ VOLENS ; nemo ergo vos ſeducat

ducat volens, id est de industria ac maligne IN HUMILITATE ET RELIGIONE ANGELORUM, id est per fictam humilitatem, & commentitiam angelorum religionem ac superstitionem: dicebant enim indignum Dei filio, ut ad nos mitteretur, sed omnia quemadmodum in lege, per angelos Deum operari. Photius exponit nemo vos seducat volens, subaudi, hoc facere in humilitate. QUAE NON VIDIT AMBULANS. Græce ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων; id est, in his quæ non novit, nec vidit ambulans, id est ea de angelorum officio, & ministerio docens, quæ ignorat: frustra inflatus sensu carnis suæ, frustra autem, quia non tenens caput, id est quia Christum non tenet nec agnoscit, nostræ salutis auctorem, & caput: ex quo capite totum ecclesiæ corpus per iuncturas, & commissuras compactum, & constructum, & vitæ capiens ab ipso capite subministrationem, augmento Dei crescit: de hac metaphora vide plenius ad Ephesios quarto, numero decimo.

V. 20. SI ERGO MORTUI ESTIS; id est, si Christo in baptismo commortui estis, adeoque elementis huius mundi, id est carnalibus legis ceremoniis mortui, QUID ADHUC DECERNITIS, scilicet huiusmodi præcepta. Ne tetigeritis, neque contrectaveritis, sub. hoc aut hæc, quia immunda sunt. Interpres legit δογματίζετε, id est *docetis*, quod si ita est, ad pseudo-apostolos dirigitur sermo, qui cum in Christo baptizati essent, adeoque legi mortui, huiusmodi tamen adhuc elementa docebant. Græci tamen legunt δογματίζεσθε, id est *docemini*; hoc est, cur vos huiusmodi dogmatis, & ceremoniis, ne tetigeritis, &c. onerari sinitis?

V. 22. & 23. QUAE OMNIA IN INTERITUM SUNT IPSO USU, id est quæ omnia, scilicet cibi, & alia quibus vos onerant dicentes, ne tetigeritis, ipso etiam usu intereunt, vel dum egeruntur; quid ergo opus est de rebus tam facile pereuntibus tam superstitiose docere? vel, Quæ omnia dogmata in interitum, Græce εἰς φθορὰν, id est in perditionem sunt ipso usu, id est speciem quidem sapientiæ præseferentia, in superstitione, & humilitate ficta, id est ob simulatam in illis religionem, & doctorum vestrorum humilitatem. Hæc autem præcepta, ut Græci exponunt, non vera legis mandata sunt, sed quæ Pharisæi suo quæstui commenti erant, de quibus in evangelio Christus ait, *propter traditiones vestras irritum fecistis mandatum Dei*. ET NON AD PARCENDUM CORPORI, &c. Græca lectio longe facilior est, ἢ ἀφειδίᾳ σώματος οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός, id est repetendo superius dicta, quibus quidem dogmatis illorum doctores speciem quidem pietatis præseferunt, in simulata religione, ac superstitione, & humilitate, ἢ ἀφειδίᾳ, &c. id est, & in afflictione corporis, & austera maceratione, & non in nutrienda ad saturitatem carne; hoc est, qui doctores, & quæ mandata pietatem quidem habere videntur, dum fictam præseferunt humilitatem, & religionem, nec corpori suo indulgent sed austera maceratione, & ieiuniis affligunt nec ad saturitatem nutriunt: ἀφειδία enim dicitur immanitas miserendi nescia: nam φείδομαι, *misereor* significat, & parco: illorum ergo qui quasi sui non miserentur, sed misere inedia corpus affligunt per hypocrisin vocat Paulus ἀφειδίαν; quod autem erat ἐν τιμῇ πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός, nos vertimus, in nutrienda ad saturitatem carne, quod ut sæpe iam diximus, Hebræorum more, honor dicitur rerum necessariarum subministratio.

S A.

Vers. 1. NON VIDERUNT. Negant quidam hinc colligi, Paulum non vidisse Colossenses, aut Laodicenses: esse enim sensum, immo & pro iis etiam, quos numquam viderim.

V. 2. INSTUCTI; pro, instructa; vel quasi dicat, Per instructionem, id est perfectionem. OMNES, &c. pro, omnibus, &c. PLENITUDINIS, id est plenæ cognitionis, scilicet per fidem.

V. 3. IN QUO, scilicet Christo.

V. 4. HOC AUTEM, &c. Ostendit suam solicitudinem pro illis. SUBLIMITATE, id est eloquentia. Græc. *persuasibilitate*, seu *probabilitate*.

V. 5. FIRMAMENTUM, id est soliditatem. CHRISTO; pro, Christum.

V. 7. IN IPSO AMBULATE, id est secun-

cundum eius voluntatem agite, seu conversamini.

V. 7. IN ILLO. Græc. *in illa*, scilicet fide.

V. 8. ET INANEM. Explicat quam philosophiam improbat, scilicet inanem, ac decipientem. HOMINUM, scilicet errantium. ELEMENTA, id est rudimenta, vel legales observationes intelligit. Vide infra.

V. 9. PLENITUDO, &c. id est plena Deitas. CORPORALITER, id est essentialiter: Cyrill. II. de recta fide, id est in corpore eius, ut in templo singulari modo: August. epist. LVII.

V. 10. IN ILLO, id est per illum. REPLETI, scilicet donis spiritualibus.

V. 11. IN QUO, id est per quem. CARNIS; pro, carnei. CHRISTI, id est secundum Christi fidem.

V. 12. IN QUO, id est cum quo, vel per quem.

V. 13. DONANS, id est remittens.

V. 14. CHIROGRAPHUM. Metaphora est ab iis qui debent per chirographum, quod laceratur cum solvitur debitum, vel remittitur. DECRETI. Græc. *decretis*, scilicet decreta Dei quæ non servabamus, debitores nos faciebant.

V. 15. EXPOLIANS, scilicet dominio in homines. PRINCIPATUS, scilicet dæmonum. TRADUXIT, id est ostentavit, more triumphantium. CONFIDENTER, PALAM. Unam vocem Græcam duabus reddidit: utrumque enim significat. IN SEMETIPSO, id est sua virtute, seu in passione sua, & resurrectione.

V. 16. IUDICET, id est condemnet. IN CIBO, &c. quasi dicat, Velut non observantes legis veteris cærimonias. PARTE, id est negotio; quasi dicat, In observatione.

V. 17. CORPUS, &c. id est adimpletio, seu veritas figurarum, per Christum exhibita.

V. 18. HUMILITATE, scilicet ficta. RELIGIONE, id est cultu. ANGELORUM, scilicet colebant quidam Angelos superstitiose. QUAE; pro, in iis quæ. SENSU CARNIS, id est prudentia carnali.

V. 19. TENENS, scilicet per fidem, & unionem. SUBMINISTRATUM, id est spiritus subministrationem accipiens. DEI, id est] divinum, seu secundum Deum.

V. 20. AB ELEMENTIS, id est legalibus observationibus, quæ constant rebus materialibus, scilicet soluti. MUNDO, id est his mundanis observationibus. DECERNITIS, id est statuitis, dicendo scilicet quod sequitur.

V. 21. TETIGERITIS, scilicet Lege prohibita.

V. 22. IPSO USU, id est utentibus, scilicet si credat illa ad salutem necessaria; vel quasi dicat, Ipso usu intereunt, seu esse desinunt. HOMINUM, scilicet errantium.

V. 23. RATIONEM, id est speciem. IN; pro, sed in; quasi dicat, At sunt superstitiosa. HUMILITATE, scilicet apparenti. NON AD, pro, ad non; quasi dicat, Macerando corpus. NON IN HONORE, &c. quasi dicat. Non indulgendo & satiando, sed cogendo abstinere.

MARIANAE.

Vers. 1. VOLO ENIM VOS SCIRE, QUALEM SOLICITUDINEM: ἀγῶνα, *certamen*, sed sumitur aliquando pro ἀγωνία. HABEAM PRO VOBIS, ET PRO IIS QUI SUNT LAODICIAE. Erat vicina Colossis, & eadem dogmata & vitia utrobique. ET QUICUMQUE NON VIDERUNT.... IN CARNE. Non prædicavit illis, nec Laodicensibus.

V. 2. UT CONSOLENTUR CORDA IPSORUM. Id scilicet curo, & sumitur passive, scilicet ut consolationem accipiant. INSTRUCTI; pro, & sint instructi. IN AGNITIONEM MYSTERII. Hoc *mysterium* sive arcanum est reconciliatio mundi per crucem Christi. Nemo vos seducat

V. 4. IN SUBLIMITATE SERMONUM: πιθανολογίᾳ, *verisimilitudine*, seu artificio dicendi. Gaudeo videns,

V. 5. FIRMAMENTUM EIUS, stabilitatem, constantiam fidei vestræ. Et estis

V. 7. ABUNDANTES IN ILLO. Græc ἐν αὐτῇ, *in illa*, scilicet fide. Noster legit ἐν αὐτῷ, & melius cohæret. Ergo abundantes in Christo, scilicet bonis operibus. IN; pro, *cum gratiarum actione*. Ne quis vos seducat

V. 8. PER PHILOSOPHIAM. Aliqui Philosophi, fortasse Platonici, versabantur ibi,

ibi, qui inter alia Angelos colendos ut deos docebant; de quo mox. Hos vitandos monet. Clemens Strom. I. ait non loqui Paulum de omni philosophia, sed de Epicurea. SECUNDUM ELEMENTA. Alphabetum, id est puerilia, sic vocat philosophiam, aut etiam legem, qua Deus homines instruxit. ET NON SECUNDUM CHRISTUM, in quo est Divinitas

V. 9. CORPORALITER, id est non, ut in umbra, qualis erat lex, sed vere & substantialiter: Augustinus epist. LIX. Ita *corpus* hic non sumitur, ut ab spiritu distinguitur, sed ut opponitur umbræ & figuræ.

V. 10. ET ESTIS IN ILLO, id est per illum, eius meritis. REPLETI, scilicet donis. Circumcisi non legali circumcisione

V. 11. ET EXPOLIATIONE CORPORIS CARNIS, id est præputii carnis corporalis, aut corporis carnalis. Græc. *in expoliatione corporis peccatorum carnis*, falso, ut puto. *Sed* Græc. non est, nec in Lovan. & Vulgata Reg. vitiose haud dubium: nam sine illa, sententia non constat, estque ἀλλά, id est *sed*, in Velesii margine. Sed in Christi circumcisione.

V. 12. PER FIDEM OPERATIONIS, *energia*. Credendo ergo efficaciam, qua Deus Christum suscitavit, & vos a peccato resurrexistis. Hæc est Christi circumcisio. Donavitque omnia delicta,

V. 14. DELENS .'... CHIROGRAPHUM, quo morti addicti eramus ob peccatum Adæ. DECRETI, scilicet tunc a Deo promulgati. Græce, *decretis*, scilicet vetus chirographum novis Evangelii decretis delevit. AFFIGENS. Ut inutiles, ut crucis pretio soluto debito, cruci affixit, ut videntes chirographum, simul factam solutionem viderent.

V. 15. PRINCIPATUS, id est dæmones. TRADUXIT, infamavit. IN SEMETIPSO, id est per semetipsum, sua virtute, scilicet triumphavit de illis, eosque produxit ut captivos in pompa triumphi.

V. 16. NEMO ERGO VOS IUDICET, id est condemnet, quasi vetitos cibos comedatis. AUT IN PARTE DIEI FESTI, id est *partitione*, ut Syr. id est designatione festorum. Initio anni, computi ratione nondum satis constituta, dies festos & negotiosos partiebantur, designabant. Faciebant id nostri ex Concilio Toletano IV. decret. IV. quoad Festa conceptiva. De quo extant triginta Cyrilli Homiliæ, ex eo *festiva* dictæ, quas nos olim Latinas fecimus e Græcis. Hoc contra Iudæos, mox contra Philosophos. Nemo vos seducat

V. 18. IN HUMILITATE, id est humili & sordida doctrina. ET RELIGIONE ANGELORUM. Plato ex Augustino VIII. de Civitate Dei, cap. XII. deos quosdam ponebat medios: hos Platonici latria colendos disputabant: contra hos Paulus loquitur, & Concilium Laodic. cap. XXXV. *Non oportet Christianos derelicta Ecclesia abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere*. Non legas *ad angulos*, sed *ad Angelos*, ut ex Theodoreto constat, qui hunc Canonem hic citat. Ex quo intelligitur, in ea Phrygiæ regione, ubi Colossenses & Laodiceni erant, viguisse hoc malum & labem multaque ex eo Oratoria D. Michaeli constituta mansisse diu in iis regionibus, idem Theodoretus ait, quæ evertenda Patres eo decreto censuerunt. Nos *Angelos* non colimus ut deos. QUAE NON VIDIT AMBULANS, ἐμβατεύων, id est pompose, & quasi cothurnatus incedens in iis quæ ignorat. INFLATUS SENSU, seu intelligentia carnis: quod caro suggerit, non aliud intelligit.

V. 19. ET NON TENENS CAPUT, id est Christum, in eo non credens. Ex quo corpus Ecclesiæ CRESCIT IN AUGMENTUM DEI, id est crescit incremento Dei, scilicet sancto.

V. 20. MORTUI ESTIS CUM CHRISTO, scilicet per Baptismum. AB ELEMENTIS, id est relicto alphabeto mundi, qualis est lex & philosophia puerilis. Cur ergo legem servare vultis dicentes:

V. 21. NEQUE CONTRECTAVERITIS, id est tetigeritis, quasi ipso attactu immundi sint.

V. 22. QUAE SUNT OMNIA IN INTERITUM IPSO USU, sive *ab usu*. Sic illi dicebant, noxium esse illa facere; idque verba sequentia significant: SECUNDUM PRAECEPTA ET DOCTRINAS HOMINUM.

V. 23. IN SUPERSTITIONE; quasi dicat, Quæ sapientiæ specie sunt superstitiosa, humilia & sordida. ET NON AD PARCENDUM CORPORI; quasi dicat, In qua observatione, nec parcunt corpori, nec illud honorant, nec illud satiant. Ita nec voluptа.

luptatem, nec honorem, nec utilitatem parit ea observatio. Ea est sententia: verba enim satis implicita sunt.

MENOCHII.

Vers. 1. QUALEM SOLICITUDINEM: ἀγῶνα, agonem, laborem, difficile certamen. ET PRO IIS QUI SUNT LAODICIAE. Laodicienses vicini erant Colossensibus, ut diximus in huius epistolæ argumento. Ex hoc loco satis apparet Apostolum non fuisse, nec prædicasse Colossis, aut Laodiciæ. FACIEM MEAM IN CARNE, id est faciem carnis.

V. 2. CONSOLENTUR, id est consolationem accipiant, Græcum παρακληθῶσι est passivum. INSTRUCTI IN CARITATE, id est cum fuerint instructi, & introducti in caritate; hoc enim significat participium Græcum, συμβιβασθέντων. ET IN OMNES DIVITIAS PLENITUDINIS INTELLECTUS, id est & cum fuerint introducti in omnes divitias, id est largissimam copiam plenæ intelligentiæ. Et cum fuerint plene edocti, scilicet de mysterio ut sequitur. IN AGNITIONEM MYSTERII DEI, &c. ut scilicet in omnibus mysteriis fidei, quæ pertinent ad agnitionem Dei Patris, & Christi Iesu, instructi sint.

V. 3. IN QUO, scilicet Christo. ABSCONDITI, id est reconditi.

V. 4. VOS DECIPIAT: παραλογίζηται, id est falsis rationibus, & ratiocinationibus vobis imponat. IN SUBLIMITATE SERMONUM: πιθανολογία, id est persuasorio sermone, in speciosо fuco rationis, & eloquentiæ humanæ.

V. 5. SED SPIRITU VOBISCUM SUM: mente, & affectu. ORDINEM VESTRUM: τάξιν, id est εὐταξίαν, *bonum ordinem* quo bene, & ordinate omnia fiunt. ET FIRMAMENTUM EIUS, QUAE IN CHRISTO EST FIDEI VESTRAE, id est & videns firmitatem, & constantiam fidei vestræ in Christum.

V. 6. SICUT ACCEPISTIS IESUM CHRISTUM: sicut edocti estis ea quæ ad Christum pertinent. IN IPSO AMBULATE: eiusdem vestigiis insistite, nec sinatis vos deiici a recto tramite veritatis.

V. 7. SUPERAEDIFICATI: Christus enim, & fides illius solidum est fundamentum cui insistere debemus. IN FIDE, Christi. SICUT DIDICISTIS: sicut edocti estis ABUNDANTES IN ILLO IN GRATIARUM ACTIONE. In Græco est, ἐν αὐτῇ, *in ipsa*, scilicet fide; quasi dicat: Non solum volo vos esse confirmatos in fide, verum etiam in ea proficere, & proficiendo abundare per pleniorem mysteriorum Christi cognitionem. IN GRATIARUM ACTIONE, id est cum gratiarum actione.

V. 8. NE QUIS VOS DECIPIAT. In Græco est, μήτις ἔσται ὁ συλαγωγῶν, *ne quis sit qui vos deprædetur*, qui vos spoliet; Simonianos enim, & ab eis prognatos Gnosticos aliosque hæreticos vocat prædones, ut & Christus Ioan. x. 8. PER PHILOSOPHIAM: *falsi nominis philosophiam*, ut eam vocat I. ad Timoth. cap. ultim. num. 20. INANEM FALLACIAM: fallaciam veri quadam specie fucatam, & adumbratam apte ad decipiendum, cum tamen solidi nihil habeat, sed sit plane inanis. SECUNDUM TRADITIONEM HOMINUM; quasi dicat, Inanis hæc fallacia non est a Deo, qui est ipsa veritas, revelata, aut inspirata, sed ab hominibus vanis, & errantibus conficta, & tradita, ideoque inanis, & mendax. SECUNDUM ELEMENTA MUNDI: per elementa intelligit Apostolus axiomata quædam, & veluti prima principia, a primis illis philosophis ad posteros quasi per manus tradita, quibus impostores evertere fidei dogmata conabantur, qualia sunt: *ex nihilo nihil fit; a privatione ad habitum non est regressus*; *accidentis esse est inesse*, &c. Hæc enim erant veluti prima sæcularis, & mundanæ philosophiæ rudimenta, quæ fidei mysteriis videntur adversari, si iis divinam potentiam alligemus. ET NON SECUNDUM CHRISTUM, id est secundum doctrinam de Christo, & eius mysteriis vobis traditam, sed potius contra illam.

V. 9. IN IPSO: Christo. INHABITAT OMNIS PLENITUDO DIVINITATIS: in ipso tota Deitas inhabitat. CORPORALITER, id est per unionem ipsius divinitatis cum corporea substantia, id est carne humana in persona Verbi; iuxta illud, *Verbum caro factum est*, Ioan. 1.

V. 10. IN ILLO, Christi. REPLETI: scientia, aliisque donis salutaribus. OMNIS PRINCIPATUS, &c. omnium angelorum.

V. 11. NON MANU FACTA, id est ea, quæ

quæ fit sine manibus, nimirum circumcisione spirituali, quam explicat. In expoliatione corporis carnis: non estis circumcisi circumcisione carnali, quæ fit per decisionem carnis corporis. In circumcisione Christi, &c. quasi dicat, Circumcisi estis Christi circumcisione, quando simul cum eo sepulti estis in baptismo; id est tunc quando baptizati estis.

V. 11. Consepulti: alludit ad baptismum per immersionem, quo corpora aquis merguntur, & quodammodo sepeliuntur, ut emergentes ex illis resurgant ad novam vitam Christianam, mundati a cul. pis superioris vitæ, hoc enim est quod addit, *in quo & resurrexistis*. Per fidem operationis Dei: per fidem, qua credidistis efficacem, & potentem operationem Dei, qua Christum a morte suscitavit; hoc est, per fidem resurrectionis eius, divina virtute factæ.

V. 13. Cum mortui essetis, scilicet privati vita gratiæ. Et praeputio carnis vestrae: vel Gentilismum intelligit, & mores Gentilicios; vel eam carnis incircumcisionem, qua quis carnalibus desideriis obsequitur. Convivificavit cum illo: fecit nos per gratiam participes vitæ Christi. Donans, remittens, condonans.

V. 14. Chirographum decreti. Per Chirographum decreti intelligit obligationem ad pœnam æternam iuxta decretum Dei, & sententiam damnationis in Adamum, & posteros eius peccantes latam. Huic enim obligationi ad pœnam æternam sponte peccando quasi manu nostra subscripsimus, nosque diabolo quodammodo obligavimus. Alii per Chirographum intelligunt legem Mosaicam, quæ in cruce oblitterata, iam nullam vim habet obligandi. Quæ explicatio bene cohæret cum illatione quæ habetur vers. 16. *Nemo ergo vos iudicet*, &c. Et ipsum: chirographum, sive obligationem. Tulit de medio, id est sustulit. Affigens illud cruci: confixit, concerpsit, laceravit, abolevit. In Græco est, προσηλώσας αὐτὸ, *clavis illud configens*, non ut illud stabiliret, sed ut perforaret, laceraret, & penitus aboleret.

V. 15. Expolians principatus, et potestates, id est spolians dæmones sua potestate, & dominatu tyrannico, quem exercebant in genus humanum, hoc Chirographo obligatum. Si dicamus Chirographum esse legem veterem, dicemus, commemorato beneficio legis Mosaicæ deletæ per Evangelium, victoriam contra dæmones, quæ in idem tempus inciderat, prætermittere Paulum noluisse, præsertim cum illi propositum esset Christi dignitatem extollere. Traduxit confidenter: publicæ ignominiæ exposuit. Hoc enim significat Græcum ἐδειγμάτισεν, & vox etiam Latina *traduxit*. Triumphans illos, id est de illis, scilicet de hostibus devictis. In semetipso, id est per semetipsum, per suam virtutem, & victoriam.

V. 16. Nemo ergo vos iudicet, id est reprehendat, vel damnet. In cibo aut potu, id est in delectu, & abstinentia ciborum, & potuum Iudæis præscripta, Levit. 11. Aut in parte diei festi, id est vel in partitionibus dierum festivorum; ut enim vult S. Chrysostomus iudaizantes quædam festa Iudaica servari volebant, quædam negligebant. Vel, *in parte* idem est, ac in negotio; quasi dicat, In observatione.

V. 17. Quae sunt verba futurorum; quasi dicat, Rem ipsam veram, ac solidam per vetera festa adumbratam tenemus in Christo; cessent ergo ipsæ Iudaicæ umbræ festorum præsente veritate. Corpus, id est adimpletio, seu veritas figurarum per Christum exhibita.

V. 18. Nemo vos seducat. In Græco est, καταβραβευέτω, palmam intervertat, præmium intercipiat, bravio vos defraudet; quasi dicat; Bene curritis, palmam habetis proximam, ac pene iam manu contingitis: cavete ne seductores isti vos a veræ religionis cursu ad falsam superstitionem detorqueant, atque adeo palmam e manibus eripiant. Volens, scilicet vos seducere. In humilitate, et religione angelorum. Refellit errorem Simonis Magi, de quo Epiphanius hæresi 21. Asserebat ille Deum inaccessibilem esse, ac proinde Angelis internuntiis opus esse, hos adeundos, hos rogandos, non autem Christum, qui purus fuit homo. Sensus ergo est, volens vos seducere per fictam humilitatem, quasi superbum sit

immediate Deum orare velle, aut inutile ad Christum confugere, hoc pacto falsam Angelorum religionem inducendo. QUAE NON VIDIT AMBULANS: ἐμβατεύων, id est qui de iis quæ non vidit, ita pronunciat ac si ipse cælos ambulasset, & eos pedibus calcasset (hoc enim significat ἐμβατεύειν) & omnia hæc nosset; & nobis de cælo delapsus nuntiaret. Si Epistola hæc scripta esset post tentatum volatum a Simone Mago, & eius lapsum ex aere, eo videtur alludere Apostolus, & ἐμβατεύοντα Simonem appellare, quod conatus esset, aeri dæmonum præsidio ἐμβατεύειν. Corn. a Lapide in Chronotaxi ad Acta Apostolorum vult Epistolam ad Colossenses scriptam anno 60. Christi, volatum vero Simonis Magi anno 68. contigisse. FRUSTRA INFLATUS SENSU CARNIS SUAE, id est inaniter tumens mente sua carnali, quasi cognitionem, immo visiones habeat rerum sublimium, scilicet Angelorum, rerumque cælestium.

V. 19. ET NON TENENS CAPUT, scilicet Christum, sed pro Christo Angelos substituens. Ex QUO: capite Christo. TOTUM CORPUS: Ecclesiæ. PER NEXUS, ET CONIUNCTIONES SUBMINISTRATUM, id est subministrationem accipiens spiritus, motus, & sensus vitalis a capite. IN AUGMENTUM DEI: incrementum accipit fidei, Spiritus Dei.

V. 20. SI ERGO MORTUI ESTIS, id est cum per Christum mortui sitis. AB ELEMENTIS HUIUS MUNDI, id est cum renunciaveritis omni sectæ, & philosophiæ mundanæ vers. sup. num. 8. QUID ADHUC TAMQUAM VIVENTES IN MUNDO, &c. id est cur ea repetitis, quasi rursum secundum hæc mundi elementa vivere velitis. DECERNITIS: δογματίζεσθε, quod vel active verti potest, dogmatizatis, doceris, decernitis; vel passive dogmatizamini, docemini, decretis tenemini sæcularis philosophiæ, dicentis id quod sequitur.

V. 21. NE TETIGERITIS: scilicet menstruatam, aut cadaver, &c. ne immunditiam contrahatis iuxta legem Mosis. NEQUE GUSTAVERITIS: hos, aut illos cibos, quia lege veteri prohibiti.

V. 22. QUAE SUNT OMNIA IN INTERITUM IPSO USU: esca enim, & potus neque per se prodesse possunt animæ, neque obesse; ipso enim usu corrumpuntur, & defluunt. Eodem argumento usus est Christus Matth. xv. 11. & 17. *Non intelligitis, quia omne id, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?* SECUNDUM PRAECEPTA, ET DOCTRINAS HOMINUM: non intelligit Apostolus ipsam legem, sed eorum importunam superstitionem, qui legis abusus inducebant.

V. 23. RATIONEM HABENTIA SAPIENTIAE: λόγον σοφίας, *speciem sapientiæ*; quasi dicat, Falsa hæc religio, qua observantiis quibusdam legalibus coluntur Angeli, videtur, rem parum attente examinantibus, afferre rationes sapientes, & habere speciem veritatis. IN SUPERSTITIONE: ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, in voluntaria hac, & ab illis excogitata superstitione. ET HUMILITATE: & in voluntaria hac humilitate, & demissione cultus ab ipsis inventi, quo se Angelis submittunt. ET NON AD PARCENDUM CORPORI: καὶ ἀφειδίᾳ σώματος; quasi dicat, *Et corporis imparcentia*, si ita loqui fas est. Simulant pietatem corpori non parcentes, id est austeritates quasdam corporales usurpantes. NON IN HONORE ALIQUO AD SATURITATEM CARNIS; id est, negato honore corpori, id est corpus fraudando necessario subsidio, quo saturari posset. Honor in Scriptura est subministratio earum rerum, quæ ad victum, & cultum corporis requiruntur. Sic explicavit Christus Matth. xv. 3. & Marci vii. 12. præceptum de parentibus honorandis: & I. ad Cor. xii. 23. honor accipitur pro indumento, pro alimento I. Tim. v. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.*

T I R I N I.

Vers. 2. UT CONSOLENTUR: passive, id est consolationem accipiant, (Græcum enim παρακληθῶσι passivum est,) cum plene INSTRUCTI fuerint CARITATE in Deum & proximum, & assecuti OMNES DIVITIAS PLENITUDINIS INTELLECTUS, id est largissimam copiam perfectæ intelligentiæ, *agnitionis* & fidei, maxime circa mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & incarnationis ac passionis Filii Dei,

V. 3. IN QUO solo, & non angelis (ut fingunt

fingunt isti hæretici) SUNT ABSCONDITI OMNES THESAURI omnigenæ SAPIENTIAE, SCIENTIAE, immo & *divinitatis a*.

*V.*8. NE QUIS VOS DECIPIAT PER PHILOSOPHIAM, non omnem, sed eam quam *falsi nominis* alibi *b voco*, nempe INANEM, nihil solidi habentem; nec veram scientiam, sed meram FALLACIAM; non ex divina inspiratione vel revelatione haustam, sed ex vanissimorum HOMINUM inventione ac *traditione*; NON SECUNDUM CHRISTUM, & doctrinam Christi (licet id præse ferant *c*,) sed SECUNDUM ELEMENTA MUNDI, id est rudimenta, axiomata, prima principia mundanæ doctrinæ, quibus animos suorum a pueritia imbuunt mundani homines. Talia axiomata apud Gentiles erant, *Ex nihilo nihil fit*: *A privatione ad habitum non est regressus*: *Accidentis esse est inesse*, &c. Apud Iudæos, *Masculus d cuius præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Mundandum e quod deforis est calicis & paropsidis. Observabitis f ceremonias istas. Scimus g quia Moysi locutus est Deus*, &c. His similibusque quasi certis & claris principiis conabantur impostores imponere rudioribus, & mysteria fidei Christianæ convellere, metientes naturali imbecilitate divinam omnipotentiam, & perfide dissimulantes, Christum non esse nudum hominem, sed hominem Deum.

V. 9. QUIA IN IPSO INHABITAT OMNIS PLENITUDO DIVINITATIS; id est, tota & plena divinitas cum omnibus suis attributis ac perfectionibus. Divina enim Verbi persona hypostatice unita est humanæ naturæ Christi, duplici vinculo unitivo, (quod Scholastici vocant *inexistentiam* in Verbo:) uno spirituali, quo anima adglutinatur Verbo: altero corporali, quo corpus Christi eidem Verbo adnectitur. Unde merito dicitur hic divinitas in Christo inhabitare etiam CORPORALITER, sicut anima in corpore inhabitat corporaliter, inquit S. Augustinus *h*, Theodor. Theophyl. & S. Thomas *i*, & nos alibi k docuimus. Atque ita, teste eodem S. Augustino & Prospero *l*, per *corporalem* inhabitationem, id est veram, realem, substantialem atque hypostaticam connexionem divinitatis cum humanitate Christi, excludit hic Apostolus phantasticam earumdem coniunctionem, quam Manes postea confinxit; & coniunctionem per accidens, scilicet per operationem & motum, quam Nestorius docebat; denique etiam umbraticam inhabitationem, quali Deus habitabat in propitiatorio Mosaico. Scic vers. 17. per *corpus* intelligit veritatem, & opponit illud *umbra*.

V. 11. CIRCUMCISI ESTIS CIRCUMCISIONE CHRISTI; seu qualem exigit Christus; nempe spirituali circumcisione ac refectione pravorum actuum, habituum appetitum, quando fuistis Christo commortui, &

V. 12. CONSEPULTI ET IN BAPTISMO *m*: per quem ET iam RESURREXISTIS a morte peccati & veteris hominis ad vitam iustitiæ & novi hominis, PER FIDEM OPERATIONIS DEI, id est per fidem qua credimus potentem operationem & infinitam fortitudinem Dei in resuscitatione Christi; quasi dicat: Per fidem in Christum, divina virtute sua a mortuis resuscitatum *n*: ita Ambrof. & S. Thomas.

V. 13. CUM ESSETIS IN PRAEPUTIO CARNIS VESTRAE, id est non circumcisi carnaliter, CONVIVIFICAVIT *vos* CUM Christo. Si tunc ad assequendam iustitiam non nocuit præputium, ut quid natis iam vobis obtrudi circumcisionem necessariam esse ad salutem?

V. 14. CHIROGRAPHUM DECRETI, id est obligationem ad mortem & pœnam æternam, iuxta decretum Dei, & sententiam damnationis in peccatores latamo. Huic enim obligationi omnes subscripsimus, primum manu Adami, nomine omnium delinquentis: secundo manu etiam propria, cum actualiter Deum offendimus; ita S. August. S. Thom. Gagneius & a Lapide. Hanc obligationem TULIT, seu sustulit, DE MEDIO Christus, id est cassavit & abolevit sua cruce ac morte, relinquens schedam quasi iam cassam & abolitam CRUCI velut unco *affixam*: ita Theodor.

V. 15. PRINCIPATUS ET POTESTATES, id est dæmones, quantumcumque potentissimos, EXSPOLIANS; primo, sua potestate ac dominio in homines sibi hoc peccati chirographo obnoxios: deinde etiam præda tot millionum animarum quas in limbo quasi in carcere conclusas tenebant: TRADUXIT CONFIDENTER, ἐδειγμάτισε, id est

est *ostentavit*, scilicet Deo & angelis, quasi victor ac triumphator circumvehens secum prædam & hostes in triumphum, inquit Theophyl.

V. 16. NEMO VOS IUDICET, id est reprehendat vel damnet peccati, IN CIBO AUT PARTE DIEI FESTI. Syrus, *partitione festorum*, id est propter delectum vel neglectum observationum & ceremoniarum Iudaicarum, de quibus alibi *p*.

V. 17. QUAE non SUNT nisi UMBRA FUTURORUM mysteriorum in Christo & per Christum completorum. Cum ergo iam teneamus CORPUS CHRISTI, seu veritatem & adimpletionem figurarum per Christum exhibitam, quid opus adhuc inanibus umbris? ita Ambr. Chrysost. Augu. *q* Theodor. Theophyl. & Anselmus.

V. 18. NEMO VOS SEDUCAT, καταβραβευέτω, bravio, palma, præmio defraudet, VOLENS studio vobis imponere ficta HUMILITATE ET RELIGIONE seu cultu ANGELORUM. Neque enim damnat Apostolus religiosum cultum & invocationem angelorum vel Sanctorum (ut fingit Calvinus & Beza ;) sed solum cultum & adorationem falsam & superstitiosam (nam mox *r superstitionem* vocat Apostolus) & idololatricam. Hanc enim docuisse Simonem magum eiusque discipulos, testis est Epiphanius *s*. & eam em Colossis totaque Phrygia maxime viguisse patet ex Concilio Laodiceno & Theodoreto. Postea tamen hæc superstitio in sincerissimum cultum angelorum ibidem est conversa, ut testatur celebre S. Michaelis templum quod erat *Chronis* (sic post dictæ sunt Colossæ *t*,) cuius festum ex celebri miraculo eiusdem Archangeli consignant Græca Menologia 6. die Septembr. Vide Metaphrasten, Surium & Baronium *u*. Porro de angelis incredibilia confingebant impostores isti, ut Christo illos præferrent, teste Tertull. Theodoreto, Irenæo & Epiphanio *x*. QUAE NON VIDIT ullus illorum (etsi id iactent) AMBULANS ἐμβατεύων, id est *alto cothurno incedens*, nempe de cælestibus incolis & angelorum œconomia tam audacter pronuntians ac si cælos omnes pedibus perambulasset, FRUSTRA INFLATUS SENSU CARNIS SUAE, id est inaniter tumens prudentia, seu scientia sua; non cælesti (ut mentitur) sed carnali, non aliunde hausta, sed ex proprio cerebro conficta.

V. 19. ET NON TENENS (per fidem & unitionem) CAPUT Ecclesiæ, scilicet Christum, EX QUO TOTUM CORPUS Ecclesiæ SUBMINISTRATUM, id est accipit subministrationem, puta spirituum vitalium & animalium, ad motum & sensationem necessariorum, inquit Theodor. & Anselmus: IN AUGMENTUM DEI, seu in incrementum virtutum & gratiarum quæ a Deo proficiscuntur.

V. 20. TAMQUAM VIVENTES IN MUNDO, id est in mundanis elementis *y* & observationibus, DECERNITIS quod sequitur:

V. 21. NE TETIGERITIS quæ lege Moysis *z* vel doctrina Simonis Magi *aa*, quasi immunda prohibentur: ita Tertullianus *bb*, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus *cc*, Theodorus. *Celentibus enim angelos & dæmones curæ erat vino, carne, venere abstinere*, inquit Clemens. Alexandr. *dd*

V. 21. QUAE OMNIA IPSO USU, seu quicumque iis utuntur, SUNT IN INTERITUM & æternam perditionem, si credant ea esse necessaria ad salutem ita Ambrosius & Augustinus.

V. 23. RATIONEM QUIDEM apparentem HABENTIA alicuius SAPIENTIAE, (quia utuntur rationibus plausibilibus,) sed nullam soliditatem aut veritatem: IN sua SUPERSTITIONE, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, id est *voluntaria religione*, seu quam ex propria tantum voluntate & cerebro suo confinxerunt, non conformem, sed repugnantem voluntati ac legi divinæ, ideoque falsa, superstitiosa & noxia: ita S. Hieron. Augus. & Theodor. Nihil ergo hic contra consilia Evangelica, constitutiones & abstinentias Ecclesiasticas vel Religiosas, ut vult Kemnitius, Marloratus & Beza: quia hæ non sunt ἐθελοθρησκείας sed θεοθρησκείαι, id est consentanea divinæ voluntati per præcepta & consilia divina nobis manifestata, inquit Vasquez *ee* & Bellarmin. Idem dicendum de ἐθελοταπεινοφροσύνη, id est *voluntaria* (seu ex propria voluntate & cerebro conficta) illorum HUMILITATE, & ἀφειδίᾳ σώματος, id est *imparcentia*, seu *non parcentia*, *corporis*; nam fictas & simulatas habebant austeritates quasdam & afflictiones corporales; NON habentes IN HONORE ALIQUO corpus suum, id est non subministrantes corpori omnia necessaria AD

SA-

SATURITATEM CARNIS explendam. Hebræi enim honor realis eſt ſubminiſtratio rerum neceſſariatum vel utilium, ſeu ad victum, ſeu ad amictum ff ſeu ad alias neceſſitates, inquit S. Hieronymus.

(a) Hic verſ. 9.
(b) I. Timoth. ult. verſ. 20.
(c) Philipp. I. 17.
(d) Gen. XVII. 14.
(e) Matt. XIII. 25.
(f) Exod. XII. 25.
(g) Ioan. IX. 29.
(h) Auguſt. ep. XVII. ad Dardanum.
(i) S Tho. III. p. quæſt. I. a 9. ad 2.
(K) Ioan. II. 19.
(l) Proſper ſententia 393.
(m) Rom. VI. 4. & Epheſ. I. 19.
(m) Rom. X. 9.
(o) Gen. II. 7.
(p) Galat. IV 9. & 10. Rom XIV. &c.
(q) Aug. ep. LIX. ad Paulinum.
(ſ) Hic verſ. ult.
(ſ) Epiphan. in Simone, &c. Conc. Laodic. cap. LIII.
(t) Sup. in præfat. epiſtolæ.
(u) Baron. in Notis Romani Martyrolog. VIII. Maii.
(x) Tertull. Lib. V. contra Marcionem cap. XIX. Theod. Lib. II. hæret. fabul. cap IV. Iren. Lib. I. cap. XV. & ſeqq. Epiphan. in hæreſ Simonis, Menandri, Corinthi, &c.
(y) Hic verſ. 8. & Gal IV. verſ. 3.
(z) Levit. XI. I. &c.
(aa) I. Tim. IV. verſ. 3.
(bb) Tertull Lib. V. cont. Marcion. cap. IX.
(cc) Auguſt. epiſt. LIX. ad Paulinum. Hieron. ad Algaſ. quæſt. X.
(dd) Clem. Lib. III. Stromat.
(ee) Vaſquez Lib. III. de Adoratione cap. VI.
(ff) Matt. XV. 4. Marci VII. 12. & I. Tim. V. 17. I. Cor. XI. 25.

GORDONI.

Verſ. 1. COmmendat Coloſſenſibus & vicinis Laodicenſibus excellentem Chriſti fidem, doctrinam, & agnitionem myſterii. Hoc, inquit, eſt meum deſiderium. Ex verſ. 2. manifeſtum eſt Paulum non prædicaſſe Coloſſenſibus & Laodicenis.

V. 4. HOC AUTEM DICO. Ego qui abſens corpore, mente gaudeo de veſtra felici vocatione: deſidero plurimum ut nemo vos fallat perſuaſorio ſermone, aut ſpecioſo rationis fuco. Viam veritatis ingreſſi eſtis per Chriſtum. State firmiter in hoc veſtro ordine inchoato, non admittentes aliud firmamentum præter id quod poſuit Chriſtus. Vult ergo (ut verba declarant) eos proficere etiam, proficientes abundare, & abundantes agere gratias Deo pro vocationis tam inſigni beneficio.

V. 8. VIDETE. Pleraque ſunt hoc capite, quæ licet ſatis ſint clara, tamen elucidantur ex Græco textu: quia tamen eſt hic ad manum, non moror. Dum hic ſuadet Paulus, ne ſinant ſe falli, opponit plenitudinem divinitatis in Chriſto argutiis fallacibus philoſophorum) qui ſua proferebant quaſi axiomata contra veritatem fidei) aut etiam Moſaicis traditionibus: ſic enim elementa & traditiones hic aliqui interpretantur. Perſtringit illorum temporum tum pſeudoapoſtolos iudaizantes, tum philoſophos. Traditiones taxat inanes & vanas.

V. 9. QUIA IN IPSO. Qui hic ſequuntur verſiculi pleraque habent ſcholaſticæ Theologiæ principia. In Chriſto eſt PLENITUDO DIVINITATIS, ſeu Deus ipſe habitans, & hoc CORPORALITER, hoc eſt, realiter, nempe per unionem hypoſtaticam veræ ſubſtantiæ humanæ cum verbo divino. *In ipſo*, (verſ. 10.) repleti ſumus, & illuſtrati donis ſpiritualibus virtute illius: ipſe caput eſt omnis principatus & poteſtatis. In ipſo, (verſ. 11.) CIRCUMCISI ESTIS CIRCUMCISIONE ſpirituali, ſeu circumciſione quam accepiſtis ſepulti in baptiſmo, IN QUO (verſ. 12.) RESURREXISTIS, renunciantes carnis operibus in novam vitam, & cum eſſetis in delictis, ea vobis donavit & remiſit verſ. 13. Mirum eſt ex tam perſpicuis verbis Novatores tam eſſe cæcos, ut non videant vim iuſtificantem in baptiſmo, remiſſionem perfectam peccati (non ex nuda non imputatione] & fidem in iuſtificatione requiſitam non eſſe fiduciam de nobis, ſed eam fidem qua credimus virtutem Dei efficacem, per quam ſuſcitavit Chriſtum a mortuis. Sed de his alibi ex profeſſo.

V. 14. DELENS QUOD ADVERSUS NOS. Chirographum quod nos reos efficiebat, eſt obligatio ad pœnam æternam iuxta decretum in Adamum & poſteros, Gen. II. Quidam per Chirographum intelligunt legem Moſaicam, ut affixam cruci, & oblitteratam, ceſſante ſic lege Moſaica. Prior interpretatio eſt Chryſoſtomi, Theophylacti, Oecumenii, & ſane bona eſt de reſciſſo pacto cum Adamo, ſublataque obligatione ad pœnam.

V. 15 ET EXPOLIANS. Hoc reliquum eſt

est eorum, quæ cœpit enumerare facta a Christo. Tandem ergo spoliavit deleto Chirographo Dæmonem dominatu tyrannico, triumphans propria virtute de illo. Hoc spectat maxime ad priorem expositionem Chirographi. Et quod insequitur versu 16. ad posteriorem.

V. 16. NEMO ERGO VOS. Quod reliquum est hoc capite eo spectat, ut abstineant a legalibus Mosaicis, utpote quæ erant legis iam abrogatæ: talia erant de ciborum delectu, Neomeniis, certis diebus, & circumcisione: superstitio iam est & vana religio, illa erant tantum umbra futurorum. Corpus autem Christi, id est veritas figurarum per Christum exhibita est. Opponuntur corpus & umbra, recessit umbra, adest corpus & veritas.

V. 18. NEMO VOS SEDUCAT. Teste Epiphanio, Hæres. 21. Deum esse inaccessibilem; & superbum nimis esse, velle Deum immediate orare, sed opus esse intermediis Angelis: hos ut mediatores rogandos, non Christum qui purus homo fuit. Hæc, inquit, sub humilitatis velo hæresis nata, est vobis vitanda. QUAE NON VIDET AMBULANS. Superba hæresis est, quæ non vidit ambulans in sublimibus, pronuncians ἐμβατεύων, accedens, aggrediens, tumido cerebro, ac si sublimia sciret, & haberet visiones. ET NON TENENS CAPUT, vers. 19. scilicet Christum, a quo crescit corpus Ecclesiæ in laudem Dei. Quod est versu 18. *Seducat*, Græcus designat, nemo intervertat bravium, aut palmam impediat.

V. 20. SI ERGO. Concludit: si in baptismo renunciastis legalibus elementis & cæremoniis, cum iam sitis mortui; quid adhuc illis utimini, decernentes hoc vel illud non esse tangendum, per hoc & per illud pollui hominem? An non in hoc sequimini doctrinas hominum, & iam inanes traditiones. Mundana sapientia est. IN INTERITUM, (vers. 22.) IPSO USU; quasi diceret, Quid sunt cibus & potus? per se nec prosunt nec obsunt; sed res parvi momenti, & qui ipso usu pereunt. ET NON AD PARCENDUM, [vers. 23.] In hoc etiam humilis res est, & abiecta ista superstitiosa abstinentia a certis cibis, quod privet corpus humanum suo debito honore & sustentatione. Honor, Matth. XV. vers. 3. accipitur pro alimento. Ceterum discant Novatores, quas hic ceremonias damnet Apostolus; & (si nesciunt) quod proprie sit superstitio.

CA-

CAPUT III.

In monibus eos informat, ut exuto veteri homine cum actibus suis, quos hic explicat, novum induant, in quo non est distinctio nationis aut conditionis; assumant que virtutes, ac variis modis Deum laudent, cuncta ad ipsum referentes: docet deinde quomodo se habere debeant uxores & mariti, filii & patres, servi ac domini.

1. IGitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; 2. quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. 3. Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. 4. * Cum Christus apparuerit, vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. 5. (*a*) Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus: 6. propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: 7. in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis: 8. (*b*) Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. 9. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, 10. & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creavit illum: 11. * ubi non est Gentilis, & Iudæus, circumcisio, & præputium, barbarus, & Scytha, servus & liber: sed omnia, & in omnibus Christus 12. (*c*) Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: 13. supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. 14. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: 15. & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore: & grati estote. 16. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos, * psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. 17. (*d*) Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, * omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum. 18. (*e*) Mulierès subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. 19. Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas. 20. (*f*) Filii obedite parentibus per omnia: * hoc enim placitum est in Domino. 21. (*g*) Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. 22. Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. 23. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: 24. scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite: 25. (*h*) qui enim iniuriam facit, recipiet id quod inique gessit: & non est personarum acceptio apud Deum.

(a) Ephes. v. 3. (b) Rom. vi. 4. Ephes. iv. 23. Hebr. xii. 1. I. Pet. ii. 1. & iv. 2.
(c) Ephes. vi. 12. (d) I. Cor. x. 31. (e) Ephes. v. 22. I. Pet. iii. 1. (f) Ephes. vi. 1.
(g) Ephes. vi. 4 Tit. ii. 9. I. Pet. i. 18. (h) Rom. ii. 11.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 4. *Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra*. Non eſt addenda coniunctio ſive *autem* ſive *enim*

Verſ. 11. *Ubi non eſt Gentilis & Iudæus*. Non intervertas *maſculus & femina*, ſuperfluit enim hoc loco.

Verſ. 16. *Pſalmis hymnis, & canticis ſpiritualibus*. Non eſt præponenda his ablativis præpoſitio *in*.

Verſ. 17. *Omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti*. Non addendum eſt *facite*, ſed ſubaudiendum.

Verſ. 20. *Hoc enim placitum eſt in Domino*. Non eſt omittenda præpoſitio *in*.

C O M M E N T A R I A

G A G N Æ I.

Verſ. 3. Absconditа; quaſi diceret, Etſi nunc inglorii eſtis, & bona futura in Chriſto (propter quem omnia facitis) nunc ſuat abſcondita; quum tamen ille in iudicio apparuerit, bonis præmia, & malis redditurus ſupplicia; tunc & vos in gloria, id eſt glorioſi cum ipſo apparebitis.

V. 6. Super filios incredulitatis. ἀπειθείας, id eſt in incredulos & infideles homines: (hebraiſmus enim eſt) in quibus, ſcilicet operibus vel inter quos filios incredulitatis, id eſt incredulos ambulaſtis.

V. 9. & 10. Expoliantes veterem hominem, id eſt veterem peccandi affectum, & ingenitam conſuetudinem ponentes, *&* induentes novum, id eſt novam in Chriſto vitam: qui quidem novus homo renovatur in agnitione Dei, id eſt per fidem, & cognitionem Dei. Secundum imaginem eius qui creavit illud, id eſt vel iuxta animam, quæ eſt imago Dei qui illam creavit; vel iuxta & per Chriſtum, qui eſt imago Dei creatoris noſtri.

V. 11. Ubi, id eſt apud quem creatorem non eſt diſtinctio Iudæi & gentilis. Omnia in omnibus Christus; id eſt, omnibus ſatis eſſe debet pro rebus omnibus Chriſtus, per quem nimirum omnia bona aſſequemur. Græci exponunt, omnia nobis eſt Chriſtus; ſalvator, Dominus, Deus, caput, ſacerdos, hoſtia.

V. 16. Docentes. Sub. eſtote, alioqui non eſt quo referatur participium; & perinde habet Græca lectio.

V. 17. In nomine Domini Iesu, id eſt propter Ieſum ſub. facite.

V. 21. Ut non pusillo animo fiant: vel animum deſpondeant, & deſperent; nam ἄθυμος puſillanimem, & deſperantem ſignificat.

V. 22. Ad oculum, id eſt in præſentia tantum: vide de hoc Epheſ. vi. 3.

V. 23. Sicut Domino et non hominibus, id eſt tamquam in Domini gratiam, non hominum; hoc eſt, nolite ſpectare ad hominum gratiam, qui plerumque ingrati ſunt, ſed Deum ſpectate a quo maiorem habituri eſtis mercedem.

S A.

Verſ. 1. Consurrexistis, ſcilicet in novam vitam.

V. 2. Sapite, id eſt curate, ſeu cogitate, vel magnifacite. Super terram, id eſt terrena.

V. 3. In Deo, id eſt apud Deum.

V. 4. Vestra. Græc. & Syr. *noſtra*.

V. 5. Fornicationem, ſcilicet ne commiſtatis. Immunditiam, id eſt impudicitiam, ſeu peccatum contra naturam. Libidinem, ſcilicet ceteras luxuriæ ſpecies. Malam; pro, mali. Servitus, id eſt cultus.

V. 6. Venit, id eſt ſolet venire, vel pro, veniet. Incredulitatis, id eſt incredulos. Epheſ. v. vertit idem verbum, *diffidentiæ*. Syr. *inobedientiæ*.

V. 7. Quibus, ſcilicet vitiis.

V. 8.

V. 8. OMNIA, scilicet vitia. BLASPHEMIAM, id est maledicentiam.

V. 9. INVICEM, id est alter alteri. VETEREM, id est carnalem.

V. 10. IN; pro, per.

V. 11. OMNIA, scilicet unum sunt in Christo. CHRISTUS, scilicet est qui eos in se unit.

V. 12. INDUITE, &c. ostendit quæ sint opera novi hominis.

V. 13. DONANTES, &c. id est condonantes inter vos, scilicet alii aliis.

V. 14. VINCULUM PERFECTIONIS, id est perfecte uniens inter se fideles; vel, in se colligens omnem virtutem.

V. 15. EXULTET, id est faciat vos exultare. QUA; pro, quam. CORPORE, scilicet Ecclesiæ. GRATI, scilicet in Deum.

V. 16. VERBUM, id est doctrina. VOSMETIPSOS, id est alios; vel, vosipsi. IN GRATIA, id est cum gratiarum actione.

V. 18. IN DOMINO, id est in iis quæ Deus vult, seu rebus honestis.

V. 19. AD; pro, erga.

V. 20. PER OMNIA, id est, in omnibus, seu perfecte. IN DOMINO. Græc. *Domino*.

V. 21. PUSILLO, id est deiecto.

V. 22. SIMPLICITATE, id est sinceritate.

V. 23. SICUT, id est tamquam.

V. 24. DOMINO; pro, tamquam Domino. Græc. & Syr. *Domino enim Christo servitis*.

V. 25. ENIM; pro, autem. ID; pro, secundum id. ET NON; pro, quia non. ACCEPTIO, id est respectus.

MARIANAE.

Vers. 1. IGITUR, SI CONSURREXISTIS. Infert quæ dicturus est ex illo, *mortui estis cum Christo*. Et particula *si* non est dubitantis, sed asserentis; quasi dicat: Quando consurrexistis, cælestia quærite ubi Christus est, IN DEXTERA DEI SEDENS. AEqualis est maiestatis.

V. 2. QUAE SURSUM SUNT. Quæ sit veri Philosophi occupatio, quæ studia, Espenceus multa Lib. VI. de Continent. Appendice ultimo ex Platone in Theæteto, & VII. de Rep. atque ex Porphyrio, I. & II. de Abstinentia. Ergo, *quæ sursum sunt sapite*, id est veram pietatem & sanctitatem colite.

V. 3. MORTUI ENIM ESTIS quoad veterem hominem. ET VITA VESTRA EST ABSCONDITA, quia spiritualis non videtur modo, apparebit suo tempore. Nunc inglorii estis, merces futura non videtur. Mortificate vitia, avaritiam,

V. 5. QUAE EST SIMULACRORUM SERVITUS; pro, & quæ est; ut sit novum vitium, ut ad Galat. III. 19. De quo ad Ephes. v. 3. quod satis est diximus. Propter quæ vitia venit ira Dei

V. 6. SUPER FILIOS, aut in *filios*, ut Syr. & Gotth. INCREDULITATIS, sive *inobedientiæ*: ἀπειθεία utrumque significat, *filios incredulitatis*, *inobedientiæ*, perinde est, atque homines incredulos, inobedientes. Induite novum hominem,

V. 10. QUI RENOVATUR IN AGNITIONEM, id est per agnitionem. SECUNDUM IMAGINEM: κατ' εἰκόνα, id est, *per imaginem sui conditoris renovatur*: sic Syr. Porro hæc imago est recta & integra cordis reformatio, in qua, ut in speculo lucet bonitas & sapientia Dei.

V. 11. UBI NON EST GENTILIS. Apud quem, nempe Deum. Græc. *Græcus*, sed hic sumitur pro *Gentili*, ut noster posuit. Quo loco disputari posset de statutis, quæ ab honoribus expellunt ex Iudæorum sanguine natos. Verum de re tanta silere præstat, quam pauca dicere, & multa in utramque partem in vulgus prodierunt. Pro illis afferunt c. XLVI. Concilii Toletan. IV. Alfonsi Sapientis Legem, seu Diploma, quo Toletanis dat, nequis ex eo sanguine in ea urbe officium publicum, aut Sacerdotium obtineret, innovatum Petro Sarmento eius urbis Prætore anno 1449. De quo in nostris Annalibus Hisp. Lib. XXII. cap. VIII. Qui contra tendunt, Alexandrum Magnum aiunt (unde?) cum in castris alios Græcos, alios barbaros censeri comperisset, indignatum dixisse: *Ac ego tantum bonos & malos agnosco*. Afferunt etiam Alexandrum III. Gregorium IX. (vellem citarent loca) Nicolaum V. Toletanum statutum improbasse. Notum est sanxisse Paulum III. quoad templi Toletani sacerdotia. Hæc dixisse sufficiat. SED OMNIA, ET IN OMNIBUS, id est Christus in omnibus supplet omnia, genus & alia. Tunc Paulo satis

erat aliquem esse Christianum, ut eum amplecteretur. Sed tempora & mores commutantur.

V. 15. IN UNO CORPORE; pro in unum corpus, scilicet Ecclesiæ vocati estis. ET GRATI ESTOTE, scilicet Deo & aliis. Gr. εὐχάριστοι. Ex qua voce noster Franc. Turrianus Tract. 1. de Eucaristia, putat hic Paulum agere de eo Sacramento; quasi dicat, Eucharistiam sumite. Quod nec probamus, nec reiicimus.

V. 16. DOCENTES, scilicet estote vos ipsos. IN GRATIA, id est cum gratiarum actione, aut suaviter cantantes.

V. 17. IN NOMINE DOMINI IESU CHRISTI: supple *facite*, uti multi codices Latini, & Gotth. & Syr. habent. Servi obedite.

V. 22. NON AD OCULUM SERVIENTES, id est illis tantum præsentibus, & videntibus, scilicet heris.

V. 23. EX ANIMO OPERAMINI. Syr. ex *tota anima vestra*, id est libenter, non coacti.

V. 25. QUI ENIM INIURIAM FACIT. Græc. *qui autem iniuste egerit*, sive *peccaverit*, *non observans*, scilicet quæ præcepi, dabit pœnas. Si nostram litteram sequimur, sensus erit; qui iniuriam fecerit, sive herus austeritate, sive servus non obediendo, punietur prout se gessit.

MENOCHII.

Vers. 1. SI CONSURREXISTIS, id est quandoquidem consurrexistis cum Christo per baptismum. QUAE SURSUM SUNT QUAERITE; id est, cogitationes, & studia vestra conferte ad res supernas, cælestes, ac divinas. IN DEXTERA DEI SEDENS: honoratissimo loco, & Patris throno proximiori. Thronus Deitatis extra omnem comparationem est, qui vero illi est a dextris, secundum obtinet locum.

V. 2. QUAE SURSUM SUNT SAPITE: φρονεῖτε, verbum autem φρονεῖν non ad intelligentiam modo refertur, sed multo etiam magis ad affectum. Sensus est, cogitate, curate, & amate cælestia.

V. 3. MORTUI ENIM ESTIS: scilicet rebus hisce inferioribus, & in baptismo Christo consepulti. ET VITA VESTRA ABSCONDITA EST CUM CHRISTO IN DEO: vita enim gloriæ, quam sancti expectant, nunc est quasi clausa, & sigillis obsignata. Sic ad Ephes. IV. 30. *Signati estis in diem redemptionis*. Has claves apud se habet Christus, illis usurus in extremo iudicio, cum vestris corporibus vitam restituet, & illis gloriosis debitas dotes addet. Hoc enim est quod ait sequenti versiculo, *cum Christus apparuerit*, *&c.*

V. 5. QUAE SUNT SUPRA TERRAM, id est terreni huius corporis. FORNICATIONEM, IMMUNDITIAM: vide dicta ad Ephes. V. 3. LIBIDINEM. In Græco est πάθος, & eorum masculorum vitium significat, qui turpia patiuntur, qui etiam pathici appellantur, vel cinædi. AVARITIAM: πλεονεξίαν de qua dixi ad Ephes. IV. 19. QUAE EST SIMULACRORUM SERVITUS: vide dicta ad Ephes. V. 5. PROPTER QUAE VENIT, &c. Hunc versiculum explicavimus ad Ephes. V. 6.

V. 7. IN QUIBUS: libidinibus, & peccatis iam enumeratis. OMNIA: vitia. BLASPHEMIAM, id est maledicentiam, & malorum imprecationes.

V. 9. MENTIRI INVICEM: fraudibus, & mendaciis invicem circumvenire. VETEREM HOMINEM. Vide dicta ad Ephes. IV. 22.

V. 10. RENOVATUR IN AGNITIONEM; scilicet *eius qui creavit illum*, nempe Dei. Itaque renovatio hæc in eo consistit, ut deponentes vitia, & studentes virtutibus in dies clarius cognoscamus Deum, & voluntatem eius. SECUNDUM IMAGINEM: renovemur mente, & spiritu, ut fiamus similes exemplari, id est etiam Deo creatori nostro.

V. 11. UBI. Nimirum in hac renovatione imaginis. NON EST GENTILIS, ET IUDAEUS, &c. nihil corporeum, aut externum spectandum est, verbi gratia, an quis Iudæus sit, an Gentilis; circumcisus, aut præputiatus, &c. SED OMNIA IN OMNIBUS CHRISTUS: quia in omnibus ita renovatis ipse Christus est. *Omnia*, id est omnis sanctitas, iustitia, religio, & omne bonum; Cristus enim eis communicat suam sanctitatem, &c.

V. 12. SICUT ELECTI DEI SANCTI, ET DILECTI, id est sicut decet sanctos, dilectos a Deo, ad gratiam, & gloriam. VISCERA

VISCERA MISERICORDIAE: affectum misericordiæ: BENIGNITATEM: ut sitis blandi, non austeri. MODESTIAM: πραότητα, lenitatem, sive mansuetudinem. POTENTIAM: μακροθυμίαν, longanimitatem.

V. 13. DONANTES: condonantes, & remittentes offensas.

V. 14. QUOD EST VINCULUM PERFECTIONIS: vinculum perfectum, id est perfecte uniens fideles inter se. Vel, caritas est vinculum, quod ligans, & continens ceteras omnes virtutes, hominem reddit perfectum: est velut spiritus humanus, qui ligat partes, humores, sensusque corporis, alioqui facile dilapsuros; sic caritas virtutum corpus quasi connectit, & constringit, & sine illa continuo dissolvendum.

V. 15. ET PAX CHRISTI EXULTET IN CORDIBUS VESTRIS: βραβευέτω, quæ vox duplicem habet explicationem, quæ tamen in unam, & eamdem recidit. Primo igitur verti potest: *pax Christi prior sit, palmam ferat, superet, ac vincat*; quasi dicat, Cum iniuria affecti sumus, duplex in nobis insurgit motus, alter ad vindictam incitans, alter ab ea revocans. Ipsa igitur pax Christi, tranquillitas, & mansuetudo palmam, & bravium ferat, non ira. Secundo reddi potest: *Pax Christi moderatrix sit, palmam tribuat*, sit iustus quidam βραβευτὴς, id est iustus certaminis arbiter, & ei motui palmam tribuat, qui nos ad lenitatem inclinat. IN QUA, id est ad quam. VOCATI ESTIS IN UNO CORPORE, in unum corpus, hoc est in unam Ecclesiam. ET GRATI ESTOTE: εὐχάριστοι, gratiosi, amabiles, ideoque aliis grati. Vel certe monet, ut beneficiorum memores sint, nam qui recordantur sibi multa fuisse a Deo condonata facile iniuriarum suarum obliviscentur.

V. 16. VERBUM CHRISTI HABITET IN VOBIS ABUNDANTER: id est, fides, seu doctrina Christi fixam in vobis sedem habeat, vosque faciat locupletes, & abundantes omni sapientia. DOCENTES, ET COMMONENTES VOSMETIPSOS, &c. ita ut vos invicem, id est alii alios doceatis, & commoneatis sive exhortemini, canendo psalmos, hymnos, & cantica spiritualia. IN GRATIA CANTANTES, &c. id est, per gratiam Spiritus sancti, sine qua tale munus obiri non potest. Vel, in gratiarum actione; videtur enim hæc sententia eadem esse cum ea, quam ad Ephes. v. 19. sic extulit: *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus*. Vel, cum gratia, id est cum iucunditate, & voluptate spirituali. IN CORDIBUS VESTRIS: ita scilicet, ut non ore, & voce solum cantetis, sed etiam cum affectu, & attentione.

V. 17. OMNIA IN NOMINE DOMINI IESU CHRISTI: ad Christi gloriam omnia referentes. GRATIAS AGENTES DEO, ET PATRI PER IPSUM: quia per Christi meritum omnia nobis dona salutaria a Deo Patre proveniunt.

V. 18. SICUT OPORTET IN DOMINO; id est, sicut oportet secundum Christi Domini legem.

V. 19. AMARI: difficiles, morosi, iracundi, & ad amaritudinem illas provocantes.

V. 20. PER OMNIA: quæ non sunt contra Deum. HOC ENIM PLACITUM EST IN DOMINO: hoc enim Deo placet, & est illius voluntati, & præceptis consentaneum.

V. 21. UT NON PUSILLO ANIMO FIANT: ne animum despondeant, ne animo deiiciantur.

V. 22. CARNALIBUS, id est, temporalibus, etiam Ethnicis. NON AD OCULUM SERVIENTES, &c. Hoc explicatum est ad Ephes. VI. 6. SED IN SIMPLICITATE CORDIS: sine simulatione. TIMENTES DEUM: qui videt abscondita cordis, & simulationes deprehendit.

V. 23. EX ANIMO: libenti, prompto, ac liberali animo. SICUT DOMINO, &c. perinde atque si Domino, & non hominibus ministraretis.

V. 24. ACCIPIETIS RETRIBUTIONEM: ἀνταπόδοσιν, quæ vox mercedem significat, quæ pro merito operum datur. DOMINO CHRISTO SERVITE: dum heris vestris paretis, scitote nos Christo servire.

V. 25. QUI ENIM INIURIAM FACIT, &c. Probat servos dominis suis subiectos, obedientes, & iustitiam in hoc obsequio colentes habituros hereditatem, argumento a contrario, nam qui iniusti sunt, sive servi sint, sive domini, damnationem æternam incurrent, cum Deus personam non recipiat, sed æqualiter præmia, & pœnas pro meritis reddat.

TIRINI.

Vers. 1. SI, seu quandoquidem, a mortè peccati per baptismum & pœnitentiam CONSURREXISTIS *a* CUM CHRISTO, iam quasi in alteram vitam translati, QUÆ SURSUM SUNT QUÆRITE & *sapite* cognitiones, studia, vota vestra omnia conferentes ad res supernas, spirituales, cælestes, divinas.

V. 3. MORTUI ENIM ESTIS rebus hisce inferioribus, & consepulti *b* Christo in baptismo: ET VITA VESTRA, scilicet vita gratiæ, qua nunc interius vivitis; & vita gloriæ, qua æternum vivetis, EST ABSCONDITA CUM CHRISTO IN DEO, seu sinu Dei. *Abscondita*, inquam, non curiæ cælesti, sed mundo & oculis mundanorum, qui propterea despiciunt illam & contemnunt, inquiunt Chrysost. Theophyl. Anselm. Sed & coram universo mundo apparebit aliquando, nempe in die iudicii.

V. 4. CUM denuo mundo APPARUERIT CHRISTUS, qui est VITA VESTRA scilicet causa vitæ, revivifcentiæ & gloriæ vestræ: causa, inquam, efficiens, meritoria, exemplaris, obiectiva & finalis.

V. 5. *Avaritia* quomodo sit SIMULACRORUM SERVITUS, alias exposui *c*, ut & de *filiis incredulitatis d*, & de *veteri homine e*.

V. 10. *Novus homo*, exutis vitiis RENOVATUR mente & spiritu IN, seu per, AGNITIONEM, id est fidem, cultum, amorem EIUS QUI CREAVIT ILLUM, SECUNDUM IMAGINEM *f* suam.

V. 11. UBI, seu ad quam renovationem obtinendam, *nil* refert, an IUDAEUS circumcisus sis, an GENTILIS incircumcisus: an BARBARUS, an (qui omnem barbariem superat) SCYTHA: SED OMNIA, ET IN OMNIBUS est CHRISTUS: nam fides, iustitia, sanctitas, salus æterna, quæ nobis a Christo obveniunt, pari iure omnibus communicantur quantum est ex parte Christi: ergo æquum est ut, deposito gentis adversæ odio, alios quasi fratres intimo affectu complectamini:

V. 14. QUOD EST VINCULUM PERFECTIONIS, seu perfectum vinculum, perfectè uniens fideles inter se mutuo. Vel, si mavis, caritas est vinculum, quod connectens ceteras virtutes, hominem reddit perfectum: est enim velut anima in corpore, colligans & continens singula membra, humores, sensus corporis, alioqui statim dilapsuros.

V. 15. PAX CHRISTI, quam Christus de cælo nobis attulit, EXULTET IN CORDIBUS VESTRIS, βραβευέτω, id est bravium & palmam ferat, scilicet de omnibus animi passionibus, de adversa fortuna, de omnibus contrariis: ita Chrysostomus, Theodor. Theophy. Oecumenius. ET GRATI ESTOTE, εὐχάριστοι, id est gratiosi, amabiles, ideoque omnibus grati & accepti.

V. 16. VERBUM, seu doctrina, CHRISTI HABITET, & fixam *in* cordibus vestris sedem habeat, ABUNDANTER vos locupletans spiritualibus thesauris scientiæ, gratiarum & virtutum: IN, id est cum, GRATIA, iucunditate & voluptate, non carnali, sed spirituali, inquit Theophyl.

V. 17. OMNIA facite IN NOMINE DOMINI IESU; id est invocato eius nomine, itemque ad laudem eius & gloriam. Reliqua sequentia exposui Ephes. VI. 6.

(a) Rom. VI. 4. & Ephes. I. 20.
(b) Ibid.
(c) Ephes. V. 5. & 6.
(d) Ibid.
(e) Ephes. IV. 25.
(f) Gen. I. 27.

GORDONI.

Vers. 1. HIs quatuor versibus ostendit iter Christianum esse a baptismo & novitate vitæ ibi inchoata per continuam mortificationem sanctaque desideria ad locum ubi Christus est in dextera Dei Patris. Baptismus quidem est typus mortis Christi & sepulturæ per immersionem; & resurrectionis per emersionem. Moritur etiam ibi Christianus, & spiritu resurgit in novum hominem. At quæ est illa vita abscondita? Certe cur non illa futura in gloria: abscondita nunc quidem mortalibus, sed revelanda per Christum in die iudicii.

V. 5. MORTIFICATE. In illo itinere periculoso sane quo itur ad vitam æternam optimum dat præsidium Paulus. Mortificate membra vestra huius terreni corporis. Et vitia recenset, a quibus præcipue ab-

abstinendum est: quæ qualia sint, vide Ephes. cap. IV. 19 cap. V. 5. & 6. quatuor vocibus vitium carnis explicat.

V. 10. INDUENTES NOVUM. Post mortificata illa vitia, & depositionem veteris hominis, induere oportet novum hominem, & virtutes quas hic ex opposito recenset & commendat: quod etiam magis explicat, dum vult hanc renovationem esse secundum imaginem illius qui hominem creavit, scilicet ut mente & spiritu fiat renovatio: in qua renovatione imaginis, non refert aliquem esse Iudæum, gentilem aut barbarum, quando ibi in omnibus est Christus instar omnium communicans omnibus suam sanctitatem sine distinctione personarum. De hoc duplici nomine lege Bernardum. Serm. XXX. inter parvos.

V. 13. & 14. Moralia sunt hæc & sensus clarus est: Christus in omnibus renovatis est omnia; a quo omnis eorum iustitia & sanctitas: aut etiam omnia in omnibus, quatenus in suis omnibus supplet omnes defectus. *Donantes*, condonantes. Caritas quæ hic commendatur perfecta est, erga Deum scilicet, & homines. Dicitur vero VINCULUM PERFECTIONIS, vel per Hebraismum, hoc est Vinculum perfectum: vel quia caritas est vinculum totius perfectionis & virtutis: hæc enim connectit perfectiones ne pereant. Sic Græci Patres.

V, 15. 16. 17. PAX CHRISTI. Est hæc pax animi tranquillitas & mansuetudo, quam vult Paulus *βραβεύειν* præsidere in cordibus nostris. Commendat secundo verbum & veram Christi doctrinam, ac demum ut omnia ad Christi honorem referant, & gloriam: a quo & per quem optima acceperuri sunt. Vel sic: sint omnia opera vestra talia ut spectent, & referri possint ad Dei gloriam.

CAPUT IV.

Pro se cupit ipsos precari, & caute ac discrete cum infidelibus conversari: mittitque qui manifestent eis quæ apud ipsum agantur, & variorum salutationem adscribit, cupiens ut & hæc & similiter Laodicensium Epistola apud utramque legatur Ecclesiam.

1. DOmini, quod iustum est & æquum, servis præstate, scientes quod & vos Dominum habetis in cælo. 2. (*a*) Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione: 3. (*b*) orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum) 4. ut manifestem illud ita ut oportet me loqui: 5. (*c*) In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt; tempus redimentes. 6. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. 7. Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister, & conservus in Domino: 8. quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra, 9. cum Onesimo charissimo, & fideli fratre, qui ex vobis est. * Omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis. 10. Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum: 11. & Iesus, qui dicitur Iustus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. 12. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est servus Christi Iesu, semper solicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.

13. Te-

13. Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis qui sunt Laodiciæ, & qui Hierapoli. 14. Salutat vos (d) Lucas medicus charissimus, & Demas. 15. Salutate fratres, qui Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo eius est, Ecclesiam. 16.* Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur: & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis. 17. Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. 18. Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. * Gratia vobiscum. Amen.

(a) Luc. xviii. 1. (b) I. Thess. v. 17. Ephes. vi. 18. II. Thess. iii. 1. (c) Thess. v. 11. (d) II. Tim. iv. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 9. Omnia quæ aguntur. Non præponas his verbis *qui*.

Vers. 16. Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc. Non omittas pronomen *hæc*.

Ibidem. *Et eam quæ Laodicensium est vos legatis.* Alii passive legunt: *& ea quæ Laodicensium est vobis legatur.*

Vers. 18. *Gratia vobiscum.* Non interponas *Domini nostri Iesu Christi.*

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Vers. 3. APERIAT NOBIS OSTIUM, id est libertatem, & fiduciam prædicandi donet.

V. 5. AD EOS QUI FORIS SUNT, id est inter gentiles & ethnicos, qui non sunt de ecclesia, ambulate & vivite sapienter, TEMPUS REDIMENTES: quid autem sit redimere tempus, videte Ephes. v. 4.

V. 6. SALE SIT CONDITUS, id est prudentia.

V. 10. DE QUO ACCEPISTIS MANDATA: vel a quo præcepta vivendi accepistis: vel de quo mandavi vobis, ut si ad vos venerit, illum excipiatis.

V. 11. EX CIRCUMCISIONE, id est Iudæi.

V. 12. QUI EX VOBIS EST, id est vester: erat enim Colossensis.

V. 15. NYMPHAM. Græce, νύμφαν: est autem nomen viri νυμφᾶς.

V. 16. QUAE LAODICENSIUM EST, id est quæ ab Laodicensibus mihi missa est; sic enim Græci explicant, & Græca verba id innuunt, τὴν ἐκ Λαοδικείας, id est quæ ab Laodicensibus est.

SA.

Vers. 2. INSTATE, id est instanter attendite.

V. 3. APERIET OSTIUM, id est auferet impedimenta.

V. 4. LOQUI. Pro, loquendo.

V. 5. IN SAPIENTIA, id est sapienter, seu prudenter. FORIS SUNT, scilicet gentiles. TEMPUS REDIMENTES, id est temporis opportunitate utentes ad bene agendum.

V. 6. IN GRATIA, id est gratus, seu utilis. SALE, id est prudentia. SCIATIS, id est appareat vos scire.

V. 7. IN DOMINO, id est in rebus Domini.

V. 9. EX VOBIS, id est Colossensis.

V. 10. MARCUS, scilicet Evangelista, qui & *Ioannes*, secundum quosdam, vide Act. xii. *De quo*, scilicet Barnaba, vel Marco. MANDATA, scilicet illum humaniter tractandi.

V. 11. EX CIRCUMCISIONE, id est Iudæi. SOLI, scilicet ex Iudæis. ADIUTORES, scilicet domestici. REGNO DEI, scilicet divulgando.

V. 12. PERFECTI, ET PLENI, id est plene perfecti.

V. 13.

V. 13. Laborem. Græc. *zelum*, seu *studium*.

V. 15. Nympham. Nomen viri.

V. 16. Laodicensium. Græc. *ex Laodicea*, scilicet ad Paulum missa. Quidam tamen putant significari Pauli epistolam ad Laodicenses, quæ non extet; vel priorem ad Timotheum.

V. 17. Archippo, scilicet Episcopo. In Domino, id est Dei Ecclesia, seu Domini loco. Impletas, id est perfecte administres.

V. 18. Amen. Græc. additur, *Scripta e Roma per Tychicum & Onesimum*.

MARIANAE.

Vers. 3. Ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, orate, id est occasionem offerat libere docendi. Mysterium. Sic Evangelium vocatur, quia occultum, nisi quibus Deus id revelat.

V. 5. In sapientia, id est caute cum infidelibus agite, aut parum. Tempus redimentes: illud bene collocantes, ut ad Ephes. v. 16. Aut captantes opportunitatem cum illis agendi, eos convertendi.

V. 6. Sale, id est prudentia & gratia sermo sit conditus.

V. 9. Qui ex vobis est, scilicet Onesimus, qui erat Colossensis. Fuerat is Onesimus Philemonis servus.

V. 10. De quo accepistis mandata, id est scripsi vobis de eo; scilicet Marco Barnabæ consobrino.

V. 11. Qui sunt ex circumcisione, id est ex Iudæis facti Christiani. In regno Dei; id est Evangelio sunt adiutores mei.

V. 12. Epaphras, qui ex vobis est. Fuerat eorum Apostolus & Doctor cap. I. vers. 7. Pleni in omni: ibi pone comma, id est in omni negotio, Gotth. *in omnibus*. Voluntate Dei, id est ut voluntatem Dei impleatis.

V. 13. Et qui Hierapoli. Colossæ, Laodicea, & Hierapolis erant urbes præcipuæ Phrygiæ, quæ paulo post hoc tempus terræmotu conciderunt, ut scribit Orosius.

V. 14. Et Demas. Hic postea deseruit Paulum II. ad Timoth. IV. 10. an & fidem?

V. 15. Et Nympham. Vir erat: id indicat pronomen *eius*, ibi, In domo eius est, quod Græce est masculinum.

V. 16. Et eam, quae Laodicensium est. Græc. τὴν ἐκ Λαοδικείας, *quæ ex Laodicea*. Sic Chrysostomus & Theophylactus legunt. Syr. *eam, quæ scripta est ex Laodicea*. Velesius sic, ἵνα ἡ ἐκ Λαοδικείας ὑμῖν ἀναγνώσκηται, *& quæ Laodicensium* [illegible] *vobis legatur*: sic noster Græca legit. Illud Λαοδικείας, per genitivum vertit. De hac Epistola magna est concertatio. Nos quæ in Goth. miræ antiquitatis codice est, statim post Epistolam ad Colossenses subiiciemus, cum nostra de re tota, censura.

V. 17. Et dicito Archippo. Hic in Epaphræ locum successerat Doctor eius gentis. Quid? Vide ministerium. Forte segnis erat.

V. 18. Gratia vobiscum. Sic Græce & Syr. Gotth. *Gratia Dei vobiscum*. Quidam codices Latini & Græci, *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum*.

MENOCHII.

Vers. 1. Æquum: τὴν ἰσότητα, ut scilicet unum dure non tractent, alterum indulgenter, sed tenorem quemdam æqualitatis teneant.

V. 2. Instate: προσκαρτερεῖτε, *constanter perseverate*.

V. 3. Ut Deus aperiat nobis ostium sermonis; id est, ut det mihi aperire os ad proferendum mysterium salutis humanæ per Christum. Propter quod; scilicet mysterium. Vel, propterea quod hoc mysterium prædico.

V. 4. Ut manifestem illud, &c. id est, orate, ut ita loquar, &c.

V. 5. In sapientia: sapienter, prudenter, caute. Eos qui foris sunt: Ethnicos intelligit, qui non pertinent ad Ecclesiam. Redimentes tempus: vide dicta ad Ephes. v. 15. In Græc. est, καιρὸν, id est opportunitatem, & occasionem rei Christianæ bene gerendæ, & promovendæ.

V. 6. In gratia sale sit conditus, sit respersus sale sapientiæ, idque cum gratia, id est cum gratia & iucunditate. Ut sciatis quomodo oporteat vos, &c. Hoc

Hoc ad gratiam sermonis pertinet nosse loqui, & respondere unicuique quemadmodum oportet, & convenit, ut sermone afficiatur.

V. 7. QUAE CIRCA ME SUNT, &c. Hunc versum explicavimus ad Ephes. VI. 21. & 22. TYCHICUS: nimirum per quem mitto hanc Epistolam.

9. QUI EX VOBIS EST, id est Colossensis, ut vos.

V. 10. ARISTARCHUS: cuius mentio Actor. XIX. 29. & XX. 4. & XXVII. 2. MARCUS, qui Actor. XII. 12. dicitur Ioannes cognomento Marcus. DE QUO ACCEPISTIS MANDATA; id est, de quo dedi ad vos litteras commendatitias, seu testimoniales. ET IESUS QUI DICITUR IUSTUS; scilicet, salutat vos. QUI SUNT EX CIRCUMCISIONE, id est ex Iudæis Christiani.

V. 11. IN REGNO DEI: in prædicatione, & promotione Evangelii.

V. 12. SALUTAT VOS EPAPHRAS, Baronius tom. I. Anno Christi 60. probat fuisse Episcopum Colossensem; Archippum vero, quem vers. 17. ad obeundum ministerium adhortatur, fuisse Diaconum tantum. SEMPER SOLICITUS PRO VOBIS IN ORATIONIBUS: illud nimirum orans quod sequitur. UT STETIS PERFECTI, ET PLENI, &c. id est, in omni eo; in quo vult Deus non esse perfectos, & plenos, scilicet sapientia, & moribus Christianis.

V. 13. HABET MULTUM LABOREM PRO VOBIS. In Græco est, ζῆλον, zelum, studium scilicet vestri boni, & profectus in Christo. ET PRO IIS QUI SUNT LAODICIAE, &c. erant hæ civitates Colossis vicinæ.

V. 14. LUCAS MEDICUS: Lucas Evangelista, qui fuit etiam medicus, & pictor, Vide Maldon. Prologo in eius Evangelium. & Barrad. Lib. I. cap. XX.

V. 15. ET NYMPHAM: νυμφᾶν, nomen est viri, ut patet ex eo quod sequitur. IN DOMO EIUS: αὐτοῦ, id est eius in genere masculino.

V. 16. EAM QUAE LAODICENSIUM. Hæc Epistola iam non extat. In Græco est, καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας, *&* *eam quæ ex Laodicia*, ex quo apparet Apostolum loqui de Epistola ex Laodicia scripta, fortasse ad ipsum Paulum.

V. 17. ARCHIPPO: vide dicta vers. 12. MINISTERIUM: τὴν διακονίαν, vel diaconatus officium intelligit, ut vult Baronius, vel presbyteratus officium, aut etiam Episcopatus, in cuius administratione Epaphræ successerit Romæ captivo. IMPLEAS: diligenter exequaris.

V. 18. SALUTATIO MEA MANU PAULI. Hæc verba cum iis quæ sequuntur usque ad finem, affirmat Paulus sua manu se scripsisse loco salutationis, qua claudi solet Epistola. Nam reliquam Epistolam totam ipso dictante alius exceperat. MEMORES ESTOTE VINCULORUM MEORUM: tum ut pro me vinctos oretis, tum ut confirmemini in fide pro qua videtis me pati. GRATIA VOBISCUM: Domini gratia vos tueatur, & servet.

T I R I N I.

Vers. 1. INSTATE. Græce, *sedulo & constanter perseverate in oratione.*

V. 3. UT DEUS APERIAT NOBIS OSTIUM SERMONIS, id est subministret amplam occasionem & opportunitatem promulgrandi quaquaversum mysteria fidei Christianæ.

V. 5. IN, seu cum, *sapientia*, prudentia, cautela AMBULATE AD EOS QUI FORIS SUNT, id est conversamini cum Ethnicis, qui ad Ecclesiam non pertinent *a*. REDIMENTES TEMPUS. Græce, καιρόν, id est opportunitatem & occasionem rei apud ipsos bene gerendæ captantes *b*, ut converti possint: ita Ambros. & Theophyl.

V. 6. SERMO VESTER SEMPER CONDITUS SIT SALE sapientiæ & discretionis, idque IN, id est cum, GRATIA, seu grata iucunditate, ad commodum & utilitatem audientium comparatus.

V. 7. TYCHICUS idem is est cuius meminit ad Ephesios ult. vers. 21.

V. 9. DE ONESIMO QUI EX VOBIS, id est ex urbe vestra, EST, vide ad Philemonem.

V. 10. *Aristarchi* mentio est in Actis *c* Apostolorum, ut & *Marci d consobrini* BARNABAE: DE QUO Marco ACCEPISTIS MANDATA, seu litteras meas commendatitias & monitorias, ut benevole apud vos habeatur.

V. 11. Hi soli ex vestratibus [& Asiaticis, qui mihi ministrare solent & *adiuvare* in regno Dei, id est in prædicatione Evangelii & propagatione regni Dei; præsentia sua & nomine vestro mihi fuerunt solatio. Nihil ergo facit hic locus pro Beza & Veleno, volentibus ex eo probare, S. Petrum, quia hic non nominatur, Romæ numquam fuisse. Sed hoc alibi discussimus *e*.

V. 12. Epaphras ex sententia Baronii *g* fuit Episcopus Colossensis *f*, cui successit *Archippus*, de quo infra *h*.

V. 14. Lucas medicus & pictor idem est cum *Evangelista*, comes hucusque peregrinationis Pauli. Id patet ex Actis Apostolorum, & fuse docet Maldonatus & Barradius *i*.

V. 15. *Nympha* nomen viri est, ut colligitur ex pronomine *αὐτῦ* masculini generis Theodor. & Theophyl.

V. 16. Quae Laodicensium vobis vicinorum est; græce, *τὴν ἐκ Λαοδικείας*, id est *eam quæ ex Laodicia*, supple, scripta est ad me, ut Chrysost. Theodor. & Baronius k exponunt. Sed hæc epistola nusquam iam extat.

V. 18. Salutatio mea manu Pauli, id est, salutationem hic vobis adscribo propria mea manu ad calcem epistolæ per amanuensem me dictante conscriptæ. Gratia Domini nostri vobiscum sit, vos tueatur & servet incolumes.

(a) I. Cor. v. 12.
(b) Ephes. v. 15.
(c) Actor. xix. 29. & xx. 4. xxvii. 2.
(d) Actor. xix. 12.
(e) In fine ep. ad Rom.
(f) Sup. Coloss. 1. 7.
(g) Baron. anno Christi lx.
(h) Hic vers. 17.
(i) Maldonat. prologo in Lucam. Barrad. Lib. 7. cap. xx.
(k) Baron. sup. p. 663.
(l) I. Cor. ult. 21.

G O R D O N I.

Vers. 1. & 5. Paulus seipsum commendat orationibus Colossensium; & illis sapientiam commendat, ut sic prudenter agant cum Ethnicis, qui sunt extra Ecclesiam, & caveant ne cum illis infructuose transigant tempus, quod est pretiosum. Sermo vester sit illis utilis: sic vers. 6. vult ut sermo sit sale sapientiæ conditus. De Tychico supra.

V. 10. & 15. Salutat. De Aristarco, vide Act. cap. xix. 29. De Marco, Act. xii. 12. Et Iesu, scilicet salutat vos. *Regnum Dei*, prædicatio Evangelii. Epaphras putatur Episcopus Colossensium.

V. 14 Lucas medicus, Evangelista, & pictor. Nympha, nomen viri est ex Græco *αὐτῦ*. Archippus diaconus est. Epistola de qua hic vers. 16 ad Laodicenses, non extat.

E P I S T O L A
AD LAODICENSES.

Paulus (*Apostolus*) *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Christum Iesum, fratribus qui sunt Laodicæ, gratia vobis & pax a Deo Patre, & Domino Iesu Christo. Gratias ago Christo per omnem orationem meam, quod permanentes estis in eo, & perseverantes, promissa expectantes in die iudicii. Neque disturbat vos quorumdam vaniloquentia insimulantium, ut (vos) avertant a veritate Evangelii, quod a me prædicatur. Et nunc faciet Deus, ut qui sunt ex me, perveniant ad profectum veritatis Evangelii, deservientes, & benignitatem operum facientes, quæ (sunt) salutis vitæ æternæ. Et nunc palam sunt vincula mea, quæ patior in Christo; in quibus lætor & gaudeo: & hoc mihi est ad salutem perpetuam. Quod ipsum factum est orationibus vestris, administrante Spiritu sancto, sive per vitam, sive per mortem. Etenim mihi vivere vita in Christo, & mori gaudium. Ipse in vobis faciat misericordia sua, ut eamdem dilectionem habeatis, & sitis unanimes. Ergo dilectissimi, ut audistis præsentia mei, ita sentite & facite cum timore Dei: & erit vobis vita in æternum (est enim Deus qui operatur in vobis) & facite sine tractu quodcumque facitis, & quod (optimum) est, dilectissimi, gaudete in Christo: & præcavete sordidos in lucro homines. Sint petitiones vestræ palam apud Deum. Et estote firmi in sensu Christi. Et*

quæ

quæ integra sunt & vera, & pudica, & iusta, & amabilia sunt, facite: & quæ audistis & accepistis, in corde retinete, & erit vobis pax. Salutant vos sancti. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Et facite legi Colossensium vobis.

MARIANAE.

HANC Epistolam in codice Bibliorum Gottico invenimus miræ antiquitatis & fidei, ubi Apocrypha nulla, non Manassis oratio, nec tentius & quartus Esdræ libri. Psalmi ex ipsa Hieronymi versione. Nec movet, quod Epiphanius affert Lib. I. Tom. III. Marcionis nomine ex Epistola ad Laodicenses, *unus Dominus*, *una fides*: nam Marcion Epistolam ad Ephesios ubi illa verba sunt, putavit ad Laodicenses missam, ut colligitur ex Tertulliano Lib. V. contra Marcionem cap. XI. & XVII. Philastrius c. LXXXIX. Epistolæ ad Laodicenses meminit, quam in Ecclesiis ait non legi. Neque id movet, quoniam in ea Epistola quasdam ambiguas sententias contineri ait. In hac nihil ambiguum, omnia consona pietati. Hieronymus in Catalogo, in Paulo. *Legunt*, inquit, *quidam & ad Laodicenses Epistolam, sed ab omnibus exploditur*. Theodoretus ad Colossens. IV. fictam ad Laodicenses Epistolam proferri ait. Verum, an de hac nostra Epistola, an de alia eodem titulo loquantur, incertum. Chrysostomus & Theodoretus ad Coloss. IV. Paulum eo loco non de Epistola ad Laodicenses ab ipso missa loqui putant, sed de ea, quam Laodicenses scripsere ad Paulum. De quo eo loco est dictum. Movet magis tum Baronius Cardinalis anno Christi 60. tum Sixtus Senensis II. Lib. in Paulo, alter producta hac Epistola, alter de ea loquens, eam sugillant viri doctissimi. A quorum censura recedere nolim. Sed Paulum plures alias Epistolas, præter eas quæ sunt in canone, scripsisse, dubium non est. Ex illis hanc conservatam, propter mentionem quæ de ea fit in Epistola ad Coloss. suspicabar: nam stylus cum Pauli stylo consentit, verba omnia pietatem redolent. Iniqui iudices adversus nos simus, si tantæ antiquitati fidem detrahamus. Porro in nostro codice hæc Epistola post Epistolam ad Coloss. sequitur. In ea pauca, quæ in nostra deesse visa sunt, ex Sixti exemplari supplevimus, sed lineis omnia notata. Plura non addimus.

FINIS TOMI VIGESIMISEXTI.